THE LIBRARY OF
HAVERFORD COLLEGE
LUTHERAN THEOLOGICAL SEMINARY
PHILADELPHIA

DE DVABVS NATVRIS IN CHRISTO,

DE HYPOSTATICA EARVM VNIONE,

DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM, ET DE ALIIS QVÆSTIONIBVS INDE DEPENDENTIBVS.

Libellus ex Scripturæ sententijs, & ex purioris Antiquitatis Testimonijs.

Iam denuò recognitus & retextus

Per Martinum Chemnicium D.

Cum Præfatione D. Nicolai Selnecceri, Pastoris Lipsensis.

LIPSIÆ

M. D. LXXX.

Cum Gratia & Priuilegio Incliti Electoris Saxoniæ, &c.

LIBRARY
200*

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO CHRISTIANO Duci Saxoniæ, Marchioni Miſniæ, Landgrauio Thuringiæ &c. Potentiſsimi Principis AVGVSTI Electoris Saxoniæ, &c. Filio, Domino ſuo clementiſsimo,

Gratiam, pacem ac ſalutem in Chriſto, qui eſt vnica & perpetua ſalus noſtra.

ILluſtriſsime Princeps, Domine Clementiſsime, Diuus Auguſtinus Chriſtum Seruatorem compellans, de duobus potiſsimum in Scriptura Sacra patefactis ſibi gratulatur, in quibus petit per Spiritum Sanctum illuſtrari, confirmari & conſeruari, Da mihi, *inquit,* NOSSE TE, NOSSE ME. *Ac noſtri quidem agnitio, ſordes ac miſerias noſtras ob oculos nobis ponit, Chriſti vero agnitio, qui factus nobis à Deo eſt ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio, Verè eſt, ſicut Zacharias inquit, Scientia ſalutis. Et qui germani ſunt Eccleſiæ Dei Filij, extra dubitationem & controuerſiam ponunt, Veram ex verbo diuinitus patefacto agnitionem perſonæ & officij Chriſti, non iu-*

36095

cundam tantum & vtilem, ſicut quando Philoſophi, ingenij gratia, in Inueſtigandis admirandis naturæ arcanis operæ aliquid ponunt, ſed omnino ad ſalutem & vitam æternam neceſſariam eſſe. Ita enim ipſe Filius Dei inquit, Ioh. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & Ieſum, quem miſiſti, eſſe Chriſtum. Et Iſa. 53. Pater inquit, Noticia ſui, ipſe Iuſtus ſeruus meus, qui Chriſtum, vt verum Deum, ita & verum hominem, ignorat.

Illa vero agnitio perſonæ Chriſti in verbo Dei ita deſcribitur, & quod verus ſit Deus, & æqualis Deo, Ioh. 5. Philip. 2. & 1. Ioh. 5. Et quod particeps factus ſit carnis & ſanguinis, ſicut nos, excepto peccato, Ebr. 2. Hoc eſt, quod duæ naturæ, Diuina & humana ſint in Chriſto incarnato. Et duas illas naturas, non ſeorſim ſubſiſtere, ſed vnitas eſſe in vnam perſonam λόγϖ Scriptura expreſſè tradit, Gal. 4. Deus miſit Filium ſuum factum ſeu natum ex muliere. Luc. 1. Quod ex Maria naſcetur, Filius Dei vocabitur. Matth, 16. Filius hominis eſt Filius Dei viui. Ierem. 23. Germen ſeu virgula Dauidis eſt Iehoua. Ioh. 1. Verbum caro factum eſt, Ita vt non duæ ſint perſonæ, ſed vnus ſit Chriſtus, vnus Dominus, vnius Mediator 1. Cor. 8. & 1. Tim. 2. Ex illa vero hypoſtatica vnione Scriptura tradit oriri eam communicationem Idiomatum, quæ ea, quæ vnius naturæ propria ſunt, tribuuntur perſonæ, vt 1. Cor. 2. Dominum gloriæ crucifixerunt. Et Actor. 20. Deus ſanguine ſuo Eccleſiam ſibi acquiſiuit. Licet enim Diuinitas non moriatur, Deus tamen homo factus, propria ſua carne paſſus & mortuus eſt, 1. Pet. 3. & 4.

Oſtendit etiam Scriptura, ratione hypoſtaticæ illius vnionis fieri, quod in officijs Chriſti Mediatoris & Saluatoris vna ipſius

natura

natura agat cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est, vt Ebr. 2. Per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium, Actor. 20. Deus proprio sanguine redemit Ecclesiam. Ex hoc etiam fonte Scriptura deducit communicationem Maiestatis. Cum enim emundare à peccatis & viuificare, Maiestas sit diuinæ naturæ Christi essentialiter propria, Scriptura tamen etiam carnem Christi prædicat viuificare seu viuificam esse, Iohan. 6. Et 1. Ioh. 1. scriptum est, Sanguis filij Dei emundat nos à peccatis. Fit autem hæc communicatio Maiestatis, non per confusionem, commutationem, aut exæquationem naturarum, sed per οἰκονομίαν hypostaticæ vnionis, sicut veteres loquuntur. Et hæc sunt illa ipsa capita, in quæ solemus explicationem doctrinæ de persona Christi distribuere, scilicet, De duabus naturis in Christo, De hypostatica earum Vnione, De communicatione Idiomatum, &c. Quæ capita ideo in luculentis Scripturæ testimonijs in principio ostendi. Sunt autem quidam, Qui quoniam vident varias & fermè infinitas de hoc mysterio controuersias, non sine magna ac tristi Ecclesiarum conturbatione & distractione moueri, existimant satius & consultius esse, reliquis doctrinæ cœlestis capitibus explicandis & cognoscendis occupari, ab huius verò doctrinæ explicatione & cognitione, vt quam existimant, absq; salutis dispendio ignorari posse, prorsus abstinere, Cùm quidem Paulus pronunciet magnum esse mysterium. Sed eos hoc suo iudicio & falli & fallere inde manifestum est, quod Scriptura doctrinam illam accuratè tradit, & multis in locis repetit. Et quidem Christus pronunciat, hanc fidem & confessionem, quod filius hominis sit Filius Dei, esse Petram, super quam ædificaturus sit Ecclesiam suam Matth. 16. Iohannes etiam non dubitat affirmare, hanc esse normam, qua Spiritus veritatis & Spiritus erroris discernatur, Quod scilicet vnigenitus Fi-

lius Dei, quem Pater in mundum misit, venerit in carne, 1. Ioh. 4. Vt iam non addam, quod aliquot œcumenica Concilia, ad explicandam & illustrandam hanc ipsam doctrinam, magnis olim sumtibus conuocata, & immensis laboribus celebrata fuerunt. Taceo etiam quod omnes fermè veteris Ecclesiæ scriptores præcipuam operarum suarum partem in excolenda mysterij huius doctrina posuerunt. Nequaquam igitur senserunt aut iudicarunt inutilem aut non necessariam esse huius doctrinæ de Persona Christi explicationem & cognitionem, Sed rectè pronunciat Athanasij Symbolum, Ei qui vult saluus esse, necessarium esse ad æternam salutem, vt etiam incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat,

Quod autem Paulus 1. Tim. 3. vocat mysterium, & quidem magnum mysterium & ὁμολογουμένως, hoc est, extra controuersiam, seu confessione omnium magnum mysterium, Quod Deus manifestatus est in carne, Iustificatus in Spiritu, Visus angelis, prædicatus gentibus, creditus in mundo, assumptus in gloria, Non hoc sentit, quasi in Ecclesia nulla huius doctrinæ vel explicandæ, vel cognoscendæ ratio habenda sit, Sed dicit ideò vocari sapientiam in mysterio absconditam, 1. Cor. 2. quod non sit sapientia huius seculi, vel principum huius seculi, hoc est, Quod doctrina illa rationi humanæ à natura non sit nota, ne quidem præstantissimis ingenijs. Addit autem Deum de mysterio illo per Spiritum suum in Verbo nobis patefecisse, quantum ad veram ac salutarem Christi Saluatoris nostri cognitionem, in hac vita, vtile ac necessarium nobis iudicauit. Quæ igitur de hoc mysterio, in verbo patefacta sunt, non sunt abijcienda vel sepelienda, sed grata mente discenda & cognoscenda. Ipsa tamen appellatio magni mysterij, in explicatione

catione & cognitione huius doctrinæ, duas maximè necessarias commonefactiones nobis subijcit:

1. *Vt de hoc mysterio sentiamus & loquamur non sermonibus, quos humana sapientia docet, sicut Paulus inquit, sed quos docet Spiritus Sanctus, hoc est, Ne ea, quæ de hac doctrina in Scripturis tradita & patefacta sunt, ad rationis principia, normam ac iudicium exigamus ac conformemus, sed vt spiritualia spiritualibus comparemus, quæ homini ψυχικῷ stultitia sunt.*

2. *Vt sollicitè nos intra terminos Diuinæ patefactionis contineamus, nec aliquid in hac doctrina, de quo non extant expressa in Scriptura testimonia ex nostris, vel cogitationibus, vel nudis consequentijs constituamus. Et quia ex parte prophetamus & cognoscimus, 1. Cor. 13. non existimemus totam abyssum mysterij huius doctrinæ nos in hac vita peruidere aut peruestigare posse. Quia enim Christus exaltatus scribitur, super omne nomen, quod nominatur, non tantum in hoc, verumetiam in futuro seculo, non dubitemus itaq; multa de hoc mysterio, reuelationi & agnitioni in altera Illustri illa Schola visionis, in vita æterna reseruata esse. Omnino igitur semper addenda est hæc commonefactio, facilem, procliuem & periculosum esse lapsum in hisce disputationibus. Ostendunt enim historiæ omnium temporum, Post mysterium de Trinitate, de nullo fidei articulo tot & tam varias omnibus temporibus motas fuisse concertationes, exortas opiniones atq; adeo hæreses, atq; de hoc mysterio Incarnationis, siue de persona Christi. Fuerunt enim qui contenderunt humanam tantum naturam esse in Christo, negata veritate Diuinitatis personæ ipsius. Alij disputarunt, tantum diuinam naturam esse in Christo, negantes veritatem ἀνθρωπότητος eius. SAMOSATENVS duas quidem naturas in Christo concessit, sed finxit eas prorsus ἀκοινωνήτους ad se inui-*

se inuicem esse nudam earum coniunctionem seu cohabitationem comminiscens. NESTORIVS vnum Christum iuxta numerum naturarum in duas distraxit personas. EVTYCHES contra, duas Christi naturas in vnam confudit & conuertit, ac finxit sublata differentia naturarum in Vnione, factam conuersionem, confusionem, aut exæquationem naturarum.

MONOTHELETAE differentiam essentialium cuiusq; naturæ proprietatum sustulerunt, & vnam naturalem vtriusq; naturæ voluntatem & actionem posuerunt. Alij assumtæ humanæ naturæ in Christo, tantum naturalia tribuenda esse Idiomata contendunt, negantes eam ex hypostatica cum Diuinitate vnione, diuinis actionibus ita locupletatam esse, sicut ferrum ex vnione cũ igne vrendi facultatem obtinet, sicut Damascenus loquitur. Inde enim etiam NESTORIVS negauit, Carnem Christi esse viuificam. Apud Origenem quidam fingunt, Christum post ascensionem, assumta humana sua natura ociosa, & quasi seposita, per solã suam Diuinitatem, ea, quæ ad officium regni & sacerdotij sui pertinẽt in Ecclesia exequi & efficere. Alia innumera opinionum monstra breuitatis gratia iam prætereo. Vt summis quibusq; ingenijs mysterium illud, De persona Christi, quasi signum contradictionis & lapis offendiculi fuerit. Nam & diabolus qui non ignorat, quantum interfit humanæ saluti, veritatem huius doctrinæ, ea simplicitãte, quæ in Scriptura tradita est, in Ecclesia extare, Impellit leuia & ambitiosa ingenia, ad comminiscendas peregrinas & prauas opiniones, ad rationis iudicium conformatas, quibus simplex puritas huius mysterij adulteretur. Atq; horum lapsuum potissima caussa est, quod humani ingenij curiositas ægre patitur, se intra terminos diuinæ patefactionis coerceri, & quasi in angustias redigi: Sed vel gestit, vltra positos illos terminos euagari, & plura, quam

quæ in

quæ in Verbo patefacta sunt quærere & scrutari, vel præsumit sibi opinionem aliquam rationi consentaneam, & ad illam præconceptam opinionem, conatur postea contorquere & inflectere illa etiam, quæ in Scriptura de hoc mysterio tradita & patefacta sunt.

Vt igitur Deo, Spiritu suo mentes nostras illustrante & gubernante, facilius, rectius & tutius in hac controuersia, intra metas Diuinæ patefactionis nos continere, & ab omnibus erroneis opinionibus seiungere possimus, testimonia Scripturæ, in quibus doctrina illa tradita & patefacta est, semper in conspectu habenda sunt, & genuina ipsorum sententia diligenter expendenda est, ita vt intra has metas sollicite nos contineamus. Postea non parum subsidij nobis conferet, veræ & purioris antiquitatis pia eruditaq; diligentia. Sicut enim Diabolus primis Ecclesiæ temporibus innumera fermè portenta phanaticarum opinionum in Ecclesia sparsit, vt illis puritatem huius salutaris mysterij contaminaret, & simplicitatem deprauaret, Ita filius Dei sedens ad dexteram Patris, vicissim Spiritu suo excitauit plurimos, solida eruditione & vera pietate præstantes & probatos viros, qui ex genuino & Apostolico sensu testimoniorum Scripturæ, perspicuè & diligenter ostenderunt, quæ opiniones tanquam periculosæ, falsæ, & impiæ cauendæ, fugiendæ & detestandæ sint in hac disputatione, deinde, quæ sit vera, simplex & sane de hoc mysterio sententia, quantum quidem de eo, in huius vitæ infirmitate, ex parte per speculum in ænigmate ex Verbo Dei cognoscere possumus, Nec verò obiter tantum & leuiter in veteri Ecclesia, hæc disputata sunt, Sed cum maximis contentionibus, & per plurimos annos hæc controuersia agitaretur, accuratis & iustis tractationibus, Imò Synodicis sententiarum collationibus & consiliorum communicationibus, vera sententia ex Verbo Dei repetita, & contra quasuis corruptelas præ-

munita & propugnata fuit, explicatis non tantum rebus ipsis, Verumetiam tradita & monstrata ex Scripturæ fundamentis pia & erudita hypatyposi sanorum verborum, quibus reuerenter, simpliciter & perspicuè in Ecclesia doctrina hæc tradi & explicari posset. Ac humilitas est Deo grata, ne quis suo ingenio, in controuersia hac grauissima confidat, sed deliberata Veteris & orthodoxæ Ecclesiæ, iuxta Scripturæ normam & analogiam fidei, in consilium adhibeat. Ipsi enim Apostoli illustri exemplo Actor. 15. ostenderunt, quam vtilis & necessaria sit communicatio & collatio sententiarum, si in timore Domini ex veris Verbi Dei fundamentis fiat, in explicandis & illustrandis grauissimis & difficillimis, quæ in Ecclesia mouentur, controuersijs. Et qualis esse debeat hæc sententiarum collatio, pulcherrima illa vocabula, quæ in scriptis Apostolicis vsurpantur, venustè ostendunt. Luc. 24. Vsurpatur verbum ὁμιλεῖν, quando conueniunt quidam, vt quasi in publicis congressibus de rebus grauissimis colloquantur, & conferant. Ibidem vsurpatur verbum ἀνὰβάλλειν, quando alter alterum, sententiam suam explicantem audit, & quando ea, quæ obijci possunt, proferuntur, examinantur & explicantur. Frequens est etiam in Scriptura pulcherrimum vocabulum συζητήσεως, quando plures de vna aliqua re, diligenter inquirunt & inuestigant veritatem, collatis & communicatis sententijs per interrogationes & responsiones. Vsurpatur etiam in hanc sententiam verbum συμβιβάζειν, Actor. 9. quando fundamenta veræ sententiæ colliguntur, inter se conferuntur, ac ex eorum collatione, conuenientia & coaptatione, vera sententia extruitur & confirmatur. Paulus Galat. 2. vtitur verbo ἀναθέσθαι, quando res aliqua in medium affertur, & cum alijs communicatur, ac quasi in sinum eorum deponitur, vt communi consilio dijudicetur.

Cum

Cum itaque hoc tempore, Occasione controuersiæ, de re Sacramentaria, disputationem de hypostatica vnione duarum naturarum in Christo, de communicatione Idiomatum, & quæ præterea hûc pertinent, maximis contentionibus in Ecclesia agitari, & vtrinq; apparere præcipitia viderem, ac me non parum sollicitum haberet hæc controuersia, iudicaui pro erudienda & confirmanda mea simplicitate, tutissimam viam esse, si seniores Ecclesiæ, qui primis purioribus & eruditis post Apostolos temporibus, in huius controuersiæ explicatione ex professo, & peculiari cum diligentia versati essent, consulerem, & audirem ipsos, pias & eruditas sententias, ex Verbo Dei inter se conferentes & communicantes. Hoc enim modo, quasi Pigmæi, iuxta Gregorij dictum, Gigantum humeris insidentes, facilius & rectius poterimus iudicium de hac difficillima controuersia ex Verbo Dei formare, in sana & simplici sententia firmius acquiescere, & lapsuum præcipitia tutius euitare. Video enim in ipsis Patribus, quando hanc disputationem ingrediuntur, quàm sollicitè & reuerenter vetustiorum sententias & testimonia sibi proponant. Norma tamen & regula iudicij, semper debet esse vox Diuina in Scripturis patefacta, cui subijci, ad quam examinari & exigi debent, quæcunque & quorumcunq; etiam vetustissimorum dicta.

In hunc vsum mediocri studio & labore ex probatis veteris Ecclesiæ Doctoribus, quorum scripta ad posteritatem peruenerunt, præcipuas aliquas sententias, quæ explicationi huius controuersiæ vtiliter subseruire posse videbantur, collegi, & illas Scripturæ testimonijs subordinaui, ac addita breui & simplici explicatione, ita distribui, vt inde animaduerti possit, qua diligentia & qua ratione vetus Ecclesiæ formam veræ doctrinæ & sanorum verborum, de hoc mysterio ex verbi Dei fundamentis extruxerit, & à quibus

opinionibus ac erroribus, fidem & confessionem suam in hac controuersia seiunxerint.

Ex Scholasticis etiam Scriptoribus, quædam annotaui, vbi Veterum vestigijs insistunt. Illi enim vt in reliquis dogmatibus, ita in hac etiam doctrina, in multis à Scripturæ norma, & à veræ antiquitatis vestigijs discedunt. Ipsorum igitur disputata non debent vllum veritati præiudicium gignere.

Cumq; τὸ ἰδιοβούλευτον, si quid aliud, Ecclesiæ Dei periculosum & pernicioſum esse iudicem, misi scriptum illud meum ad aliquot eruditos viros, qui de cœna Domini rectè sentiunt, & illorum sententias & censuras per literas exquisiui, qui amicè etiam, significatione sui iudicij me erudierunt & confirmarunt. Atque ita ante aliquot annos libellus iste per publicam editionem ab amicis extrusus fuit, qui ab illis, quibus Lutherana non sordent, aliqua cum gratulatione & comprobatione exceptus fuit. Ipsi etiam aduersarij libello huic minus iniqui fuerunt, quam quadrumuiri quidam, qui Lutheranæ Confessionis socij tunc quidem videri volebant, quam tamen per occultos cuniculos insidiosè & malitiosè, quasi ex professo oppugnabant, quorum flagellationibus, cum præter conuitia, calumnias & cauillationes nihil resſponsione dignum contineret, priuatum nihil opponere volui, cum Saxonicæ Ecclesiæ suam hanc doctrinam & confessionem esse publicè contestarentur. Ab eo vero tempore, quæ ab vtraq; parte, de hac controuersia disputata & edita sunt, accuratè consideraui. Et in collationibus sententiarum, quæ de hac controuersia & priuatim & publicè institutæ fuerunt, diligenter quod esset nostrarum Ecclesiarum iudicium, obseruaui.

Cumq; Typographi hoc tempore repetitionem editionis huius libelli, propter certas causſas flagitarent, multi præcipuæ autoritatis

tatis viri ex multis locis, quos si opus esset, honoris gratia nominare possem, apud me institerunt, vt libellum illum si videretur recognoscerem, & augerem. Rursus igitur in manus sumsi libellum illum, & totum eum recognoui, atque adeò retexui, sicut deprehendet, qui cum priori hanc editionem conferre voluerit. Ac candidum Lectorem oro, vt de hoc meo conatu ac labore, quem non prædicabo, sed tamen mediocrem fuisse, vere affirmare possum, non malignè iudicet. Methodum in hisce nostris Scholis & Ecclesijs, in explicatione huius doctrinæ vsitatam & receptam, retinui. Sententias, quas veras esse non dubito, non tam meis quàm veteris Ecclesiæ verbis, & phrasibus in illis Ecclesijs, quæ Lutheri Confessionem, vt Verbo Dei consentaneam amplectuntur & retinent, receptis & vsitatis, exposui. Quod si quis existimat, quædam commodius & magis propriè posse dici, & res ipsas in hac controuersia rectius posse illustrari, potest illud absq; acerbitate facere, & iudicium Ecclesiæ, quod & ego humiliter ac reuerenter facio, permittere. Præclarè enim de Ecclesia Dei omnes mereri existimo, quicumque hanc doctrinam ex veris fundamentis illustrare conantur.

Hunc verò libellum, cuius repetitam editionem multi boni ac piè eruditi viri iudicarunt Ecclesiæ Dei hoc tempore, non ingratam nec inutilem fore, volui Illustrissime & Clementissime Princeps, suadentibus hoc amicis, sub inscriptione nominis Celsit: Vestræ in Ecclesia apparere. Huius enim doctrinæ summam pro concione aliquoties exposui, Illustrissimo Principe Celsit. Vestræ Parente Augusto, Electore Saxoniæ, &c. præsente, & quidem, qua est pietate, auidè & attentè auscultante, ac iudicio suo grauissimo approbante. Cumq; Heros ille, verè sicut Psalmus loquitur, scutum terræ, controuersias in nostris Ecclesijs occasione infaustæ

Interreligionis, vt vocabant, exortas & motas, ad formam doctrinæ verè Lutheranæ componi cupiat, in eaq; re, nullis vel sumtibus vel laboribus parcat, Inter illas certe, hæc de persona Christi controuersia, præcipua est, de qua ante biennium in arce Torgensi (vbi & huius libelli mētio fiebat non iniqua) diligens & accurata sententiarum collatio instituta fuit, quæ postea multarum Ecclesiarum iudicijs examinata & comprobata est, cuius summa in hoc libello repetitur & declaratur. Cumq; Celsit. Vestræ Illustrissimus Parens, Dominus meus Clementissimus, me etiam inter Theologos postremum & minimum, de quorundam Principum indicatione, ad grauissimas illas deliberationes adhibuerit, ac Clementia sua me complecti non dedignatus sit, existimaui me non posse commodius & rectius aliquam demissæ gratitudinis significationem edere, quam si vestræ Celsit. agnitionem, studium & Patrocinium doctrinæ Lutheranæ de persona Christi commendarem. Laudabiliter certè Celsit. Vestra faciet, si primis assuescat ab annis, pios bonorum conatus in propaganda & illustranda doctrina cæleſti, clementia sua complecti, fouere ac iuuare. Ac potissima pars piæ ac salutaris institutionis hæc est, Si à primis annis, Celsit. Vestræ aures circumsonent voces sanæ doctrinæ, mentem contra pernicioſas corruptelas ita præmunientes, vt ex primæ ætatis institutione, Celsit. Vestra discernere possit, inter veram boni pastoris vocem, & inter vocem alienorum, Iohan. 10. Sicut audiui Serenissimum Regem Daniæ Fridericum, &c. ad sororem suam Illustrissimam matronam Celsit. Vestræ matrem, cum ante annos aliquot, Concionem quandam de Cœna Domini ambiguis Cothurnis, qui mos quorundam est, concinnatam audiret, dixisse, Quicquid sit de hac Concione, Certè non est illa forma doctrinæ, nec hypotypoſis illorum verborum, quibus nos pueri à

Parente

Parente noſtro Chriſtianiſſimo inſtituti ſumus. Ac quoniam Patrocinium ſimplicis ac genuinæ ſententiæ, ſeu τοῦ ῥητοῦ Teſtamenti Filij Dei, Celſit. Veſtræ nomine parentum ac Aui materni Regis Daniæ tàm re quàm nomine Chriſtiani, quaſi hæreditario iure debebitur, exiſtimo non indecens eſſe, extare publicam ſignificationem, quæ oſtendat, Lutheri doctrinam etiam de Perſona Chriſti Celſit. Veſtræ commendatam eſſe. Verum quidem & proprium fundamentum, quod credimus & ſtatuimus Chriſtum corpore & ſanguine ſuo velle in actione Cœnæ Dominicæ adeſſe, ſunt verba inſtitutionis, in quibus teſtamentaria diſpoſitione, hanc ſuam voluntatem patefecit, De eo enim, quod in actione Cœnæ Dominicæ exhibetur, & ore ſumentium accipitur, Filius Dei pronunciat: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic eſt ſanguis meus, qui eſt noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur. *Sed quoniam eſſentiales & naturales phyſici corporis proprietates & conditiones non ferunt & admittunt, vt ſimul adſit in diuerſis locis, Ac aduerſarij clamitant præſentiam illam pugnare cum veritate humanæ naturæ in Chriſto, oſtendendum certe eſt, ex hac de hypoſtatica Diuiniatis τοῦ λόγου cum aſſumta humana natura vnione, Filium Dei præſentiam illam corporis & ſanguinis ſui, quam teſtamentaria inſtitutione Eccleſiæ promiſit, præſtare poſſe, atq; eam non pugnare cum veritate humanæ naturæ in Chriſto. Oſtendendum eſt etiam, cibum ac potum illum, eſſe viuificum & ſalutiferum, quod certe non eſt naturale Idioma humani corporis, ſed Chriſti corpus ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione prærogatiuam illam accepit & habet. Demiſſè itaq; oro, vt Celſit. Veſtra animo Clementi hanc dedicationem accipiat, ſicut antea opellas quaſdam meas alijs iunioribus Principibus dedicatas, & ipſi iuniores Principes, & Illuſtriſſimi*

ipſorum

ipſorum parentes animo clemenți acceptarunt. Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Spiritu ſuo Sancto, Celſit. Veſtram doceat & gubernet, ad nominis ſui gloriam, ad Eccleſiæ nutricationem, & Reipub. ſalutem. Brunſuigæ 18. Iulij, Anno 1578.

Celſit. Veſtram

demiſſe ac reuerenter
colens

Martinus Chemnicius D.

REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIRIS, DOMINO M. ANDREÆ BVCHENIO, SVPERINTENDENTI Ecclesiæ Lubecensis,

ET

DOMINO GREGORIO STAMMICHIO, ECCLESIASTÆ & Pastori Ecclesiæ Hamburgensis:

Dominis, & fratribus suis in Christo Emanuele colendis.

EDitus iam denuò est libellus nostri Chemnicij, Compatris mei carissimi, Viri de Ecclesia Christi optimè meriti, (hanc enim maximam laudem in hac vita esse, nemo piorum non testatur:) Huius libelli de vnione hypostatica duarum in Christo naturarum, & de Idiomatum communione, cùm sciam Reuerendas dignitates vestras desiderio teneri, nolui intermittere, quin data opportuna occasione eum de sententia & voluntate autoris, ad

ris, ad vos mitterem, tanquam testimonium & publicum argumentum consensionis nostræ sanctæ, vt in alijs cœlestis doctrinæ capitibus, ita etiam in hoc articulo summo de persona Saluatoris nostri Iesu Christi, de duabus naturis personaliter vnitis, de beneficijs Christi erga nos, de Maiestate Filij hominis ad dexteram Dei: quam doctrinam & fidem scimus, & confitemur fundatam esse in Scriptis Propheticis & Apostolicis, & in vniuersæ Ecclesiæ orthodoxæ pectore, sinu, voce, confessione, & scriptis omnibus, contra omnes inferorum portas.

Disputant hodie nefarij quidam homines, hæsitantes καὶ μετεωριζόμενοι de Christi omnipotentia, omni scientia, omni præsentia, vel, vt Sacramẽtari portentoso vocabulo vtuntur, de vbiquitate. At quid disputare, & quomodo Christum reformare auderent, si vel mica, vel potius scintilla pietatis humiliter & reuerenter considerantis mysterium magnum incarnationis Filij Dei, ipsorum cordibus inesset? Vna vocula Spiritus Sancti, retundit & confundit istorum hominum sapientiam stolidissimam, eruditionem rudissimam, & hypocrisin abominandam. Hæc enim virtus & potentia est Verbi Christi: quod vt planius fiat, saltem hoc consideremus, exempli gratia. Vociferantur nimirum isti, Christum secundum humanam naturam habere tantum creata & finita dona, &

capa-

capacem atq; participem æternæ & infinitæ omnipotentiæ Dei, factum esse nunquam, & non fieri in æternum. Audimus quid dicant, & blasphemias tantas in hominis Christiani cogitationem cadere posse miramur, & horrescimus. Sed quando vocem Diuinam consulimus, statim fidem nostram munitam satis esse aduersus phantasias istas, experimur. Non negamus, Christum habere in carne sua, quæ Dei caro est, dona creata & finita, habitualiter & formaliter (vt Scholastici loquuntur) carni Christi inhærentia, quæ tamen & ipsa excellunt omnium creaturarum, Angelorum & hominum dona & virtutes, sapientiam, potentiam, gloriam. Quando verò Scriptura Sacra aliquid amplius commemorat, quod Christo homini, siue humanæ naturæ Filij Dei, in tempore datum sit, & quod non finitum, sed infinitum, non circumscriptum, sed incircumscriptum, non temporale, sed æternum, non creatum, sed increatum, non mensuratum, sed omnis mensuræ expers, non locale, sed illocale, non creaturis competens, sed Creatoris proprium sit, hîc certè non rationi humanæ nostræ, quæ stultitia est coram Deo, imò inimica Deo est, obsequimur, non philosophica aut physica axiomata, & regulas mathematicas, & geometricas demonstrationes consulimus, non quid Iurisconsultus iudicet, non quid medicus afferat, non quid Plato, aut Aristoteles perhibeant, non

quid inflati persuasione singularis eruditionis, excogitent, non quid autoritate turgidi sentiant, nec quid turba statuat, & quibus vel applaudat, vel cõtradicat, audimus, sed vt Deum ipsum esse veracem scimus, imò ipsissimam & æternam veritatem, quemadmodum Christus Emanuel, Deus & homo, de se loquitur, inquiens, Ego sum via, veritas & vita: ita ori & voci huius æternæ, et omnipotentis Veritatis credimus, nec impediri nos sinimus latratibus ortis, vel à dextra vel à sinistra, quia scriptũ est: Ad legem & ad testimonium. Et: Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Item, Anathema sit, qui aliud docuerit. Os igitur & vox Dei sic sonat: In Christo habitat omnis plenitudo Diuinitatis σωματικῶς, siue, vt orthodoxa Ecclesia interpretatur, personaliter in carne eius. Audiant propter gloriam Dei & salutem hominum, pij omnes & singuli, et non contradicant Spiritui Sancto. Quid enim est Diuinitas? An non ipsa Deitas, Diuinaq; & æterna natura, siue, vt de Filio loquar, ipse Logos? At quid est plenitudo Diuinitatis? An non Omnipotentia, æterna sapiẽtia, scientia Dei, gloria, maiestas, præsentia, et quidquid Deus est. Quid verò omnis plenitudo? Quid hîc excluditur, quid excipitur, quod non sit in Christo homine? Vbi enim Diuinitatem quærere & inuenire debemus? An non in Christo homine, siue in assumta & glorificata eius natura humana? Vbi Deum Patrem, Logon, & Spiritum San-

Etum apprehendere debemus? An non in Christo fratre nostro, qui caro est de carne nostra, os ex ossibus nostris? Vbi plenitudo Diuinitatis residet, & habitat? An non in carne Christi, siue in corpore eius, & quidem non ad partem, sed tota, πᾶσα, siue πᾶν πλήρωμα, omnis plenitudo? Tantum igitur & talem fratrem habemus Dominum nostrum Iesum Christum, in cuius natura humana omnis plenitudo Diuinitatis habitat personaliter et reuera, non titulotenus, non partialiter, sed omnis & tota: & in quo nihil est, quod non habeat rem & nomen, laudem & veritatem Omnipotentiæ, ἐξουσίας, δυνάμεως, παρουσίας, γνώσεως.

Hæc nostra fides, nostra doctrina, nostra consolatio, vita, & salus est, quam quisquis negat, Christianus esse minimè potest. Scio, quid hîc obgannniant scioli quidam, fide vera destituti. Paulus, inquiunt, de Christo loquitur, quia dicit, In ipso habitat, &c. atque personam intelligit, non naturam humanam seorsim, aut per se consideratam. Rectè loquereris, sciole, si rectè sentires. Personam Paulus intelligit, sed secundum quam naturam? Si Diuinam & æternam τοῦ λόγου naturam intelligamus, quæ & quanta absurditas in rebus & verbis inde exurget? Sic enim loqui & sentire nos oportebit, quòd Deitas habitet in Deitate, siue Diuina natura habitet συμπλοκῶς in Logo Filio Dei, & quòd Logos

non ſit ipſa Deitas, aut Diuina eſſentia, ſed tantum modo habitaculum & templum Diuinæ naturæ. Hæc autem locutio quantam impietatem, quantasq; blaſphemias parit? Veritati igitur ſtudeamus, & cum Paulo loquamur, affirmante, omnem plenitudinem Diuinitatis habitare in Chriſto homine σωματικῶς, perſonaliter in carne ſiue corpore eius, & carnem Chriſti eſſe proprium templum, domicilium & habitaculum totius plenitudinis Diuinitatis, ita, vt non tantum Deus ſit homo, & homo ſit Deus, vnione perſonali, & inſeparabili duarum diuerſiſſimarum naturarum, Diuinæ & humanæ, ſed etiam Filius Dei Emanuel, ὁλοπλήρης, omnem ſuæ Deitatis plenitudinem, omnipotentiæq; ſuæ opera non aliter erga genus humanum exerat, exerceat, edat, perficiat, niſi per ſuam aſſumptam humanam naturam, cum ea, & in ea. Atq; hoc fidei Chriſtianæ fundamentum eſt vnicum, quo labefactato, toti Chriſtianiſmo naufragium imminet horrendum, ineuitabile, & immedicabile.

Audiamus autem & Iohannem Baptiſtam teſtificantem de Chriſto miſſo à Deo. Non ad menſuram dat Deus Spiritum Filio (inquit Iohannes) ſed omnia dedit in manu eius. Quod autem menſura caret, finitum eſſe non poteſt, ſed infinitum ſit neceſſe eſt. Datus eſt autem Spiritus Chriſto, non ſecundum Diuinam Chriſti

natu-

naturam, quandoquidem Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, sed datus est ei vt homini habenti animam & corpus humanum, sicut Christus ipse inquit, Pater dedit Filio potestatem, facere iudicium, quia Filius hominis est. Nihil enim datum est Christo in tempore, quod non antea habuerit vt Deus ab æterno. Quod autem ei datum aliquid scribitur, de humana eius natura accipiendum est, cui, quæ antea non habuit, conferuntur.

Hæc in libro D. Chemnicij nostri explicantur copiosè, & ex Sacris literis, & orthodoxæ Ecclesiæ consensu perpetuo & vnanimi confirmantur, vt mirum sit, esse nonnullos, qui hanc doctrinam impugnare audeant obiectione officij, dicentes, Christum etiam secundum Diuinam naturam in tempore accepisse multa, quæ ab æterno vt Deus non habuerit, videlicet, officium redimendi & saluandi genus humanum. Atqui Paulus testatur, Filium Dei suscepisse has partes salutis nostræ perficiendæ, etiam ante mundi constitutionem, mirabili & inenarrabili consilio, & immensa sapientia & bonitate. Vim autem & virtutem officij huius obeundi certè in tempore creato non accepit secundum Diuinam suam naturam, quia Deus æternus & Omnipotens, imò ipsa Omnipotentia est essentialiter. Accepit ergo hanc Diuinam & omnipotentem ἐνέργειαν secundum humanam

suam

ſuam naturam, in qua, cum qua, & per quam præſtat officium redemtionis & ſalutis noſtræ, & nobiſcum vbique eſt præſens, nos gubernat, regit, tegit, ſanat, ſaluat, &c.

Ex hac breui commemoratione intelligi poſſunt Scripturæ dicta: Filium hominis accepiſſe æternam poteſtatem: vnctum eſſe præ conſortibus omnibus, datam ei eſſe omnem poteſtatem, omnem potentiam, omnem autoritatem, ſiue omnipotentiam, & omnem gubernationem, in cœlo & in terra, ſiue vbiq: accepiſſe eum nomen ſuper omne nomen: carnem eius eſſe viuificam, & adorandam (nihil autem eſt viuificum & adorandum, quod non habeat laudem, nomen, & rem omnipotentiæ æternæ) ſanguinem Chriſti mundare nos ab omnibus peccatis: ſemen mulieris conterere caput ſerpentis: in ſemine Abrahæ ſaluari populos: Chriſtum cœlis factum eſſe excelſiorem, & factum eſſe Dominum, ac ſedere ad dextram Dei in conſeſſu Trinitatis, & accepiſſe omne iudicium, &c. Hæc enim omnia & ſingula humanam Chriſti naturam reſpiciunt, cui aſſumtæ & exaltatæ naturæ, illæ Diuinæ dotes & proprietates, datæ & communicatæ ſunt, ita, vt cum ea, in ea, & per eam luceant, exerantur & perficiantur, & non aliter. Et hæc qui negat, aut in minimo eis contradicit, Deum non habet, vt Iohannes inquit: Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti,

Deum

Deum non habet. Qui verò permanet in hac doctrina, is & Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis.

At quid fit? Quid Satanas machinatur, mendax iſte & homicida? Dum veritati reſiſtere non poteſt, conuertit ſe ſuo more ad tetras calumnias, & fingit doceri & ſtatui Vbiquitatem (ita enim hoc vocabulo portentoſo notam orthodoxis Eccleſijs, & harum Doctoribus inurere conatur) qua ſcilicet humanum Chriſti corpus locali quadam expanſione extendatur & diffundatur in infinitum, & quantitate & mole ſua corporea & phyſica repleat omnia in cœlo & in terra localiter, etiam ſpurciſſima & fœdiſſima quæq. Ita enim ſues, canes, aſini, & κύνες, ἄθεοι, καὶ ἀλάστορες, loquuntur, vt Lutheri verbis vtar.

Has calumnias vna voce refellere pij & ſolent & debent, quæ extat in Zacharia: Increpet Dominus te Satana, increpet Dominus te, qui elegit Ieruſalem.

Non negatur localis circumſcriptio corporis Chriſti, qua Chriſtus vti poteſt, quoties & quando voluerit. Sed cum caro ſiue humana natura Chriſti ſit non ſimpliciter proprietate naturali in loco, verum per vnionem in Logo perſonaliter euecta ad dexteram Dei Omnipotentis

infinitam, incircumscriptam, & æternam, credimus, scimus & confitemur, Christum Deum & hominem, vbicunq; est, esse totum, (& ne dolus sub voce, totum, lateat, addimus) indissolubiliter, nusquam & nunquam absq; sua & diuina & humana natura: (licet quomodo hoc fiat, omnis creatura ignoret) quærendum autem & inueniendum siue apprehendendum esse nullibi, nisi quô & vbi Verbo suo se peculiariter esse velle promisit, ea ratione, quam ipse definiuit, vt in Ecclesia, in Cœna, in cordibus nostris, &c. Hîc posse & velle concurrunt secundum Verbum Dei.

Quid iam inde eliciant Epicureæ & impiæ mentes, nostrum non est vel scrutari, vel magnifacere. De maiestate, Omnipotentia, & veritate Christi Dei & fratris nostri loquimur, & Satanæ sordes, & maledicentiam damnamus & execramur. Cumq; hæc doctrina in libris D. Lutheri Prophetæ nostri, contra Sacramentarios, Spiritu Christi sit illustrata, propugnata & confirmata, agimus Deo gratias pro luce cum totius Euangelij, tùm huius quoq; articuli, & precamur, vt Filius Dei & hominis Dominus noster Iesus Christus suam ipsius gloriam asserat, & defendat, id quod fecit, facit, & faciet mirifica & omnipotente sua dextra, omnibus temporibus. Ei cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor, gloria, gratia in omnem æternitatem, Amen.

Vestras

PRÆFATIO.

Veſtras Reuerendas dignitates, harumq; Eccleſias & familias tutelæ & protectioni Emanuelis, Dei & fratris noſtri Omnipotentis commendamus. Salutem vobis aſſcribo nomine Reuerendi & clariſs. V. D. Doctoris Iacobi Andreæ, fratris noſtris cariſsimi. Scriptum Miſenæ ex ſchola illuſtri, IX. *Septemb.* 1578.

Veſtrarum dignitatum

ſtudioſiſsimus frater
& amicus

Nicolaus Selneccerus D.
Paſtor Eccleſiæ Lipſenſis.

PRÆCIPVA SACRÆ SCRIPTVRÆ DICTA & Testimonia de Vnione Naturarum duarum personali, de Officio Christi, de Maiestate diuina Filij hominis.

Iohan. 1

VErbum Caro factum est.

1. Tim. 3.

Sine controuersia magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne.

2. Sam. 7. 1. Paralip. 17.

Aspexisti me in forma hominis, qui in excelsis est Iehoua Deus.

Matth. 16.

Filius hominis est Christus, Filius Dei viui.

Colos. 1. & 2.

In ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.

Esa. 45.

Tantum in te est Deus, & non est absq; te Deus (præter te non est Deus) verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator, (Iesus.)

Iohan.

Iohan. 3.

Deus Filio dat Spiritum non ad mensuram.

Psal. 45.

Vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Philip. 2.

Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum, factus obœdiens vsq; ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit (ἐχαρίσατο, ex gratia dedit) ei nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus, in gloria est Dei Patris.

Matth. 28.

Data est mihi omnis potestas (omnipotentia) in cœlo & in terra (omnipræsentia).

Iohan. 5.

Pater Filio dedit potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.

Matth. 11.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

Colos. 2.

In ipso abscondit sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ (omni scientia.)

Daniel. 7.

Antiquum dierum dedit Filio hominis potestatem & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.

Psal. 8.

Filium hominis coronasti gloria & honore, & constituisti super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius, boues, pecora, volucres, pisces.

1. Cor. 15.

Omnia subiecit pedibus eius. Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, palam est (hoc dici) excepto eo, qui subiecit ei omnia.

Hebr. 2.

In eo, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.

Apocal. 5.

Vox Angelorum & beatorum: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & diuitias (diuinitatem) & sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, benedictionem: & omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eis, audiui omnia dicentia: Sedenti in throno & Agno benedictio, honor, & gloria, & potestas κράτος (robur) in secula seculorum.

Psal. 97. Hebr. 1.

Adorate eum omnes Angeli. Psal. 99. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.

Iohan.

Iohan. 17.

Glorifica me Pater apud temetipſum, claritate, quam habui, priùs quàm mundus fieret, apud te.

Actor. 2.

Dominum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.

Actor. 1.

Hic Ieſus aſſumtus eſt in cœlum. Eph. 4. Aſcendit ſupra omnes cœlos, vt impleret omnia (τὰ κάτω, καὶ τὰ ὑπεράνω) Hebr. 7. Excelſior cœlis factus eſt.

Hebr. 1.

Sedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis

1. Pet. 3.

Eſt in dexteræ Dei, profectus in cœlum, ſubiectis ſibi Angelis, Poteſtatibus & virtutibus.

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

A modo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei.

Matth. 28.

Ero vobiſcum vſq; ad conſummationem ſeculi.

Matth. 18.

Vbi ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

Matth. 24.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maieſtate, & mittet Angelos ſuos, &c.

Matth.

Matth. 9.

Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.

Iohan. 6.

Caro Filij hominis viuificat.

1. Iohan. 1.

Sanguis Iesu Christi Filij Dei emundat nos ab omni peccato. Esa. 53. Liuore eius sanati sumus, &c.

Genes. 3.

Semen mulieris conteret caput serpentis.

Hæc & similia dicta Sacræ Scripturæ, quæ fundamentum sunt totius doctrinæ de Persona, officio, & Maiestate Christi Filij Dei & hominis, in libro D. D. Chemnicij explicantur. Filius Dei adsit nobis, vt in veritate agnita perseueremus constanter, & confirmet in nobis, quod denuò operatus est ad sanctificationem diuini sui nominis, & ad salutem nostram, Amen.

N. Selneccerus.

ELENCHVS SEV INDEX CAPITVM, QVÆ IN HOC LIBELLO TRACTANTVR ET EXPLICANTVR.

VT Lector primo intuitu videat, quid in hoc libro tractetur, & quo in loco singulas materias quærere debeat, Indicem capitum primo loco, tanquam in vestibulo libelli proponam.

Caput primum. De explicatione Vocabulorum Essentiæ, Personæ, Abstracti, Concreti Idiomatum, &c.

Caput 2. De Diuina natura in Christo incarnato.

Caput 3. De Humana natura in Christo incarnato.

Caput 4. De hypostatica, seu personali duarum naturarum diuinæ & humanæ in Christo vnione, Quod sit, & Quid sit.

Caput 5. Quomodo ex scripturæ testimonijs ea, quæ ad descriptionem & cognitionem hypostaticæ vnionis duarum naturarum pertinent, colligi, extrui, comprobari, confirmari, ac illustrari possint.

Caput 6. Quomodo ex ſimilitudine vnionis Lucis & Solis, ignis & ferri, animæ & corporis doctrina illa, de hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione, vtiliter & ſcripturis conſentaneè declarari & illuſtrari poſsit.

Caput 7. Quomodo deſcriptio hypoſtaticæ vnionis duarum naturarum in Chriſto illuſtretur, ſi alij modi, quibus duæ diuerſæ res, ſeu ſubſtantiæ vniri ſolent, & reliqui modi præſentiæ, & inhabitationis Diuinitatis in alijs creaturis conferantur ad hypoſtaticam hanc in Chriſto vnionem, & oſtendatur differentia.

Caput 8. Quomodo doctrina de hypoſtatica vnione in Chriſto illuſtretur ex anthiteſi certaminum veteris Eccleſiæ contra hæreticos.

Caput 9. Quomodo doctrinæ huic aliquid lucis accedat, ſi conſiderentur præcipua Vocabula, quibus & ſcriptura, & eam ſecuta antiquitas, hypoſtaticam hanc duarum Naturarum in Chriſto vnionem notauit & deſcripſit.

Caput 10. Sententiæ quædam ſcripturæ & vetuſtatis, monſtrantes totam plenitudinem myſterij hypoſtaticæ huius vnionis in hac vita imperſcrutabilem & ineffabilem eſſe, vt memineri-mus, mediocri explicatione & cognitione nos debere contentos eſſe.

Caput

Caput 11. Deusu huius doctrinæ, Quomodo consideratio hypostaticæ vnionis diuinæ naturæ Filij Dei cum nostra humana natura præbeat dulcissimas consolationes.

Caput 12. De ijs, quæ ex hypostatica duarum naturarum in vna persona Christi vnione oriuntur, & eam consequuntur, in quos gradus, seu in quæ generalia capita, ea possint distribui, & quibus appellationibus gradus illi, seu genera possint notari & distingui.

Caput 13. De primo gradu seu genere communicationis Idiomatum, quæ ex hypostatica vnione in persona Christi consequitur. Quòd scilicet ea, quæ propria sunt vnius naturæ in Christo, tribuuntur personæ in concreto.

Caput 14. Quomodo hæc doctrina de primo gradu seu genere communicationis à vetustis Ecclesiæ scriptoribus sit tradita, ac subinde à recentioribus etiam magis illustrata.

Caput 15. De Particulis distinctiuis.

Caput 16. Quis sit vsus huius doctrinæ de communicatione Idiomatum primi generis.

Caput 17. Secundus gradus, vel secundum genus, aut secundum generale caput, eorum, quæ ex hypostatica duarum naturarum vnione in persona Christi oriuntur & consequuntur, Quod

ſcilicet, quædam tribuuntur perſonæ, ſecundum vtramq; naturam, quando ſcilicet vtraq; natura in Chriſto agit cum communione alterius, quòd cuiuſq; proprium eſt.

Caput 18. De controuerſia Monotheletarum.

Caput 19. De tertio gradu, ſeu Tertio genere, aut Tertio generali capite eorum, quæ ex hypoſtatica vnione in Chriſto oriuntur & conſequuntur, quòd ſcilicet, licet Diuinæ naturæ in Chriſto in ſeſe ex illa vnione nihil vel acceſſerit, vel deceſſerit, Humanæ tamen eius naturæ, præter & vltra naturales proprietates, innumera ὑπερφυσικὰ καὶ παραφυσικὰ, communem humanæ naturæ conditionem excedentia ex hypoſtatica cum Deitate Vnione donata & communicata ſint.

Caput 20. De donis ὑπερφυσικοῖς humanæ naturæ in Chriſto, ex hypoſtatica cum diuina natura τοῦ λόγου vnione collatis.

Caput 21. Quod præter dona illa habitualia, de quibus dictum eſt, alius ſummus gradus κοινωνίας ponendus ſit, quo propter hypoſtaticam cum Diuinitate vnionem aſſumta humana natura in Chriſto communionem vnioni correſpondentem habet, cum attributis, quæ diuinæ naturæ verbi propria ſunt.

Caput

Caput 22. In quo, à communicatione Maiestatis removetur Confusio, Conuersio, Abolitio, & exæquatio naturarum. Remouentur & aliæ opiniones, quasi diuinæ naturæ τῦ λόγυ in tempore aliquid datum esset.

Caput 23. De vero modo communicationis Maiestatis, vnioni correspondente, sicut scilicet vis lucendi & vrendi, per vnionem communicatur ferro ignito.

Caput 24. Continens & explicans Testimonia scripturæ, de communicatione Maiestatis.

Caput 25. Proponens præcipua ac orthodoxæ Ecclesiæ testimonia de communicatione Maiestatis.

Caput 26. De Vocabulis seu appellationibus, quibus doctrinam Tertij huius generis Communicationis, Antiquitas notauit, nominauit seu appellauit.

Caput 27. Quod λόγ☞ cum propria sua carne, sit secunda persona Trinitatis, sicut Veteres loquuntur.

Caput 28. De Sessione ad dexteram Dei.

Caput 29. De Adoratione Christi, hoc est, An cultus fidei, spei, adorationis, seu inuocationis, glorificationis, celebrationis, &c. qui personæ Chri-

næ Christi debetur & tribuitur, tantum diuinam in ipso naturam intueatur & complectatur: An verò vtramq; naturam salua earum differentia.

Caput 30. De præsentia totius personæ Christi secundum vtramq; naturam in Ecclesia.

Caput 31. Quàm dulces consolationes veteres inde sumant, quòd viuificatio & instauratio Humanæ in nobis, ex carne & per carnem Christi, quæ nobis cognata est, nobis communicetur & immittatur. Quòdq; Christus, non tantum Spiritu, verumetiam corpore suo, se nobis coniungat & vniat.

Caput 32. Quòd & quomodo doctrina de exaltatione humanæ naturæ in Christo ita tradi possit, atq; ita intelligi debeat, vt veritas humanæ naturæ in ipso salua maneat. Quòdq; sub prætextu veritatis corporis, non sint neganda ea, quæ de prærogatiuis carnis Christi manifesta habent in scriptura testimonia.

Caput 33. De exinanitione,

CAPVT

CAPVT I.

De explicatione Vocabulorum Essentiæ, Personæ, Abstracti, Concreti, Idiomatum, &c.

RECtè & vtiliter monet Athanasij Symbolum, De CHRISTO incarnato ita sentiendum & loquendum, ne vel naturas confundamus, vel personam separemus. Et Damascenus lib. 5. cap. 5. addit. Hoc hæreticos in errorem inducere, quod non distinguant, seu discernant inter Essentiam & Personam. Vt igitur explicatio rerum ex scripturæ fundamentis eò planior & expeditior sit: principiò Vocabula quædam generalia, quorum magnus in hac doctrina vsus est, explicabimus.

Synonyma igitur ex veteris Ecclesiæ vsu esse, ac pro eodem vsurpari Damascenus tradit, οὐσίαν, φύσιν καὶ μορφήν, Essentiam seu substantiam, naturam & formam. Et esse illud, quod ex se multis individuis eiusdem speciei commune est, quodq; totam singulorum essentialem perfectionem complectitur. Ita in Ecclesiæ sermone nunc (rixas enim, quæ olim de his Vocabulis fuerunt, hoc loco non repetam,) Synonyma sunt, ὑφιστάμενον, ὑπόστασις, πρόσωπον, καὶ ἄτομον, Subsistens, Subsistentia, Persona, & Individuum. Et est quiddam singulare, quod totam quidem & perfectam eiusdem speciei substantiam habet: sed characteristica quadam, & personali proprietate (Scholastici vocant principia Individuantia) determinatum, seu limitatum, atq; ita à reliquis eiusdem naturæ individuis, non essentia, sed numero, discretum, seu distinctum, per se subsistit. Est enim PERSONA, sicut vsitatè definitur, Substantia individua, intelligens, incommunicabilis, quæ nec alterius pars est, nec

in altero

in altero ſuſtentatur, nec habet dependentiam ad aliud, ſicut anima ſeparata ad corpus reſuſcitandum, Ita ergò Eſſentiæ, ſeu naturarum nomina ſunt θεότης, ἀνθρωπότης. Deitas, humanitas, Diuina natura, humana natura, Eſſentia diuina, ſubſtantia humana. Perſonæ appellationes ſunt, Deus, homo, λόγος. Secunda perſona Trinitatis, Filius Dei, filius hominis, Chriſtus, &c.

Obſeruandum verò eſt, ſicut annotauit Damaſcenus lib. 1. cap. 11. quod in creaturis, natura communis, non reipſa, ſecundum ſeſe ſubſiſtit, ſed λόγῳ καὶ ἐπινοίᾳ, ratione & cogitatione conſideratur, Hypoſtaſes verò reipſa conſiderantur, & ſeparatim ſubſiſtunt, ac numero differunt: Sed in Diuinitate, natura, ſeu eſſentia communis, non eſt imaginarium aliquid, aut ratione tantum cogitatum, aut ſpecie tantum Vnum: ſed eſt ſimpliciſsima, & vna numero Diuinitas, quæ tamen communicabilis, & communis eſt ttibus Perſonis, ac tota in ſingulis, Ita, vt in ſingulis Perſonis Trinitatis, non ſit ὁμοιότης, ſimilitudo, ſed ταυτότης eſſentiæ, ſicut Auguſtinus inquit. Eſſentia diuina prædicatur de Patre, de Filio, & de Spiritu Sancto, non vt genus de ſpeciebus, nec vt ſpecies de indiuiduis, nec vt totum de partibus, ſed alio quodam ineffabili & incompræhenſibili modo. Hypoſtaſes verò, ſeu perſonæ Trinitatis omnes vnum ſunt, propter ταυτότητα identitatem eſſentiæ, atq; ideò non differunt eſſentialiter, nec ſeparatim vna extra aliam, & ſine alia ſubſiſtit. Pater enim in me, & ego in Patre, inquit Filius. Item, Non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. Relatione autem, ſeu τρόπῳ ὑπάρξεως modo ſubſiſtendi realiter differunt, Quòd ſcilicet Pater eſt ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens, hoc eſt, ſimpliciſsimam illam vnicam & eandem Diuinitatis eſſentiam, Pater, vt ingenitus habet à ſeipſo, ex qua ab æterno generat coæternum ſuum Filium. Filius eandem illam eſſentiam habet naſcendo, vel γεννητῶς, ſicut Damaſcenus loquitur, vt à Patre ab æterno genitus, Spiritus Sanctus eandem illam eſſentiam habet procedendo, vt ab æterno procedens à Patre & Filio. Hæc enim ſunt Idiomata characteriſtica, ſicut veteres Græci appellant, hoc eſt, quaſi characteres, ſigna

res, ſigna ſeu notæ, quibus perſonæ Trinitatis, cùm eſſentia vnum ſint, & quælibet perſona ſit tota eſſentia diuina, inter ſe differunt, & diſcernuntur. Ex hac eſſentiæ ſeu naturæ conſideratione, Damaſcenus li. 3. ca. 11. rectè monet, λόγον aſſumpſiſſe humanam naturam, non nuda cogitatione, ſecundum communem eius rationem conſideratam, & ab omnibus indiuiduis cogitatione abſtractam, nulla indiuiduorum eius habita ratione. Ita enim non incarnatio, ſed phantaſia cogitationis & deceptio eſſet. Nec ſicut in ſpecie conſideratur. Non enim omnes hypoſtaſes, hoc eſt, non in omnibus hominum indiuiduis naturam humanam λόγος aſſumpſit: Sed naturam humanam aſſnmpſit conſideratam in vna certa indiuidua maſſa, ſingularibus proprietatibus ab alijs diſcreta, non quòd ſecundum ſeſe ſubſiſtens indiuiduum fuerit, priusquam aſſumeretur: ſed quòd in λόγου hypoſtaſi, aſſumptionis vnione, ſingulariter ſubſiſtat, ſicut poſtea explicabitur.

Eodem modo natura diuina, non abſolutè, quatenus communis eſt tribus perſonis diuinitatis: Sed quatenus in perſona Filij relatè conſideratur, aſſumpſit humanam, non enim tota Trinitas, nec Pater aut Spiritus Sanctus, ſed ſolus Filius incarnatus eſt. Vnde ſermo Eccleſiaſticus propriè ita loquitur: Diuinam eſſentiam, ſeu naturam diuinam τοῦ λόγου perſonaliter vnitam eſſe aſſumptæ humanæ naturæ, hoc eſt, Diuinam naturam in perſona Filij conſideratam, ſeu quatenus diuinitatis eſſentia, ſeu natura illa communis, proprietate characteriſtica, particulari, ſingulari & perſonali ſeu τρόπῳ ὑπάρξεως in perſona Filij limitatur & determinatur (ſicut ex veteribus Longobardus loquitur) aſſumpſiſſe humanam. Filius enim naturam diuinam habet naſcendo, ſeu γεννητῶς, hoc eſt, per modum generationis vtpote à Patre genitam, ſicut Auguſtinus 7. de Trinitate loquitur. Pater verò illam habet à ſe vt ingenitus, Spiritus Sanctus habet eam ἐκπορευτῶς procedendo, quia ſcilicet ab æterno à Patre & Filio non genitus eſt, ſed proceſsit. Atq; ita licet non tota Trinitas, nec Pater, nec Spiritus Sanctus, ſed ſolus Filius incarnatus ſit: omnis tamen, tota & perfecta diuina eſſentia ſeu natura, ſicut Dionyſius loquitur, in vna ſua-

rum hypostaseon, in persona scilicet Filij, vnita est assumptæ humanæ naturæ. Harum notationum de vocabulis postea vsus erit.

Vocabula etiam ἀνυπόστατον & ἐνυπόστατον Damascenus ad hanc doctrinam accommodat. Licet enim aliâs ἀνυπόστατον significet id, quod simpliciter non existit, & ἐνυπόστατον, quod vel per se existit, vel in alio inhæret, sicut accidens in subiecto: Nō incommodè tamen censet Damascenus, humanam naturam in Christo vocari posse ἀνυπόστατον, quia scilicet per se, & secundū se ipsam in propria personalitate, sicut scholastici loquuntur, non subsistit, sed est ἐνυπόστατον, hoc est, in altero, in hypostasi scilicet λόγου subsistit, quæ ipsi facta est hypostasis.

Porrò de vocabulis abstracti & concreti quædam etiam hoc loco breuiter notanda sunt. Non enim simpliciter & in eadem significatione, semper & ab omnibus illa vsurpantur, sed primus eorum vsus est Scholasticus. Cum enim, sicut iam dictum est, & postea plenius explicabitur, in Christo incarnato non idem sit natura & persona, necesse est ad vitandam & confusionem & separationem, alia & distincta habere vocabula, quæ naturas in Christo significent, & alia, quæ personā eius denotēt. Illa verò differentia seu distincta vocabula, Scholastici scriptores peculiarib. appellationibus seu notis, indicare & distinguere voluerunt, in hac doctrina. Vocabula igitur, quæ ipsas naturas in Christo notant, vocant abstracta vocabula. Et quando in oratione seu propositione aliqua vtuntur vocabulis significantib. ipsas naturas in persona Christi vnitas, hoc Scholastici appellant, in abstracto dici, vel per vocabula abstracta loqui. Et propositiones abstractiuas vocant, quæ constant vocabulis abstractis, hoc est, significantibus seu notantibus ipsas naturas in Christo. Concreta vero vocabula appellant, quæ personam Christi subsistentem in duab. naturis, seu constantē duabus naturis, significant & denotant. Ita in concreto aliquid dici, Scholasticis est, quando ipsi personæ, per vocabula personalia, aliquid tribuitur. Et per concreta vocabula loqui est, quando vtimur appellationibus denotantibus ipsam personam Christi: vocant etiam propositiones concretiuas, quæ

con-

constant vocabulis significantibus ipsam personam Christi. Generalis enim apud Schoiasticos scriptores regula est, Abstracta vocabula supponunt pro naturis, concreta pro persona, & abstracta vocabula diuinæ naturæ vocant, Deitatem, diuinitatem, diuinam essentiam &c. Humanæ naturæ abstracta vocabula vocant, humanitatem, substantiam seu naturam humanam, carnem, sanguinem &c. Concreta vòcabula diuinæ naturæ dicunt esse, Deum λόγον, Filium Dei &c. Humanæ naturæ concreta dicunt esse, hominem, Filium hominis, Filium Mariæ, &c. Vtriusq; naturæ concreta, Christum, Immanuelem &c. Ita Lutherus in cap. 53. Isaiæ dicit, Humanam Christi naturam in concreto esse hominem. Hæ Scholasticæ notationes differentium appellationum, per vocabula abstracta & concreta, quia monstrant, quando vel naturæ ipsæ in Christo distinctim considerandæ sint, vel, quando ipsa persona, subsistens in vtraq; natura, intelligenda sit; rectè & vtiliter in scholis inter eruditos in hac doctrina retinentur: vt eò facilius confusio naturarum vitari, & cum differentia naturarum, personæ vnitas in loquendo conseruari, ac perspicuè indicari possit, quæ cuiusq; naturæ propria sint, & quomodo illa personæ communicentur. Ac præterea, quid assumpta natura in Christo, præter physicas suas proprietates, ex hypostatica cum diuinitate vnione acceperit, vt quando in scholis ita loquimur, non tantum in concreto seu per vocabulum concretum significans personam rectè dici, Christum hominem, seu Filium hominis viuificare, verumetiam in abstracto, seu per vocabulum abstractum, de assumpta natura λόγῳ vnita rectè dici, Caro Christi λόγῳ vnita viuificat, sanguis Christi emundat à peccato: vt indicetur non tantum personæ secundum diuinam naturam, sed ipsi etiam assumptæ naturæ, propter hypostaticam cum diuinitate vnionem, vel personæ secundum humanam etiam naturam rectè hæc tribui, non per formalem inhæsionem, sed per œconomiam vnionis, vt in ferro igneo, sicut postea hæc explicabuntur. Vnde Lutherus dicit, Diuinitus factum esse, quòd quædam vocabula vocentur Abstracta, quædam concreta, sicut postea in explicatione rerum exemplis hæc declaranda erunt.

Deinde verò alia horum vocabulorum ſignificatio & alius vſus eſt, iuxta Grammaticam ſeu Etymologicam rationem, quando in ipſas propoſitiones inſeruntur, vt vel ſubiectum, vel prædicatum determinent: vt quando dico, Naturam aliquam Chriſti in abſtracto conſiderari: Item, humanam naturam Chriſti, aliquid accepiſſe in abſtracto, aliquid habere in abſtracto, aliquid ei datum, ſeu communicatum in abſtracto, vt non rectè dicitur: Carnem Chriſti in abſtracto viuificare, vel adorandam eſſe in abſtracto, tunc enim intelligitur Natura, qualis ſit, & quid habeat, ſi per ſe, ſecundum ſe, & in ſeſe, ſeorſim conſideretur, vel in naturali ſua conſtitutione, vel quid ſpiritualium donorum, præter phyſicas conditiones, formaliter, habitualiter aut ſubiectiuè inhærens, in ſe & ſecundum ſeſe acceperit & habeat. Intelligitur etiam humana natura conſiderari in abſtracto, ſi ἰσχναῖς ἐπινοίαις, ſicut Damaſcenus loquitur, hoc eſt, ſi ſubtilibus cogitationib. eam ſeiungas à diuina, & quaſi extra vnionem ſibi derelictam, conſideres (re ipſa enim in æternum non ſeparantur vnitæ illæ duæ naturæ.) In hanc ſententiam Lutherus ſcribit ſuper cap. 53. Iſaiæ, de ſeparata diuinitate, & de humanitate ſeparata, vel ſeorſim poſita, & addit: Hoc non eſt faciendum, non enim ſeparanda ſunt abſtracta, alioqui fides noſtra falſa eſt, ſed credendum eſt in concreto, Ille homo eſt DEVS. Item, hoc loco de Abſtracto tacendum eſt prorſus, quia fides docet, hîc nullam eſſe abſtractionem, ſed concretionem, coniunctionem & copulationem vtriuſque naturæ. Item, Chriſtus eſt Dominus angelorum, etiam ſecundum humanam naturam, ſed tantum ſecundum concretionem, hoc eſt, in vnione hypoſtatica & ratione vnionis in illa perſona. Hæc ſignificatio vocabuli abſtracti à Phyſicis materijs deſumpta eſt. Quando enim ſimul ſubiectum cum adiuncto conſideratur, vt paries albus, corpus ægrum, vel morbo affectum, tunc vocatur Concretum: Quando verò ſubiectum diſtinctim & per ſe, & adiunctum, vt albedo, morbus, etiam per ſe diſtinctim conſideratur, ſiue in ipſo ſubiecto, ſiue à ſubiecto cogitatione abſtractum, vt meus eius cognitionem, extra ſubiecti conſiderationem, ſecum circumferat, tunc vocatur abſtractum.

Et quia

Et quia vſus talium Scholaſticorum vocabulorum in hac doctrina, ad res ipſas non turbandas & obſcurandas, ſed diſtinguendas & explicandas, inuentus & receptus eſt: ideo in vſurpatione huiuſmodi terminorum ſcholaſticorum, illi rectè faciunt, qui diſtinctionem & declarationem addunt, quomodo & in qua ſignificatione vocabula illa, cùm non vnus illarum ſit vſus, accipi & intelligi velint. Nequiter autem faciunt, qui, vbi de rebus ipſis conſtat & conuenit, propter talia Scholaſtica ſeu artium vocabula, quæ alius aliter vſurpat & accipit, Eccleſias turbant. Qui verò ſub prætextu talium vocabulorum ipſius doctrinæ deprauationem inuehere, & Eccleſiæ obtrudere conantur, illorum inſidiæ & detegendæ & cauendæ ſunt, vt ſi quis dicat: In concreto quidem recte dici, Filius hominis, vel homo Chriſtus viuificat, non autem in abſtracto, vel per vocabulum abſtractum, de aſſumpta natura, ſicut λόγῳ vnita eſt, rectè dici, Caro Chriſti viuificat, Sanguis Chriſti emundat, vel Chriſtus carne ſua viuificat, ſanguine emundat, ibi enim inſidiæ latent. Harum obſeruationum magnus poſtea vſus erit, in tota explicatione huius doctrinæ, ſed in hoc capite tantum vocabula breuiter explicare & diſtinguere volui.

Proprietatum etiam ſeu Idiomatum vocabula hoc loco explicanda ſunt. Synonyma autem habentur: ἰδιότης ἢ ἴδιωμα, proprietas διάφορα differentia, Idioma χαρακτηριστικὸν, ἴδιάζον proprietas characteriſtica, quæ tanquam ſigno & nota ſingulare aliquid conſtituit & notat: ſæpe etiam ποιότητος qualitatis vocabulum ita vſurpatur. Quia enim naturarum in vna perſona Chriſti vnitarum non eſt ταυτότης ἢ ἰσότης Identitas vel æqualitas, ſed diuerſitas & differentia: res illa, ſiue ſit eſſentialis, ſiue accidentalis, qua vna natura differt ab alia & hæc perſona ab alijs eiuſdem naturæ hypoſtaſibus differt, vocatur proprietas & differentia. Et quia proprietates non egrediuntur ſua ſubiecta, ideo in Chriſto, vnius naturæ phyſica ſeu eſſentialis proprietas, nec eſt, nec poteſt fieri, alterius naturæ eſſentialis vel Phyſica proprietas: fieret enim naturarum confuſio, quæ per Idiomata differunt & diſcernuntur, ſicut Damaſcenus in aliquot locis illam regulam repetit: ἡ γὰρ ἰδιότης

ότης

ὁτὲ ἀκίνητος, ἢ πῶς ἂν ἰδιότης μένοι κινεμένη ἢ μεταπίπτουσα proprietas immobilis eſt, aut quomodo poſſet proprietas manere, ſi vel ex vno ſubiecto in aliud dimoueretur, vel ſi excideret, hoc eſt, Proprietas quando euadit communis, vt ſcilicet & huius & alterius etiam naturæ æquè ſit propria, vel ſi aboleatur, tunc deſinit eſſe proprietas, & res, quæ per Idiomata diſcernuntur non amplius erunt differentes, ſed vel eædem, vel æquales reddentur. Proprietas igitur eſſentialis diuinæ naturæ, in æternum non fit eſſentialis proprietas humanæ naturæ & è contra. Quomodo verò nihilominus fiat vera Communicatio idiomatum in vnione, ſicut anima potentias & operationes ſuas vitales & animales corpori ſui animato communicat, & ignis ferro ignito vim lucendi & vrendi verè & realiter communicat, vt tamen ſint & maneant illæ ſolius animæ, & hæ ſolius ignis proprietates, nec fiant corporis aut ferri eſſentiales proprietates, poſtea explicabitur.

Sunt autem Idiomata vel eſſentialia vel accidentalia, vel perſonalia. Et eſſentialium quædam ſunt ἰδιώματα συσατικὰ τῶν φύσεων Conſtitutiua naturarum, quæ ipſas naturas conſtituunt, ſiue quæ ad conſtitutionem eſſentiæ pertinent, vt in diuina natura omnia idiomata ſunt eſſentialia, quæ non ſunt aliquid, diſtinctum aut diuerſum ab ipſa eſſentia Dei. Si enim diuina οὐσία ab aliquo alio à ſe diuerſo perficeretur, hoc eſt, melior, beatior & perfectior redderetur, tunc non eſſet ſimpliciſsima eſſentia, nec eſſet ipſa ſummum & perfectiſsimum bonum. Diuina igitur eſſentia potens & ſapiens eſt, non potentia aut ſapientia, quæ aliquid diſtinctum ſit, tanquam qualitas, ab eſſentia, ſed eſt ipſa omnipotentia, ſapientia, bonitas &c. Humanæ verò naturæ Idiomata συσατικὰ ſunt, quòd conſtat anima & corpore: quòd anima eſt ſpiritus creatus, rationalis, immortalis, pars eſſentialis naturæ humanæ: quòd corpus eſt creatum conſtans carne, ſanguine, cute, oſsibus, neruis, certa membrorum συμμετρίᾳ diſpoſitum &c. De illis proprietatibus, quæ ſunt συσατικαὶ τῶν φύσεων rectè dicit Damaſcenus, quòd ſine illis natura, eſſentia & ſpecies illa, conſiſtere nullo modo poſsit. Alia verò Idiomata eſſentialia ſeu naturalia Damaſcenus lib. 1. cap. 4.

cap. 4. & 12. vocat τὰ περὶ τὴν φύσιν, quæ sunt circa naturam, vel, περιπόμενα τῇ φύσει, quæ naturæ constitutionem, vel essentiam constitutam consequuntur, vt in humana natura, quòd naturali ratione sit visibilis, palpabilis, physica locatione vno loco circumscripta &c. Quid autem in illis physicis proprietatibus diuina omnipotentia possit, postea ostendetur. Accidentalia idiomata vocantur, & infirmitates propter peccatum humanæ naturæ impositæ, quas Christus in statu exinanitionis, non naturæ necessitate, sed, vt victima pro nobis fieret, volens absq; peccato assumpsit. Et scholastica ratione Accidentalia appellantur reliqua dona creata, ac qualitates, siue præternaturales vires, quibus humana natura in Christo, formaliter, habitualiter & subiectiuè ornata est. Nam etiam sine illis speciem suam humana natura habere & retinere potest, & habet illa non ex naturali sui constitutione, sed aliunde. Personalia idiomata sunt, quæ personam τοῦ λόγου ab alijs personis Trinitatis distinguunt, vt quod est Filius, λόγος, vnigenitus ex Patre, secunda persona Trinitatis, quæ personaliter humanæ naturæ est vnita. Item 1. Cor. 1. vocatur potentia & sapientia Dei, non ingenita, sicut est in Patre, nec procedens, sicut in Spiritu sancto, sed genita, hoc enim est characteristicum idioma, quo communis essentia diuina, in persona Filij limitatur & determinatur. Ita totà plenitudo Deitatis in assumpta humana natura personaliter inhabitat, non sub persona Patris, vel Spiritus sancti, sed in & sub solius Filij persona. Ita etiam humanæ naturæ in Christo (licet secundum se seorsim non subsistat) quasi personalia idiomata sunt, quod hæc massa, siue hoc indiuiduum humanæ naturæ, subsistens in persona λόγου, differt ab omnibus alijs humanæ naturæ hypostasibus, vt quod per se nõ subsistit, sed in hypostasi τοῦ λόγου: quod propria personalitate destitutum, personam λόγου habet pro hypostasi, quod ad ipsam personam Filij incarnati pertinet, cum qua est hypostasis σάρκινος, sicut Nazianzenus loquitur. Quodq; hæc sola massa, vel hoc solum humanæ naturæ indiuiduum, diuinæ naturæ τοῦ λόγου personaliter vnitum, super omnes creaturas ad dexteram maiestatis & omnipotentiæ Dei exaltatum est.

Omnis

Omnis verò poteſtas, quæ Chriſto in tempore ſecundum humanam naturam data eſt. Vniuerſale dominium ſuper omnia, virtus viuificandi, qua caro Chriſti eſt viuifica, non poteſt rectè, propriè aut commodè idioma humanæ naturæ appellari. Eſt enim & manet eſſentialis proprietas diuinæ naturæ τῦ λόγυ, ſed οἰκονομίᾳ τῆς ἑνώσεως, humanæ naturæ Chriſti, ſicut virtus lucendi & vrendi ferro ignito, communicatur, non formaliter, non habitualiter, nec ſubiectiuè, ſicut poſtea explicabimus. De peculiari igitur & diſtincta appellatione eorum, quæ hoc modo aſſumptæ naturæ communicantur, velim piè eruditos cogitare, ſicut poſtea veterum quaſdam appellationes ſuo loco annotabimus. De alijs verò vocabulis, quorum vſus eſt in explicatione huius doctrinæ, ſuo loco dicemus. Nunc communiora tantum vocabula in principio explicare volui. Ad res ipſas igitur explicandas iam progrediamur.

CAPVT II.

De Diuina natura in Chriſto incarnato.

Via perſona Chriſti incarnati conſtat duabus naturis, Diuina & Humana, in vnam hypoſtaſin vnitis, vnde ſequitur Communicatio idiomatum: doctrina de hypoſtatica duarum naturarum vnione, & de communicatione Idiomatum in Chriſto, non poteſt rectè & explicatè tradi, niſi de ipſis naturis prius dicatur. Primùm ergo veram ſcripturæ ſententiam, de diuina natura in Chriſto, breuiter, luculenta prauarum opinionum Antitheſi explicatam, recitabimus.

Serpens enim antiquus, qui conculcationem ſui capitis, diuinæ naturæ potentia, per ſemen mulieris fore & ſciebat & timebat, varijs artificijs doctrinam de diuina natura in Chriſto, depra-

deprauare, obscurare, & eludere conatus est, & tunc præcipuè, postquam lætalem illam capitis sui plagam, in passione & resurrectione Christi acceperat & senserat. Non enim nudus homo, humana vel creata aliqua virtute, sed ipsa diuina potentia τῦ λόγυ, per humanam assumptam naturam caput serpentis conculcauit.

Vt autem breuiter & compendio, variarum hæreseon monstra complecti, ac veram scripturæ sententiam, commodius illis ad præmunitionem opponere possimus, non iuxta seriem temporum singulorum hæreticorum nomina & opiniones, sicut in catalogis hæreticorum fieri solet, recitabimus: sed in breuem summam illa contrahemus, ac ostendemus, quomodo tres potissimum quasi acies, princeps huius mundi instruxerit, ad oppugnandam diuinam naturam in Christo, ac monstrabimus, quomodo singulis vera sententia ex scripturæ fundamentis opponi possit, ac debeat, vt ita fides ab omnibus prauis opinioubus se disiungat.

Cerinthus igitur & Ebion cum suis finxerunt, personam Christi non extitisse ante Mariam, sed totam eius substantiam & personam tunc primum cœpisse, quando in plenitudine temporis de Spiritu Sancto cõceptus, & ex Maria virgine natus est, purus tantum homo, constans sola humana natura, qui Deus appellatus fuerit, ideò quod in humana natura tantum excellentia diuinorum donorum, & cœlestium virtutum, præ reliquis alijs hominibus ornatus & perfectus fuerit. Ita Augustinus lib. 8. Confes. cap. 19. inquit: Agnoscebam Christum tantum magna quadam naturæ humanæ excellentia, & perfectione sapientiæ, præferri cæteris: non intelligebam, quod Verbum caro factum est.

Et apud Athanasium Photinus blasphemat, Christum per sanctæ conuersationis meritum, eximio diuinitatis honore dotatum, atq; actionum merito in Deum profeciss: Anabaptistæ etiam quidam, & Antitrinitarij nostri temporis, sentiunt, Christum tantum esse hominem; Vocari autẽ Deum non ratione diuinæ naturæ, personaliter vnitæ, sed ratione excellentiæ officij & donorum diuinorum, Sicut Magistratus vocantur Dij, & sicut Moses

ut Moſes vocatur Deus Araonis. Et hi omnes negârunt, perſonam Chriſti conſtare duabus diſtinctis naturis: humanam enim tantum noſtram ei tribuerunt, Diuinam verò, cuius ratione & reſpectu ſit Deus, & ante Mariam ab æterno fuerit, ipſi detraxerunt.

Secundò, Carpocratiani, & qui Baſilidem ſecuti ſunt, conceſſerunt quidem in Chriſto incarnato, præter humanam naturam, eſſe aliquam alteram cœleſtem naturam, ſed blaſphemarunt, non eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum Deo Patre creatore, ſed eſſe alterius generis ſubſtantiæ & virtutis. Ex quibus cineribus Arrius poſtea ſuæ blaſphemiæ flammas excitauit.

Tertiò, Praxeani, Sabelliani, Noetiani, agnouerunt in Chriſto veram diuinam naturam: Sed quia docuerunt, in diuinitate tantum vnam eſſe perſonam, dixerunt ipſum DEVM Patrem fuiſſe incarnatum, crucifixum &c. Vnde Patripaſſiani appellati ſunt.

Hæc ſunt præcipua & ſummaria capita certaminum, quibus Hæretici veritatẽ diuinæ naturæ in Chriſto oppugnarunt. Reliqua enim de inhabitatione diuinitatis in Chriſto, vt in ſanctis: Quodq; tempore exinanitionis non adfuerit ipſi diuinitas, ſed tunc demum in ipſum deſcenderit, quando columba ſuper ipſum manſit, ac ſigna edidit, Quæ tamen tempore paſsionis rurſus ab ipſo diſceſſerit, ſicut Cerinthus finxit: Illa ad caput de hypoſtatica vnione & de exinanitione pertinent.

Eſt autem vera de diuina natura in Chriſto ſententia, certis & illuſtribus teſtimonijs in Scriptura patefacta & tradita, quorum aliquot prodeſt ſemper in promptu & conſpectu habere, vt & veteribus & recentioribus phanaticorum commentis ita opponi poſsint, vt ab omnibus errorum diuerticulis nos ſeiungere, & in ſimplici ſeu regia via, veræ ſententiæ diuinitùs patefactæ, Chriſto Spiritu ſuo nos gubernante, nos continere valeamus. Et teſtimonia non incommodè ita diſtribui poſſunt, ſicut certamina deſcripſimus.

Primò enim, Chriſtus conſtare, non humana tantum, ſed diuina etiam natura, ac perſonam eius extitiſſe ac ſubſtitiſſe priuſquam ſecundum humanam naturam ex Maria concipe-

retur

retur & naſceretur, ipſe manifeſtè teſtatur, Iohan. 8. Priuſquam Abraham fieret, ego ſum. Et Ioh. 17. aſſeuerat, ſe apud Patrem habuiſſe gloriam ante mundi conſtitutionem. Paulus 1. Corinth. 10. affirmat, Chriſtum fuiſſe, qui filios Iſrael duxit per deſertum. Et in Prophetis, præcipuè verò in Pſalmis, Chriſtus ſæpiſsimè loquitur, ante aſſumptionem carnis. Vnde Irenæus lib. 3. cap. 18. & lib. 4. cap. 14. & 17. dicit λόγον, qui poſtea ſemen Abrahæ aſſumpſit, ab initio ſemper adfuiſſe generi humano, & locutum patribus. Baptiſta Iohan. 1. clamat: Ante me fuit, qui tamen poſt ipſum conceptus fuit. Imò ante genus humanum & ante omnem creaturam, ipſum ab æterno fuiſſe, Iohannes clariſsimè affirmat, cap. 1. Verbum, quod poſtea caro factum eſt, erat in principio. Hebr. 1. Per quem ſæcula condidit. Apoc. 1. Chriſtus inquit: Ego ſum primus & noniſsimus. Col. 1. Omnia per ipſum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes. Heb. 13. Chriſtus heri, hodie. & in ſæcula. Quia verò humana natura Chriſti, in plenitudine temporis ex Maria initium ſumpſit, neceſſariò ſequitur, eſſe in ipſo aliam etiam naturam, quæ fuerit ante Abrahamum, & ante omnes: Imò ante conſtitutionem mundi ab æterno, ſicut ſcriptura clariſsimè deſcribit duas naturas in Chriſto, nominans λόγον & carnem. Iohan. 1. Hominem & Deum. Iohan. 10. Matth. 16. Ierem. 23. Eſt germen Dauidis, & nomen eius vocabitur Iehoua. Iſaiæ 9. Vocatur Immanuel, Nobiſcum Deus. Et Rom. 9. Chriſtus ſecundum carnem eſt ex Patribus, qui eſt Deus benedictus in ſæcula. 1. Tim. 3. Deus manifeſtatus in carne.

Secundò, Alteram illam naturam Chriſti præter humanam eſſe ipſam veram & æternam diuinam eſſentiam, non aliquam aliam diuerſam ſpiritualem, ſeu cœleſtem ſubſtantiam, naturam, ſeu virtutem, ſcriptura perſpicuè teſtatur: 1. Iohan. 5. Hic eſt verus Deus. Iohan. 16. Omnia, quæcunq; habet Pater, mea ſunt. Ioh. 5. Omnia quæcunq; Pater facit, eadem & Filius facit. Iohan. 10. Ego & Pater vnum ſumus. Ioh. 14. Qui videt me, videt & Patrem meum. Ego in Patre, & Pater in me eſt. Coloſſ. 2. In Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Tertiò, Extant manifesta scripturæ testimonia, quòd non tota Trinitas, hoc est, quòd non omnes tres diuinitatis personæ simul: nec Pater, nec Spiritus Sanctus, sed solus Filius carnem assumpserit. Gabriel enim Lucæ 1. operationem quidem incarnationis tribuit toti Trinitati. Spiritus enim superuenit, & virtus altissimi obumbrat, sed quod nascitur ex Maria, Filius Dei vocatur. Iohan. 1. Verbum, quod caro factum est, erat apud Deum, hoc est, vnigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris. Galat. 4. Deus misit Filium suum, factum ex muliere. Matth. 16. Filius hominis est Filius Dei viuentis. Hebr. 9. Christus semetipsum obtulit Patri per Spiritum sanctum. Luc. 3. Filius Dei in assumpta carne stat in ripa Iordanis, Spiritus Sanctus corporali specie descendit super ipsum, & desuper auditur vox Patris: Hic est Filius meus.

Damascenus lib. 3. cap. 6. citat dictum Dionisij, Θεότης ὁλικῶς ἡμῖν ἐν μίᾳ τῶν ἑαυτῆς ἐκοινώνησε ὑποστάσεων. Hoc Damascenus ita explicat: Dicimus omnem & perfectam naturam Deitatis in vna eius Hypostaseon incarnatam esse. Eadem enim natura diuinitatis, tota & perfecta est in singulis personis. Et quando dicimus, Deitatem vnitam carni, intelligimus id, quod Athanasius & Cyrillus dicunt: πλὴν φύσιν τ̃ λόγ σεσαρκῶσθ, naturam Verbi esse incarnatam. Hæc Damascenus, qui in aliquot locis repetit hanc sententiam: κατ' οὐδ' ἕνα λόγον κεκοινώνηκε ὁ πάτηρ ἢ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῇ σαρκώσει τ̃ λόγ εἰ μὴ κατ' εὐδοκίαν καὶ βούλησιν. Nulla ratione communicauit Pater & Spiritus Sanctus incarnationi Dei Verbi, nisi secundum beneplacitum & voluntatem.

Augustinus de fide ad Petrum cap. 13. Firmissime crede, vnam ex Trinitate personam, hoc est, Dei Filium, secundum susceptionem formæ seruilis, in virgine conceptum, & de virgine natum.

In Euchiridio cap. 38. Creaturam illam, quam virgo concepit & peperit, quamuis ad solam personam Filij pertinentem, tota Trinitas fecit. De Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 2. Non Pater carnem assumpsit, nec Spiritus sanctus, sed Filius tantum.

Maxen-

Maxentius citat ex Proclo: Non Trinitatem, sed vnum ex Trinitate genuit Maria.

Et idem volunt Decreta Toletani Concilij, quæ Longobardus descripsit, lib. 3. dist. 5. Solum Verbum caro factum est. Et cùm tota Trinitas operata sit formationem susceptihominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius accepit hominem, in singularitatem personæ, non in vnitatem diuinæ naturæ, hoc est, quod proprium Filij, non quod commune est Trinitati.

Hanc sententiam, non satis explicatè traditam, cùm varias olim peperissent disputationes, Longobardus rectè ita explicat, Quod diuina natura vniuerit sibi humanam naturam, non in tribus communiter personis, sed propriè in sola Hypostasi Filij, vt si tres puellæ vni ex ipsis tunicam induant: Qua similitudine Scholastici vtuntur.

Ex illo autem Toletano Canone perperam intellecto, etiam recens quidam scioli, vt communicationem Realem idiomatum (quæ postea suo loco explicabitur) euerterent, sparsis propositionibus cœperunt disputare: Cùm essentia seu natura diuina sit communis toti Trinitati, hoc est, omnibus tribus personis Diuinitatis simul & communiter, & verò non tota Trinitas sit incarnata, nec Pater vel Spiritus sanctus, sed solus Filius humanam naturam in personæ vnitatem assumpserit, ideo non ipsam naturam diuinam τοῦ λόγου, sed solam Filij hypostasin vnitam esse assumptæ humanæ naturæ. Ac turbari sanè posset lector non præmonitus hoc argumento. Consideret autem pia mens, quid Satan huiusmodi disputationibus quærat, vt scilicet obliquè, ex hypostatica vnione Christi saluatoris nostri, diuinam naturam τοῦ λόγου nobis eripiat, qua amissa seruator noster esse non poterit: Cumq; summa & suauissima sit consolatio, cùm misera nostra humana natura, per Peccatum à Deo, qui ipsa vita est, esset auulsa & abalienata. Isa. 49. & Ephes. 4. quòd massa eius, nobis consubstantialis, rursus arctissimè, hypostatica scilicet vnione, diuinæ naturæ in persona Filij Dei copulata & vnita sit, vt ita restitutio & reparatio eius eò esset certior & firmior, ac ea ratione nos vicissim in

Christo diuinæ naturæ κοινωνοι participes efficeremur. 2. Pet. 1. & communicationem acciperemus eum Patre, Filio & Spiritu Sancto. 1. Ioh 1

Illam dulcissimam consolationem conantur nobis eripere disputatores isti, qui negant, diuinam naturam in persona Filij Dei vnitam esse humanæ assumptæ. Quæ opinio aduersa quasi fronte pugnat contra manifestissimum testimonium Pauli, Colos. 2. Vbi fundamentum totius consolationis nostræ in eo collocat, quod in Christo tota plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter. Est autem plenitudo Deitatis, quicquid ipsa Deitas est & habet. Et illam plenitudinem Deitatis Filij Dei, affirmat Paulus, non particulariter, sed totam σωματικῶς, hoc est, personaliter inhabitare, in assumpto corpore, tanquam in proprio suo templo, sicut loquuntur veteres, qui ex illo loca Pauli, Incarnationes vocarunt ἐνσωμάτωσιν, vt sensus Pauli extra controuersiam hic sit: Totam plenitudinem Deitatis Filij Dei σωματωθῆναι corporatam, sicut Tertullianus loquitur, siue incarnatam esse. Quicquid igitur Deitas τοῦ λόγου est & habet, totum hoc personaliter vnitum est assumptæ humanæ. Atq; ita Ecclesia semper locuta est, Diuinam naturam τοῦ λόγου incarnatam, sicut paulò ante Dionisij, Athanasij, Cyrilli & Damasceni sententias adscripsimus. Et Longobardus lib. 3. cap. 5. Vbi ex veteris Ecclesiæ doctrina ostendit, vtrumq; rectè dici, Et quod persona Filij Dei assumpserit humanam naturam, Et quòd natura diuina in persona Filij, personaliter vnita sit humanæ assumptæ, Allegat ex Augustino hanc sententiam: Illa natura, quæ ex Patre genita est, nostram naturam sine peccato suscepit, & forma Dei formam serui accepit. Item: summa diuinitas humanitatem sibi vnitam gerit. Citat etiam ex Hieronymo: Diuinam substantiam assumpsisse humanam substantiam. Ita etiam Hilarius de Trin. lib. 9. inquit: Naturam nostram in communionem substantiæ immortalitatis vnitam. Epiphanius etiam lib. 1. Tom. 3. dicit, Humanitatem connitam τῇ θεότητι Deitati. Et quid opus est multa testimonia Patrum adducere, cùm tota vetus Ecclesia vno ore affirmet, in Christo incarnato duas esse naturas vnitas, diuinam & humanam. Item

Personam

Personam Christi incarnati constare duabus naturis vnitis diuina & humana.

Contra hunc Catholicum consensum disputationes istæ fingunt non diuinam naturam Filij Dei, sed solùm eius hypostasin vnitam humanæ naturæ, quasi scilicet hypostasis Filij sit absq; Deitate, vel quasi extra & præter diuinitatem subsistat. Natura enim diuina, sicut scholastici rectè dicunt, est in persona, & prædicatur de persona, ac persona in diuina natura subsistit.

Explicatio verò argumenti, quo vtuntur isti, quòd scilicet essentia diuina communis sit toti Trinitati, doctrinam hanc vtiliter illustrat, ac multa monet. In præcedenti igitur capite, vocabula essentiæ, personæ & idiomatum explicata sunt, ac dictum est: Essentialia diuinitatis idiomata nihil discrepare ab essentia diuinitatis, sed cum ipsa essentia conuerti, cùm vnum & idem sint, hoc est, simpliciter sunt ipsa absoluta Dei essentia, vt æternitas, immensitas, maiestas, omnipotentia, omnisufficientia, sapientia, bonitas, iusticia, immutabilitas, immortalitas, inuisibilitas, inpassibilitas &c. sunt ipsa Dei essentia omnipotens, sapiens &c. Et essentia Dei est ipsa omnipotentia, sapientia, &c. Notum est autem, quòd Lutherus. in disputationibus Anni 44. & 45. & cum ipso Philippus etiam contra Scholasticos quosdam disputatores docuerint: Hypostasin seu personam in diuinis non esse rem aliquam, extra vel præter diuinam essentiam existentem, qui postea essentia cum proprietatibus essentialibus communicata sit: nec essentiam diuinam extra vel præter personas diuinitatem existere. Nec in eadem persona Trinitatis, hypostasin & essentiam realiter differre, licet ratione respectuum differant. Ita enim Trinitati adderetur Quaternitas, præter tres scilicet hypostases, ipsa essentia per se distinctim subsistens.

Sed ipsa eadem simplicissima & numero vnica essentia diuina, cum essentialibus proprietatibus, dupliciter consideratur, sicut Scholastici loquuntur, vel absolutè, vt est in se & pluribus communicabilis, vel vt est in vna aliqua hypostasi Trinitatis determinatè, vel sicut alij loquuntur, Personæ, in vna illa

simpli-

simpliciſsima eſſentia diuina ſubſiſtentes, dupliciter poſſunt conſiderari, vel quatenus & eſſentia, & idiomata eſſentialia in perſonis abſolutè & eſſentialiter cõſiderantur, ſicut communia ſunt toti Trinitati, & omnib. trib. perſonis, ac tota in ſingulis, Ita trium perſonarum vna, eadem & indiuidua eſt diuinitas, eſſentia, omnipotẽtia, ſapientia &c. Et Filij Dei ſeu λόγυ vna eſt cum Patre & Spiritu ſancto eſſentia, ac idiomata eſſentialia cum illis habet communia, ſicut inquit: Omnia quæ Pater habet, mea ſunt. Item: Ego & Pater vnum ſumus. Vel conſiderantur relatiuè, quatenus ſcilicet, in vna & eadem eſſentia, perſonæ diſtinguuntur, & ſunt incommunicabiles, ac inter ſe differunt, non quidem eſſentialiter, ſed perſonaliter, proprietatibus, reſpectibus & attributis hypoſtaticis, vt quod pater eſt Deus genitor, Filius Deus genitus, Spiritus ſanctus Deus procedens. Et quia relationes illæ, in diuinis, non ſunt diſtinctiones rationis tantum, nec nudi vel inanes reſpectus, ſicut Sabellius finxit, ſed relationes ſunt veræ & reales, Ideo perſonæ Trinitatis, licet eſſentialiter ſint vnum, perſonaliter tamen, per relationes differunt realiter, vt quod Pater à nullo eſt, & ingenitus, qui ab æterno ex ſua eſſentia Filium coæternum & ὁμοούσιον generat. Filius à Patre genitus eſt, ac naſcendo per modum generationis ab æterno eſſentiam diuinam accepit & habet. Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens, qui procedendo vel per modum proceſsionis ineffabilis eſſentiam diuinam ab æterno accepit & habet. Hi ſunt τρόποι ὑπάρξεως, & idiomata characteriſtica, ſicut Damaſcenus loquitur, quibus perſonæ Trinitatis, in vna ſimpliciſsima eſſentia diuina ſubſiſtentes, perſonaliter & realiter à ſe inuicem diſcernuntur, vt ſingulæ per ſe ſubſiſtant, ac ſint incommunicabiles, ſicut in compendiaria explicatione fidei Athanaſij & Cyrilli Hypoſtaſis definitur, quòd ſit οὐσία μετά τινων ἰδιωμάτων ἀριθμῷ τῶν ὁμοειδῶν διαφέρουσα. Subſtantia ſuis quibuſdam proprietatibus ab ijs, quæ eiuſdem ſunt ſpeciei, numero differens.

Illis verò characteriſticis proprietatibus, ſeu differentijs perſonalibus, eſſentialia etiam diuinitatis idiomata, ad ſingulas perſonas, τρόπῳ ὑπάρξεως accommodantur & contrahuntur,

tur, ſicut Scholaſtici loquuntur, vel ſicut ex veteribus Longobardus loquitur, limitantur & determinantur. Ita vna & eadem ſimpliciſsima diuina potentia, ſapientia, bonitas &c. perſonali proprietate, & hypoſtatica differentia limitata & determinata, ac in perſona Patris conſiderata, eſt ingenita, in Filio genita, in Spiritu ſancto procedens, ſicut Auguſtinus à lib. 5. vſq; ad lib. 7. de Trinit. multis oſtendit, qui idem de ipſa etiam eſſentia affirmare non dubitat, licet ſcholaſtici hoc poſtea in diſputationem vocarint, An rectè dici poſsit, eſſentiam generari aut procedere. Hæc græci pro linguæ ſuæ felicitate apud Epiphanium ita exprimunt. Quod perſonæ Trinitatis non ſint σωδσιοι nec ταυτοδσιοι, ſed ὁμοουσιοι. Ita ergo Deus, non quatenus ſimpliciter Deus, ratione abſolutæ & communis eſſentiæ, eſt incarnatus, ſed quatenus Deus genitus, à Deo genitore, & à Deo procedente, non quidem eſſentialiter, ſed perſonaliter & realiter differt. Et eſſentia ſeu natura diuina non quatenus ſimpliciter & abſolutè, vt communis omnibus perſonis Trinitatis, conſideratur, incarnata eſt, ſed quatenus perſona lib. proprietatibus, ſeu τρόπῳ ὑπάρξεως, modo ſubſiſtendi in perſona Filij limitata & determinata conſideratur, vt à Patre genita, hoc eſt, diuina natura λόγῳ non in tribus communiter perſonis, ſed in ſolius Filij hypoſtaſi, carnem aſſumſit. Et tota plenitudo deitatis, in perſona Filij perſonalibus proprietatibus determinata, corporaliter habitat in Chriſto. Ita ergo diuina natura, licet eſſentialiter communis ſit Patri, Filio, & Spiritui ſancto, nihilominus tamen in perſona ſolius Filij, vnita eſt humanæ naturæ, ſine incarnatione Patris, & Spiritus ſancti. Ac perſonæ Trinitatis, licet habeant mutuam περιχώρησιν, Immanentiam, ſicut Filius inquit: non ſum ſolus, ſed Pater in me, & ego in Patre: Quia tamen hoc fit ſalua diſtincta perſonarum ſubſiſtentia, abſq; concretione & permixtione, Flius igitur licet non ſit ſolus, ſed Pater & Spiritus ſanctus ſimul in ipſo, ſolus tamē Filius, non Pater aut Spiritus ſanctus, aſſumſit carnem, & homo factus eſt. Et hoc eſt, quod Toletanus Canon dicit, ſolum Filium ſuſcepiſſe humanitatem in ſingularitatem perſonæ, in eo, quod proprium eſt filio, nō quod commune Trinitati. Hoc Scholaſti-

ci ita dicunt: Vnio hypostatica terminatur, non in vnitate naturæ, quatenus communis est, sed in vnitate personæ filij. Vera igitur, certa & immota est scripturæ sententia, In persona Christi incarnati non vnam tantum esse naturam humanam scilicet, sed ipsam etiam veram, vnicam & simpliciſsimam diuinitatis essentiam, quæ non in omnibus personis Trinitatis communiter, sed in solius filij persona singulariter vnita est humanæ naturæ, ac ratione huius personaliter vnitæ diuinæ naturæ seu essentiæ, Homo est Deus, vel persona Christi Mediatoris est Deus, & habet diuina Idiomata.

Non autem ociosè tantum disputandum est de diuina natura in Christo, sed de vsu huius doctrinæ cogitandum est. Et de causis quidem, quòd Mediatorem & liberatorem nostrum, Deum & hominem, oportuerit non tantum humanam, verum etiam diuinam naturam personaliter vnitas habere, postea in capite de vnione personali dicemus. Hoc verò loco quædam annotabimus de causis, Quare secunda Trinitatis persona, scilicet filius Dei factus sit homo. Non autem à priori, quod dicitur, scrutabimur arcanum consilium Trinitatis, sed, quia solum filium Dei Trinitas pro nobis voluit hominem fieri, considerabimus à posteriori, quàm dulces consolationes fides nostra inde concipiat & hauriat, quòd media persona Trinitatis, Verbum scilicet, caro factum est. Et sequemur vestigia Athanasij, in libro de humanitate verbi.

Iohannes igitur ca. 1. dicit, Verbum, per quod omnia facta sunt, carnen factum esse. Et Paulus Coloss. 1. Omnia in ipso consistunt, & ipse est caput corporis Ecclesiæ. Hebr. 2. Decebat eum, per quem omnia, autorem fieri salutis. Illa igitur persona Trinitatis, per quam humana natura principio creata fuerat, per quam lapsa sustentabatur, ne in nihilum redigeretur, missa fuit à Patre ad reparationem & redemptionem, vt eiusdem esset ἀνάπλασις, cuius fuerat πλάσις, sicut Iustinus inquit. Et eiusdem esset ἀνακτίσεν, cuius fuerat κτίζειν, inquit Athanasius ad Epictetum, hoc est, vt latini loquuntur, vt idem reficeret humanam naturam, qui illam in principio fecerat, sicut Augustinus inquit: Non enim minoris

erat

erat sapientiæ & virtutis seu potentiæ, recreare (ita enim Bernhardus loquitur) quàm creare hominem: Imò hoc solo Verbo perfectum fuit, de illo verò scriptura inquit: Laborauit anima eius. Isa. 53. & 43. Laborare me fecisti in peccatis tuis. Ipse ergò, per quem factum erat genus humanum, cognouit figmentum suum. Psal. 103. recordatus, quòd puluis sumus. Ne igitur perderet, quos condidit, seruile corpus induit, vt carne carnem liberaret. Atq; ita de voluntate redemptionis certissimum hoc est argumentum. Nec de potentia potest dubitari, qui enim hominem de nihilo potuit creare, potuit & lapsum reparare. Et hûc respicit scriptura, quando restaurationem nostram nominat creationem. Eph. 2. Creati in Christo Iesu.

Hæc igitur consideratio, & voluntatem & potentiam saluandi, in Christo liberatore nostro, pulcherrimè illustrat, & ostendit, quot nominibus obnoxij simus Domino & Redemptori nostro, qui, cùm non essemus, creauit nos, & cùm perditi essemus, reparauit nos, sicut antiquitas loquitur.

2. Iohannes addit & hanc rationem: in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Illa igitur persona diuinitatis, in qua vita & lux hominis etiam ante lapsum fuerat, missa est ad officium redemptionis. Cùm enim per lapsum abalienati essemus à vita Dei, Eph. 4. & per peccatum mors peruasisset in omnes homines, Rom. 5. non potuimus à morte eripi, & ad vitam restitui, nisi per illum, in quo vita erat, Imò qui erat Verbum vitæ, & ipsa vita, 1. Ioh. 1. Et certam hoc reddit fidem nostram, quòd verè & potenter per Christum à morte liberemur, & ad vitam æternam perducamur, quia in ipso vita erat: Imò est ipsa vita. Qui igitur credit in ipsum, etiam si mortuus fuerit, viuet, Ioh. 11. Et qui habet Filium, habet vitam æternam: Ipsa enim vita est in Filio, 1. Iohan. 5. Tam plena hæc sunt consolationis piè considerata.

3. Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 2. inquit: Qui erat in diuinitate Dei Patris Filius, factus est in homine matris hominis filius, ne duo crederentur filij. Sed longè dulcior est ratio, quam reddit Irenæus lib. 3. cap. 20. Vt scilicet nos, qui eramus filij iræ, adoptionem filiorum Dei reciperemus.

mus. Ad hoc nulla creatura, sed ille, qui natura est proprius & vnigenitus Filius Dei, nos perducere potuit. Tam firmo igitur fundamento donum adoptionis nostræ nititur. Ille enim, qui est Filius Dei, factus est Filius hominis, vt nobis daret potestatem, filios Dei fieri, Iohan. 1. sicut inquit dulcissimis verbis Iohan. 20. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum Quod si filij Dei, fratres igitur & cohæredes Christi, Rom. 8. Atq; ideo dulcissimis verbis, tanquam pro fratribus suis dilectis, Filius Dei incarnatus orat Patrem, Iohan. 17. Diligas eos sicut me dilexisti. Item: Dilectio, qua me dilexisti, sit in eis. Ephes. 1. Gratos nos reddidit in dilecto, de quo scilicet clamauit, Hoc est Filius meus dilectus. Breuiter tantum noto, quæ pluribus possunt vtiliter illustrari: Optima enim ratio est tractandi hoc mysterium, vt doctrina ad pium vsum conferarur, in serijs fidei exercitijs.

4. Filius Dei est imago Dei inuisibilis, Col. 1. Et homo quidem in principio conditus erat ad imaginem Dei, Gen. 1. Sed hoc in Adam perdideramus, inquit Irenæus lib. 3. ca. 20. Cum igitur Deus constituisset hominem reparare, & restituere ad imaginem suam, voluit illam personam incarnari, quæ est ipsa imago, character substantiæ Dei, Heb. 1.

5. Finis redemptionis est, vt Deo reconciliati, in gratiam cum ipso reducamur, & ab ipso diligamur. Iam verò Filius Dei, qui est plenus gratia Ioh. 1. & dilectione Patris, Ioh. 17. In quo anima Patris acquiescit, Isaiæ 42. & Matthæi 3. assumpta carne, factus est reconciliator noster, vt ex eius plenitudine gratiam pro gratia acciperemus, Ioh. 1. Dilecti & accepti Deo redderemur in dilecto, Ephes. 1. Et in tam firma petra fundata est gratia, qua iustificamur & saluamur, in Christo redemptore nostro.

6. Scholastici addunt hanc rationem: Quia Filius Dei est media persona in Trinitate, ideò illam personam conueniebat fieri Mediatorem inter Deum & homines.

7. Athanasius addit hanc etiam rationem: Filius Dei est λόγος Patris. Ille igitur venit in carnem, vt ostenderet nobis Patrem, & agnitionem eius nobis reuelaret.

Hæ con-

Hæ considerationes ostendunt, quâm vtilis & dulcis vsus sit sit doctrinæ, De diuina natuta, quæ in persona Christi vnita est humanæ naturæ.

CAPVT III.

De Humana natura in Christo incarnato.

VErè dixit Athanasius, necessariam esse ad salutem rectam fidem, non tantum de diuina, verumetiam de humana natura in Christo. Et Hilarius pronunciat, eiusdem periculi rem esse, in Christo Iesu, vel diuinitatem, vel carnem nostri corporis negare. Et addit: Alterum sine altero nihil spei tribuere ad salutem. Vitam enim suam, inquit, nescit, qui Christum vt verum Deum, ita & verum hominem ignorat. Augustinus inquit: Qui negat Christum verum hominem, non est pro illo mortuus Christus, quia secundum hominem mortuus est: Non iustificatur per Christum, quia in sanguine eius iustificati sumus &c. Et Leo inquit Epist. 11. Non potest eo capite gloriari, in quo asserit naturam suam non haberi. Tanti refert humanam naturam in Christo rectè agnoscere. In Christi enim carne Deus condemnauit peccatum. Rom. 8. In corpore carnis eius reconciliati sumus. Col. 1. In sanguine eius iustificamur. Rom. 5. Animam suam posuit redemptionem pro multis, Matt. 20. Filius Dei natus est ex muliere, vt nos, qui sub Lege eramus, redempti, adoptionem acciperemus, Gal. 4. Non erubescit, nos fratres vocare, quia particeps factus est carnis & sanguinis, Hebr. 2. Et breuiter, Omnis Spiritus, qui non confitetur Iesum Christum veniisse in carne, non est ex Deo, sed Antichristi spiritus, 1. Iohan. 4. Qui verò manducat carnem Filij Dei, & bibit san-

guinem eius, habet vitam æternam. Caro enim eius data est pro mundi vita, Ioh. 6.

Est autem vera scripturæ sententia, Filium Dei assumpsisse humanam naturam, veram, integram, seu totam, consubstantialem nobis, habentem omnes conditiones, vires & appetitiones naturæ, proprias & ordinatas, non vitiosam, sed sine peccato, incorruptam & sanctam, in qua tamen infirmitates, quæ vt pœnæ propter peccatum in naturam nostram ingressæ sunt, volens sine vitio assumpsit, propter nos, vt fieret victima pro nobis.

Hæc sententia, quæ orthodoxa & catholica est, non potest rectius explicari & confirmari, quàm considerata Antithesi certaminum, quibus hæretici sanam simplicitatem huius doctrinæ labefactare & deprauare conati sunt. Non autem instituti nostri est, integras horum certaminum historias, additis prolixis confirmationibus & refutationibus, retexere, sed quantum susceptæ tractationi sufficere videbitur, summam tantum, quoad eius fieri poterit, breuissimè & simplicissimè repetemus. Præcipua autem hæreticorum certamina, contra veritatem humanæ naturæ in Christo, in 4. generalia capita conferemus.

Primum igitur, Multi varijs temporibus fuerunt, qui finxerunt, Christum assumpsisse, non verum & solidum corpus humanum, sed φάντασμα seu spectrum, quod speciem quidem haberet humani corporis, & videretur habere carnem & ossa, cùm reuera non haberet. Ipsam etiam incarnationem, omnes actiones & passiones Christi, conuersantis inter homines, finxerunt κατὰ δόκησιν καὶ φαντασίαν, hoc est, putatiuè & quasi spectrum ita apparuisse, cùm in rei veritate nihil tale verè fieret.

Motum fuit hoc certamen statim post Apostolorum tempora. Ignatius enim sæpius disputat contra τὸ δοκεῖν καὶ τὴν δόκησιν. Postea renouatum fuit diuersis temporibus à Marcionitis, à Manichæis, & ab alijs.

Concinna autem visa fuit hæc imaginatio humanæ rationi. Angeli enim ministerium, à Deo sibi commissum, potuerunt expedire in spectro seu phantasmate humani corporis, vt non

opus

opus fuerit, ipsos reuera assumere carnem humanam: Cumq; hæc copulatio eo ipso quasi indigna iudicata fuerit angelica natura, videri eam multò minus conuenire illi æternæ diuinæ naturæ, quam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Potuisse igitur Christum opus redemptionis sine assumptione veræ humanæ naturæ perficere, multò facilius, quàm angeli ministeria sua, in putatiua specie expedierunt, Cum quidem tali specie, etiam Patribus in veteri Testamento, filius Dei apparuerit, Vt Gen. 32. Dan. 3. & 7. Cumq; Paulus dicat Rom. 8. Deum Filium suum misisse in similitudine carnis peccati. Et Phil. 2. Eum, qui æqualis erat Deo, accepisse formam serui, & in similitudine hominum factum, Ac indignum videri Maiestate Filij Dei talia in assumpto corpore verè agere ac pati, sicut humanæ infirmitates ferunt. Hæc fermè est summa commenti ipsorum.

Sed nobis in tractatione huius mysterij non est disputandum, Quid Filius Dei absoluta sua omnipotentia potuisse facere videatur, vel quis modus incarnationis nostris cogitationibus maximè concinnus videatur. Mysterium enim est, etiam principibus huius sæculi absconditum 1. Cor. 2. quod in verbo suo Deus Ecclesiæ suæ patefecit. Ad hunc igitur canonem fides nostra, si non vult errare, incedat oportet, inquit Paulus Gal. 6.

Ipse autem Saluator noster aliquoties disertè refutat delirium illud, quo putabatur esse phantasma seu spectrum, quod tantum externis sensibus in specie humani corporis appareret, in rei autem veritate non subsisteret. Ipsi enim Discipuli Matt. 14. Marc. 6. Ioh. 6. cum viderent eum ambulantem super aquam, putabunt, phantasma esse, sed Christus disertè hoc refutat & verbo & facto. Ita Luc. 24. cum Apostoli putarent, sibi spiritum in humana specie, sicut Angeli solent, apparere, eò quòd ianuis clausis de repentè staret in medio, Christus contraria asseueratione & multis Argumentis phantasiam illam refutat: Palpate, inquit, & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Isa. 50. Præbui tergum percutientibus, genas vellentibus faciem, conspuentibus. Et Paulus ideò vocat corpus carnis, Col. 1. ne putetur imaginarium.

um. Idem etiam vult ſcriptura, quando toties ingeminat appellationes ſeminis mulieris, filij hominis, filij Dauidis, ſeminis Abrahæ &c. Nam ſicut pueri communicant carni & ſanguini, non putatiuè, ſed in veritate, eodem modo & Filius Dei eorum particeps factus eſt. Heb. 2. Et veritatis humanæ carnis certiſsima demonſtratio eſt ſanguis, quem Chriſtus pro nobis effudit, ſicut Irenæus & Tertullianus ſæpius hoc argumento vtuntur. Iſaias etiam affirmat, Meſsiam non ſimulatè, non putatiuè, ſed verè languores noſtros tuliſſe. Conſideretur autem, quorſum putatiuæ illæ phantaſiæ à diabolo ſubornatæ fuerint, nempe, vt totum myſterium redemptionis nobis euacuent, fiduciam ſalutis noſtræ, ſpem, & omnem conſolationem prorſus vanam & inanem reddant. Irenæus enim phantaſticis iſtis ſpectris rectè opponit ſolidum illud fundamentum: Si incarnatio Chriſti, & tota redemptionis οἰκονομία, phantaſma fuit, cum Chriſtus incarnatus in officio Mediatoris ſit redemptio, iuſticia, ſalus, & vita noſtra: putatiuè igitur & non in veritate, redempti ſumus, nec verè, ſed μὴ τὸ δ'ὁικεῖν iuſtificabimur, hoc eſt, ſine liberatione, ſub ira Dei in æterna damnatione manebimus, & pro vita æterna, quam ſperamus, ſpectrum vitæ nobis obijcietur. Atq; ita toto opere redemptionis tantum noſtræ miſeriæ illudetur. Præterea dulciſsima conſolatio eſt, in omnibus vitæ huius miſerijs, quòd corpus humilitatis noſtræ non ſemper ita manebit, ſed aliquando configurabitur corpori gloriæ Chriſti, Philip. 3. Quòd ſi corpus Chriſti phantaſmata ſeu ſpectrum fuit, quid aliud, quàm putatiua, hoc eſt, vana & inani ſpe lactamur, in omnibus illis dulciſsimis promiſsionibus? Quàm plena ſuauiſsimæ conſolationis eſt illa ſententia, Heb. 2. & 4. Chriſtus tentatus eſt, vt miſericos fieret Pontifex, & poſſet eis, qui tentantur, compati & auxiliari. Sed ſi putatiuè & in phantaſmate tentatus eſt, Ergò & ſimulata Sympathia illuſoriè nobis ſuccurret, Vana ergò erit prædicatio, & exinanita tota fides.

Hæc commonefactio ideò ſæpius repetenda eſt, vt à phanaticis illis opinionum ſpectris ſeriò abhorreamus, & eò maiori diligentia mentes noſtras firmis & perſpicuis ſcripturæ teſti-

teſtimonijs, in vera ſententia muniamus & confirmemus. Neq; enim ſine inſigni Blaſphemia ei, qui ipſa veritas eſt, tribui poſſunt phantaſmata, ſpectra, & putatiuæ illuſiones, in opere redemptionis omnium maximè ſerio.

His ita explicatis, non inutile erit, tenere ſimplices & veras explicationes illorum ſcripturæ dictorum, quæ Manichæi ad ſtabilienda ſua phantaſmata deprauârunt. Neq; enim conſequens eſt, Si Filius Dei in veteri Teſtamento, in ſpecie filij hominis, ſine vera aſſumptione humanæ naturæ, apparuit, Ideò ipſam etiam incarnationem, in plenitudine temporis, factam eſſe in phantaſmate. Non enim tempore Iacob aut Danielis verbum caro factum eſt, ſed cum tempus impletum eſſet, Gal. 4. In veteri igitur Teſtamento, quod erat tempus figurarum & vmbrarum, Filius Dei aliquando externa quadam ſpecie præfigurauit veritatem incarnationis, quæ ſecutura eſſet in plenitudine temporis, ſicut dicit Irenæus lib. 4. cap. 17. In incarnatione verò non amplius, in ſpecie tantum filij hominis, vt Danieli apparuit, ſed Filius Dei natus eſt ex muliere ſecundum carnem, Gal. 4. Rom. 1. Et verbum caro factum eſt, Iohan. 1. Ad argumentum, ex apparitione Angelorum, Tertuliianus reſpondet in libro de carne Chriſti. Comparentur cauſſæ tàm Chriſti, quàm Angelorum, ob quas in carnem venerit, & manifeſta euadet differentia, inter apparitionem Angelorum in ſpecie humana, & inter incarnationem Chriſti. Augiſtinus de agone cap. 22. dicit, differentiam eſſe inter incarnationem Chriſti, & apparitionem Spiritus Sancti in ſpecie columbæ. Non enim veniebat Spiritus Sanctus ad liberandas columbas, ſicut Filius Dei carnem humanam induit, vt carnem carne liberaret.

Obijciunt verò locum Rom. 8. Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati. Hanc ſententiam Manichæi ita deprauârunt, Quia caro noſtra eſt caro peccati, Ideo Filium Dei Mediatorem, qui debebat eſſe ſine peccato, aſſumpſiſſe ſimilitudinem, hoc eſt, ſpectrum ſeu phantaſma, non veram ſubſtantiam humanæ naturæ. Sed Paulus in illo loco non ludit putatiuis phantaſijs, aut ſpectris humanæ naturæ. Dixerat enim

primo capite Christum natum esse ex semine Dauidis, secundum carnem. Et cap. 9. repetit, Christum esse ex Patribus secundum carnem, Sed grauissimum fidei nostræ articulum ibi tractat, & explicat. Non enim simpliciter dicit, In similitudine carnis missum Filium Dei, sed addit carnis peccati, idq; propter grauissimas rationes. Nostra enim caro est caro peccati. Christus verò incarnatus non nouit peccatum, 2. Cor. 5. Talis enim decebat nos Pontifex, qui esset ἅγιον & ἀμίαντον. Ideò caro eius in conceptione à Spiritu Sancto mundata est, & sanctificata. Non tamen vel alterius generis, vel diuersæ substantiæ est caro Christi. Ideò enim fratres nos appellat, quia sicut pueri, ita & ipse communicauit carni & sanguini. Hebr. 2. Vtrumq; igitur verum est, Et quod sit κεχωρισμένος segregatus à peccatoribus. Heb. 7. non enim nouit peccatum, Et tamen similis sit fratribus per omnia, excepto peccato, Hebr. 2. Et hoc Paulus voluit dicere, Rom. 8. quando inquit, Deum misisse Filium suum in similitudine carnis peccati. Huius sententiæ certissimum habemus interpretem. Illa enim similitudo cum exceptione peccati, Heb. 2. & 4. explicatur verbo ὁμοιωθῆναι & appellatione ὁμοιότητος, sicut Rom. 8. vocatur ὁμοίωμα.

Secundò, Voluit Paulus & hoc per vocabulum ὁμοιώματος Rom. 8. explicare. In nostra natura, sicut trahimus eam ab Adamo, peccato corruptam & vitiatam, infirmitates illæ, quæ sunt pœnæ peccati, necessariò comitantur, & adsunt propter peccatum. Sed quia Christus à Spiritu Sancto conceptus, assumsit humanam naturam sine peccato, incorruptam: Illæ igitur infirmitates, quæ tanquam pœnæ comitantur peccatum, non futuræ fuissent conditionis necessitate in carne Christi, sed potuisset corpus suum ab illis infirmitatibus liberum & immune seruare. Non enim erat caro peccati, & tamen verus fuisset homo, sicut Adam ante lapsum, sine illis pœnalibus (vt ita loquar) infirmitatibus, verus fuit homo. Sed propter nos, & propter nostram salutem, infirmitates illas, quibus natura nostra propter peccatum necessitate conditionis onerata est, Christus incarnatus, vt charitatem suam nobis commendaret, volens assumpsit, vt ita pœnam à nobis in se deriuatam tolleret, &

ret, & nos ab ea liberaret, atq; ita fieret τὸ περὶ ἁμαρτιάς, hoc est, victima pro peccatis nostris. Hanc enim phrasin Paulus Ro. 8. totidem planè verbis ex 70. interpretibus, Leuit. 5. & 6. mutuatus est. Atq; hoc modo Christus missus est in similitudinem carnis peccati. Et hoc est, quod veteres dixerunt, Christum miserationis affectu, non conditionis necessitate, infirmitates illas assumpsisse.

Tertiò, eum qui non nouit peccatum, Deus pro nobis fecit peccatum, 2. Cor. 5. Vt in carne damnaretur peccatum, Ro. 8. & nos efficeremur iusticia Dei in Christo, 2. Cor. 5. Et hoc Paulus Rom. 8. vocat similitudinem carnis peccati. De his tantis rebus Paulus concionatur, quando nominat similitudinem carnis peccati: non autem obijcit nobis spectrum carnis Christi, quo nobis illudat.

Exagitatus etiam fuit à Manichæis locus, Philip. 2. In similitudine hominum factus, & σχήματι repertus vt homo. Quod ita depraua̅runt, Christum externa quidem specie se gessisse vt hominem, sed fuisse tantum similitudinem, hoc est, vt ipsi loquebantur κατὰ δόκησιν καὶ φαντασίαν. Sed vera explicatio manifesta est. Hortatur enim Paulus Philippenses ad humilitatem, & ad mutuam proximis inseruiendi promptitudinem, ab exemplo Christi: Non autem ad simulatam & fictam humilitatem instituit renatos, cum hypocrisin tantopere detestetur tota scriptura. Ergò non vult intelligi simulatum & putatiuum spectrum, quo oculi hominum sine rei veritate fascinentur, quando Christo tribuit ὁμοίωμα καὶ σχῆμα hominum. Sed illam admirandam humilitatem & exinanitionem Filij Dei Mediatoris considerandam proponit, cùm potuisset in assumpta natura, statim in conceptione & à natiuitate ostendere lucentem diuinam Maiestatem & gloriam, sicuti fecit in transfiguratione, & post ascensionem, ita vt nullis infirmitatibus subiectus fuisset. Exinaniuit semetipsum, & voluit non tantum substantiam nostræ naturæ gestare, verum etiam in illa voluit infirmitatibus, quibus nostra natura propter peccatum premitur, similis esse reliquis hominibus, cum eius caro, quia sine peccato est, ab illis libera & immunis esse potuisset. Hæc enim

interpretatio similitudinis, de tentationibus seu infirmitatibus, planè ita traditur, Hebr. 4. Tentatus est per omnia, secundum similitudinem absq; peccato. Quòd verò in Paulo sequitur, σχήματι inuentus vt homo, nihil aliud vult, quàm Christum tempore exinanitionis, in conuersatione inter homines, gessisse se, affectibus, gestibus, & totius vitæ actionibus, non quasi esset aliquis vltra reliquorum sortem exemptus, sed quasi Filius hominis, hoc est, vnusquilibet ex medio hominum numero, sine tamen peccato. De vitæ enim conuersatione vsurpatur verbum συσχηματίζεσθ. 1. Pet. 1. Nec vocabulum σχῆμα substantiæ veritatem tollit, & putatiuam speciem substituit. Nam Philip. 3. Christus corpus humilitatis nostræ, μεταχηματίσει, in extrema die, vbi certè substantia corporis nostri, non redigetur in phantasma, seu spectrum inane, sed deposita infirmitate, accedet ad substantiam donum glorificationis. Et consideretur dulcissima permutatio. Sicut tempore exinanitionis, Christus in suo corpore inuentus est σχήματι, vt nostrum aliquis, sed sine peccato: Ita nos in vita æterna, corporibus nostris glorificatis, σχήματι erimus, sicut Christi corpus est in gloria, nisi quòd ipse primatum tenet in omnibus, Col. 1. Et hoc Paulus vocat μεταχηματίζειν. Phil. 3. Firmum igitur & immotum manet hoc fidei fundamentum, Filij Dei in incarnatione assumsisse non phantasma, non spectrum seu putatiuam speciem, sed veram humanam naturam.

Secundò, Cum incarnationem Christi Satan non posset suis præstigijs in phantasma transformare, alia via euacuationem eius aggressus est. Valentiniani enim & multi alij, imò nostra etiam tempestate Anabaptistæ commenti sunt, veram quidem carnem fuisse, quam Filius Dei assumsit & gestauit, sed illam non fuisse ὁμοούσιον, hoc est eiusdem substantiæ cum nostra carne. Finxerunt autem, Christum corpus suum è cœlo secum attulisse, quod assumptum & formatum fuisse somniant, quidam ex materia cœlesti, quidam ex materia siderea, alij ex elementari materia, quidam & ipsa diuina essentia, vt à nostris corporibus genere & substantia sit ἑτεροούσιον alienum & diuersum. Valdè speciosus autem fuit huius opinionis prætextus, Non

decere

decere ſcilicet ſupereminentem illam excellentiam diuinæ maieſtatis, quæ ne angelorum quidem naturam, tanto noſtra præſtantiorem, aſſumere voluit, Heb. 2. Vt in vnitatem perſonæ aſſumat naturam, nobis conſubſtantialem, & de noſtra carne, cum Geneſ. 3. dictum ſit ad Adamum: Terra es & in terram conuerteris. Et Pſal. 103. Puluis ſumus, homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri ſic effloreſcit. Quia igitur Abraham, Geneſ. 18. iudicat ſe indignum colloquio Dei, propterea quòd ſit puluis & cinis: Infinitis autem modis maius quiddam ſit, in vnitatem perſonæ aſſumi, quàm ad colloquium admitti: Exiſtimârunt igitur, decere maieſtatem Filij Dei, vt natura, quam in vnitatem perſonæ aſſumere voluit, ſit genere & ſubſtantia præſtantior, dignior, & nobilior, quàm vel humana vel angelica natura. Illud autem vocârunt cœleſte corpus. Altera ipſorum ratio fuit, Naturam aſſumptam, in qua per quam debebat opus Redemptionis perfici, oportuit eſſe ſine peccato, Iſa. 53. 2. Corinth. 5. Sed noſtra natura ita eſt peccato infecta & vitiata, vt Iob dicat 14. cap. Quis poteſt mundum facere de immundo? Ergò non noſtræ, ſed alterius & diuerſæ ſubſtantiæ naturam Filius Dei aſſumpſit.

Tertiò, ad hanc ſuam præſumptam opinionem poſtea inflexerunt dicta quædam ſcripturæ, vt 1. Cor. 15. Secundus homo cœleſtis de cœlo. Ioh. 6. Si videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius-

Iterum autem diligenter conſideret lector, quales ſint Sathanæ machinationes in hac opinione. Omninò certum eſt, totum beneficium redemptionis pertinere ad illam naturam, quæ aſſumpta eſt. Ideò enim Angelica natura lapſa, non eſt reparata, quia non angelorum, ſed Abrahæ ſemen aſſumpſit, Hebr. 2. Et dulciſsima eſt conſolatio, quòd peccatum, quod habitationem ſuam fecerat in humana carne, damnatum eſt in illa ipſa carne humana, in perſona Chriſti. Noſtrum corpus eſt corpus mortis. Sed in illo ipſo noſtro corpore, quod Filius Dei à nobis aſſumpſit, mors rurſus deſtructa eſt. Cumq; peccata noſtra longiſsimo longius diuiſiſſent nos à Deo. Iſaiæ 59.

Ita vt abalienati essemus à gratia, iusticia, & vita Dei, Ephes. 2. Filius Dei cœlestia illa bona, nimium procul a nobis remota, propinquissima nobis fecit, Ephes. 2. deponens ea per incarnationem, in carnem suam nobis consubstantialem, vt ex eius plenitudine acciperemus gratiam pro gratia, Ioh. 1. Et suauissima est salutaris illa permutatio, quòd Filius Dei à nobis humanam naturam accepit, & illam in sua persona sanctificauit, beauit, exaltauit, & glorificauit. Rursus verò in Sacrosancta sua Cœna, illa carne se nobiscum coniungit, vt hoc certissimo pignore confirmemur de nostræ naturæ salute & glorificatione: Fratres certè non erubescit nos appellare: Ideò, quia sicut nos, ita & ipse communicauit carni & sanguini. Hebr. 2. Caro inuexit mortem in hunc mundum. Et rursus, Caro Filij hominis data est pro mundi vita, vt qui manducat carnem Christi, habeat vitam æternam, Ioh. 6. Hæc, quæ plenissima sunt veræ & necessariæ consolationis, simpliciter euertuntur, & prorsus tolluntur opinione illa περὶ ἑτεροουσίας carnis Christi & nostræ. Seriò igitur tanquam præsentissimã salutis nostræ pestem, ab animis & auribus nostris repellamus imaginationes illas, quacunque specie proponantur, Sicut illi qui fingunt, Peccatũ originis esse ipsam hominum substantiã, seu naturam corruptam. Disputant etiam, Naturam, quam Filius Dei assumpsit, non esse nobis peccatoribus, excepto peccato, consubstantialem, eiusdem generis aut speciei cum nostra, sed cum ea, quã Adam ante lapsum habuerit. Eò autẽ maiore diligentia fontes & fundamenta veræ sentẽtiæ, in scriptura obseruemus, cognoscamus, & in sano sensu retineamus. Manifestissima autem sunt scripturæ testimonia, Luc. 24. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Non autem diuersæ substantiæ, aut alterius generis carnem habuit, quàm nostra est. Sed sicut pueri, de quibus Isaias loquitur cap. 8. Communicarunt carni & sanguini, eodem modo & Filius Dei particeps factus est carnis & sanguinis. Heb. 2. Ita vt & vocetur & sit vir, Act. 2. Homo. 1. Tim. 2. Filius hominis passim apud Euangelistas. Filius Dauidis, Matth. 22. Semen Abrahæ, Gal. 3. Semen mulieris, Genes. 3, Virga & surculus egrediens & ascendens de radice Iessæ. Isai. 11. Fructus ventris

& lum-

& lumborum Dauid, Psal. 132. Act. 2. Genus Dauidis, Apo. 22. Primogenitus inter multos fratres. Rom. 8. Ioh. 20. Non enim Angelos, sed semen Abrahæ assumsit, Hebr. 2. Assumpsit autem semen Abrahæ, non in cœlo, non in aëre, sed in vtero Mariæ virginis, sicut inquit Angelus Matth. 1. Quod in ea natum est, idq; non aliunde, quàm ex purissimis Mariæ virginis sanguinibus, sine virili semine, à Spiritu Sancto mundatis & sanctificatis. Vt enim eò firmior esset consolatio, ad redemptionem huius nostræ miseræ naturæ pertinere incarnationem Filij Dei: Non voluit, sicut potuisset, vel ex nihilo creare, vel de limo terræ formare, vel ex humana costa ædificare humanam, quam assumeret naturam. Sed voluit concipi, in vtero gestari, ex vtero nascendo progredi, sicut habet nostra naturalis conceptio & natiuitas, excepto per superuentum Spiritus Sancti peccato, vt eò minus dubitaremus, esse carnem nobis consubstantialem, & certi redderemur, nostræ conceptioni, natiuitati & toti naturæ nostræ reparandæ & saluandæ incarnationem Filij Dei impendi.

Nostram igitur carnem, nobis consubstantialem (sicut tota antiquitas loquitur) & per omnia nobis similem, excepto peccato, Filius Dei assumpsit in vtero virginis Mariæ, & quidem ex ipsa Maria. Marcion quidem, sicut & Valentinus conatus fuit eludere textum, Matth. 1. Natum est in ea, quasi Christus tantum hospes fuisset in vtero Mariæ, cum carne sua, aliunde assumpta. Et quasi ita natus esset ex Maria, sicut aqua transit per carnalem, nihil assumens de substantia fistulæ siue plumbeæ, siue ligneæ. Et Tertullianus refert, Marcionem falsasse textum, loco præpositionis (ex) Ex qua natus est Christus substituta præpositione (per) scilicet: Per quam natus Christus. Sed Angelus dicit: Ex te nascetur, Luc. 1. Idq; non ideo, quòd ex eius vtero, cum substantia carnis aliunde accepta prodierit: Sed quia est ex Patribus secundum carnem, Rom. 9. Ac licet quædam Græca exemplaria, Luc. 1. non legant ἐκ σοῦ, Ex te, In alijs tamen scripturæ locis Spiritus Sanctus expressè ita loquitur: vt Roman. 1. Natus seu factus ex semine Dauid. Item: Factus ex muliere, Gal. 4. Ita vt sit semen Dauidis, fructus ventris

tris seu lumborũ eius, Acto. 2. Quia Maria, cuius filius fuit est ex semine Dauid. Et Christus est fructus ventris Mariæ, Luc. 1.

Quòd verò obijcitur, Esse hoc, præter, infra & contra dignitatem maiestatis Filij Dei: Toto corde & pleno ore fatemur, nullam esse proportionem dignitatis ad vnionem diuinæ & humanæ naturæ. Sed agnoscimus & celebramus immensam caritatem & misericordiam Filij Dei, quòd ad liberandum susceпturus hominem non horruit virginis vterum. Qui enim angelicam naturam, nostra multis modis præstantiorem, non assumpsit, is propter nos, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & nostram naturam, quæ est terra, puluis & cinis, sibi in vnitatem personæ copulauit, cum aliter reparari ea non posset, vt laudetur gloria gratiæ Dei, vtq; ita misera nostra natura in persona Filij Dei exaltetur.

Alterum, Quòd de carne peccati obijcitur, rectè explicatur ex illo fidei nostræ articulo, Qui conceptus est de Spiritu Sancto. Ideò enim Mariæ Gabriel dicit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: vt sanctum sit, quod ex te nascetur. Spiritus sancti igitur operatione effectum est, vt Maria virgo sine virili semine conciperet, & grauida redderetur. Et illam massam, quam de Mariæ carne & sanguine, in illa conceptione, Filius Dei assumpsit, Spiritus sanctus ita sanctificauit. & mundauit ab omni labe peccati, vt sanctum sit, quod nascitur ex Maria, Luc. 1. Non enim nouit peccatum. 2. Cor. 5. Segregatus est à peccatoribus, Heb. 7. Et similis est fratribus per omnia, sed sine peccato, Hebr. 2. Reliquæ verò sententiæ, quæ à Valentinianis ex scriptura opponuntur, 2. Cor. 15. & Ioh. 6. postea explicabuntur, in doctrina de communicatione Idiomatum.

Tertiò, Constituta & ex scriptura confirmata sententia, de vera humana natura & nobis consubstantiali, quam Filius Dei in incarnatione assumpsit, moueri cœperunt contentiones: An integram seu totam humanam naturam Christus assumpserit. Et varijs quidẽ autoribus hæ contentiones ventilatæ fuerunt, præcipuus tamen fuit Apollinaris, Episcopus in Laodicea Syriæ, vir magnæ eruditionis & autoritatis, cuius lapsum non sine ge-

ne gemitu Epiphanius describit. Non vno autem modo ab omnibus hæreticis opinio hæc disputata fuit. Arriani enim, sicut Athanasius & Cyrillus referunt, finxerunt carnem Saluatoris nostri πάντι ἄψυχον, hoc est, simpliciter inanimatam esse, sed in illo corpore, loco animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, rationalis, fuisse alteram naturam Christi, ita vt non tam humanam naturam, quàm superficiem eius assumpserit. Illud Arriani hoc artificio disputabant, vt appetitiones & παθὴ, quæ in scriptura tribuuntur Christo, possent simpliciter referre ad λόγον. Hoc modo enim sequeretur, λόγον non esse natura Deum. Apollinaris verò disputauit, Christum assumpsisse quidem corpus viuens, hoc est, anima vegetatiua, & sensitiua præditum. Negauit autem mentem humanam, seu animam rationalem Christum assumpsisse, sed diuinitatem in illo corpore fuisse loco mentis seu animæ rationalis, quia aliud ἡγεμονικὸν, illi corpori vel non conueniret, vel non opus esset, vt ita Apollinaris error, humanæ naturæ in Christo, vnicam tantum substantiam, corpoream scilicet, qualis est in animantibus ἀλόγοις, tribuat. Incorpoream verò substantiam animæ rationalis, quæ ad integritatem humanæ naturæ, tanquam pars eius essentialis pertinet, simpliciter negauit, à Christo assumptam fuisse.

Post Apollinarem verò, circa annum Domini 600. tempore quintæ & sextæ Synodorum, magnis contentionibus disputatum fuit, Christum in Incarnatione assumpsisse quidem integram seu totam humanam naturam, hoc est, substantiam corporis & animæ, Sed post vnitionem, in vtraq; natura diuina & humana, non duas sed vnam tantum indiscretam esse intelligentiam, voluntatem, δύναμιν & actionem, hoc est, si planius dicatur, concesserunt in Christo substantiam humanæ naturæ, corpus scilicet & animam, sed negarunt essentialia seu naturalia idiomata humanæ naturæ, Item, conditiones, appetitiones, vires & facultates, quæ humanæ naturæ, in corpore & anima propriæ & ordinatæ sunt, quæ postea in primo genere communicationis, & in controuersia Monotheletarum plenius & distinctius explicanda erunt.

Hi errores omnes, veris & grauiſsimis Eccleſiæ iudicijs, ex verbo Dei condemnati ſunt. Sunt enim firma & perſpicua ſcripturæ teſtimonia, de integra ſeu tota humana natura in Chriſto. De corpore enim, carne, ſanguine, oſsibus, & reliquis quæ ad corpoream humanæ naturæ ſubſtantiam pertinent, tam multa, & manifeſta ſunt teſtimonia, vt nec Arriani, nec Apollinariſtæ ea vel negare vel eludere potuerint. Porrò, altera etiam pars humanæ naturæ, anima ſcilicet, ſæpius & expreſsiſsimè Chriſto incarnato in ſcriptura tribuitur. Matth. 20. Venit Filius hominis dare animam ſuam. Ioh. 10. Ego pono animam pro ouibus. Pſalm. 16. Non relinques animam meam in inferno. Et ne cauillentur Apollinariſtæ, has ſcripturæ ſententias loqui non de ſpirituali aliqua ſubſtantia, diſtincta & diuerſa à corpore, ſed tantum de potentia vitali ſeu vegatiua, qualis eſt in corporibus animalium, etiam irrationalium: Alia ſunt manifeſtioria loca, quæ illa cauillatione non poſsunt eludi. Sicut enim ſcriptura de corpore & anima in alijs hominibus, vt de duabus diuerſis ſubſtantijs loquitur, Eccl. 12. Puluis reuertitur in terram ſuam, vnde erat, & Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum. Matth. 12. Corpus occidunt, animam verò occidere non poſſunt. Act. 7. Stephanus dicit: Suſcipe Spiritum meum. Eodem etiam modo ſcriptura de anima Chriſti loquitur: Ioh. 10. Pono animam meam, vt rurſus aſſumam eam. Nemo eam à me tollit, ſed ego ponam eam. Poteſtatem habeo ponendi, & rurſus aſſumendi eam. Lucæ. 23. Pater, in manus tuas depono Spiritum meum. Et animæ Chriſti in Scriptura tribuuntur illa, quæ de ſola potentia vegetatiua non poſſunt intelligi, vt Matth. 26. Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Ioh. 12. Nunc anima mea turbata eſt. Ioh. 11. Infremuit Spiritu. Mar. 8. Ingemuit Spiritu. Luc. 10. Exultauit ſpiritu. Luc. 22. Deſiderio deſideraui Paſcha manducare. Nec verum eſt, quod Apollinaris finxit: In humana natura Chriſti diuinitatem fuiſſe loco mentis & voluntatis. Scriptum enim eſt, Luc 2. Ieſus proficiebat, ſapientia, apud Deum & homines. Et Eſa. 7. vt diſcat reprobare malum & eligere bonum. Hoc ſicut non poteſt de potentia vegetatiua, ita etiam de diuina natura, quæ augmen-

tum

tam non recipit, non potest intelligi. Reliquum ergò est, vt de mente humana intelligatur. Ita etiam de voluntate humanæ naturæ in Christo extant illustria testimonia, Ioh. 5. Non quæro meam voluntatem, sed eius, qui misit me. Ioh. 16. Descendi de cœlo, non vt meam voluntatem facerem, Matth. 26. Non mea voluntas fiat, sed quod tu vis. Atqui secundum diuinitatem, sicut vna est essentia, ita vna etiam est voluntas Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Ergò diuinitas non fuit loco mentis & voluntatis in humana natura Christi, sed habuit illa suam peculiarem & propriam mentem, & voluntatem, hoc est, animam rationalem, non quidem vel auersam vel aduersam, sed tamen distinctam à diuina natura. Ita de reliquis etiam conditionibus, quæ in humana natura & corporis & animæ propriæ & ordinatæ sunt, extant testimonia in Euangelica historia, quòd Christus in Incarnatione illas assumpserit & habuerit. Et Paulus Philip. 2. hæc testimonia vna sententia complectitur, In similitudine hominum factus, & schemate inuentus est vt homo. Nazianzenus vtitur hoc argumento: Christus vocatur homo, & Filius hominis. Sed caro sola etiam viua, sine anima rationali, non constituit hominem, sed brutum quiddam. Non ergò verè diceremus in Symbolo: Et homo factus est, si non integram seu totam humanam naturam, hoc est, corpus humanum & animam rationalem assumpsisset. Porrò, quòd ad illam humanæ naturæ in Christo integritatem etiam pertineant conditiones, quæ humanæ naturæ propriæ & ordinatæ sunt, testatur dictum illud, Hebr. 2. Ita semen Abrahæ assumpsit, vt per omnia, excepto peccato, similis factus sit fratribus. Sicut postea de Idiomatibus naturarum suò peculiari loco plura dicentur.

Attentè autem consideretur, quæ sit harum disputationum vtilitas. Certum est, Filium Dei assumpsisse humanam naturam, propter duas potissimum causas. 1. Vt eam ab ira Dei, à condemnatione, & morte æterna, redimeret & liberaret. 2. Quia peccato corrupta & deprauata est, vt eam in seipso primum repararet & restitueret, ac deinde ex ipso tanquam ex capite, ad nos, qui membra eius sumus, sanatio, sanctificatio,

ſeu renouatio deriuaretur. Sicut Cyrillus pulcherrimè diſputat. Non autem pars tantum aliqua naturæ noſtræ, ſed tota peccato infecta & vitiata eſt. Nec partem tantum aliquam, ſed totam & integram ſeruandam ſuſcepit. Totam ergò & integram, hoc eſt, corpus & animam aſſumpſit. Anima enim præſtat corpore, & contagione peccati magis infecta eſt, quàm corpus. Quomodo ergò illa, quæ præcipuè erat curanda, non eſſet aſſumpta? Nec tantum in ipſa ſubſtantia corporis & animæ hæret deprauatio peccati, ſed in ipſis etiam appetitionibus, viribus facultatibus & actionibus. Aſſumpſit igitur Filius Dei totam noſtram naturam, cum omnibus conditionibus ſeu proprietatibus, quæ naturæ propriæ & ordinatæ ſunt, vt certum haberemus pignus, de reparatione totius corruptæ naturæ noſtræ, cuius curam medicus ille noſter, dato certo documento ſuſcepit, cùm eam totam aſſumptam, in ſeipſo tanquam in capite, primum reformauit & quaſi refinxit. Pulcherrimum autem eſt dictum Nazianzeni, quod toti antiquitati admodum placuit, τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον Quod de humana natura à Chriſto non eſt aſſumptum, illud etiam non eſt curatum. Auguſtinus de fide & ſymbolo cap. 4. Cum iſta ſuſceptio pro ſalute noſtra geſta ſit, cauendum eſt, ne cum quis credat, aliquid noſtrum non pertinere ad iſtam ſuſceptionem, non pertineat etiam ad ſalutem. Atq; hinc apparet, quid Satan præſtigijs illis opinionum quærat. Et vtiles ſunt tales commonefactiones, vt pij admoniti magis ac ſeriò abhorreant ab huiuſmodi delirijs, & diligentius firmis & perſpicuis ſcripturæ teſtimonijs, in vera ſententia, animos ſuos muniant & confirment.

Præcipuum autem argumentum, quo Apollinaris opinionem ſuam ſtabilire voluit, fuit locus, Ioh. 1. Verbum caro factum eſt. Sed vſitatiſsima eſt in ſcripturis illa ſynechdoche, appellatione vel carnis vel ſolius etiam animæ, ſignificari totum hominem, qui corpore & anima conſtat. Et de hoc ipſo loco, ſynechdoche in ſcriptura diſertè explicatur. Vocatur enim Chriſtus non tantum caro, ſed & homo, ac Filius hominis, & expreſſè nominatur corpus eius, & anima, cum conditionibus humanæ naturæ, proprijs & ordinatis, ſicut iam oſtenſum eſt.

Summa

Summa igitur eſt, Filium Dei aſſumpſiſſe naturam humanam integram ſeu totam, hoc eſt, carnem humanam, & animam rationalem, cum omnibus conditionibus, facultatibus & appetitionibus, quæ naturæ propriæ & ordinatæ ſunt.

Quartò, Fuerunt etiam, qui veritatem quidem & integritatem humanæ naturæ in Chriſto, conceſſerunt: Sed contenderunt, in hac vita tempore exinanitionis, eam non fuiſſe verè ſubiectam infirmitatibus, quibus vt pœnis noſtra natura propter peccatum premitur, Idq; duob. potiſsimũ argumentis. 1 Quia ſegregatus à peccatoribus. Heb. 7. non nouit peccatũ. 2. Col. 5. ſed eſt ſanctus ſanctorum, Dan. 9. Ergò non ſubiectus fuit infirmitatibus quæ ſunt pœnæ peccatorum. 2. Quia tota plenitudo diuinitatis, corporaliter habitat in illa maſſa humanæ naturæ, quam Filius Dei aſſumpſit. Ergò paſsiones ibi non potuerunt locum habere. Quia verò ſcriptura expreſſè affirmat, humanam naturam in Chriſto, tempore exinanitionis obnoxiam fuiſſe paſsionibus: Hilarius illa ſcripturæ teſtimonia ita conatus fuit eludere. Sicut telum tranſit per aquam vel ignem, & facit quidem diſtractionem, ſed ſine ſenſu vulneris, Ita in Chriſto nullum verum ſenſum doloris fuiſſe, etiam in acerbiſsimis illis, quas ſcriptura cõmemorat, lacerationibus. Sicut enim rubigo non poteſt cadere in ferrum ignitum, Ita dicunt, paſsiones non potuiſſe verè cadere in humanam naturam Chriſti deificatam, ſicut ipſi loquuntur. Hæc diſputat Hilarius lib. 10. de Trinitate. Sed Bonauentura affirmat, Guilelmum Pariſienſem vidiſſe ſcriptum Hilarij, in quo ſententiam illam retractârit. Apud Damaſcenum ἀφθαρτοδοκῆται luſerunt æquiuocatione vocabuli φθορᾶς, Si enim accipiatur pro humanis paſsionibus, plagis, confoſsionibus, ſeparatione animæ à corpore, tunc corpus Chriſti non fuit ἄφθαρτον. Sed ſi accipiatur pro plenaria diſsipatione & corruptione, tunc non per ſe aut ex ſeſe, ſed ratione vnionis cum diuinitate fuit ἄφθαρτον. Non enim vidit corruptionem.

Et apud Euagrium lib. 4. cap. penul. improbatur & refutatur edictum quoddam Iuſtiniani, in quo corpus Chriſti, etiam ante paſsionem vocarit, ἀνεπίδεκτον φυσικῶν ἢ ἀδιαβλήτων

πάθῶν, hoc est non susceptiuum naturalium & inculpabilium passionum & infirmitatum.

Manichæi etiam finxerunt, Christum non verè mortuum esse, non putatiuè, eò quòd mors videretur non posse cadere in illud corpus, quod plenum fuit vitæ viuificantis, Imò quæ caro viuifica fuit. Multi præterea fuerunt, quibus visum fuit, indignum esse persona Filij Dei, tanta consternatione conflictari, sicut in historia Passionis describitur, vocabulis ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, περίλυπος &c. Origenes philosophatur, non contristatum Christum, sed cœpisse contristari. Quidam totam historiam de sudore sanguineo, & angelo confortante, ex Luca expunxerunt. Theophilactus descriptiones illas per particulam ὥστε conatur eludere. Epiphanius confortationem Angeli exponit, quasi Angelus dixerit Christo, Tua est potentia & fortitudo. Multi etiam alij calicem, quem Christus à se transferri petit, nolunt intelligi de passione Christi, sed de perditione Iudæorum, euersione Hierosolymorum. Idq; argumentis immensæ caritatis Christi erga genus humanum, spontaneæ & perfectæ obedientiæ erga Patrem, diuinæ potentiæ & fortitudinis, bonæ conscientiæ, & ab exemplis martyrum, qui in passionibus exultarunt. Sed scriptura propter illam ipsam causam, non tantum dicit, Deus factum esse hominem, Sed verbum, inquit, caro factum est: Vt ostendat, Christum etiam infirmitates, quibus natura nostra onerata est, assumpsisse sine vitio. Appellatione enim carnis infirmitates illas significari, notum est. Et hæc est forma serui, Phil. 2. & similitudo carnis peccati, Rom. 8.

Magna autem res est, de qua in hac Disputatione agitur. Pœnæ illæ, quæ propter peccatum in naturam nostram ingressæ sunt, non sunt simulatum quiddam, sed eas certè & in hac vita ex parte sentimus, & damnati æternis cruciatibus illas experientur, sicut clamitat diues ille epulo, Luc. 16. Illas verò Christus Mediator in se deriuauit, vt illis fieret victima pro peccatis nostris, & non simulata, sed vera & seria satisfactione nos liberaret, & à culpa & à pœna. Non igitur simulati vel putatiui, sed veri dolores fuerunt in Christo, & quidem maiores,

quàm

quàm vlla humana mens cogitatione aſſequi poteſt. Quam miſerabiliter enim ſancti ſæpè querulantur de funibus mortis & doloribus inferni, cum tamen ſuum quiſq; tantum calicem bibat, in quem Deus nondum totam iram ſuam effudit. In Chriſtum verò Pater coniecit & peccata & pœnas, quæ peccatis totius mundi debebantur, & totam iram ſuam in illum effudit. Maledictum enim factus eſt pro nobis, Gal. 3. Diſputatio igitur de ſimulatis & putatiuis doloribus in Chriſto negat verum ἀντίλυτρον, & veram ſatisfactionem, & ipſam deniq; redemptionem veram eſſe negat.

Verè itaq; & eleganter de his Diſputationibus Ambroſius inquit: Ego excuſandum Chriſtum non cenſeo, ſed nuſquam magis pietatem eius demiror, minus enim contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum. Iſaias capite 53. quaſi vno faſce complexus eſt teſtimonia huc pertinentia: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: Ipſe vulneratus eſt propter peccata noſtra, & attritus eſt propter ſcelera noſtra, Caſtigatio ſuper ipſum, vt nos pacem haberemus, Poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrum, & voluit eum conterere in infirmitate &c. Et expendantur emphaſes vocabulorum, quando ſcriptura dicit, Cœpit λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν. Item περίλυπος eſt anima mea vſq; ad mortem. Et tanta fuit ἀγωνία, vt ſudor per guttas concreti ſanguinis diſtillaret. Naturale enim eſt, quòd in magna conſternatione ſequitur reſolutio, cum virtus retentiua non amplius faciat ſuum officium, ſicut oſtendit Hiſtoria Iudæ & Arij, vbi, qualis naturæ reſolutio ex deſperabunda conſternatione ſecuta fuerit, notum eſt. In Chriſto verò præter ingentem mœſticiam, fuit etiam inenarrabilis lucta contra illam conſternationem, quòd tamen voluit Patri obedientiam illam præſtare. Ita ex maxima illa conſternatione facta eſt in Chriſto tanta naturæ reſolutio, vt nec cor nec venæ ſanguinem retinuerint. Acceſsit etiam propter luctam naturæ, ex contrarijs motibus, qui vehementiſsimi fuerunt, expulſio ſanguinis. Cumq; natura fortitudinem ſuam conſumpſiſſet, ſicut inquit Iſa. cap. 49. ſanguis calore naturali deſtitutus, concretus & inſpiſſatus de-

currit,

ωαθῶν, hoc eſt non ſuſceptiuum naturalium & inculpabilium paſsionum & infirmitatum.

Manichæi etiam finxerunt, Chriſtum non verè mortuum eſſe, non putatiuè, eò quòd mors videretur non poſſe cadere in illud corpus, quod plenum fuit vitæ viuificantis, Imò quæ caro viuifica fuit. Multi præterea fuerunt, quibus viſum fuit, indignum eſſe perſona Filij Dei, tanta conſternatione conflictari, ſicut in hiſtoria Paſsionis deſcribitur, vocabulis ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, περίλυπος &c. Origenes philoſophatur, non contriſtatum Chriſtum, ſed cœpiſſe contriſtari. Quidam totam hiſtoriam de ſudore ſanguineo, & angelo confortante, ex Luca expunxerunt. Theophilactus deſcriptiones illas per particulam ὡσεὶ conatur eludere. Epiphanius confortationem Angeli exponit, quaſi Angelus dixerit Chriſto, Tua eſt potentia & fortitudo. Multi etiam alij calicem, quem Chriſtus à ſe tranſferri petit, nolunt intelligi de paſsione Chriſti, ſed de perditione Iudæorum, euerſione Hieroſolymorum. Idq; argumentis immenſæ caritatis Chriſti erga genus humanum, ſpontaneæ & perfectæ obedientiæ erga Patrem, diuinæ potentiæ & fortitudinis, bonæ conſcientiæ, & ab exemplis martyrum, qui in paſsionibus exultarunt. Sed ſcriptura propter illam ipſam cauſam, non tantum dicit, Deus factum eſſe hominem, Sed verbum, inquit, caro factum eſt: Vt oſtendat, Chriſtum etiam infirmitates, quibus natura noſtra onerata eſt, aſſumpſiſſe ſine vitio. Appellatione enim carnis infirmitates illas ſignificari, notum eſt. Et hæc eſt forma ſerui, Phil. 2. & ſimilitudo carnis peccati, Rom. 8.

Magna autem res eſt, de qua in hac Diſputatione agitur. Pœnæ illæ, quæ propter peccatum in naturam noſtram ingreſſæ ſunt, non ſunt ſimulatum quiddam, ſed eas certè & in hac vita ex parte ſentimus, & damnati æternis cruciatibus illas experientur, ſicut clamitat diues ille epulo, Luc. 16. Illas verò Chriſtus Mediator in ſe deriuauit, vt illis fieret victima pro peccatis noſtris, & non ſimulata, ſed vera & ſeria ſatisfactione nos liberaret, & à culpa & à pœna. Non igitur ſimulati vel putatiui, ſed veri dolores fuerunt in Chriſto, & quidem maiores, quàm

quàm vlla humana mens cogitatione aſſequi poteſt. Quam miſerabiliter enim ſancti ſæpè querulantur de funibus mortis & doloribus inferni, cum tamen ſuum quiſq; tantum calicem biberat, in quem Deus nondum totam iram ſuam effudit. In Chriſtum verò Pater coniecit & peccata & pœnas, quæ peccatis totius mundi debebantur, & totam iram ſuam in illum effudit. Maledictum enim factus eſt pro nobis, Gal. 3. Diſputatio igitur de ſimulatis & putatiuis doloribus in Chriſto negat verum ἀντίλυτρον, & veram ſatisfactionem, & ipſam deniq; redemptionem veram eſſe negat.

Verè itaq; & eleganter de his Diſputationibus Ambroſius inquit: Ego excuſandum Chriſtum non cenſeo, ſed nuſquam magis pietatem eius demiror, minus enim contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum. Iſaias capite 53. quaſi vno faſce complexus eſt teſtimonia huc pertinentia: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: Ipſe vulneratus eſt propter peccata noſtra, & attritus eſt propter ſcelera noſtra, Caſtigatio ſuper ipſum, vt nos pacem haberemus, Poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrum, & voluit eum conterere in infirmitate &c. Et expendantur emphaſes vocabulorum, quando ſcriptura dicit, Cœpit λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν. Item περίλυπος eſt anima mea vſq; ad mortem. Et tanta fuit ἀγωνία, vt ſudor per guttas concreti ſanguinis diſtillaret. Naturale enim eſt, quòd in magna conſternatione ſequitur reſolutio, cum virtus retentiua non amplius faciat ſuum officium, ſicut oſtendit Hiſtoria Iudæ & Arij, vbi, qualis naturæ reſolutio ex deſperabunda conſternatione ſecuta fuerit, notum eſt. In Chriſto verò præter ingentem mœſticiam, fuit etiam inenarrabilis lucta contra illam conſternationem, quòd tamen voluit Patri obedientiam illam præſtare. Ita ex maxima illa conſternatione facta eſt in Chriſto tanta naturæ reſolutio, vt nec cor nec venæ ſanguinem retinuerint. Acceſsit etiam propter luctam naturæ, ex contrarijs motibus, qui vehementiſsimi fuerunt, expulſio ſanguinis. Cumq; natura fortitudinem ſuam conſumpſiſſet, ſicut inquit Iſa. cap. 49. ſanguis calore naturali deſtitutus, concretus & inſpiſſatus de-

currit,

currit, tanquam ῥεύμβοι. Significat autem vocabulum illud, cum humor aliquis deſtillat, & in illa deſtillatione concreſcit & inſpiſſatur, Vt in ſalifodinis foſsilibus deſtillat humor ſalſus, qui cum concretus & ſpiſſatus fuerit, vocantur ῥεύμβοι ἅλων, apud Suidam. Hæ phyſicæ conſiderationes non ſunt aſpernandæ, deducunt enim nos, ſi non ad plenam cognitionem, ad qualemcunq; tamen, & piam conſiderationem agonis Chriſti, humilitatis & exinanitionis ipſius, vt cogitantes, quid ſit, quod Heb. 4. ſcriptum eſt. Ex his, quæ paſſus eſt, didicit obedientiam, aliquomodo conſideremus, quanti Filio Dei Mediatori conſtiterit noſtra redemptio.

Certum autem eſt, Chriſtum, quia tota plenitudo diuinitatis in ipſo habitabat corporaliter, facilè potuiſſe omnes hoſtium impetus depellere, & omnem ſenſum doloris auertere. Sed fuit tunc tempus exinanitionis. Diuinitas enim potentiam ſuam tunc non exercebat; ſed ea quaſi retracta ἡσυχάζετο, ſicut pulcherrimè inquit Irenæus, cedens iræ Patris, aduerſus peccatum generis humani, vt natura humana poſſet pati, crucifigi & mori. Ita Ioh. 14. Chriſtus inquit, Princeps huius mundi venit, & in me non habet quicquam, ſed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum mihi dedit, ita facio. Hæc piè ſunt conſideranda, quare tradenda, & firmiter in Eccleſia retinenda ſit ſententia, non tantum de veritate ſubſtantiæ humanæ naturæ in Chriſto, Verumetiam de aſſumptis, ſine peccati vitio, infirmitatibus, quæ ſunt pœnæ peccati. Nec inepta eſt Scholaſticorum diſtinctio, Chriſtum aſſumpſiſſe infirmitates non perſonales, vt eſt lepra, cæcitas, phtiſis, febris &c. Sed naturales, quæ ſcilicet conſequuntur totam ſpeciem humanæ naturæ peccatricis. Venit enim, naturam humanam, ſine reſpectu perſonarum, redimere. Græci vocant παθη φυσικὰ, καὶ ἀδιάβλητα.

Quintò, Cum hæc, quæ firmiſsimè ex ſcriptura conſtituta ſunt, labefactari non poſſe viderentur, Eutyches cœpit fingere, naturã humanam in Chriſto, per hypoſtaticam vnionem prorſus abſorptam in diuinitatem, vt poſt vnionem vna tantum, diuina ſcilicet natura fuerit in Chriſto: quidam diſputarunt, Chriſtum aſſumptam humanam naturam tantiſper ſolum geſtaſſe.

ſtaſſe, donec opus Redemptionis abſoluiſſet. Ideò Origenes diſputauit, Chriſtum in Reſurrectione aliam ſubſtantiam, aërei ſcilicet corporis aſſumpſiſſe. Alij finxerunt, Chriſtum in aſcenſione tabernaculum corporis ſui depoſuiſſe in ſole, hoc eſt, in illo circulo, qui ſolis zona nominatur, quia non fuerit poſsibile, vltra illud progredi. Tertullianus in libro de carne Chriſti inquit: Erubeſcant, qui affirmant carnem Chriſti in cœlis vacuam ſenſu, vt vaginam, exempto Chriſto ſedere. Apelles finxit Chriſtum carnem ſuam, non ex Mariæ carne & ſanguine, ſed ex immediata mixtione quatuor elementorum aſſumpſiſſe, quam in morte per viam reſolutionis in elementa mundo reddiderit, ac ſine carne illa aſſumpta reſurrexerit, & ad cœlos aſcenderit. Apud Damaſcenũ in catalogo hæreſium vocantur χϱισόλυται, qui fingunt Chriſtum, quando ab inferis reſuſcitatus eſt corpore ac anima ibi relictis, cum ſola diuinitate cœlum ac ſuperna petijſſe. Fuerunt etiam, qui illud 1. Cor. 15. Tunc & Filius ſubijcietur Patri: Ita interpretati ſunt, quòd poſt extremum iudicium humana natura abſorbebitur â diuina, ita vt in Chriſto, poſt extremam diem, tantum diuina natura futura ſit abſorpta prorſus humana, ſicut Auguſtinus recitat lib. 1. de Trinit. cap. 8. Et Hilarius alicubi ad hanc opinionem alludere videtur.

Sed ſcriptura tradit, Chriſtum poſt vnionem habuiſſe & retinuiſſe veram humanam naturam. Et in illa ipſa humanæ naturæ ſubſtantia reſurrexiſſe, quam à Spiritu ſancto conceptam, & ex Maria aſſumptam ante reſurrectionem geſtârat. Inquit enim Luc. 24. Ego ipſe ſum, habens manus, pedes, latus, carnem, oſſa, &c. In illo verò corpore aſcendit in cœlum, & ad iudicium rediturus eſt, ita, ſicut viſus fuit aſcendere, Actor. 1. Et tunc corpus illud videbunt, quod in paſsione compunxerunt, Ioh. 19. Apocal. 1. Et poſt iudicium ſemper erimus cum illo Domino, qui in nubibus venturus eſt ad iudicium, 1. Theſ. 4. Et in noua Ieruſalem, Apoc. 21. In vita æterna Agnus erit Lucerna, in cuius lumine ſaluati ambulabunt. Diſtincte autem ibi nominatur Deus omnipotens, & agnus.

Et dulcis est consolatio, quòd certissimum pignus salutis & glorificationis nostræ est humana natura in Christo, ad dexteram Patris collocata, in qua vultui Dei apparet pro nobis, Heb. 7. adducens & coniungens nos Patri, Ioh. 17. Vt conformes aliquando reddamur corpori ipsius glorioso, Phil. 3. In illa ipsa natura, qua sumus caro de carne eius, & os de ossibus eius, veniet ad iudicium, vt eò alacriores diligamus aduentum ipsius, 2. Tim. 4. Hoc nexu & hac copula perpetuò adhærebimus Deo in vita æterna. Verissimum igitur est vsitatum illud Theologorum dictum: Humanam naturam, quam Filius Dei semel assumpsit, in æternum nunquam deponet: sed perpetuo fœdere manebit in perpetuum, copulatio illa diuinæ & humanæ naturæ in Christo.

Vt igitur hunc locum tandem concludamus, vera scripturæ de humana natura in Christo, sententia hæc est, Quòd Filius Dei in plenitudine temporis, perpetuo fœdere, in æternum non soluendo, sibi copulauit humanam naturam, veram, integram, seu totam, consubstantionalem nobis, habentem corpus & animam rationalem, & in illis omnes conditiones, appetitiones, vires & facultates humanæ naturæ proprias & ordinatas: non vitiosam, sed sine peccato, incorruptam & sanctam, in qua tamen infirmitates, quæ vt pœnæ propter peccatum naturam nostram ingressæ sunt, volens, sine vitio, tempore exinanitionis, assumpsit, propter nos, vt fieret victima pro nobis. Hanc sententiam particulatim per antithesin phanaticarum opinionum iudicaui commodissimè explicari & illustrari posse, vt simul ostenderetur, quæ sententia vt vera & sana & amplectenda: quæ verò opiniones, vt phanaticæ & prauæ, sint fugiendæ. Intelliguntur autem hæc de humana natura in Christo per se, seu in sua solum naturali seu essentiali proprietate considerata. Quæ verò ex vnione personali cum diuinitate, & ex collocatione ad dexteram Dei, accesserint humanæ naturæ in Christo, postea peculiari loco explicabuntur.

CAPVT

CAPVT IIII.

De Hypoſtatica ſeu perſonali duarum Naturarum, diuinæ & humanæ in Chriſto vnione, Quòd ſit, & Quid ſit.

NON ſatis eſt ſcire & credere, duas naturas, diuinam & humanam, quomodocunq; eſſe in Chriſto, ſed addendum eſt, quòd ſint arctiſſimè, hypoſtatica ſcilicet vnione ita copulatæ, vt vnum & idem ſit ὑφιστάμενον, conſtans duabus illis naturis, & ſubſiſtens in duabus naturis. Ac tenenda & in conſpectu habenda ſunt præcipua aliquot ſcripturæ teſtimonia, de quæſtione AN SIT, Quòd ſcilicet facta ſit in Chriſto talis duarum naturarum in vnam hypoſtaſin Vnio. Licet enim duæ diſtinctæ & diuerſæ ſint & maneant in Chriſto naturæ, ſicut in præcedentibus capitibus oſtenſum eſt: Scriptura tamen pronunciat, non duos eſſe Dominos, ſed vnum eſſe Dominum Ieſum Chriſtum. 1. Cor. 8. Non multos, ſed vnum eſſe Chriſtum, qui pro nobis mortuus eſt. 2, Cor. 5. Item, Deſpondi vos vni viro Chriſto. 2. Cor. 11. Non duo, ſed vnus eſt Mediator. 1. Tim. 2. Vnus eſt Ieſus Chriſtus, Rom. 5. Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus, Matth. 25. Atq; ex illo ſcripturæ vocabulo vnitatis, ſeu vnionis, Eccleſia, vt quàm proximè ad verbi Dei ſermonem accederet, vocauit duarum naturarum vnionem, in vnius perſonæ vnitatem.

Illa vero vnio in ſcriptura ita deſcribitur Ioh. 1. Verbum caro factum eſt. Ebre. 2. Sicut pueri communicarunt carni & ſanguini, ita & Ieſus particeps factus eſt eorundem, Item ſemen Abrahæ aſſumit. Phil. 2. Formam ſerui accepit. Galat. 4. Filius Dei miſſus natus eſt ex muliere. Rõ. 1. Filius Dei genitus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Col. 2. In Chriſto inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

Est igitur in Christo & Deitas & σῶμα, hoc est, humana natura, sed ita vt Deitas inhabitet in corpore illo personaliter, Lucæ 1. Filius Mariæ vocatur Filius altissimi. Item, quod ex Maria nascitur Sanctum, Filius Dei vocatur. Matth. 16. Filius hominis est Filius Dei viuentis. Non duo igitur sunt filij, alter hominis, alter Dei: sed vnus est Dei & hominis Filius. Isa. 7. Virginis Filius nominabitur Immanuel, hoc est, Deus cum humana natura. Ierem. 25. Germen Dauidis vocatur Iehoua. 1. Par. 17. Aspicis me, quasi in forma, dispositione seu lineamentis hominis, qui in excelsis es Dominus Deus. Rom. 9. Christus est ex patribus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. 1. Tim. 3. Deus manifestatur in carne. 1. Ioh. 4. Iesus Christus venit in carnem.

Cum igitur, sicut antea ostensum est, duæ distinctæ & diuersæ sint in Christo incarnato naturæ, Diuina & humana, Et tamen, sicut iam demonstratum est, non duo sed vnus sit Filius, vnus Christus, vnus Dominus, idq; ratione acceptionis, seu assumptionis humanæ naturæ, Certum est, ex hisce scripturæ testimonijs, duas illas Christi naturas in vnius personæ vnitatem vnitas esse.

Porrò declarata quæstione AN SIT, Videndum est etiam, Quid sit hypostatica seu personalis illa duarum naturarum in Christo vnio, Quia enim nomen in scriptura significat agnitionem, inuocationem & celebrationem, & Scripturta dicit, Nomen Messiæ vocari Immanuel, Nomen Germinis Dauidis esse, quod vocatur Iehoua, Filium hominis vocari Filium Dei. Ita ergo persona Christi Mediatoris agnoscenda, inuocanda & celebranda est, quod ex vnione hypostatica duarum naturarum vnum factum sit ὑφισάμενον, constans duabus naturis & subsistens in duabus naturis. Sed hîc Paulus exclamat. 1. Tim. 3. non tantum mysterium, sed magnum esse mysterium, & quidem ὁμολογουμένως, omnium piorum confessione, extra omnem controuersiam, magnum esse mysterium, Quòd Deus manifestatus est in carne. Et tamen hæc est vita æterna, vt cognoscamus Patrem solum verum Deum, & quem ille misit Iesum esse Christum. Ioh. 17. Messias enim agnitione sui iustificat multos.

tos. Isa. 53. Et confessio illa Petri, Filius hominis est Filius Dei viui, pronunciatur à Christo, quòd sit petra beatitudinis super quam ædificetur Ecclesia. Matth. 16. Licet igitur mysterium huius vnionis omnium creaturarum mentem, captum & linguam longissimè excedat, quantum tamen in hac vita cognitione fidei de hoc mysterio ad salutem sufficit, Spiritus Sanctus in scriptura nobis patefecit. Meminerimus ergò, nos mysterium arcanæ illius, & ipsis procul dubio angelis admirandæ copulationis, diuinæ naturæ infinitæ, cum humana finita, in persona Christi, non posse in huius vitæ caligine, ac mentis nostræ infirmitate, totam ac plenè perspicere, nec omnia, quæ de eo quæri vel disputari possunt, perfectè intelligere, ac quasi ad oculum demonstrare, vel debere, vel posse: Sed religiosa diligentia & sollicitudine mentẽ in omnibus, de hoc arcano mysterio, cogitationibus, quæstionibus & disputationibus, ad lucernam Dei, in verbo nobis prælucentem referamus, & intra metas diuinæ patefactionis, in scriptura traditæ, nos contineamus & coërceamus. Ac grata mente contentissimus simplicitate mediocris cognitionis, quæ infirmis & perspicuis scripturæ testimonijs, ex parte per speculum, & quasi in ænigmate, nobis in hac vita monstratur, traditur & proponitur. Reliqua, quæ de hoc mysterio nec satis intelligere, nec prorsus explicare possumus, differamus & reijciamus ad alteram illam cœlestem scholam, vbi in vita æterna Christum Deum & hominem, facie ad faciem 1. Corinth. 13. non per fidem, sed per speciem. 2. Cor. 5. sicuti est, videbimus 1. Ioh. 3. Præcipua enim pars æternæ beatitudinis erit, Videre ibi Christum & gloriam, quam Pater Christo dedit, Ioh. 17.

In constituenda autem definitione plerique laborant, vt breui complexu, & paucis verbis, sicut fert artificiosa definitionum ratio, eam absoluãt. Ac sic fermè eam constituunt, vnionẽ hypostaticam esse summam & arctissimam copulationem, qua diuina natura assumens, humanam assumptam, ita sibi propriam facit, vt duæ illæ naturæ, absq; vlla transmutatione, vel confusione, ad vnum ὑφιστάμενον in Christo constituendum conueniant, concurrant & adunentur inseparabiliter. Sed illa concisa bre-

ſa breuitate, res tota non explicatur, nec integra doctrina de hypoſtatica Vnione, niſi valde implicitè, illo quaſi complexu tota comprehenditur, quod tamen Definitionum proprium eſſe debet. Sed addendæ ſunt multæ & prolixæ declarationes. Ac ipſæ de controuerſia hac, diſputationes oſtendunt, qualia certamina ex definitionibus non plenis, ſed anguſtioribus & inſufficientibus vel non ſatis explicatè traditis moueantur, & quales conſequentiæ inde texantur. Dum alij ſola ἐνεργείᾳ & communicatione, alij ſolo naturarum concurſu, abſq; communione, vnionem definire volunt. Exiſtimo igitur, non tam breuitati ſtudendum, quàm operam dandam, vt præcipua capita totius doctrinæ, de duabus naturis in Chriſto, de perſonali earum vnione, & quæ ex vnione illa conſequuntur, pleniori aliqua, ſi non definitione, ſaltem notatione aliqua aut deſcriptione, vno quaſi complexu comprehendantur, & tanquam in σωμάτῳ conſideranda proponantur. Et quia paucarum rerum formæ eſſentiales nobis plenè ſunt notæ, neceſſariò ac rectè fit, quòd plenioris, manifeſtioris ac facilioris explicationis gratia, res plerunq; ex cauſis, ex conſequentibus & effectis, in omnibus fermè definitionibus declarari ſolent. Multò igitur iuſtius & rectius, in hypoſtaticæ huius vnionis, quæ magnum myſterium eſt, definitione, ex cauſis, ex conſequentibus, ſiue effectis, declaratio adhibetur. Ac nihilominus verum manet, ipſam formam vnionis huius differre à cauſsis eam conſtituentibus, & à conſequentibus ſiue effectis, quæ ex forma huius vnionis oriuntur & conſequuntur, ſiue eam comitantur. Adhibentur autem in definitione hac, & cauſſæ & effecta ſiue conſequentia, quia ipſa forma huius vnionis myſterium eſt, vt ex cauſſarum & effectorum, iuxta ſcripturam conſideratione, aliquo modo rectius, facilius & plenius explicari & intelligi poſſit. Iudico igitur, ſi non artificioſam definitionem, ſimplicem tamen & rudiorem deſcriptionem vel notationem huius vnionis, rectè ita poſſe conſtitui, vt in ea breuiter comprehendantur & exponantur. 1. Cauſſa efficiens huius vnionis. 2. Quaſi materia ex qua, ex duarum ſcilicet naturarũ concurſu. 3. Quaſi ſubiectum ſcilicet in perſona Filij. 4. Ipſa forma vnionis,

quòd

quòd ſcilicet non fiat naturarum, vel conuerſio, vel confuſio, vel abolitio, ſed quod ad conſtituendum vnum in Chriſto ὑφισάμενον inſeparabiliter copulentur. 5. Cauſſæ finales, propter quas ad officium redemtionis, regni & ſacerdotij Chriſti, duæ illæ naturæ in vnam perſonam vnitæ ſint. 6. Quòd ex hypoſtatica illa vnione ſequatur quædam inter naturas, inter idiomata & operationes earum communio, non quidem confuſionis, vel exæquationis: ſed communio & participatio vnioni conſentanea & correſpondens. 7. Exinanitionis etiam & exaltationis plenariæ & manifeſtæ vſurpationis ratio in definitione addenda eſt. Hoc modo exiſtimo, totam doctrinam de hypoſtatica vnione, vno quaſi complexu breuiter comprehendi & proponi poſſe.

Et alij quidem talem deſcriptionem felicius, ſuccinctius, commodius, eruditius ac magis iuxta definiendi artem, conſtituant. Ego quo ad res ipſas in Scriptura traditas, veram, certam & Scripturæ conſentaneam: quòd vero ad formam attinet, ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον, quod dici ſolet, ſimplicius, rudius, & planius eam proponam.

Eſt igitur Vnio hypoſtatica ſiue Incarnatio, actio totius Trinitatis, qua obumbratione Altiſsimi, & ſuperuentu Spiritus ſancti, diuina natura Filij Dei, ex Maria virgine, ſine virili ſemine, humanam naturam, veram, integram ſeu totam, & excepto peccato, nobis conſubſtantialem, & infirmitatibus etiam abſq; peccato nobis ſimilem, in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit, ac propriam ſibi fecit, copulatione inſeparabili, ac nexu perpetuo, non ad conſtitutionem alicuius tertiæ naturæ compoſitæ, ſed ſalua manente differentia naturarum & idiomatum eſſentialium, ſine abolitione, tranſmutatione, confuſione & exæquatione, non, vt ſicut duæ ſunt naturæ, ita etiam duæ ſint perſonæ in Chriſto incarnato, ſed vt duæ illæ naturæ, hac vnione, ad conſtituendum vnum Chriſti incarnati σῶθετον ὑφισάμενον copulentur, ita vt ad integram perſonam Chriſti incarnati pertineat, non tantum diuina eius natura aſſumens, verum etiam humana aſſumpta. Quæ Vnio adeo arcta, indiuidua, inſeparabilis & indiſſolubilis eſt, vt diuina natura τὸ λόγος, nec

velit

velit, nec posſit, nec debeat extra hanc cum carne vnionem, ſed in arctiſsima illa vnione cogitari, quærí aut apprehendi. Caro etiam aſſumpta, non extra, ſed intra intimum τῦ λόγυ aſſumentis complexum, cogitanda, quærenda, & apprehendenda eſt, non quòd λόγ☉ antea non fuerit per ſe propria ſingularis & perfecta perſona, nec quaſi indiuidua illa maſſa naturæ aſſumptæ, ante & extra illam vnionem, per ſe ſubſiſtens, & propria ſeu peculiaris perſona aliquando fuerit, ſed quòd hypoſtaſis Filij Dei, quæ ab æterno fuit, ex diuino beneplacito, maſſam illam humanæ naturæ, propria perſonalitate deſtitutam, in ipſo momento, cùm primum conciperetur & formaretur, in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumpſerit: Qua aſſumptione hypoſtaſis τῦ λόγυ, quæ ab æterno in diuina natura Filij ſubſtitit, facta eſt etiam aſſumptæ humanæ naturæ ὑπόσασις, ſubſiſtens iam in duabus naturis, & conſtans duabus naturis, inſeparabiliter vnitis, diuina aſſumente & humana aſſumpta, quæ ſuam ſubſiſtentiam, non in ſeſe, ſed in perſona τῦ λόγυ habet, in qua ſuſtentatur. Quæ vnio propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, ad officium redemptionis, regni & ſacerdotij Meſsiæ facta eſt. Quia enim per paſsionem & mortem fieri debebat redemptio, opus fuit humana natura. Et quia diuina potentia per mortem conculcandum erat caput ſerpentis: Ideo diuina natura in perſona redemptoris opus fuit. Ac placuit Deo, vt propter noſtram conſolationem, ad officia regni, ſacerdotij & Dominij Chriſti, noſtra etiam aſſumpta natura adhiberetur, atq; ita ἀπιτελέσματα officiorum Chriſti, in vtraq;, cum vtraq;, & per vtramq; Chriſti naturam perficerentur. Ex qua vnione conſequitur quædam inter vnitas naturas, & inter earum idiomata, communio & participatio, non communio confuſionis, transmutationis aut exæquationis: ſed quæ vnioni veræ & reali correſpondet, qualis eſt animæ cum corpore, & ignis cum ferro ignito. Quæ enim propria ſunt naturarum, propter hanc vnionem communia fiunt perſonæ. Et in illa vnione, non quælibet natura, quæ propria ſunt, ſola & ſeorſim pro ſe operatur, ſed vtraq; in Chriſto natura, propter illam vnionem, agit cum communicatione alterius, quæ cuiuſq; propria ſunt.

Cumq;

Cumq; ſola diuina natura per ſe ſit perfecta & immutabilis, nihil ei, ex hac vnione, vel acceſsit vel deceſsit. Humana verò natura, quia ex ſe, & ex naturali ſui conſtitutione, non eſt ſufficiens & idonea, ad omnia officia regni, ſacerdotij & dominij Chriſti, ad quæ aſſumpta eſt, Ex illa vnione cum λόγῳ, accepit non tantum incomprehenſibilia & ineffabilia dona, & ornamenta creata & finita, formaliter ipſi inhærentia, ſed quia tota plenitudo Deitatis Filij Dei perſonaliter in aſſumpta natura habitat, plenitudo illa lucet in ea tota, ita vt caro illa, hoc quaſi lumine accenſa ipſa etiam luceat, atq; ita ditata ſit diuinis virtutibus & operationibus, non per phyſicam effuſionem, aut eſſentialem inhæſionem, ſed per œconomiam vnionis, vt λόγῳ omnipotentiæ ſuæ opera, in illa, cum illa & per illam aſſumptam naturam pro beneplacito ſuo exerat & perficiat, ſicut anima corpori, & ignis ferro ignito, potentias & operationes ſuas communicant, ſicut poſtea explicabitur.

Quam maieſtatem in ipſo primo momento vnionis, quando tota plenitudo Deitatis in Chriſto habitare cœpit corporaliter, humana natura accepit ac habuit: ſed ratione exinanitionis, tempore humiliationis, illam non ſemper exeruit & vſurpauit. Depoſita autem in reſurrectione & aſcenſione ſerui forma, in plenariam ac manifeſtam eius poſſeſsionem & vſurpationem, per ſeſsionem ad dexteram maieſtatis & virtutis Dei, collocata & exaltata eſt.

Hanc deſcriptionem, totam doctrinam de hypoſtatica vnione & omnia, quæ ad vnionem illam pertinent, iuxta ſcripturæ traditionem continere, certum ac manifeſtum eſt: iuſto verò prolixiorem eſſe, libenter agnoſco & fateor. Volui enim omnia, quæ ad vnionem hypoſtaticam pertinent, expreſſè, diſertè & diſtinctè, in deſcriptione ponere, quæ tamen facilè in breuiorem formam contrahi poteſt, hoc modo:

Vnio hypoſtatica, ſiue incarnatio, eſt totius Trinitatis operatio, qua diuina natura, in ſolius Filij perſona, ex Maria virgine, veram humanam naturam, ſine tranſmutatione & confuſione, inſeparabili copulatione, ad conſtituendum vnum ex illis, & in illis duabus naturis, in Chriſto incarnato ὑφιστάμενον, in quo aſſumpta natura ſubſiſtat & ſuſtentetur, aſſum-

pſit. Quæ vnio, propter nos homines & propter noſtram ſalutem, facta eſt, Vt officia redemptionis regni & Sacerdotij Chriſti, per vtriuſq; naturæ operationes, perficerentur.

Ex qua vnione conſequitur quædam inter vnitas naturas, & earum idiomata, communio, Non illa quidem phyſica, aut eſſentialis, ſed pro ratione hypoſtaticæ vnionis, qualis eſt inter animam & corpus animatum, inter ignem & ferrum ignitum, Quæ enim propria ſunt naturarum, propter hanc vnionem fiunt communia perſonæ.

Et in hac vnione, vna natura non ſeorſim, ſed cum communione alterius, quod proprium eſt, agit.

Ex hac etiam vnione, humanæ naturæ aſſumptæ, data & communicata ſunt, non tantum incomprehenſibilia, creata & finita dona, ſed quòd tota plenitudo Deitatis λόγυ corporaliter inhabitans, omni ſua potentia, operatione, maieſtate & gloria perſonaliter in aſſumpta natura inhabitat ac lucet, in illa, cum illa, & per illam, omnipotentiæ ſuæ opera exercens & perficiens, ſicut anima corpori animato, & ignis ferro ignito ſe ac ſuæ ſine confuſione cnmmunicat. Quam maieſtatem aſſumpta humana natura in ipſa ſtatim vnione accepit, ſed in ſtatu exinanitionis non ſemper eam exeruit & vſurpauit. Depoſita autem ſerui forma, ad plenariam & manifeſtam eius maieſtatis poſſeſſionem & vſurpationem, per ſeſſionem ad dexteram Dei collocata & exaltata eſt.

Hæc ſit qualiſcunq; plebeia & rudis, vera tamen hypoſtaticæ vnionis, ſiue delineatio, ſiue deſcriptio, ſiue notatio. Quia verò ſententiam & explicationem doctrinæ de hypoſtatica vnione duarum naturarum in Chriſto, recipimus & amplectimur, non ideo, quòd vel hic vel ille, ſiue hanc ſiue aliam definitionẽ conſtituit, ſed quòd ea quæ traduntur, ex certis, firmis & perſpicuis ſcripturæ fundamentis extructa ſunt: Ideò in ſequentibus ſingula membra, quæ in deſcriptione poſita ſunt, ex ſcripturæ fundamentis, ordine comprobabimus & confirmabimus, ac quæ in definitione breuius poſita ſunt, plenius declarabimus, vt vera ſententia ſcripturæ teſtimonijs munita, & rectius intelligi, & à praui s ac falſis opinionibus facilius ſeiungi poſsit.

CAPVT

CAPVT V.

Quomodo ex Scripturæ testimonijs, ea, quæ ad descriptionem & cognitionem hypostaticæ vnionis duarum naturarum in Christo pertinent, colligi, extrui, comprobari, confirmari, ac illustrari possint.

VSitatè in Ecclesia vocatur Hypostatica, siue personalis vnio, quæ ex definitione ὑποσάσεως seu personæ, & ex similitudine vnionis animæ & corporis, non inutiliter declarari solet. Sed pia mens ante omnia quærit doctrinæ & fidei huius certitudinem, in perspicuis & firmis scripturæ testimonijs. Prius igitur fundamenta in verbo Dei monstranda sunt, quibus positis, postea explicationes de persona, & similitudo animæ & corporis, rectè & vtiliter adhiberi possunt, quando fides primum exædificata est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Neq; enim propterea ita credimus, quia Boëtius & alij hypostasin seu personam ita definierunt, aut quia talis est vnio animæ & corporis: Sed quia fides hæc habet certa, perspicua, & firma testimonia in scriptura. Breuiter igitur & ordine singula, quæ in descriptione vnionis posita sunt, Scripturæ testimonijs confirmabimus, & plenius explicabimus. Quod itaq; ipsa incarnatio, in quantum est opus ad extra, totius Trinitatis operatio sit, Scriptura manifestè tradit, sicut Ephes. 1. Decretum Trinitatis, de missione, incarnatione & officio Christi describitur. Galat. 4. Deus in plenitudine temporum misit Filium suum natum ex muliere. Luc. 1. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ierem. 23. Deus suscitat Dauidi germen iustum. Matth. 1. Quod in ea natum est, ex Spiritu sancto

eſt. Deinde, non vnam tantum, ſed duas integras & perfectas in Chriſto incarnato naturas eſſe, quodq; non Pater aut Spiritus Sanctus, ſed ſolus Filius in ſuæ perſonæ vnitatem, naturam humanam aſſumpſerit, in præcedentibus capitibus, ex perſpicuis Scripturæ teſtimonijs, demonſtratum & confirmatum eſt, vt illa hoc loco repetere prorſus opus non ſit.

Illas verò duas naturas non ſingulas per ſe, non ſeorſim ad partem ſeu ſeparatim (Græci vocant ἰδικῶς καθ' ἑκάτερα μέρος) in Chriſto ſubſiſtere, vt ſicut duæ ſunt naturæ in Chriſto, ita etiam duæ diſtinctæ ſint perſonæ: nec ſicut Deus vniuerſali præſentia in omnibus creaturis eſt, vel ſicut per inhabitationis gratiam in ſanctis eſt, Sed quòd duæ illæ naturæ, ad vnam hypoſtaſin coniunctæ ſeu vnitæ ſint, in præcedenti capite multis ſcripturæ teſtimonijs oſtenſum eſt. Nec tamen duæ illæ naturæ in Chriſto, per incarnationem vel vnionem, permixtæ inter ſe, ſeu confuſæ ſunt, ad conſtitutionem alterius tertiæ naturæ compoſitæ, ſicut ex mixtione duorum elementorum tertia quædam natura componitur. Vel ſicut ex mixtione aquæ & mellis fit mulſa, quæ nec aquæ nec mellis nomen retinet. Nec alterius naturæ abolitione, vel vnius in alteram conuerſione, aut tranſmutatione, aut vtriuſq; exæquatione, facta eſt hypoſtatica vnio. Ita enim Chriſtus incarnatus, nec Deus eſſet, nec homo, nec Patri, nec nobis eſſet conſubſtantialis, nec ſimul eſſet verus Deus & verus homo, ſimul Patri & nobis ὁμοούσιος. Scriptura verò tradit, diuinitatem ſic habitare in Chriſto corporaliter, & Verbum ita factum eſſe carnem, vt duæ illæ naturæ in Chriſto incarnato, licet non ſeparatæ vel ſeorſim poſitæ, ſed vnitæ ſint, integræ tamen & ſaluæ, diſtinctæ & differentes, ſint & maneant, & ſubſtãtia & eſſentialib. proprietatibus, ſicut in 2. & 3. cap. teſtimonijs ſcripturæ hoc oſtendimus. Et poſt incarnationem Chriſtus verè eſt, prædicatur & creditur ſimul Deus & homo, ſimul & Patri & nobis fratribus conſubſtantialis, alterum ſecundum & propter diuinam, alterum ſecundum & propter aſſumptam humanam naturam. Ideo phraſin illam (Verbum caro factum eſt) Spiritus Sanctus ipſe explicat, non per conuerſionem vel confuſionem; ſed per aſſumptionem, Phil. 2. Qui in forma Dei erat, formam

ſerui

ſerui ἔλαβε. Et Heb. 2. Filius Dei ſemen Abrahæ ἐπιλαμβάνεται. Item, particeps factus eſt carnis & ſanguinis. Et diuinitas inhabitat in Chriſto corporaliter. Hoc vetus Eccleſia apud Origenem breui hac ſententia pulchrè expreſsit: Id, quod erat, permanſit, & quod non erat, aſſumpſit, Sicut & elegans ille verſiculus inquit:

Sum quod eram, nec eram, quod ſum, nunc dicor vtrumq;.

Sunt igitur & manent in Chriſto incarnato duæ naturæ, diuina & humana, non ſeorſim ſeu ſeparatim ſubſiſtentes, ſed cõiunctæ ſeu vnitæ in vnam perſonam ſiue ad vnum ὑφιστάμενον. Illa verò generalitas clarius adhuc & plenius explicanda eſt, Vt de ipſa forma, ſeu ſpecifica differentia hypoſtaticæ vnionis, aliquo modo aliquid cogitari & intelligi poſsit. Duæ enim illæ naturæ, non ita tantum ſunt in Chriſto incarnato, ſicut generali præſentia Deus eſt vbiq;, hoc eſt, in omnibus creaturis, eſſentia ſua implens cœlum & terram, Ierem. 23. Ita enim non aſſumpta tantum maſſa, ſed omnes homines ſunt in DEO, Acto. 17. Nec ita tantum ſimpliciter diuina natura eſt in Chriſto, ſicut in ſanctis inhabitat, 1. Ioh. 3. Nec ſicut in vita æterna Deus erit omnia in omnibus, 2. Cor. 15. De nulla enim alia præſentia, aſſumptione, inhabitatione ſeu coniunctione, ſcriptura dicit: λόγος caro factus eſt, Deus eſt homo, homo eſt Deus, Hæc perſona ſimul eſt Deus & homo, quam de hac ſola, quando Filius Dei, certam maſſam humanæ naturæ ex Maria virgine, conceptione Spiritus ſanctificatam, ſibi perſonaliter copulauit. Præcipua igitur & principalis Quæſtio eſt, in cuius explicatione totius diſputationis cardo & ſtatus poſitus eſt: Quomodo ſcilicet duæ illæ naturæ in Chriſto copulatæ ſint. Seu, qualis ſit hypoſtatica vnio duarum naturarum in Chriſto, & qua differentia à reliquis modis præſentiæ inhabitationis, ſeu coniunctionis diuinitatis diſcernatur. Nos vocabimus formam ſeu ſpecificam differentiam hypoſtaticæ vnionis. Et rectè quidem dicitur, vnionem hanc eſſe ἀδιαίρετον καὶ μονότροπον, hoc eſt, ſingularem, & præ reliquis modis vnionis eximiam & ab omnibus alijs modis exemptam, ſicut Iuſtinus & Epiphanius loquuntur. Item, eſſe arcanam, incomprehenſibilem & in-

effabilem. Est enim super omne nomen, quod nominatur, non tantum in hoc, verum etiam in futuro sæculo, Ephes. 1. Et magnum mysterium est, quòd Deus manifestatus est in carne, 1. Tim. 3. Virtus enim altissimi mysterium hoc obumbrat, vt non possit plené & perfectè à nobis in hac vita peruideri, Luc. 1. Ita, vt de hac vnione facilius (sicut Augustinus de Deo loqui solet) dici & intelligi possit, qualis non sit, quàm qualis sit. Scilicet, talis non est, sicut Deus essentia sua implet omnia, nec sicut in sanctis habitat, nec etiam sicut in vita æterna Deus erit omnia in omnibus. Sed aliud & longè excellentius quiddam est illa vnio, qua Verbum caro factum est, vt à reliquis modis præsentia Dei, coniunctionis seu inhabitationis, non tantum comparatio secundum magis & minus, sed toto genere differat. Neq; ita Deus est in Christo incarnato, sicut Pater est in Filio, & Filius in Patre, vbi vna est essentia, & duæ personæ. Si igitur de hac hypostatica vnione, in scriptura ea tantum in genere, quæ diximus, per negationem vel remotionem disparatorum, quòd scilicet talis non sit, sicut reliquis vel creaturis omnibus, vel sanctis Deus adest, patefacta essent, ea simplicitate nos contentos esse deceret, & ab omni vlteriori inquisitione prorsus abstinere. Vt si prorsus nihil possemus intelligere, qualis sit vnionis illius forma, caueremus tamen, eam animo ita concipere, qualis non est. Sed quia Filius Dei factus seruus, noticia sui iustificat multos, Isa. 53. Quædam igitur de mysterio illo, quæ ad eius noticiam in hac vita sufficere iudicata sunt, Spiritus Sanctus in scriptura nobis patefecit. Et illa certè discenda & cognoscenda sunt. Licet autem ex parte per speculum in ænigmate cognoscamus, 1. Corinth. 13. Contenti tamen simus hac cognitione, quam scimus in hac vita nobis ad iusticiam & vitam æternam sufficere. Vtq; curiositatem humani ingenij ab vlteriori inquisitione retrahamus, meminerimus, quod scriptum est: Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Multi verò de vnione hypostatica loquentes, hoc tantum dicunt, Quòd humana natura per se non subsistat, sed in persona τ̃ λόγ̃ sustentetur, gestetur & foueatur: qui aliquid sanè dicunt: sed quia nihil præterea addunt, rem ipsam

pro-

profectò, & doctrinam totam non explicant. Simpliciter igitur oſtendemus, quomodo in ſcripturæ teſtimonijs ordine conſiderari poſsint illa, quæ aliquo modo, quaſi formam & ſpecificam differentiam, hypoſtaticæ huius arcanæ, incomprehenſibilis & ineffabilis vnionis indicare videntur. Quæ vt planius & rectius conſiderari poſſent, docendi & diſcendi gratia, in membra aliquot ordine diſtribuemus.

Ac Primò. Non humana natura aſſumpſit diuinam, Nec homo aſſumpſit Deum, Nec perſona diuina aſſumpſit perſonã humanam: ſed natura diuina τ λόγȣ, ſeu Deus λόγ☉ ſeu perſona Filij Dei, ſubſiſtens ab æterno in diuina natura, aſſumpſit, in plenitudine temporis, certã maſſam humanæ naturæ. Vt ita ſit in Chriſto natura aſſumẽs, ſcilicet diuina, & natura aſſumpta ſcilicet humana, Ioh. 1. Verbum caro factum eſt. Ro. 1. & Gal. 4. Filius Dei factus ſeu natus eſt ex ſemine Dauid, ex muliere. Philip. 2. Qui in forma Dei erat, aſſumpſit formam ſerui. Eſt autem aliâs ſemper humana natura alicuius certi indiuidui natura, cuius proprium eſt, ſubſiſtere in certa aliqua hypoſtaſi, quæ proprietate quadam characteriſtica diſtincta eſt à reliquis eiuſdem naturæ hypoſtaſibus. Ita quiſq; homo habet proprium corpus, 1. Cor. 6. & propriam animam, Ezech. 18. In Chriſto verò incarnato, diuina quidem natura ante hanc vnionem per ſe ſubſtitit, & quidem ab æterno. Non autem ita maſſa illa naturæ aſſumptæ ante hanc vnionem per ſe ſubſtitit, ita, vt ante hanc vnionem fuerit certi alicuius & diſtincti indiuidui proprium corpus, & propria anima, hoc eſt, peculiaris & in ſeſe ſubſiſtens perſona, quam poſtea Filius Dei aſſumpſerit. Sed in ipſa conceptione, maſſam illam humanæ naturæ Filius Dei in ſuæ perſonæ vnitatem, vt in ea ſubſiſtat & ſuſtentetur, aſſumpſit, & aſſumendo propriam ſibi fecit, ita vt corpus illud non ſit alterius Indiuidui, ſeu alterius perſonæ, ſed ipſius Filij Dei proprium corpus, Et anima illa, ipſius Filij Dei propria ſit anima. Sicut anima Petri habet proprium & peculiare ſuum corpus, cuius etiam propria eſt anima, & cum quo conſtituit ſubſtantiam indiuiduam, incommunicabilem, quæ eſt perſona Petri. Atq; hoc modo ſcriptura expreſſè loquitur, de vnione

dua-

duarum naturarum in Christo, Heb. 2. Sicut pueri communicarunt carni & sanguini, similiter & Filius Dei particeps factus est illorum. Heb. 9. διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, per proprium sanguinem ingressus est sancta sanctorum. Ita λόγος Filius Dei vocat suam carnem, Iohan. 6. suum corpus, Marc. 14. suam animam, Matth. 26. faciem suam, genas suas, tergum suum. Isa. 50. manus suas, latus suum, Ioh. 20. Cor suum, linguam suam, fauces suas, pedes suos, ossa sua, Psal. 22. Licet enim ratione creationis Deus dicat, Psal. 50. Meus est orbis terræ, & plenitudo eius. Item, Ezech. 18. Mea est anima Patris & Filij. Et ratione Redemptionis, Christus appellat proprias oues, Ioh. 10. sicut & Paulus inquit: Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus. Longè alia tamen ratione, Filius Dei, de assumpta humana natura loquitur, quando vocat suum corpus, suam animam, & proprium suum sanguinem. Solum enim hoc corpus, est corpus Iehouæ. Luc. 24. 1. Cor. 11. Solus ille sanguis, est sanguis Filij Dei. 1. Ioh. 1. Mors Filij Dei, Rom. 5. Persona Dei verbi ante incarnationem non habuit animam humanam, corpus & sanguinem. Deus enim Spiritus est, Ioh. 4. Et Spiritus carnem & ossa non habet, Luc. 24. Legitur quidem in apparitionibus veteris Testamenti, sæpius speciem humanam assumpsisse. Illam verò speciem tali assumptione non fecit sibi inseparabiliter propriam, sed eius quasi superficie tantum ad tempus, propter apparitiones vsus est. In incarnatione verò Filius Dei veram humanam naturam ita sibi vniuit, vt fecerit eam sibi inseparabiliter & perpetuò propriam, vt rectè credamus & dicamus, Verbum incarnatum habere animam, corpus, sanguinem, Imò propriam animam, proprium corpus, & proprium sanguinem. Non autem talis fit vnio, quando Spiritus sanctus habitat in credentium corpore, 1. Cor. 6. & corde, Eph. 3.

Secundò, Veteres Synodi dicunt, naturas vnitas esse in Christo ἀδιαιρέτως indiuisè, vt diuidi vel distrahi à se inuicem non possint, ἀχωρισῶς inseparabiler, vt nunquam & nusquam in æternum à se inuicem separari possint, sed nexu inseparabili & fœdere perpetuo, copulatæ sint, & maneant. Damascenus addit vocabulum ἀδιαστάτως indistanter, quod nullo locorum spacio,

ſpacio, interuallo aut intercapedine à ſe diſtent ſeorſim poſitæ. Teſtimonia ſcripturæ annotauimus cap. 3. Quod non ad tempus Filius Dei aſſumptam naturam geſtârit, ac poſtea eam depoſuerit, ſicut ſpecies illas, in quibus olim apparuit. Quod Athanaſius 4. Dialogo breui ſententia complectitur ὃ ἑνώσας οὐκ ἀφῆκε.

Tertiò, ad formam ſeu ſpecificam differentiam hypoſtaticæ vnionis pertinet, Quòd duæ illæ naturæ copulantur & vniuntur, ad conſtituendum vnum in Chriſto Incarnato ὑφιστάμενον, hoc eſt, ſicut Scriptura loquitur, illa vnione naturam aſſumptam, inſeparabiliter ita propriam factam eſſe perſonæ verbi aſſumentis, quòd licet duæ ſint & maneant naturæ in Chriſto, ſine conuerſione & confuſione, ſalua differentia & naturarum & proprietatum eſſentialium: Non tamen duo, ſed vnus ſit Chriſtus, Rom. 5. & Gal. 4. Vnus Dominus, 1. Cor. 8. & Eph. 4. Vnus Mediator, 1. Tim. 2. Item, Reconciliatio, iuſtificatio, obedientia, gratia, vita, eſt vnius Chriſti, Rom. 5. Non duo, ſed vnus eſt Filius. Matth. 3. Hic eſt Filius meus dilectus. Et Luc. 1. Mariæ Filius vocabitur Filius Dei. Sanctum, quod ex Maria naſcitur, vocatur Filius altiſsimi. Chriſtus etiam quando loquitur, ſiue tanquam Deus, ſiue tanquam homo, ſemper dicit Ego. Vt, priuſquam Abraham fieret, ego ſum. Item: Ego veni in mundum &c. Petrus verò & Iohannes, licet inhabitantẽ in ſe habeant Chriſtum & operantem, tamen Actor. 3. dicunt, Non nos, ſed Chriſtus fecit hunc ambulare. Et Galat. 2. Paulus dicit: Viuo iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus. 1. Cor. 15. Plus omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt. Hoc ſimplicius & craſsius ita declarari & intelligi poteſt. In Paulo eſt humana natura, eſt etiam diuina natura inhabitans, ſed duæ illæ naturæ in Paulo non conſtituunt vnum ὑφιστάμενον, Nec Pauli perſona ideò conſtat duabus naturis, diuina & humana, Nec ſubſiſtit ſimul in diuina & humana natura. Paulus enim & eſt & manet perſona diſtincta ab hypoſtaſi Spiritus ſancti, etiam cùm inhabitantem habet Spiritum ſanctum. In Chriſto verò diuina & humana natura ita vniuntur, vt conſtituant vnum ὑφιστάμενον, hoc eſt, vnam perſonam Chriſti,

incarnati, quæ constat ex diuina & humana natura, quæq; subsistit simul in diuina & humana natura, quæ ὑποσατικῶς seu personaliter, inseparabili nexu ac perpetuo fœdere copulatæ & vnitæ sunt.

Quartò, ad indicandam & agnoscendam aliquo modo formam, seu specificam differentiam, arcanæ huius & incomprehensibilis hypostaticæ vnionis, & hoc pertinet, cùm persona λόγου, ante incarnationem, ab æterno fuerit, perfecta quidem, sed simplex hypostasis. subsistens tantum in diuina natura, seu personaliter habens tantum diuinam naturam, quod per incarnationem seu vnionem hypostaticam, facta est, sicut Nazianzenus loquitur ὑπόσασις σώθητ& persona composita, constans simul diuina & humana natura seu habens duas illas naturas personaliter vnitas, ac vnitione sibi mutuò præsentes, ita vt ad integritatem personæ Christi incarnati, pertineat iam non tantum diuina eius natura, sed simul etiam assumpta humana, non seorsim, separatim, vel ἀνὰ μέρ& ad partem posita, sed arctissimè & præsentissimè Deitati τοῦ λόγου vnita. Præsentia enim τοῦ λόγου in carne assumpta, ac vicissim præsentia naturæ assumptæ in λόγῳ, seu apud & penes diuinam naturam assumentem, toto genere differt à præsentia, qua vel λόγ& reliquis creaturis præsens adest, vel reliquæ creaturæ præsentes sunt τῷ λόγῳ. Nam ratio seu forma Hypostaticæ vnionis non in eo tantum consistit, propter quod assumpta natura in persona λόγου sustentetur, gestetur ac foueatur. Sed quòd non particula aliqua, sed tota plenitudo Deitatis λόγου, vnita est assumptæ naturæ, non sicut in sanctis tota est, sed personaliter, & ad vnum ὑφισάμενον. Et assumpta natura, toti plenitudini, non tantum particulæ alicui Deitatis λόγου, alicubi agglutinata est, sicut clauus adhæret rotæ, planeta circulo, digitus corpori, ciuitas mari, vel sicut linea circulum tangit in vno tantum puncto. Sed facta est vnio personalis, & ad vnum ὑφισάμενον. Hypostatica verò vnio non admittit separationem, vel absentiam alterius naturæ ab altera, quasi alicubi seorsim positæ, sed complectitur præsentissimam præsentiam vnitarum personarum inter se. λόγ& igitur ratione hypostaticæ vnionis intra arctissimum & intimum com-

complexum, non particulæ alicuius, sed totius plenitudinis Deitatis suæ, secum, intra se, apud & penes se, personaliter vnitam & præsentem semper habet assumptam humanam naturam, quæ in illa tota plenitudine vnitæ Deitatis λόγυ indiuiduam suam habet subsistentiam, & sicut scholæ loquuntur, immanentiam. Et quia illa vnio facta est ad vnum ὑφισάμενον, Christus igitur totus non est, vel persona Christi incarnati integra non est, vel sola diuina, vel sola humana natura, nec etiam vtraq; si seorsim, separatim, & ad partem ponantur: Nec Christum totum vel personam Christi totam prædicat vel credit, quitantum vel diuinam vel humanam eius naturam, vel etiam vtramq; separatim aut seorsim positam, prædicat vel credit. Nec Christum totum sibi præsentem habet, qui cogitat tantum diuinam eius naturam, sine assumpta humana, sibi præsentem adesse. Non enim est verus & totus Christus incarnatus, qui tantum vnam naturam, vel diuinam vel humanam, & non simul duas illas naturas, præsentissima vnione, & vnitissima præsentia, inter se personaliter mutuò vnitas habere fingitur. Vnio enim non absentiam alterius naturæ seorsim, alicubi positæ significat: sed vtriusq; inter se præsentissimam vnionem, & vnitissimam præsentiam.

Et hoc est, quod dicitur Christus subsistere in duabus naturis inter se arctissimè vnitis, & constare duabus naturis vnitis: Sed hæc postea in capite de præsentia totius Christi in Ecclesia repetenda, & plenius explicanda erunt, nunc tantum fundamenta hypostaticæ vnionis monstramus.

Quinto, Ex præcedentibus sequitur, quod & ipsum ad hypostaticæ vnionis rationem pertinet, quod iam post incarnationem, persona τοῦ λόγυ, extra assumptam naturam, & sine ea seorsim & separatim, nec piè, nec rectè, vel cogitari vel credi potest aut debet: nec viciſsim caro assumpta, extra λόγον, aut sine verbo: Imò cùm ad nudam diuinam maiestatem nobis miseris peccatorib. non pateret aditus, tanquam stipulæ ad ignem consumentem, diuina natura λόγυ ideò assumpsit naturam nobis cognatam & cosubstantialem, in qua totam Deitatis suæ plenitudinem personaliter quasi deposuit, vt in hoc nobis cognato

gnato & consubstantiali obiecto, Deum cogitaremus, quæreremus & apprehenderemus. In Christi enim carne habitat tota plenitudo diuinitatis Filij, & Pater est in Filio. Hoc modo igitur à carne Christi incipimus, & inde ascendimus ad communionem Deitatis τοῦ λόγου, Deinde ad communionem totius Trinitatis, Ita Iohan. 1. 5. & 6. Christus tradit se vitam habere à Patre, & illam vitam se personaliter deposuisse in carnem assumptam, vt plenitudinem illam, ex qua omnia nobis accipienda sunt, non alibi, quàm in assumpta nostra natura in Christo quæreremus. Ita Iohan. 14. dicit de assumpta visibili natura: Qui videt me, videt & Patrem meum, Pater enim in me est. Et 1. Iohan. 1. Quod vidimus, quod contrectauimus, est verbum vitæ, nobis ita manifestatum. Ita Filius Dei ostensurus se Stephano Actor. 7. Paulo Actor. 23. formam assumptæ carnis eis ostendit, sicut & Iohanni in Apocalypsi, in forma hominis & agni ὁ λόγος ostenditur. Et Thomas in carne, quam videt & tangit, agnoscit & apprehendit Dominum & Deum suum.

Et breuiter, omnium piorum conscientiæ hoc contestantur & confirmant: quando enim de verbo incarnato, quærendo, apprehendendo & inuocando cogitant, mentem & cogitationes ad mysterium incarnationis referunt.

Sextò, Ad cogitandam & considerandam aliquo modo formam, seu specificam differentiam hypostaticæ vnionis pertinet & hoc, quòd duæ illæ naturæ in Christo, non per solam attingentiam, vel assistentiam, coniunguntur, sicut Angelus astat lateri Petri, vel sicut duæ diuersorum metallorum laminæ conglutinantur, vbi nulla inter naturas coniunctas fit communio: Sed sicut ignis ferrum ignitũ penetrat, permeat & complectitur, ac totum substantia sua implet, & vndiq; ei, sine substantiarum confusione miscetur, vt nulla pars ferri expers sit ignis: Et sicut anima datur corpori: ita λόγος assumens veram naturam humanam, saluo exinanitionis statu, lucet in ea tota, ac assumpta natura velut accensa illo lumine, verbo vnita est. Hoc modo enim & in tali forma Christus in visione Iohanni ostenditur. Apoc. 1. Quoniam tota plenitudo Deitatis habitat in

Christo

Christo corporaliter Col. 2. Ita Matth. 17. in transfiguratione radij diuinæ gloriæ resplendent ex corpore Christi. Et Luc. 5. 6. & 8. Virtus diuina exibat ab ipso.

Hæ considerationes, aliquo modo, quantum quidem in magno hoc mysterio, in hac vita fieri potest, ostendunt, Quomodo iuxta testimonia scripturæ, de forma hypostaticæ vnionis, Qualis sit, aliquid rectè, piè & vtiliter cogitari & intelligi possit. Et illas considerationes per partes seu per membra proponere & explicare volui, vt singula ordine rectius & diligentius expendi possint. Multi enim aliâs, tantum hæc verba sonant: Duas naturas vnitas ad vnum ὑφισάμενον, quod quid sit, vel non intelligunt, vel certè non explicant, nisi quod de sustentatione & gestatione assumptæ naturæ quædam dicunt.

Septimò, Quia verò vnio illa extra controuersiam magnum mysterium est, scripturæ testimonia eam sæpius describunt, notatione eorum, quæ in persona Christi incarnati ex vnione illa consequuntur, sicut aliâs etiam vsitatum est in multarum rerum descriptionibus, notationes ex effectis & consequentibus ponere. Quia igitur formale huius vnionis mysterium, in hac mentis nostræ caligine & infirmitate, non potest plene à nobis vel cognosci, vel explorari: Ideo scripturæ testimonia, sicut ostendemus, deducunt nos etiam ad considerationem eorum, quæ vnionem hanc in Christo consequuntur, & quæ inde oriuntur. Rectè igitur & exemplo scripturæ fit, quando in descriptione hypostaticæ huius vnionis, & ea, quæ ipsam formam vnionis indicant, & præterea etiam ea, quæ inde oriuntur & consequuntur, ponimus. Et ea breuiter hoc loco, additis quibusdam Scripturæ testimonijs, commemorabimus: singula enim postea plenius explicanda erunt.

Quidam igitur imaginantur nudam duarum naturarum in Christo coniunctionem, vt inde, nec naturæ in Christo, nec earum idiomata, vllam prorsus inter se habent communionem: sicut Samosatenus finxit, naturas in Christo, πάντάπασι ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς, nullam prorsus inter se habere communionem, sed Scriptura, & ex scriptura vetus orthodoxa Ecclesia

tradit, tam arctam esse hypostaticam hanc vnionem, vt inde in persona Christi oriatur & sequatur vera κοινωνία communio seu communicatio: Non autem communicatio vel confusionis, vel effusionis, vel exæquationis, siue inter naturas, siue inter earum idiomata, Sed qualis est communio animæ cum corpore animato, & ignis cum ferro ignito, sicut in sequentibus plenius hæc explicabuntur. Nunc tantum hoc agimus, vt ex communione, quæ ex hypostatica vnione oritur & sequitur, ipsa vnio rectius intelligatur & explicetur. Gradus igitur κοινωνίας, vnde distincta genera prædicationum de Christo nascuntur, postea sigillatim ordine explicabimus: nunc tantum gradus ipsos κοινονίας & prædicationum breuiter recensebimus.

Primò igitur, licet per hypostaticam vnionem, vna natura in Christo non mutetur in alteram, nec confundatur in altera, vnde etiam vna non prædicatur de altera, neq; enim dicimus: Diuinitas est humanitas, vel, Humana natura est diuina natura, vnio enim facta est salua naturarũ differentia. Ex vnione tamen oritur & sequitur talis κοινωνία, quòd concretum vnius naturæ rectè prædicetur de concreto alterius naturæ, vt Deus est homo, Homo est Deus, Filius hominis est Filius Dei viui, Matth. 16. Filius Mariæ, est Filius Dei, Sanctum, quod ex Maria nascitur, vocatur Filius altissimi Luc. 1. Filius Dei est Immanuel, Matth. 1. Germen Dauidis est Iehoua, Ierem. 23. Verbum caro factum est, Ioh. 1. Ac licet Christus ratione diuinitatis sit Deus, & ratione humanitatis sit Homo, tam arcta tamen est duarum naturarum vnio, quòd vnus tantum est Christus, qui simul & Deus est & homo. Et persona illa siue Deus appelletur, siue homo, semper intelligitur vnus ille Christus, & tota illa persona, quæ subsistit in duabus naturis, & quæ constat simul diuina & humana natura.

Hæ prædicationes pertinent ad ipsam hypostaticam vnionem, vnde oritur talis inter vnitas naturas κοινωνία in concreto, vt Deus ille sit homo, Et homo ille sit Deus.

Multum autem laborârunt Scholastici, vt has prædicationes, ad vsitatos prædicandi modos reducerent: quidam disputarunt, quando dico, Deus est homo, non intelligendum esse, quòd

quòd Deus ſit homo, actu primo, ſicut ipſi loquuntur, ſed quòd actu ſecundo, aſſumptum hominem habeat, gerat, ſuſtentet, foueat, quod Lutherus pronunciat hæreticiſsimè eſſe dictum: Alij voluerunt eſſe prædicationem identicam, vt Deus eſt ille, qui eſt homo, & ille, qui eſt homo, eſt Filius Dei: Alij diſputarunt eſſe prædicationem accidentalem, vt ſicut Sorti accidit, vt ſit canus, & prædicetur de ipſo, quod ſit canus, ſta per accidens prædicari de Filio Dei, quòd ſit homo. Sed Bonauentura omnium ſimpliciſsimè & rectiſsimè dicit, non poſſe hanc prædicationẽ, reduci ad alios modos prædicandi conſuetos & vſitatos, non enim eſſe prædicationem per eſſentiam, nec per inhærentiam, nec per cauſſam, nec per ſe, nec per accidens, ſed eſſe modum prædicandi ſingularem (nos vocamus inuſitatum) propter hypoſtaticam vnionem ad vnum ὑφισάμενον, quæ vnio cùm ſingularis ſit, modum etiam prædicandi eſſe ſingularem: quia enim λόγος eſt hypoſtaſis, non tantum diuinæ ſuæ naturæ, verum etiam aſſumptæ humanæ naturæ, ideò dicitur Deus eſſe homo: tota enim plenitudo Deitatis τὸ λόγου habitat in aſſumpta natura perſonaliter. Et quia humana natura in Chriſto, non in ſe ſe ſubſiſtit, ſed λόγον habet pro hypoſtaſi, & diuinam naturam perſonaliter ſibi habet vnitam, inde Homo eſt Deus. Ac breuiter: quia duæ illæ naturæ vniuntur in Chriſto, non ad vnam naturã compoſitam, ſed ad vnam ὑπόσασιν σώθέτον. Ideò non vna natura prædicatur de altera, ſed concretum vnius naturæ prædicatur de concreto alterius naturæ.

Bernhardus de cõſideratione lib. 5. inquit: Tantam tamq; expreſſam vim vnionis in ſe præfert ea perſona, in qua Deus & homo vnus eſt Chriſtus, vt ſi duo illa de ſe inuicem prædices, non erraueris, Deum videlicet hominem, & hominem Deum, verè catholiceq; pronuncians: Non autem ſimiliter vel carnem de anima, vel animam de carne, niſi abſurdiſsimè prædices, & ſi ſimiliter caro & anima vnus ſit homo: Hæc Bernhardus. Huius verò diuerſitatis rationem Scholaſtici hæc aſsignant, quòd anima & caro ſint partes conſtitutiuæ hominis, & partiũ non ſit, prædicari vel de toto, vel de ſe inuicem, Item quia vocabula abſtracta in diſparatis, non prædicantur de ſe inuicem,

ſicut

ſicut enim non dicitur, Anima eſt caro, ita etiam nõ dicitur, diuinitas eſt humanitas. Concretiuè verò, ſicut dicitur, Deus eſt homo, Homo eſt Deus, ita monſtrato homine diſputant poſſe dici, Hoc corporeum eſt animatum. Et hoc animatum eſt corporeum. Habent enim Scholaſtici regulam, quæcunq; in vnó ſuppoſito vniuntur, illa de ſe inuicem prædicari poſſe. Et hic eſt ſummus gradus κοινωνίας inter naturas vnitas, vnde prædicationes illæ oriuntur, quòd homo de Deo, & Deus de homine prædicatur. Oritur verò præterea ex hypoſtatica vnione etiam inter idiomata naturarum κοινωνία, communio ſeu communicatio.

Secundò enim, quia propter hypoſtaticam duarum naturarũ vnionẽ, ſiue perſona Deus appelletur ſiue homo, ſemper intelligitur tota perſona, quæ conſtat diuina & humana natura. Inde & ideo idiomata naturarũ communicantur perſonæ, per vocabulum concretum. Scriptura enim ea, quæ propria ſunt humanæ naturæ, tribuit non tantum Chriſto homini, ſed & Chriſto Deo: Et pari ratione ea, quæ propria ſunt diuinitatis, tribuuntur in ſcriptura non tantum Chriſto Deo, ſed & Filio hominis. Ita Deus ſuo ſanguine Eccleſiam redemit, Act. 20. Reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius. Ro 5. Dominum gloriæ crucifixerunt. 1. Cor. 2. Filius Dei natus eſt ex muliere, Gal. 4. Filius hominis aſcendit, vbi erat prius, Ioh. 6. Hoc modo de reliquis, in quibus Deus inhabitat, ſcriptura non loquitur: Martyribus enim occiſis, non dicitur Mors Dei, vel ſanguis Spiritus ſancti.

Tertiò, Illius etiam vnionis ratione fit, quòd in Chriſto duæ illæ naturæ non agunt ſeparatim, Sed, ſicut Chalcedonenſis Synodus loquitur, Vtraq; natura in Chriſto agit cum cõmunicatione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt. Vt cùm ſolo diuino imperio, ſeu ſola diuina voluntate, potuiſſet ſanationes, & reliqua mirabilia opera perficere: Voluit tamen adhibere aſſumptam ſuam humanã naturam, quæ ipſius propria erat facta, vt oſtenderet, ſe ita copulaſſe ſibi humanam naturam, vt in illa, cum illa, & per illam, diuina natura λόγου operationes ſuas perficeret, Vt aſſumpta humana natura ſit organon proprium, perpetuũ, & inſeparabile, quo diuina natura verbi, ad operationes ſuas vtatur (licet ſola per ſe illas poſſet efficere) Et viciſsim actiones

huma-

humanæ naturæ in Christo participant virtutem actionum diuinæ naturæ, sicut Scholastici loquuntur: Ita contactu leprosos, surdos, mutos, hydropicos sanat, apprehensione manus mortuos resuscitat, verbo vocali formato corporeis organis, sanat, flatu corporali dat Spiritum sanctum. Ita Deus redemit Ecclesiam, sed suo sanguine, Act. 20. Filius Dei reconciliauit nos Patri, sed morte sua, Ro. 5. Filius Dei emundat nos à peccatis, sed sanguine suo, 1. Ioh. 1. Sed hæc postea plenius explicabuntur.

Quartò, Arctissima etiam illa naturæ assumentis & assumptæ copulatio efficit, quòd licet ex illa vnione diuinæ naturæ in se nihil vel accesserit vel decesserit: In humana tamen natura Christi, ratione huius vnionis, non tantum sunt Idiomata naturalia, quæ humanæ naturæ constitutionem naturaliter sequuntur, nec tantum sunt dona particularia & finita, formaliter humanitati inhærentia, numero plura, & gradibus excellentiora, quàm qualia ex inhabitatione Spiritus sunt in sanctis. Sed ex hac vnione, natura humana in Christo, sicut totam plenitudinem Deitatis habet in se personaliter inhabitantem, ita simul iuxta scripturam accepit datam & communicatam sibi diuinam maiestatem, potestatem, sapientiam, vitam, &c. non physica communicatione confusionis, effusionis seu exæquationis, sed communicatione vnionis seu personali, sicut anima potentias suas animales & vitales communicat corpori animato, & sicut ignis vim lucendi & vrendi communicat ferro ignito, vt scilicet Idiomata diuina, non humanitati in sese, aut secundum se, formaliter, habitualiter aut subiectiuè inhæreant, ita vt fiant & sint humanitatis etiam Idiomata, sed ratione vnionis sunt in ea personaliter, quòd scilicet, saluo statu exinanitionis, vires & operationes suas exerant in assumpta, cum assumpta & per assumptam humanam naturam, sicut ignis per ferrum ignitum. Nam Spiritus ei datus est, non ad mensuram, Ioh. 3. Omnia data sunt ipsi in manus, Ioh. 13. Data ipsi omnis potestas, Matth. 28. Tota plenitudo diuinitatis in ipso inhabitat corporaliter, Col. 2. Gloria & honore coronauit eum, & cõstituit eum super omnia opera manuum suarum, Heb. 2. Exaltauit eum super omne nomen, Ephe. 1. Caro Christi est viuifi-

ca. Ioh-5. & 6. Sanguis eius emundat conſcientiam, Ebr. 7. Sed ſingula hæc poſtea peculiari loco plenius explicabuntur.

Nunc tantum ea, quæ in ſcriptura ad declarationem perſonalis vnionis duarum naturarum in Chriſto tradita extant, ſiue ad ipſam formam vnionis, ſiue ad effecta eius pertinent, in aliquot membra diſtributa breuiter annotare volui, vt ſingula ſigillatim diligentius conſiderari poſsint. Vbi enim erudita, artificioſa, breuis & exacta definitio, quæ rem totam perſpicuè complectatur, & proprijs verbis breui complexu ſufficienter explicet, non ita facilè iuxta artem definiendi conſtitui poteſt, ſimpliciſsima ratio eſt, ex veris fundamentis colligere, & quaſi per membra & capita enumerare ea, quæ ad rei illius veram cognitionem pertinere iudicantur.

Poſtremò, exinanitionis etiam mentionem in deſcriptione hypoſtaticæ vnionis feci, propterea, quia enim in ſtatu exinanitionis, maieſtas diuina in aſſumpta natura, in qua perſonaliter habitat, ſapientiam, potentiam, maieſtatem ſuam &c. non ſemper plena & manifeſta vſurpatione exeruit, quidam vnionem hypoſtaticam ex ſtatu exinanitionis metientes, imaginantur, aſſumptam naturam humanam, ratione vnionis, tunc non habuiſſe diuinam maieſtatem perſonaliter inhabitantem, quaſi ſcilicet Exinanitio ſit abſentia vel carentia. Deinde fingunt, poſt depoſitam ſeruilem formam, quicquid aſſumpta natura excellentiæ & præeminentiæ, in glorificatione & exaltatione ſcribitur accepiſſe, illud eam, non ex hypoſtatica cum diuinitate vnione accepiſſe & habere, ſed quaſi ab extra & aliunde in eam allatum, Quæ imaginationes cum vera ratione hypoſtaticæ vnionis pugnant, & eam euertunt. In primo enim momento conceptionis, tota plenitudo diuinæ eſſentiæ & maieſtatis perſonaliter ſe aſſumptæ naturæ vniuit, & in ea perſonaliter habitauit. Licet autem ratione exinanitionis ſe non ſemper in carne plena & manifeſta vſurpatione exeruerit, non tamen ideo defuit, vt poſtea in glorificatione & exaltatione, aliunde & quaſi ab extra fuerit in carnem inferenda & deducenda. Aliud enim eſt aliquid habere, & aliud eſt illud vſurpare. Aliud eſt adeſſe aliquid, aliud eſt, quando illud, quod adeſt, ſe exerit, quando vult,

do vult. Omnino igitur ad veram hypoſtaticæ vnionis conſideratione & explicationem pertinet etiam exinanitionis declaratio. Sed hæc omnia in ſequentibus plenius declarabuntur. Nunc tantum oſtendere volui, quomodo ſingula membra definitionis, ſeu deſcriptionis hypoſtaticæ vnionis, ex ſcripturæ teſtimonijs, confirmari & illuſtrari poſsint.

CAPVT VI.

Quomodo ex ſimilitudine vnionis Lucis & Solis, ignis & ferri, animæ & corporis doctrina illa, de hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione, vtiliter & ſcripturis conſentaneè, declarari & illuſtrari poſsit.

Hæc verò ſcripturæ ſententia, quã de hypoſtatica vnione duarum naturarum in Chriſto expoſuimus, vſitatè in Eccleſia ſolet declarari & illuſtrari, ex definitione ὑποστάσεως, ὑφισαμένου ſeu perſonæ, idq; propter ſimilitudinem conſtitutionis hominis, ex anima & corpore. In rebus enim obſcuris & ad intelligendum difficilibus, ſolet mens humana quærere adminicula ſimilitudinum, quæ nobis notiores ſunt. Non autem eò trahendæ ſunt ſimilitudines, vt ex illis de hoc myſterio aliquid conſtituatur, de quo non extent firma & perſpicua ſcripturæ teſtimonia: Sed hic eſt vſus ſimilitudinum, vt ea, quæ in ſcriptura de hoc myſterio, ſicut oſtendimus, tradita ſunt, rectius, facilius & planius, ex familiaritate ſimilitudinum, quæ nobis notiores ſunt, conſiderari, cognoſci, & intelligi poſsint.

Quanquam autem in tota rerum natura nullum extat exemplum talis vnionis, qualis eſt in perſona Chriſti, declarati-

onis tamen gratia, variæ quæsitæ sunt similitudines, quæ, si non prorsus congruant, aliquam tamen qualemcunq; manuductionem considerantibus testimonia scripturæ præbeant.

Et de varijs quidem modis vnionum postea dicemus. Hoc autem loco quæruntur exempla & similitudines talis vnionis, in qua duæ res, quæ vniuntur, sunt & manent distinctæ & integræ, & tamen ita vniuntur, vt vnum inde fiat, vel suppositum, vt in rebus inanimatis, vel vnum ὑφισάμενον, vt in rationalibus, ac fiat communicatio idiomatum, vnioni congrua & correspondens.

Ex Scholasticis igitur quidam vtuntur similitudine subiecti & accidentis, quia accidens non dat primum esse subiecto, sed aduenit iam completo, & in eo sine confusione sustentatur, nec fit inde nouum, seu aliud subiectum, aut suppositum, sicut in scholis loquuntur, sed vnio quædam fit substantiæ & accidentis, vtriusq; manentibus saluis & inconfusis, & accidens qualitatem suam communicat subiecto. Albedo enim parietem facit album, ac communicant sibi inuicem denominationes concretiuas: Vt, hic cygnus est albus, & hoc album est cygnus. Et hæc similitudo aliquo modo posset ad propositum accommodari, Sed multum habet incommodi: Omninò enim substantia seu veritas humanæ naturæ non rectè videtur comparari accidenti. Nec diuina natura ita informatur ab humana, sicut subiectum ab accidente. Nec diuinitas se & maiestatem suam ita communicat assumptæ naturæ, vt in ea tanquam accidẽs, qualitas vel habitus, formaliter quasi in subiecto inhæreat, sicut color in pariete. Ideò alijs magis arrisit similitudo Insitionis: Sicut enim in Insitione in eodem stipite, vbi per naturam, exempli gratia, extat ramus vnus, adiungitur ramus alius per insitionem, neq; hac insitione, vnus ramus fit alter, nec etiam constituitur inde altera quædam tertia natura, ab vtroq; ramorum distincta: sed salua & inconfusa manente substantia vtriusq;, vna inde constituitur arbor, quæ constat ex vtriusq;. Ita in persona Christi, in qua naturaliter erat diuina natura, iam per vnionem assumpta est etiam humana, non conuersa vna in alteram, sed salua & distincta manente vtriusq; naturæ substantia.

Vnus

Vnus iam est Christus, constans & diuina & humana natura, Et quidem sustentatio humanæ naturæ in persona Christi, non malè videtur describi similitudine insitionis, quomodo humana natura dependeat & gestetur à verbo, & ex illa vnione excellentiam suam accipiat, sicut ramus insertus succum trahit ex stipite. Et conati quidem fuerunt similitudinem hanc ex scriptura probare. Vocatur enim Christus virgula stipitis Iessæ, Isa. 11. Germen Dauidis. Ierem. 23. & radix Dauid. Apoc. 5. Et Iacobus cap. 1. vocat λόγον ἔμφυτον, Verbum insitum. Sed scripturæ sententiæ hoc non volunt. Iacobus enim non dicit, diuinam naturam insertam esse humanæ, sed docet, quomodo Verbum Euangelij in contritione per fidem implantetur cordibus. Et Christus germen Dauidis vocatur eò, quòd ex genere Dauidis carnem assumserit: Ita enim explicatur radix Dauidis Apoc. 22. Et ipsa similitudo talis insitionis, vt crassior, non satis rectè congruit ad hoc mysterium.

Eligendæ igitur sunt similitudines, ad quarum considerationem ipsa scriptura nos deducit. Ita enim collationem illarum similitudinum magis amabimus, & eò certius illis insistere audebimus, ad declarationem eorum, quæ in scriptura de vnione hypostatica in Christo expressè tradita sunt.

Veteres igitur Ecclesiastici scriptores tribus potissimum similitudinibus, quarum vestigia in ipsa scriptura extare animaduerterunt, ad declarandum mysterium hypostaticæ huius vnionis vsi sunt: Vna est Lucis & Solis, qua Iustinus in libello de expositione fidei vtitur. Quia enim Filius Ebr. 1. appellatur splendor seu refulgentia gloriæ, vtpote lumen de lumine: Vocatur etiam Sol iusticiæ, Malach. 4. Et lux ex corpore ipsius refulget Matth. 17. & Acto. 9. Inde Iustinus sumit hanc similitudinem, Sicut Lux primogenia, primo die creata, existens ἄϋλος καὶ ἀσώματος immaterialis & incorporea, postea corpori solari, quod quarto die creatum scribitur, vnita, facta est quodammodo σώματος, sicut Oecumenius inquit, Vbi duæ distinctæ sunt naturæ, Lucis scilicet & corporis solaris, quæ ita vnitæ sunt, vt vnus sit Sol lucidus, & vnum ac idem lumen illustrans

omnia. Ita in Christo Incarnato duæ differentes sunt naturæ, diuina, quæ ab æterno fuit, & humana, in tempore formata, quæ vnitæ sunt ad vnum ὑφισάμενον, vt vnus sit Filius, qui simul & Dei & hominis Filius est.

Et sicut τὸ φῶς ἀρχέγονον Lux illa primogenia, vnione illa & se & totam suam vim & operationem communicauit corpori solari, non physica communicatione confusionis, effusionis, aut exæquationis, hoc est, non ita, vt iam duo sint in Sole lumina, alterum primæuæ lucis essentialiter proprium, alterum ex luce illa in corpus solare seorsim effusum, priori æquale formaliter in corpore solis inhærens. Sed vnicum est lumen solis, quod essentiale & proprium est ac manet primæuæ lucis, ac nequaquam fit proprietas vel essentialis, vel accidentalis, corporis solaris. Sed quia solis corpus, ratione vnionis est δεκτικὸν primæuæ lucis, sicut Iustinus loquitur, per illam igitur vnionem, talis fit communicatio, quod virtus & ἐνέργεια lucis propria, in corpore solis, & per illud se exerit & diffundit. Ac corpus Solis, illo, quod lucis proprium est, lumine, ex vnione quasi accensum lucet, splendet ac lucis radios emittit, virtute & operatione primæuæ lucis, quæ corpori solari per περιχώρησιν vnita est. Aër enim est lucidus, participatione & susceptione splendoris aduenticij. Et Luna quale habeat naturale lumen, in Eclipsi ostendit: Aliud verò præterea lumen habet luna, ex participatione à radijs splendoris solaris. Sed verò est lucidus non tali participatione ab extra vt luna, sed quia intrinsecus possidet ipsum fontem luminis, vnitum sibi per περιχώρησιν inseparabiliter.

Ita in Christo non duplex est vita viuificans, non duplex diuina potentia, maiestas, sapientia &c. Sed vnica, quæ essentialis & propria est & manet solius diuinæ naturæ. Per vnionem verò communicata est assumptæ naturæ, non Physica confusione, effusione, & exæquatione, sed œconomia vnionis, quòd scilicet diuina illa idiomata, facultates & operationes suas exerunt, & exercent, in assumptam, cum assumpta, & per assumptã naturam: Ac caro viuificet non sua aliqua formali virtute, sed virtute τοῦ λόγου, per vnionem personaliter in carne illa habitantis.

tantis. Ita vera vnio non eſt abſq; tali communicatione, per quam, nullam fieri naturarum aut proprietatum eſſentialium confuſionem aut exæquationem, ſimilitudo hæc plané oſtendit. Athanaſ. Dial. 5. de Trin. Similitudinem illam repetit, & ita proponit eam, ac ſi Sol in lucerna aliqua, & per lucernam, lucem ſuam emittat. Oecumenius verò Col. 2. prorſus ita, ſicut Iuſtinus, Similitudinem illam deſcribit.

Altera veteris Eccleſiæ ſimilitudo eſt maſſæ ignitæ, ſicut Origenes eam proponit: Athanaſius in dialogis ponit lignum ignitum & cauterium ignitum, Baſilius ferrum ignitum, Cyrillus carbonem ignitum, Damaſcenus Machæram ignitam.

Videtur autem ſimilitudo illa ſumpta eſſe ex rubo ignito, qui totus ardebat, & tamen non comburebatur. In quo rubo Filius Dei, futuram ſuam incarnationem præfigurans, Moſi apparuit, Exod. 3. Et Apoc. 1. ſimilitudo Filij hominis Iohanni oſtenditur in ſpecie æris, in fornace igniti & candentis. Ac ſimilitudo illa aptiſsimè aliquo modo oſtendit modum illum arctiſsimæ vnionis, quem Damaſcenus nominat περιχώρησιν, quomodo ſcilicet plenitudo diuinitatis in Chriſto inhabitet corporaliter, quomodo vtraq; natura agat cum communicatione alterius, & quomodo caro Chriſti totam virtutem verbi hauriat, atq; ita viuifica reddatur, quæ poſtea explicanda erunt. Nunc tantum oſtendimus ſimilitudinem illam, toti vetuſtati vſitatiſsimam, in ipſa ſcriptura præmonſtratam, totam hanc doctrinam illuſtrare.

Tertia, Veteris Eccleſiæ ſimilitudo eſt, Animæ vnitæ ſuo corpori, quam Iuſtinus tradit vetuſtati ante ſuam etiam ætatem vſitatam fuiſſe: Hanc Athanaſius ita explicat: Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, Ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Et Cyrillus in Epiſtola ſynodica inquit: Verbum in aſſumpta natura, talem ſibi habitationem fecit qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus. De hac ſimilitudine Auguſtinus inquit: Licet non per omnia reſpondeat, eſt tamen ſimilitudo magna, elegans, & ad rem intellectu difficilem, ſed cognitu neceſſariam, explicandam, percommoda & nobis familiariſsima. Et ex hac ſimilitudine appellationes

nes essentiæ, naturæ, ὑποστάσεως, ὑφισαμένου & personæ mutuamur, & ad Christi incarnationem accommodamus. Vt igitur similitudo illa, & quæ ex ea, scripturæ testimonijs consentanea, ad declarationem mysterij huius deducuntur, firmiorem & certiorem habeant autoritatem, vtile est obseruare, quòd ipsa scriptura ad considerationem huius similitudinis nos deducat. Scriptum est enim, Hebr. 2. Sicut pueri communicant carni & sanguini, ita similiter & Filius Dei particeps factus est carnis & sanguinis. Et sicut anima mea habet proprium suum corpus, cui hypostatice vnita constituit hominem: Ita & Filius Dei humanam naturam assumptione fecit sibi propriam, ad constituendum vnum ὑφισάμενον. Item, corpus scribitur esse habitaculum, in quo anima habitet, 2. Cor. 5. vbi additur, Animam, quàm diu est in corpore, esse quasi in scena. Et Iohannes, vt ad huius similitudinis considerationem nos deducat, vsurpat verbum ἐσκήνωσε, vbi tradit, verbum carnem factum. Ipse etiam Christus corpus suum vocat templum, Ioh. 2. quia in illo inhabitat tota plenitudo Deitatis, Col. 2. His fundamentis de similitudinibus illis ex scriptura positis, maiori iam certitudine eas ad Sacramentum incarnationis accomodare poterimus & audebimus, vt inde petamus declarationem illustrantem ea, quæ in scriptura de hoc mysterio tradita sunt.

Cogitandum autem est de illis similitudinibus, quod Iustinus dicit, ἁρμόδιον γὲ τὸ παράδειγμα οὐ κατὰ πάντα, κατὰ τί γοῦν. Accommodatum sanè paradigma est si non ex omni, ex aliqua tamen parte. Et Damascenus lib. 3. cap. 26. inquit: Non nec esse est paradigmata omni modo & absq; defectu similia esse rebus ipsis, sed aliquid habere simile, aliquid verò dissimile. Quod verò per omnia simile est, non exemplū est, sed idem. Præcipuè verò de Deitate & incarnatione impossibile est exempla, quæ per omnia sint similia, inuenire. Hanc Damasceni sententiam Hieronymus ita explicat: Exempla non in omnibus, quorum sunt exempla, similia sunt. Si enim eadem essent omnia, iam non exempla dicerentur, sed ipsæ potius res, de quibus agitur, viderentur. Et vsitatè dicitur: ἐλαττοῦται πάντα παράδειγμα τῆς ἀληθείας. Omnis similitudo minor est veritate.

Sicut

Sicut igitur in homine eſt οὐσία, eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura, eſt etiam hypoſtaſis ὑφισάμενον ſeu perſona: Ita hæc vocabula translata ſunt ad myſterium incarnationis. Sine eorum enim adminiculo grauiſsimæ controuerſiæ Neſtorij & Eutychis explicari haud facilè poſſunt. Et diſcrimen οὐσίας & ὑποσάσεως non obſeruatum maximas in hac doctrina peperit turbas. Neſtorius enim exiſtimauit, in Chriſto, quia duæ perfectæ naturæ ſunt, duas propterea eſſe perſonas. Eutyches contrà putauit, propter vnitatem perſonæ, neceſſariò etiam vnam tantum naturam in Chriſto incarnato ponendam. Monotheletæ ſimiliter, propter perſonæ vnitatem, vnius tantum generis, & eadem Idiomata vtriuſque naturæ in Chriſto eſſe, cenſebant. Hæc euolui, explicari, & refutari non facilè poſſunt, ſine definitione & differentia οὐσίας καὶ ὑποσάσεως, de quibus in primo cap. quædam annotauimus.

οὐσία igitur ſignificat naturam, quæ multis indiuiduis cõmunis eſt, & totam eſſentialem proprietatem ſingulorum continet.

ὑπόσασις verò, eſt ſubſtantia ſingularis ſeu indiuidua, quæ conſtat natura communi, & præterea à cæteris omnibus eiuſdẽ naturæ ſingularibus ſeu indiuiduis, certis quibuſdam proprietatibus, non quidem eſſentialibus, ſed perſonalibus, ſeu characteriſticis, ſicut Damaſcenus loquitur, ſeu ἀφοριστικαῖς, ſicut Iuſtinus inquit, diſcreta, in ſe & per ſe perfecta ſubſiſtit, ita, vt nec pars ſit alterius, nec in alio ſuſtentetur. Et hæc in genere conueniunt omni ſubſtantiæ, non tantũ intelligenti, ſed & irrationali, imò etiam inanimatæ. Damaſcenus enim, ex ſententia Græcorum, οὐσίαν & ὑπόσασιν tribuit etiã equis, bobus & oleis. Scholaſtici verò in hac generali ſignificatiõe vtuntur vocabulo ſuppoſiti. In natura verò intelligente, ex Boëtio, propriè vocant hypoſtaſin ſeu perſonam. Illam verò Boëtius ita definit: Perſona eſt naturæ rationabilis indiuidua ſubſtantia. Apud Lombardum extat hæc definitio: Perſona eſt ſubſtantia rationalis, indiuiduæ naturæ. Quia verò iuxta hanc definitionem anima humana ſeparata, per ſe, ſine corpore eſſet perſona hominis: Sequeretur etiam in Chriſto incarnato duas eſſe hypoſtaſes ſeu perſonas. Sunt enim in ipſo duæ indiuiduæ intelligentes

ſubſtantiæ. Ideò rectè iudicatum fuit, in definitione perſonæ faciendam eſſe mentionem incommunicabilitatis. Ita Richardi definitio dicit, Perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia: Incommunicabilitatem verò interpretantur, vt perſona per ſe ſubſiſtat, ita vt non ſit pars alterius, vel eſſentialis vel integralis, nec ſuſtentetur in alio, vel dependeat ab alio, nec natum ſit inhærere alteri: Ita anima ſeparata, & humana natura in CHRISTO, licet ſint ſubſtantiæ indiuiduæ, intelligentes, non tamen habent plenam & perfectam rationem perſonæ. Et hæc eſt ratio definitionis, quæ vſitatè nunc traditur. Perſona eſt ὑφισάμενον, hoc eſt, ſubſiſtens, viuum, intelligens, indiuiduum, incommunicabile, non ſuſtentatum in alio.

Hæc ſi ſobriè accommodentur ad doctrinam de incarnatione Filij Dei, non parum inde lucis accedet. In angelis igitur vna hypoſtaſis vna conſtat natura: In hominibus verò, vna perſona pluribus conſtat naturis, vt, homo conſtat anima & corpore, quæ diuerſæ & diſtinctæ ſunt ſubſtantiæ. Altera enim eſt corporea, altera ſpiritualis, ſeu incorporea. Et hoc exemplum ſcripturæ (ſicut ſupra dictum eſt) oſtendit propter ſimilitudinem quandam, congruere ad vnionem duarum naturarum in Chriſto. Et Iuſtinus quidem diſsimilia quædam colligit, quòd ſcilicet in homine Animæ & corporis coniunctio conſtituit humanam naturam, quæ nec corpus eſt, nec anima ſola, ſed natura compoſita, quaſi tertium quiddam. Item in homine, quando corpus laceratur, ſimul etiam anima patitur, quod de diuinitate cogitare nefas eſſe Iuſtinus dicit. Item in homine ambæ naturæ ſunt creatæ & finitæ, nec altera ſine altera habuit ſubſiſtentiam, quæ in Chriſti perſona diuerſa ſunt. Item in homine anima eſt forma corporis, Diuinitatis verò in Chriſto incarnato non eſt, vt forma in materia, ſicut poſtea de Apollinariſtis & Monotheletis dicemus. His igitur quæ diſsimilia ſunt, ſepoſitis, ea, quæ ex hac ſimilitudine, ad illuſtrandum myſterium incarnationis, iuxta Analogiam fidei, ſumi poſſunt, ordine recenſebimus.

Non

2. Non ſequitur, ſicut Neſtorius ſomniauit, propter duas naturas in Chriſto, quæ diuerſæ & diſtinctæ ſunt, duas eſſe hypoſtaſes ſeu perſonas. Non enim duo ſunt Pauli, vel duo homines, licet perſona Pauli & ſingulorum hominum conſtet ex duabus naturis, ſpirituali & corporali, anima ſcilicet & corpore.

2. Sicut in vno homine, non ideò, quia vnum ὑφισάμενον eſt, duæ illæ diuerſæ naturæ confundentur, nec altera in alteram commutatur, ſed ſunt & manent diſtinctæ: Ita non opus eſt, cum Eutyche fingere vel confuſionem vel conuerſionem naturarum in Chriſto, propter vnitatem perſonæ. Neq; enim vnitas hypoſtaſeos neceſſariò requirit vnitatem naturæ, id quod in exemplo hominis manifeſtiſsimum eſt, vbi duæ naturæ, licet non ſeparentur in duas perſonas: tamen in vna hypoſtaſi, ſicut diſtinctæ ſunt & manent, ita etiam diſtingui & poſſunt & debent: Ita exemplum hoc pulcherrimè conuenit ad vnionem duarum naturarum in Chriſto incarnato.

3. In vna hominis hypoſtaſi, vtraq; natura, & corpus & anima, etiam quando coniuncta ſunt, non tantum ſubſtantiam, verumetiam peculiaria ſua eſſentialia Idiomata, & proprias, licet non ſeparatas actiones, habent & retinent. Nec vnione illa fit vel confuſio, vel tranſmutatio, vel exæquatio, vel naturarum vel Idiomatum eſſentialium. Non rectè igitur Eutyches confuſionem aut tranſmutationem naturarum propter perſonæ vnitatem finxit: Nec μονοθελητοὶ rectè diſputarunt, propter vnitatem perſonæ in Chriſto, vnam tantum eſſe voluntatem, & vnam actionem vtriuſq; naturæ, Sed perſona Chriſti incarnati, conſtituitur ex vnione diuinæ & humanæ naturæ, ſalua differentia, & naturarum, & proprietatum eſſentialium abſq; confuſione, tranſmutatione & exæquatione.

4. Ipſa etiam deſcriptio hypoſtaticæ ſiue perſonalis vnionis in Chriſto, non parum illuſtrior reddetur conſideratione huius ſimilitudinis. Athanaſius dial. 4. de Trini. inquit: quando anima rationalis σωματοῦται incorporatur, & corpus ψυχοῦται animatur, tunc dicitur homo. In conſtitutione enim hominis, duæ illæ diſtinctæ naturæ ſeu ſubſtantiæ, anima ſcili-

cet & corpus, ideò & ita coniunguntur ſiue vniuntur, vt faciant ſeu conſtituant tale indiuiuum ὑφισάμενον, quod & ſit & vocetur homo. Non enim ſolum corpus, nec etiam ſola anima eſt homo, ſed ambæ illæ naturæ, corpus ſcilicet & anima, certo modo vnitæ, conſtituunt indiuiduam & incommunicabilem illam ſubſtantiam hominis, quæ eſt hypoſtaſis ſeu perſona. Et ſubſtantia illa hominis indiuidua & incommunicabilis nihil aliud eſt, quàm corpus & anima, hoc eſt, duæ illæ naturæ ita vnitæ, vt conſtituant vnum ὑφισάμενον.

Hæc ex collatione clarius intelliguntur. Corpora enim ſanctorum ſunt inhabitatio & animæ & Spiritus Sancti. In obſeſsis ſimul & anima inhabitat & diabolus. Et tamen cum Spiritus Sanctus in credentibus, & diabolus in obſeſsis, & eſſentia, & efficacia inhabitent, ſola tamen animæ in ſuo corpore inhabitatio facit hypoſtaticam ſeu perſonalem vnionem, propterea, quia anima & corpus pertinent ad ipſam hominis ſubſtantiam. Imò ipſa hominis ſubſtantia indiuidua nihil aliud eſt, quàm anima & corpus hoc modo vnitæ, vt conſtituant perſonam ſeu ὑφισάμενον hominis. Talis inhabitatio non eſt vel Spiritus Sancti in credentibus, vel diaboli in obſeſsis. Non enim pertinent ad conſtitutionem indiuiduæ ſubſtantiæ hominis. Hæc in hypoſtaſi hominis manifeſta ſunt. Accommodabimus autem illa ad perſonalem vnionem diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto. Nam de hypoſtatica vnione corporis & animæ ſcriptura vtitur verbo fieri, Geneſ. 2. Et factus eſt homo in animam viuentem, Sicut & de incarnatione Chriſti ſcriptum eſt: Verbum caro factum eſt. Sed illud diſcrimen obſeruandum eſt: In homine nec anima, nec corpus per ſe habet rationem perſonæ, Sed ideò fit vnio, vt conſtituatur hypoſtaſis ſeu perſona hominis. Filius Dei verò, ſubſiſtens in diuina natura, ab æterno fuit perſona, ante incarnationem, & quidem perfectiſsima, cuius perfectioni nihil prorſus deerat. Non igitur opus fuit Filio Dei aſſumere humanam naturã, vt fieret ὑφισάμενον perfectum, Sed ex immenſa caritate erga genus humanum, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, ille, qui per ſe perfectum erat ὑφισάμενον, humanam naturam aſſumpſit, non quoquo modo,

ſed

ſed tam arcto fœdere ſibi copulatam, vt eam ſibi propriam fecerit, Heb. 9. Ita, vt vnus ſit Chriſtus, & vnus Dominus, qui iam poſt incarnationem conſtet, non ſola diuina, ſed diuina & humana natura, hoc eſt, vt ad ὑφισάμενον ſeu ſubſtantiam indiuiduam Chriſti Mediatoris incarnati pertineat iam non tantum diuina natura, verumetiam aſſumpta humana natura: Seu quòd ſubſtantia indiuidua incommunicabilis Chriſti incarnati, iam non ſit tantum diuina, verumetiam aſſumpta humana natura. Sicut.n. anima nō eſt totus homo: Ita totus Chriſtus incarnatus iam non eſt tantum diuina natura, ſed diuina & humana perſonaliter vnitæ, vt totus Chriſtus iã ſubſiſtat, ex vtraq; & in vtraq; natura, ſicut veteres loquuntur. Hæc conſideratio aliquo modo oſtèndit, quid ſit perſonalis vnio duarum naturarũ in Chriſto.

Obſeruanda tamen etiam eſt diſſimilitudo illa, cuius antea ex Iuſtino mentionem fecimus, quòd ſcilicet in homine nec anima ſola, nec corpus ſolum eſt tota, ſeu perfecta humana natura, ſed ſunt partes eſſentiales, quarum coniunctione natura humana conſtans corpore & anima conſtituitur: In Chriſto verò duæ naturæ ad vnum quidem ὑφισάμενον conſtituendum vniuntur, non autem ad conſtituendam vnam compoſitam naturam verbi incarnati, id quod Eutychen fefellit. Ideò iam accuratè veteres loquuntur, vt Iuſtinus inquit: Chriſtus non eſt alius præter diuinam & humanam naturam, ſed & Deus & homo ἑκάτερα vtrumq; exiſtit. Nazianzenus inquit: Duæ ſunt naturæ in Chriſto, ἧς ὤν, ᾗ αἷς & ἄπῳ, ex quibus Chriſtus conſtat, in quibus ſubſiſtit, & eſt vtrumq;, ſeu ambæ illæ naturæ ſunt vnus ille Chriſtus. Damaſcenus lib. 3. cap. 5. οὐκ ἧς ἑτέρων ἕτερον, ἀλλ' ἧς ἑτέρων αὐτά, hoc eſt, Chriſtus non eſt ex alijs ſeu diuerſis naturis aliud quaſi tertium inde compoſitum, ſicut humana natura ex anima & corpore componitur, ſed ex alijs illapſa, hoc eſt, Chriſtus eſt vtrumq;, ſeu ambæ naturæ perſonaliter vnitæ ſunt vnus Chriſtus.

Et quanquam hæc plenè in hac vita peruideri non poſſunt, contenti tamen ſimus mediocri hac explicatione & cognitione, quæ quidem vtilis eſt, & ad fidei ædificationem, & ad conſolationem. Lapſa erat triſtiſsimo caſu humana natu-

ra, & per peccatum abalienata erat à Deo, Isa. 59. Ephes. 4. Redacta sub potestatem diaboli, Col. 1. Ita, vt restitutio eius, non tantum difficilis, sed prorsus impossibilis videretur. Sed quod posset illustrius esse documentum & pignus voluntatis diuinæ, de certitudine & firmitate liberationis, & perpetuæ saluationis totius humanæ naturæ per Christum, contra omnem diaboli potentiam. quàm quòd Filius Dei tali inseparabili fœdere & vnione, massam humanæ naturæ sibi propriam fecit & copulauit, vt iam pertineat ad ipsam personam Christi Saluatoris, sicut dictum est, & quòd diuina natura iam non sit totus Christus, sine assumpta humana, Sed tota persona Christi iam constet ex diuina & humana natura. Hæc summa dignitas est exaltatæ humanæ naturæ: Non enim Angelos vnquam ita assumpsit, sed semen Abrahæ, Hebr. 2. Hæc cogitare vtile est, etiamsi non possimus totum mysterium illius vnionis in hac vita perscrutari.

5. Ille etiam modus hypostaticæ vnionis diuinæ & humanæ naturæ in Christo, quem Damascenus vocat περιχώρησιν, pulchrè illustratur ex hisce similitudinibus vnionis lucis & corporis solaris, ignis & ferri, corporis & animæ. Ac de similitudine lucis & corporis solaris, paulò ante dictum est: Lux enim vnitum sibi corpus solare ita replet, penetrat & circumplectitur, vt corpus solare vnita illa sibi luce lucidum sit, ac radios vnitæ illius lucis ex se emittat. Ita alia ratione Mosis facies splendet participatiuè Exo. 24. Alia ratione Christi facies splendet, Matth. 17. gloria diuina personaliter inhabitante, lucente ex facie Christi. Idem verò etiã patet in vnione animæ & corporis in homine. Neq; n. anima ita vnitur corpori per assistentiam vel attingentiã, sicut quando duo solida corpora coniunguntur, vt fiat vnum vel contiguum, vel continuum, vbi inter coniuncta illa solida corpora nulla fit aut intercedit cõmunio: Sed anima sui vnione totum corpus vndiq; permeat, vt, sicut Augustinus inquit, tota sit in toto corpore, & in singulis membris tota sit, ac corpus in illa vnione animæ suam habeat immanentiam, ita vt hoc modo anima potentias, vires & facultates suas, singulis membris conuenientes communicet, hoc est,

in illis

in illis & per illa operetur & efficax sit. Origenes lib. 2. περὶ ἀρχῶν, illam περιχώρησιν pulchrè explicat similitudine ferri igniti, vt si massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusq; venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, si neq; ignis ab ea cesset aliquando, neq; ipsa ab igne separetur, totam ignem effectam dicimus, sicut in fornacibus sæpè fieri videmus, quoniam nec aliud in ea, nisi ignis cernitur, sed & si quis contingere atq; tractare tentauerit, non ferri sed ignis vim sentiet. Et ad reliquos quidem sanctos calor aliquis verbi Dei putandus est peruenisse: In illa verò anima (imò in tota humana Christi natura) ipse ignis diuinus substantialiter requieuisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis veniret. Hæc Origenes.

Et ex hac consideratione aliquo modo intelligi potest, quid sit, quando Paulus hypostaticam vnionem in Christo ita describit, Col. 2. Tota plenitudo diuinitatis in ipso inhabitat σωματικῶς. Quam inhabitationem Damascenus vocat περιχώρησιν, & illam declarat exemplo vnionis animæ cum corpore, & ignis cum ferro. Non igitur in Christo incarnato ita intelligenda est salua duarum naturarum differentia, quasi tantum superficie tenus se attingant, vt si minutus lapillus immensæ petræ adhæreat, vel si duæ diuersæ laminæ, puta auri & ferri, conglutinentur, inter quas nulla fit aut intercedit communio: Sed hypostatica vnio fit per περιχώρησιν. Nec timida est naturarum vel conuersio vel confusio, si ponatur mutua earum περιχώρησις, qualis est animæ & corporis, ignis & ferri. In illis enim saluam manere naturarum differentiam, etiam rationi manifestum est. Et propter illam περιχώρησιν, licet lux aliud quid distinctum & diuersum sit à corpore solis, inde tamen separari non potest: Et ignis ille ferro vnitus, si alicubi extra ferrum & sine ferro vel sit, vel ponatur, vel fingatur, eo ipso non amplius vnitus erit ferro, sed vnio soluta erit. Anima etiam si quando & sicubi est sine suo corpore, & extra suum corpus, iam eo ipso non amplius vnita est, & manet suo corpori, sed separata est ab eo. Ac licet in Christo assumens natura sit infinita, & assumpta maneat finita: tamen quia per hypostaticam vnionem

facta

facta est talis proportio inter infinitum & finitum, vt & vnum inde constituatur ἓν ἀσύγχυτον, ac duæ illæ naturæ inter se intima & præsentissima copulatione vnitæ sint, ἀδιαιρέτως καὶ ἀδιαστάτως inseparabiliter & indistanter, sicut de vocabulis illis antea diximus. Si itaq; naturam diuinam λόγυ seorsim & distanter alicubi sine humanitate & extra assumptam humanitatem credere, apprehendere & habere vellem, eo ipso hypostaticam vnionem duarum in Christo naturarum soluerem, sicut antea &c. dictum est. Porrò ad hanc περιχώρησιν pertinet etiam illud, quod Patres sæpè repetunt, assumptam humanam naturam Christi λόγον totum capere, non quasi diuinitas concludatur, vt in vase, sicut inquit Nyssenus apud Theodoretum, pag. 44. sed per περιχώρησιν. Ita Iustinus dicit, Assumptum templum splendorem totius luminis Solis iusticiæ capere. Irenæus lib. 3. cap. 18. dicit, hominem χωρῆσαι capere & complecti τὸν λόγον. Origenes lib. 4. cap. 6. Anima Christi tota totum λόγον recipit. Et lib. 4. inquit: Filij Dei plenè capax fuit. Augustinus Epist. 57. Deus vbicunq; est, in seipso totus est, Sed illi, in quibus habitat, eum non ex toto capiunt, sed ab alijs plus, ab alijs minus capitur. De ipso verò capite nostro Apostolus ait: In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Illæ verò similitudines magis dulcescent, si ad incarnationem Christi ita accommodentur, vt doctrina ad vsum & consolationem conferatur. In verbo seu diuina natura erat vita, Ioh. 1. Imò ipse fons vitæ, Psal. 36. Sed propter peccatum obstructa nobis erat via ad lignum vitæ. Genes. 3. Et abalienati eramus à vita Dei, Ephes. 2. Peccata enim diuiserunt inter Deum & nos, Isa. 59. Christus igitur Mediator noster, diuinam suam naturam in incarnatione ita vniuit humanæ, vt totam plenitudinem Deitatis, tanquam thesaurum deposuerit in illam humanam naturam, quam assumpsit, idq; ideò, vt gratia, veritas, vita & salus, vnde abalienati eramus, propinquissima nobis fierent, vtpote deposita in illa nostra natura, quam Filius Dei assumpsit, vtq; ex illa nobis cognata, & consubstantiali natura, ad nos deriuarentur, atque ita ex plenitudine eius acciperemus gratiam pro gratia, Ioh. 1. Et hoc est, quod Paulus dicit, To-

tam

tam plenitudinem diuinitatis habitare in Christo σωματικῶς. Non igitur tam frigidè & leuiter sentiendum est de hypostatica vnione diuinæ & humanæ naturæ in Christo, Sicut quando duo asseres aut duo lapides extremitatibus conglutinantur. Sed huius obseruationis postea vsus erit.

6. Ex similitudine etiam animæ & corporis intelligitur, quomodo propria naturarum in Christo fiant communia personæ. Sicut enim & quæ animæ & quæ corporis propria sunt, propter vnionem personalem tribuuntur vni ac toti homini, qui constat corpore & anima, & tamen, quia naturæ non sunt confusæ, ostenditur, cuius naturæ singula sint propria: Ita Deus dicitur mortuus, respectu humanæ suæ naturæ: Et homo Christus dicitur æqualis Deo, ratione diuinæ suæ naturæ, sicut postea plenius hæc explicabimus.

7. Ostendunt etiam hæ similitudines, quòd & quomodo in Christo vtraq; natura agat cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est. Cauterium enim ignitum imprimendo vrit, & vrendo facit impressionem Machæra ignita, vrendo incidit & incidendo vrit, quod neutra natura sine altera facere posset. Ita Anima humana separata habet suas actiones, & potest illas sola per se exercere. Sed quando vnita est corpori, vtitur ad actiones suas organis corporis, non tantum in motibus & sensibus exterioribus, verum etiam in ijs, quæ propria sunt animæ rationalis. Læsis enim seu deprauatis organis, quid intellectui & memoriæ accidat in homine, non tantum ex medicorum doctrina, sed ex ipsa experientia notum est, sicut & diuersitas affectuum oritur ex varia dispositione humorum & spirituum. Et verè admiranda est hæc copulatio, quòd anima, cum actiones suas sola per se posset exercere & expedire, sicut facit, quando separata est, illas tamen propter hypostaticam vnionem communes facit cum corpore, quòd scilicet organis corporis vtitur, in quibus, cum quibus, & per quæ operationes suas exerceat.

Et hæc est dulcissima Imago, quòd & quomodo in Christo incarnato vtraq; natura agat cum communicatione alterius, Diuina siquidem natura in Christo posset omnes suas actio-

nes exercere & expedire, ſine aſſumptâ humana natura: Sed ideò in ſanationibus, & in ipſo opere Redemptionis, adhibuit vel membra, vel vocem humanæ ſuæ naturæ, vt oſtenderet talem factam eſſe vnionem, quod præcipuè & principaliter in opere redemptionis, reparationis & ſaluationis generis humani, diuina natura non ſola per ſe, ſed in aſſumpta humana natura, cum humana natura, & per humanam naturam, illas ſuas operationes exercere & perficere velit. Et verè immenſus eſt dignationis affectus (ſicut veteres loquuntur) in Filio Dei erga humanam naturam, quòd eam in communionem ſuarum actionum, ſine confuſione & exæquatione, aſſumere dignatus eſt. Et cogitetur, in quam dignitatem natura noſtra per illam vnionem euecta ſit. Cum enim humana natura in Adamo facta eſſet cauſa perditionis, & ſui & totius generis humani, iam ita aſſumpta eſt à diuina natura τῷ λόγῳ, vt per quam naturam facta fuerat perditio generis humani, per eandē etiam fieret redemptio & reſtitutio generis humani. Filius Dei enim opus noſtræ redemptionis & reparationis, non per ſolam diuinam ſuam naturam, ſed in aſſumpta humana natura, cum humana natura, & per humanam naturam, voluit peragere, ſicut & quotidiè in credentibus viuificationem & ſaluationem hoc modo operatur. Hæc piè & reuerenter cogitanda ſunt, poſtea verò peculiari capite illa plenius explicanda erunt. Hoc loco tantum oſtendere volui, quàm vtiles & dulces conſiderationes præbeat ſimilitudo conſtitutionis perſonæ hominis, ex anima & corpore, ſi ad analogiam fidei de myſterio incarnationis rectè & piè accommodentur.

8. Quod in hac doctrina præcipuum & maximè controuerſum eſt, De communicatione reali, ſimpliciſsimè per haſce ſimilitudines illuſtratur. Ignis enim per vnionem, & eſſentiam & proprietates ſuas ita communicat ferro ignito, non per communicationem confuſionis, effuſionis ſeu exæquationis, ſed ita, quod eſſentia ſua per περιχώρησιν eſt in ferro, quòq; vim ſuam lucendi & vrendi exerit & exercet, in ferro, cum ferro & per ferrum ignitum, abſq; naturarum & proprietatum confuſione, quodq; non tantum ignis in ferro lucet & vrit, ſed ipſum etiam ferrum

ferrum ignitum lucet & vrit, non proprietate ſua eſſentiali, nec qualitate aliqua ſeorſim, extra ignem in ferrum effuſa, ſed vi ac potentia vniti ignis candet ac vrit, qua vi ac potentia, licet ignis propria ſit, ipſum tamen etiam ferrum ignitum propter vnionem, ad vrendum & lucendum vtitur. Qua ratione, nec confuſio, nec abolitio, nec tranſmutatio, nec exæquatio fit, vel ſubſtantiarum vel proprietatum eſſentialium ferri & ignis, ſicut apparet, quando ignis à ferro rurſus ſeparatur. Et nullâ hac ratione fieri vel phyſicam effuſionem vel exæquationem inde manifeſtum eſt. Ingens enim diſcrimen eſt, quando ignis lucet & vrit in ferro, & quando ferrum ignitum lucet & vrit: Nam ignis in ferro lucet ac vrit, virtute, facultate ſeu potētia ſua propria & eſſentiali, Ferrum verò ignitum lucet & vrit, non propria aliqua eſſentiali ſua virtute, nec aduentitia aliqua qualitate formaliter in ferro inhærente, ſed virtute ignis vniti lucet & vrit, quæ virtus eſſentialis & propria eſt & manet ipſius ignis, Sed propter vnionem cum ferro, iam non ignis tantum in ferro ea virtute vtitur, ſed & ferrum ignitum, ratione vnionis virtute illa vtitur, vt ea luceat & vrat. Hæc ita eſſe & fieri, & quidem abſq; confuſione & exæquatione naturarum & ratio & ſenſus intelligunt & dijudicant: & tamen quando talem ac non aliam realē communicationē proprietatum diuinitatis in perſona Chriſti ex ſcriptura docemus, quaſi incredibile & impoſsibile hoc ſit, meris confuſionum, tranſmutationum, & exæquationum vociferationibus, à multis excipimur & obtundimur.

Simili etiam modo, virtus, potentia ſeu facultas rationalis, vitalis & animalis, animæ eſſentialis & propria eſt, neq; vnquā vel eſt vel fit corporis eſſentialis proprietas, ſed tamē propter vnionē animæ cum corpore illas ſuas proprietatēs anima cum vnito corpore communicat, & vnitū corpus cum illis habet communionem, nō quòd fiat confuſio naturarū animæ & corporis, nec quaſi anima extra ſe potentias ſuas in corpus effundat, nec quaſi duæ & æquales in homine ſint potentiæ rationales, vegetatiuæ, ſenſitiuæ, vitales, locomotiuæ, altera in anima, altera in corpore, ſed vna eſt potentia rationalis, vitalis, & animalis, quæ animæ propria eſt & manet, ſed illa per vnionem dicitur cor-

 pori

pori communicari, quia anima, quæ per περιχώρησιν tota cum omnibus ſuis potentijs habitat in proprio corpore, potentias illas ſuas, in organis corporis ad hoc miniſterium ordinatis & diſpoſitis, & per eâ exerit & exercet in homine. Ac philoſophi ſane quidam diſputant, ſolam animã in illis actionib. operari, Corpus verò tantum pati. Sed nequaquam anima ita oculis videt, corde intelligit ac vult, ac ſi Diogenes in ſuo dolio aliquid cogitet, & per foramen eius proſpiciat, dolio hæc tantum patiente. Scriptura enim, cuius phraſes meritò imitamur, dicit: Oculus videt, auris audit, lingua loquitur, cor intelligit & vult, non autem peculiari aliqua ſua virtute, ſed virtute animæ, quæ cum ſuis potentijs corpori vnita eſt, ita, vt hoc modo vnitum corpus cum animæ potentijs talem habeat communionem. Ac manifeſtum eſt hac ratione nõ fieri confuſionem animæ & corporis: Anima enim videt, audit, nutrit, intelligit, propria ſua & eſſentiali virtute: Auris verò audit, oculus videt, cor intelligit, vult, &c. non peculiari aliqua ſua virtute vel eſſentiali, vel adquentitia, ſed virtute animæ vnitæ, qua virtute animæ, corpus etiam propter vnionem vtitur, vt poſsit nutrire, ſentire &c. Hæc plana ſunt, & tamen, quando ſcriptura dicit, humanæ Chriſti naturæ hoc modo propter vnionem & ex vnione datam vitam viuificantem, omnem poteſtatem &c. multi, ne hoc concedant & credant, varia quærunt diuerticula, ſub hoc prætextu, ne fiat confuſio naturarum in Chriſto, cum in tali communione animæ & corporis, nemo confuſionem vereatur. Atqui longè excellentius eſt magnum illud myſterium vnionis diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto.

Humanum igitur corpus per ſe, ex ſui conſtitutione, habet certas proprietates naturales, ſeu eſſentiales, quæ ipſam corporis conſtitutionem & eſſentiam naturaliter conſequuntur. Sed quando vnita eſt ipſi anima, ex illa vnione corpus accipit & habet multas & longè alias facultates, quæ prorſus non ſunt in corpore, ſi per ſe ſolùm ſit ab anima ſeparatum. Cum enim Deus formaſſet corpus humanum de limo terræ, priuſquam illi inſpiraret ſpiraculum vitæ, Geneſ. 2. organa oculorum, aurium, linguæ, manuum, pedũ, ventriculi, epatis, cordis, &c. formata &

abſo-

abſoluta fuerunt, ſicut nunc ſunt in corpore viuente, ſed in oculis non erat virtus viſiua, aures non habebant facultatem audiendi, nec δ'ώναμις loquendi erat in lingua: Idem etiam de reliquis membris corporis intelligatur. Ita quando à corpore anima ſeparatur, villi ſunt, & manent in ventriculo, ſed non ineſt tunc illis proprietas, ſeu virtus digerendi, retinendi, expellendi &c. in cerebro etiam, vel vt ſcriptura loquitur, in corde, nulla tunc ineſt δ'ώναμις, ſeu facultas, qualis eſt, quando vnitam ſibi habet animam. Illas igitur facultates eſſe in corpore animato, certum eſt: Inſunt autem ei, non ex ipſa corporis compoſitione ſeu conſtitutione, ſed ex vnione animæ, quæ, quoniam per πϱιχώϱησιν habitat in ſuo corpore, inde fit talis communicatio. 1. Quòd Organa corporis ab anima diſponuntur & informantur, vt idonea ſint, quibus anima ad ſuas operationes vtatur. 2. Quòd anima non ſola per ſe, ſed per certa organa corporis, potentias & operationes ſuas exerit & exercet: Quodq; organa corporis illis animæ potētijs vtuntur, vt nutriant, ſentiant, viuant &c. Hæc ſimilitudo adhibitis ſcripturæ teſtimonijs (quorum antea facta eſt mentio, & quæ poſtea repetenda erunt) oſtendit, in humana natura, cui in Chriſto diuinitas perſonaliter vnita eſt, non tantum ponenda eſſe illa Idiomata, quæ in ea inueniuntur, quando per ſe vel extra illam vnionem, qualis in nobis eſt, conſideratur, vel quando in ipſa etiam vnione conſideratur, qualis in ſeſe, ex naturali ſeu eſſentiali ſua conſtitutione eſt, ſed quòd præterea alia longè excellentiora, quæ ex vnione hypoſtatica habet, in ea agnoſcenda ſint, vtpote dona habitualia ſeu formalia, quæ aſſumptam naturam in ſeſe informant & perficiunt, vt poſsit eſſe organon diuinitatis, ſicut Damaſcenus loquitur. Ac præter dona illa creata & finita, præcipuè & hoc agnoſcendum eſt, quòd tota plenitudo Deitatis τῦ λόγυ cum omnibus Idiomatis diuinis per πϱιχώϱησιν perſonaliter inhabitat in natura aſſumpta, ita vt oēm diuinam ſuam vim, gloriam, potentiam exerceat in, cum & per aſſumptam humanam naturam: Quodq; propter illam πϱιχώϱησιν Caro Chriſti viuificet, humanitas eius habeat omnem potentiam, ſicut ferrum ignitum habet vim lucendi & vrendi,

propter vnionem cum igne, ſicut dictum eſt. Sed & hæc poſtea peculiari capite latius explicabuntur. Nunc tantum propoſitū fuit oſtendere, quomodo ad analogiam fidei, quæ in ſcriptura, ſicut ſupra expoſuimus, de vnione diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto traditur, congruant ſimilitudines vnionis ignis & ferri, animæ & corporis, & quam pulchrè tota hæc doctrina, in capitibus difficilimis illuſtretur ex hiſce ſimilitudinibus.

9. Ad explicationem de hypoſtatica vnione pertinet & illa commonefactio, Filius Dei ab æterno ſubſtitit in diuina natura, priuſquam aſſumeret humanam naturam. Non autem ita caro Chriſti prius ſeparatim in vtero Mariæ formata fuit & animata, vt poſtea perſona Verbi carni illi prius formatæ & animatæ vniretur. Ita enim humana natura Chriſti aliquando habuiſſet propriam & peculiarem ſubſiſtentiam, ante & extra hypoſtaticam cum Verbo vnionem: nec Maria eſſet Θεοτόκος. Et neceſſariò ſequeretur, duas eſſe perſonas in Chriſto incarnato. Angelus verò expreſsè affirmat, Quod in Maria & ex Maria ipſa conceptione naſcitur, eſſe Filium Dei, Luc. 1. cap. Et quem Maria concipit, vocatur Emanuel, Matth. 1. Illa igitur maſſa humanæ naturæ, quæ operatione Spiritus, in conceptione, ab hypoſtaſi Mariæ virginis ſeparata eſt, nullo vnquam vel momento temporis, per ſe, aut in ſeſe, ante & extra hypoſtaticam cum Verbo vnionem, vel extitit, vel ſubſtitit, Sed, ſicut Auguſtinus inquit, De fide ad Petrum, cap. 18. Firmiſsimè crede, non carnem ſine diuinitate conceptam in vtero virginis, priuſquam ſuſciperetur à Verbo, ſed ipſum Deum Verbum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamq; carnem Verbi incarnatione conceptam. Et Damaſcenus lib. 3. cap. 2. habet ſententiam, quæ eſt Athanaſij Dialog. 4. de Trin. ἅμα σάρξ, ἅμα θεοῦ λόγου σάρξ, ἅμα σάρξ ἔμψυχος λογικὴ, ἣν αὐτῇ ὑπάρξει ἑνωθεὶς τῇ λόγου ὑποσάσει. Simul caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro anima rationali animata, in ipſa ſui prima exiſtentia vnita perſonæ verbi, hoc eſt, ſtatim cùm caro illa inciperet exiſtere, iam erat per aſſumptionem ſeu vnionem facta propria Dei Verbi caro. Item, λόγος σάρκι ἐψυχωμένῃ νοερᾷ ἣν αὐτῷ τὸ εἶναι λαχόσῃ ἑνωθεὶς, hoc eſt, Filius Dei vnitus eſt carni animatæ, quæ in ipſa cum

Verbo

Verbo vnione ſuum eſſe accepit & ſortita eſt. Inde Auguſtinus de fide, cap. 17. inquit: Verbum non perſonam, ſed naturam hominis accepit, & in æternam perſonam diuinitatis, accepit temporalem ſubſtantiam carnis. Item, contra ſermonem Arrianorum, cap. 8. Non vt prius creatus homo aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur. Et Damaſcenus lib. 3. cap. 2. διὸ οὐκ ἄνθρωπον ἀποθεωθέντα λέγομεν, ἀλλὰ θεὸν ἐνανθρωπήσαντα. Propterea non dicimus, hominem deificatum, ſed Deum incarnatum. Ibidem cap. 9. peculiaribus vtitur vocabulis: Caro Domini non eſt ſecundū ſeſe ἰδιοσύσατος ſed ἐνυπόσατος in hypoſtaſi Dei verbi.

Nec ocioſa aliqua ſubtilitas eſt hæc doctrina, Sed articulus fidei eſt: Mariam non genuiſſe hominem, in quo Deus inhabitârit, ſicut Elizabeth genuit Baptiſtam, in quo Spiritus Dei habitabat, ſed ipſum vnicum Filium Dei, carnis ſuæ aſſumptione, ſicut Auguſtinus inquit, conceptum & natum ex Maria virgine, quæ ideò & hoc modo rectè appellatur θεοτόκος, Quod ſi piè conſideretur, dulciſsimas præbet cogitationes. Tanta enim caritate Filius Dei complexus eſt genus humanum, vt ad hanc humilitatem deſcendere non abhorreret, quòd ſcilicet non aſſumpſit hominem iam formatum & editum, ſed in ipſo conceptionis ortu maſſam humanæ naturæ perſonaliter ſibi vniuit, & propriam ſibi fecit, ita vt ea, quæ in conceptione, geſtatione, & natiuitate hominis naturaliter fieri ſolent, ipſe Filius Dei in aſſumpta propria carne, ſine peccato, ſuſtinuerit (ſicut Patres Epheſinæ Synodi loquuntur): Vt ita ab ipſo principio, ortu, & quaſi radice, deprauatam noſtram naturam in ſeipſo primum repararet, & contaminatam noſtram conceptionem ac natiuitatem ita expiaret & ſanctificaret: Vtq; ſciremus ſalutem Chriſti pertinere etiam ad fœtus in ipſa conceptione, geſtatione, & natiuitate.

Gerſon de conſolatione Theol. lib. 1 venuſta vtitur collatione: Sicut humana natura in Chriſto per ſe non ſubſiſtit, ſed propria ſubſiſtentia dimiſſa, innititur hypoſtaſi Filij Dei, in qua ita ſuſtentatur, vt in nihilum redigeretur, niſi à Filio Dei ita geſtaretur. Ita vnica ſalus eſt generis humani, ſi nos ipſos abnegamus, & Chriſto inſerti ipſi toti innitimur, vt inueniamur in

ipſo

ipso, habentes eam iusticiam, quam Deus in Christo fidei donat, Phil. 3. Vt efficiamur iusticia Dei in Christo, 2. Cor. 5. & simus palmites in vite, Ioh. 15. Vt dicere possimus: Viuo iam non ego, sed viuit in me Christus, Gal. 2. Et hæc est optima ratio explicandi mysterium incarnationis, si ita ad vsum fidei transferatur. Postea etiam ex hoc fundamento explicandum erit, quia non humana diuinam, sed diuina natura assumpsit humanam. Ideò essentiæ diuinæ naturæ, vt quæ simplicissima & perfectissima est, ex illa assumtione nihil vel accessit, vel decessit: Humana verò natura multis prærogatiuis, excellentijs & præeminentijs ex illa vnione, vltra omne nomen à diuinitate assumente aucta & exaltata est.

CAPVT VII.

Quomodo descriptio hypostaticæ vnionis duarum naturarum in Christo illustretur, si alij modi, quibus duæ diuersæ res seu substantiæ vniri solent, & reliqui modi præsentiæ & inhabitationis diuinitatis in alijs creaturis conferantur ad hypostaticam hanc in Christo vnionem, & ostendatur differentia.

CYrillus, descripturus hypostaticam vnionem duarum naturarum in Christo, distinguit ac separat eam ab alijs & dissimilibus & cognatis vnionum generibus, vt ita ad similia vnionis exempla perueniat, ac tandem specificam eius, quæ in Christo est, vnionis differentiam constituat. Hanc rationem Damascenus etiã imitatur: cumq; hoc etiã modo doctrinæ huic aliquid lucis afferri possit, quædam de varijs vnionũ generibus annotabimus.

ἕνωσις

ἕνωσις igitur ſeu vnio vocabulum eſt generale, ſignificans coniunctionem duarum vel plurium diſtinctarum rerum, vt ex illis vnum quiddam conſtituatur. Fit autem varijs modis.

1. κατὰ διαφθορὰν ἢ ἀναίρεσιν, Per corruptionem. Quando ea, quæ vniuntur, ſimul corrumpuntur, ad conſtitutionem vnius tertij, Vt quando ex duorum vel plurium elementorum corruptione vnum mixtum generatur. Talis non eſt vnio in Chriſto, neq; enim in vnione facta eſt corruptio naturarum.

2. κατὰ μεταβολὴν. Per conuerſionem, quando alterum eorum, quæ vniuntur, vel aboletur, vel abſorbetur, vel in alterum conuertitur, Vt, quando modicum aquæ multo vino miſcetur. Neq; hoc exemplum ad vnionem naturarū in Chriſto congruit. Non enim facta eſt vnio, deſtructione vel abolitione alterius naturæ, ſed vtraq; natura eſt & manet integra in Chriſto.

3. κατὰ σύγκρασιν aut ἀνάκρασιν, Per confuſionem, cuius tria genera Græci faciunt, μῖξιν κρᾶσιν, quando duo aut plures humores inter ſe miſcentur, μῖξιν φύρσιν, quando humida & ſicca miſcentur, vt aqua cum farina, μῖξιν σύγχυσιν vel σαλοίφην vt quando ex cera & pice fit vnguentum. In hoc modo vnionis, ex mixtione & confuſione duarum ſeu plurinm rerum, fit conſtitutio vnius tertij compoſiti, quod nulli eorum, vnde componitur, conſubſtantiale eſt, nec appellationem eorum, vnde conſtituitur, retinet, Vt ſi ex aqua & melle fiat mulſa. Talis vnio non eſt in Chriſto. Non enim naturæ ſunt inter ſe confuſæ, ſed naturæ cum ſuis proprietatibus ſaluæ & diſtinctæ manent: Eſt enim Chriſtus & Deus & homo, & Patri conſubſtantialis eſt, & manet ſecundum diuinitatem, Matri verò & nobis conſubſtantialis eſt, ſecundum humanitatem.

4. κατὰ σῶρον, Per coacernationem, Vt quando diuerſa ſemina, puta tritici & hordei, in vnum cumulum, ſine diſcrimine & ordine miſcentur & coaueruantur. Ab hoc modo vnionis multis rationibus differre hypoſtaticam vnionem in Chriſto, extra controuerſiam eſt.

5. κατὰ πρόσασιν, vt quando Angelus aſsiſtit lateri Petri, vel eſt vnio ſocietatis & auxilij, κατὰ πρόθεσιν vel σώθεσιν, per appoſitionem aut attingentiam, Vt quando duo aſſeres com-

pinguntur, duo lapides, aut duæ maſſæ metallicæ extremitatibus conglutinantur, vel qnando alterum attingit alterum, non totum, ſed in exigua tantum eius parte, vt clauus rotam, planeta ſphæram. In Chriſto verò non ita extremitates tantum naturarum ſe contingunt: Sed diuinitas fecit ſibi inhabitationem in humanitate talem, qualem habet anima in corpore, ignis in ferro ignito, per περιχώρησιν, ſicut ſupra explicatum eſt.

6. κατὰ σχέσιν, ſecundum habitudinem, ſcilicet propter habitus, gratiæ, aut conditionis conformitatem, ſimilitudinem & æqualitatem, vt qui eiuſdem eruditionis, prudentiæ, fortitudinis ſunt. Item κατ' ἀξίαν, ὁμοτιμίαν, εὐδοκίαν, ὁμωνυμίαν, vt qui eiuſdem vel æqualis ſunt dignitatis, autoritatis, & poteſtatis, dicuntur vnius eſſe ordinis, & eadem appellatione honorantur. Hanc opinionem Cyrillus tribuit Neſtorio in Epiſtola ſynodica, In anathematiſmo tertio. Et cap. 28. de Incarnatione, Quòd ſcilicet finxerit, Deum Verbum donaſſe homini nato ex Maria æqualitatem dignitatis, autoritatis, poteſtatis, & appellationis. Et ratione huius æqualitatis dici Deum coniunctum ſeu adunatum eſſe homini, cum diuerſis ſubſiſtentijs, vt alter ſit Deus, alter homo. Sed Cyrillus rectè dicit: Sola dignitatis aut poteſtatis æqualitas non poteſt naturas vnire in vnam hypoſtaſin. Vt Petrus & Paulus eiuſdem ſunt dignitatis & officij, & tamen duæ diſtinctæ ſunt perſonæ. In Chriſto verò, ſcriptura tradit, ipſas naturas vnitas eſſe ita, vt ſit vnus Chriſtus, idem Deus & homo.

7. κατ' ἀχμονίαν, vt conſenſu & voluntate &c. κατὰ ταυτοβουλίαν, vt credentium erat cor vnum & anima vna.

8. κατὰ μετοχὴν ἢ χάριν, vt credentes ſunt vnus ſpiritus cũ Deo.

9. κατὰ δόκησιν, vt in ſpectris ſpecies apparentes.

10. προσωπικὴ Vnionem vocat Damaſcenus, quando perſona iungitur perſonæ, vt quando Spiritus Sanctus, vt peculiaris perſona, coniungit ſe cum Paulo, qui alia eſt perſona. Varinus προσωπικὴν intelligit, quando quis ex alterius perſona loquitur. Hi ſunt præcipui modi variarũ vnionum, quas, ſicut Damaſcenus & Varinus annotarunt, Græci recenſent. Illis verò Bernhardus quoſdam alios addit, quorum collatio non eſt inutilis.

Eſt

11. Est vnio substantialis, vt in Trinitate, licet tres sint Personæ, tamen propter simpliciſsimam essentiæ vnitatem est vnus Deus. Item: Ego & Pater vnum sumus. Non autem hoc modo vnus est Christus incarnatus, propter substantiæ vnitatem: Duæ enim in ipso sunt naturæ, & vna Persona.

12. Est vnio carnalis, vt mariti & vxoris, de quibus scriptura dicit, Iam non sunt duo, sed vna caro.

13. Est vnio spiritualis, vt propter vnitatem Spiritus habitantis in credentibus, fideles vnum sunt. Quæ enim vni tertio coniunguntur, etiam inter se coniunguntur. Non autem ita in Christo diuina natura vnita est humanæ, per tertium aliquod, quod vtrisq; coniunctum sit. Neq; ita Deus & homo vnus est Christus, sicut Paulus dicit, Qui adhæret Domino, vnus Spiritus est cum ipso.

14. Est vnio κατ' οὐσίαν, hoc est essentialis, Bernhardus vocat naturalem, qualis est animæ & corporis. Et quanquam hic modus vnionis proximè accedat ad similitudinem hypostaticæ vnionis duarum naturarum in Christo, sicut dictum est: tamen differentia quædam est. Anima enim & corpus constituunt humanam naturam, quæ duabus illis partibus constat, quorum neutra sine altera ita perfecta est, vt vel solum corpus sit perfectus homo, vel sola anima sit tota natura humana, sed anima est tantum pars hominis, & corpus tantum pars est naturæ humanæ. In Christo verò non constituitur tertia quædam natura, ex vnione diuinitatis & humanitatis: Nec persona Christi constituitur ex duabus partibus imperfectis, sed constat duabus naturis totis, perfectis & integris, diuina scilicet & humana. Ideò huius differentiæ gratia vocant in Christo vnionem hypostaticam, licet Cyrillus appellet vnionem οὐσιωδῆ καὶ κατὰ φύσιν, substantialem & naturalem, distinguens eam ab accidentali, eò quòd ipsæ substantiæ seu naturæ verè copulentur, non tantum secundum participationis effectum, Hisce igitur vnionum exemplis, quæ dissimilia sunt, remotis & sepositis, quæ fierunt veteres exempla, quæ similitudine sua proximè accedunt ad hypostaticam vnionem in Christo, inter quæ Damascenus recenset vnionem κατὰ περιχώρησιν, sicut lux corpori solari, & ignis ferro vnitur, sicut exempla hæc declarata sunt.

Deinde vnionem κατ' ὑπόσασιν, Vt quando in homine consideratur vnio animæ & corporis, non sicut ad constitutionem vnius naturæ conueniunt, sed ad constituendum vnum ὑφισάμενον.

Quomodo verò ex harum omnium, partim remotione, partim collatione, constituatur specifica differentia hypostaticæ vnionis duarum naturarum in Christo, in præcedentibus explicatum est.

Rectè etiam Damascenus inquit, Vnionem generaliter significare duarum rerum copulationem, σάρκωσιν verò seu ἐνσωμάτωσιν in specie indicare, cum qua natura vnita sit diuinitas.

Conferamus porrò eadem ratione alios etiam modos præsentiæ & inhabitationis diuinitatis in alijs creaturis ad hypostaticam hanc vnionem, Consideratio enim huius differentiæ vtiliter illustrat hanc doctrinam.

Est igitur primò, Præsentia vniuersalis, qua tota Trinitas diuinitatis suæ essentia implet omnia in cœlo & in terra, Isa. 60. Ierem. 23. Et efficacia seu operatione sustentationis conseruat substantias separabiliter: hoc est, donec vult eas conseruatas. Non enim absens hæc operatur, sed tam propè adest, vt penè manibus contrectari possit, quia in ipso sumus, viuimus, & mouemur, Actor. 17. Psal. 139. Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades, &c. Certum autem est, hypostaticam in Christo vnionem, non posse nuda hac præsentia diuinitatis, & sola efficacia sustentationis definiri, quasi tantum sustentet & foueat assumptam naturam. Longè enim alio modo Deus est in Christo, quàm est vbiq. Non enim dicitur, fieri & esse, quicquid essentia sua implet, sicut dicitur, Verbum caro factum, & Deus esse homo.

Secundò, Tota Trinitas per inhabitationis gratiam est in sanctis, in hac etiam vita, sicut scriptum est 2. Cor. 6. Ego inhabitabo meis Ioh. 14. Mansionem apud ipsum faciemus, non tantum sustentans & conseruans substantias eorum, sed per verbum & Spiritum Sanctum conuertens, regenerans, viuificans, renouans, conseruans, & gubernans eos Spiritu suo, communicans ipsis dona sua, accendens lucem, sapientiam, iusti-

ciam,

eiam, læticiam', & excitatis nouis motibus ſanctificans eos. Certum autem eſt, Spiritum Sanctum in hac vita poſſe amitti, & dona excuti. Eſt igitur inhabitatio hæc ſeparabilis in hac vita, nec conſtituit cum ſanctis vnum ὑφισάμενον. In Chriſto verò inhabitatio diuinitatis τ̃ λόγȣ eſt perpetua & inſeparabilis, ac hypoſtatica, neq; tales ſunt diuiſiones gratiarum in Chriſto, ſicut in renatis in hac vita, ſed tota plenitudo Deitatis in ipſo inhabitat corporaliter.

Tertiò, Beatis Angelis & hominibus in altera vita Deus adeſt perpetuò & inſeparabiliter, præbens ſe eis immediatè conſpiciendum. Vident enim ipſum, ſicut eſt, 1. Ioh. 3. Viuificans eos ſine medio & velamento, implens eos coràm, non primitijs tantum, vt in hac vita, ſed pleniſsimis decimis donorum ſuorum: Imò, Deus ibi eſt omnia in omnibus. Sed tamen hac inhabitatione, Angelus & Deus, Homo beatus & Deus, non fiunt vnum ὑφισάμενον, ſicut in Chriſto Deus & homo. In Chriſto verò, non tota Trinitas, ſed ſolius Filij hypoſtaſis aſſumpſit humanam naturam in ſuæ perſonæ vnitatem, ita, vt in ipſo inhabitet, tota plenitudo diuinitatis corporaliter. Quantacunq; enim electorum in altera vita, ſint dona & gloria, nullo modo tamen vel attingunt vel adæquant ſublimitatem, plenitudinem & perfectionem, quæ eſt in Chriſto incarnato. Imò ſicut Origenes inquit, 2. de principijs cap. 6. In aſſumpta humana natura Chriſti, ipſe ignis diuinus ſubſtantialiter requieſcere credendus eſt, vnde ad reliquos ſanctos, ſiue in hac vita, ſiue in futura, calor aliquis deriuetur, & effundatur. Ex plenitudine enim eius omnes accipimus. Hoc ordine modi præſentia diuinitatis in creaturis, in ſcholis vſitatè & rectè recenſentur, quibus plenioris declarationis gratia etiam ſequentes non inutiliter addi poſſunt.

Quartò, Peculiaris etiam modus præſentiæ diuinitatis eſt, quando Deus externa aliqua corporali ſpecie, & ſymbolo viſibili, præſentiam inuiſibilis ſuæ diuinitatis, ad temptus patefacit' quales ſunt apparitiones, & viſiones Dei in ſcriptura, ſicut Iacob in forma viri, Daniel in ſimilitudine Filij hominis, τὸν λόγον vidit, & ſicut apud arcam fœderis præſentiam maieſtatis

ſtatis ſuæ Deus promiſit & oſtendit. Conſideretur autem, quomodo ab hoc modo præſentiæ hypoſtatica vnio in Chriſto differat. Non enim ſpecies illas Deus ita aſſumpſit, vt cum illis fieret & eſſet vna hypoſtaſis, ſed tantum ad tempus in vſum patefactionis. Non autem ita Verbum caro factum eſt, vt ad tempus, ſuperficie humanitatis tantum oſtenderet, ibi adeſſe præſentiam diuinitatis, ſed vt ex diuina natura aſſumente, & ex humana natura aſſumpta vnum fœdere inſeparabili & perpetuo conſtitueretur ὑφιστάμενον, cui tribuuntur omnia, ſiue ſint diuinitatis ſiue humanitatis propria. Et quidem Deus dicitur homo, ac homo Deus. In humana enim natura in Chriſto tota plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter, & lucet in ea tota, ac humana natura quaſi accenſa illo lumine, ſicut Philippus loquitur, Verbo vnita eſt, Ita, vt ex illa plenitudine omnes accipiamus gratiam pro gratia, atq; vtraq; natura agat cum communicatione alterius. Talis verò non fuit modus præſentiæ diuinitatis in externis illis aſſumptis ſpeciebus.

Quintò, Externo miniſterio Verbi & Sacramentorum in Eccleſia Deus verè adeſt, agens per illa media nobiſcum, ac efficaciter in nobis operans: & externis etiam ſymbolis Sacramentorum in vſu Deus adeſt, diſpenſans & communicans, per viſibilia illa ſigna, inuiſibilem ſuam gratiam, iuxta verbum. Ipſa verò ſymbola per ſe nihil cooperantur ad ipſam gratiam. Et Deus illis non adeſt inſeparabiliter, ſed ex pacto, iuxta Verbum: nam extra vſum non ſunt talia Sacramenta, & peracto vſu vel tranſeunt, ſicut Auguſtinus inquit, Vel à Sacramentali illa vnione ſeparantur. Alia verò eſt hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto vnio, quæ perpetua, inſeparabilis, & arctiſſima eſt, conſtituens vnum ὑφιστάμενον vtriuſq; naturæ, in quo vtraq; natura operatur cum communicatione alterius.

Sextò, Ad declarationem huius doctrinæ vtilis erit & hæc collatio, quòd per Prophetas quidem, per Apoſtolos, & per alios, tanquam per organa, Deus ſæpè multa operatur & efficit, quando illis tanquam medijs vti vult. Sed diſtincta ſunt & manent ὑφιστάμενα, quorum quodq; ſeparatim & per ſe ſubſiſtit: nec omnia per omnes operatur. Ac Neſtorius docuit, Hominem

nem Christum tale organon esse Filij Dei, sicut Deus per aliam personam, vt per Organon extrinsecum ac seperatum, aliquid agit, & operatur. Humanam verò naturam λόγος ita assumpsit, vt vna facta sit hypostasis diuinæ & humanæ naturæ, vtq; humana natura sit proprium, immediatum, peculiare & personaliter vnitum organon diuinitatis Verbi, cum qua, & per quã operatur, in qua, cum qua, & per quam omnia potentiæ & bonitatis sua opera exerit, efficit & operatur in Ecclesia præcipuè, ita, vt vna natura agat cum communicatione alterius. Longè aliud igitur est, quando Nestorius hominem Christum, vt distinctam personam, vocauit organon Christi Dei, & quando vetus Ecclesia humanam naturam vnitam vocat organon operationum Deitatis Filij, sicut postea explicabitur.

Septimò, Aliquid lucis affert etiam hæc collatio, Pater est in Filio, & Filius est in Patre, Ioh. 14. Quia licet distinctæ sint personæ, vnica tamen simplicissima est essentia Patris & Filij. Non autem ita tota plenitudo Deitatis inhabitat in Christo, in quo duæ diuersæ sunt naturæ, & vna persona. Item, Pater per Filium creat & operatur, quia vna est substantia. Sed alia ratione diuina natura verbi operatur per assumptam humanam naturam. In inhabitatione electorum tota Trinitas simul inhabitat, Sed solius Filij hypostasis, non Patris aut Spiritus Sancti, hypostaticè vnita est assumptæ humanæ naturæ. Imò Christus incarnatus inquit: Pater in me manens, ipse facit opera Ioh, 14. Item, Non sum solus, sed Pater mecum est. Ioh. 8. & 16. Licet autem Pater & Spiritus Sanctus sint in Christo, solius tamen Filij hypostasis humanæ naturæ personaliter vnita est, & per illam, quæ officij sui sunt, exequitur. Ita ergo Hypostatica vnio in Christo differt ab omnibus alijs modis vnionis præsentiæ, & inhabitationis. Quæ verò sit specifica differentia, anteà explicatum, & nunc in Antithesi breuiter repetitum est.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quomodo doctrina de hypostatica vnione in Christo illustretur, ex antithesi certaminum veteris Ecclesiæ contra hæreticos.

ANtithesis certaminum, quibus doctrinæ huius simplicitas & veritas olim oppugnata fuit, non parum lucis huic explicationi addit. Quando enim scopulorum pericula vndique monstrata cautè obseruantur, & sollicité vitantur, tunc nauigatio facilius & certius rectum & inoffensum cursum potest tenere. Et ille optimus est vitæ monstrator, qui ita veram viam ostendit, vt simul notet deuia & aberrationes, a quibus sit cauendum & deflectendum. Et antea quidem de certaminibus, quæ olim de singulis in Christo naturis mota fuerunt, diximus: Hoc verò loco illarum tantum opinionum capita commemorabimus, quæ duas quidem naturas Christo reliquerunt, de vnione verò earum & quæ illam sequuntur, non rectè senserunt. Non autem integras illorum certaminum historias contexemus, nec omniâ, quæ de illis disputationibus ex scriptoribus commemorari possent, huc adferemus: Sed breuissimè tantum præcipuas phanaticorum opiniones, quæ grauissimo veteris Ecclesiæ iudicio ex verbo Dei damnatæ sunt, recitabimus, ita, vt per antithesin veræ sententiæ, quæ suprà explicata est, cautionis gratia opponi possint.

Et in hac antithesi primum locum obtinet Nestorianum certamen: Et ante Nestorium quidem Samosatenus duas in Christo naturas concessit, sed διηρημένως ἐχούσας καὶ παντάπασιν ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτάς, separatim subsistentes & nullam omnino communionem inter se habentes, sicut Theodorus presby-

presbyter & Suidas recitant. Alij etiam ante Nestorium finxerunt Christum nudum hominem, sed ἐνεργούμενον à Deo: Et hanc voluerunt esse rationem vnionis, quòd hoc homine Filius Dei ad multas & arduas suas operationes vsus fuerit, Sed Nestorianum certamen, ex omnium fermè præcedentium vetustissimorum hæreticorum scintillis & cineribus, renouatum incendium conflauit. Et prolixè quidem præcipuè apud Cyrillum, ea, quæ in Nestoriano certamine agitata fuerunt, descripta extant, Sed nos ex prolixioribus illis descriptionibus, præcipuas opiniones, quæ in Ephesina synodo damnatæ sunt, excerpemus, & in certa capita digeremus. Docuit Nestorius:

1. Verbum assumpsisse hominem, qui scilicet prius formatus fuerit, & illi homini, per se prius subsistenti, Verbum postea vnitum esse, hoc est, Verbum assumpsisse, non naturam hominis, sed personam, ita, vt duæ sint Christi incarnati hypostases.

2. In illo assumpto homine Verbum inhabitasse non personaliter, sed tali modo, sicut in sanctis inhabitat, nisi quòd in illum assumptum hominem dona numero plura & gradibus maiora contulerit, ac per hominem illum, vt per organon plura ac maiora operatus sit.

3. Vnionem diuinæ & humanæ naturæ definiuit sola connexione, seu coniunctione dignitatis secundum participationis effectum, aut sola communicatione virtutis, & operationis in assumpta carne, sine conuentu naturarum ad vnum ὑφισάμενον.

4. Hominem illum dicebat esse Deum, & Filium Dei, non quod persona illa constaret diuina & humana natura, atq; ita natura & essentia esset verus Deus, sed homnoymia appellationis, vel própter Deum, in illo homine pleniori efficacia, quàm in reliquis sanctis inhabitantem, vt verius appelletur homo θεοφόρος καὶ θεόδοχος, quàm Deus: vel propter æqualitatem dignitatis & potestatis, collatam illi homini à Deo Verbo.

5. Voces Euangelicas & Apóstolicas de Christo duabus personis diuidebat, alias attribuens Christo Deo & non homini, alias Christo homini, & non Deo, vt Christum hominem, nõ Deum dormiuisse in ceruicali. Rursus verò Christum Deum &

non hominem imperasse mari & ventis. Mariam peperisse hominem, non Deum, Iudæos crucifixisse non Deum sed hominem, λόγον dicebat tantum esse Deum, & non simul Deum & hominem.

6. Docebat vnamquamq; naturam Christi pro se suas exercere actiones, sine communicatione alterius. Et alium dicebat esse in Christo, qui ageret diuina, alium verò, qui humana. Hominem dicebat adiuuari operatione verbi. Item, hominem Christum à Spiritu accepisse virtutem edendi miracula, qua aliena virtute vsus fecerit miracula, cum Spiritus ille proprius ipsius fuerit. Item, hominem Christum coädorari & conglorificari cum Deo verbo. Ita verò videbatur seorsim & separatim ponere Christum Deum, & seorsim Christum hominem, atq; hoc modo ex Christo facere duas personas, duos Christos, duos Filios quorum vnus sit Deus, alter homo.

7. Fuit & hoc Nestorij dogma, Diuinam naturam per παρά-σασιν seu πρόθεσιν, hoc est, per assistentiam, appositionem, seu attingentiam, coniunctam esse humanæ naturæ, non per talem περιχώρησιν, sicut anima vnita est corpori, & ignis ferro.

8. Cyrillus in multis locis hanc opinionem tribuit Nestorianis, carnem Christi vnitam verbo, non esse viuificatricem. Hoc est, diuinam naturam in carne habitantem solam viuificare, non adhibita ad hoc opus assumpta natura, sed sine communicatione eius, cũ non sit essentialis aut naturalis carnis proprietas. Hanc Nestorianam opinionẽ Cyrillus in valdè multis locis grauiter refutat. Hæc Nestorianismi capita, ex Cyrillo collecta, volui ita distribuere, vt ex antithesi per partes seu membra opponantur veræ sententiæ, de hypostatica in Christo vnione, quam suprà descripsimus, vtq; ita facilius animaduerti & obseruari posset, quæ cauenda, & à quib. deflectendum sit in hac doctrina, de hypostatica duarum naturarum in Christo vnione.

Represso paulisper Nestoriano certamine, mox aliæ motæ sunt contentiones. Eutyches enim volens vnitatem personæ constra Nestorianos, singulari vehementia defendere, incidit in contrarium errorem, more illorum insitorum, qui dum incuruum tenellæ arboris statum corrigere student, nimis deflectendo, in

do, in alteram partẽ peccant, ſicut Baſilius inquit. Finxit enim in Chriſto ante vnionem quidem fuiſſe duas naturas, ſed poſt vnionem, vt perſonæ vnitas ſeruetur, tantum vnam credendam eſſe naturam, & Iuſtinus in expoſitione fidei, & Athanaſius in Epiſtola ad Epictetum ſcribunt, etiam ſuis temporibus ante Eutychen fuiſſe, qui finxerunt, Quòd vel Verbum mutatum ſit in carnem, vel humana natura conuerſa ſeu abſorpta ſit in diuinam, vel ex confuſione Verbi & carnis, concreta & compacta ſit tertia quædam natura, vt ita omnia, quæ Chriſtus egit, ſicut vni perſonæ, ita etiam vni naturæ tribuantur. Athanaſius addit quoſdam hæc ita diſputaſſe, vt transfixio clauorum ipſius Verbi naturæ & eſſentiæ tribuenda ſit. Hæc opinio in Chalcedonenſi Concilio damnata eſt. Et antitheſis monet, ita definiendam vnionem, vt ſalua ſit naturarum differentia, & eſſentialia Idiomata, licet perſonæ tribuantur in concreto, non tamen confundenda eſſe inter naturas.

Poſt Eutychen, Monotheletarum certamen magnas turbas dedit in Eccleſia. Conceſſerunt enim, in Chriſto incarnato duas eſſe diſtinctas ſubſtantias ſeu naturas, diuinitatis & humanitatis, & illas etiam perſonaliter vnitas, ſed negarunt, in vnione ſaluas manſiſſe eſſentiales cuiuſq; naturæ proprietates, vt intellectum, voluntatem, actionem &c. Contenderunt enim, in Chriſto incarnato vtriuſq; naturæ vnam eſſe naturalem ſcientiam, vnam naturalem voluntatem, vnam naturalem virtutem, vnam naturalem actionem &c. hoc eſt, Negarunt vtramq; naturam in Chriſto agere cum communicatione alterius, quod cuiuſque proprium eſt. Poſt Monotheletas ex ſecta illa ſecuti fuerunt alij, qui diſputarunt in vnione factam eſſe exæquationem & æqualitatem omnium Idiomatum vtriuſq; naturæ. Hæc agitata, explicata, & refutata ſunt in aliquot ſynodis & prouincialibus, & œcumenicis, vt 5. & 6.

De his certaminib. poſſent multa ex Hiſtorijs commemorari, ſed hoc non eſt præſentis inſtituti. Poſſent etiam phanaticæ opiniones, in plura membra diſtribui, ſed certo conſilio voluí antitheſin ita inſtituere, vt poſtquam vera ſententia, in aliquot membra diſtributa, propoſita eſt, poſsint iam erroneæ & falſæ opiniones quaſi è regione conferri & opponi, vt vtrunq;

sit in conspectu, & vera seu regia via, cui insistendum est, & deuia, à quibus deflectendum est. Fui autem in hac recitatione breuior, postea enim in doctrina de Communicatione Idiomatum pleraq; repetenda & plenius explicanda erunt.

CAPVT IX.

Quomodo doctrinæ huic aliquid lucis accedat, si considerentur præcipua vocabula, quibus & scriptura, & eam secuta antiquitas, hypostaticam hanc duarum naturarum in Christo vnionem notauit & descripsit.

NOn parum etiam, vt arbitror, lucis huic doctrinæ aceedet, si colligantur, & inter se conferantur vocabula, quibus & scriptura, & eam secuta erudita & pia antiquitas, mysterium incarnationis, & hypostaticam illam duarum naturarum vnionem notauit & descripsit. Sunt enim quasi notationes seu descriptiones, quibus antiquitas singulis vocabulis quomodocunq; definiuit hypostaticam vnionem. Et quia diligentia digna est piè eruditis, loqui cum Ecclesia, proderit ad hunc vsum vocabulorum annotatio.

Primus autem locus debetur vocabulis, quibus ipsa scriptura in descriptione vnionis duarum naturarum in Christo vtitur.

Et maximè illustris est illa phrasis, qua Iohannes vtitur cap. 1. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, Verbum caro factum est. Vsitatè autem in Physicis materijs hæc substantia dicitur fieri illa, mutatione seu conuersione vnius in alteram, vt vnius corruptio sit generatio alterius, vel per naturam vel per miraculum. Ita aër fit aqua,

fit aqua, & aqua fit terra. Ita Exod. 4. ὁ ῥάβδος ἐγένετο ὄφις. Et rursus: ὄφις ἐγένετο ῥάβδος. τὸ ὕδωρ γενόμενον οἶνον. Aqua facta erat vinum, Ioh. 2. Sed non ita Verbum factum est caro, vt vel natura humana in diuinam vel natura diuina mutaretur, seu conuerteretur in substantiam carnis. Christus enim etiam post incarnationem est & manet simul verus Deus & verus homo.

Conferendæ igitur sunt declarationes in scriptura traditæ, quomodo λόγος doceatur & credatur factus esse caro. Et Paulus quidem vocabulum γινόμενος retinuit, vt quasi digito monstraret declarationem eius, quod Iohannes scripserat: Verbum caro ἐγένετο, vt Rom. 1. Filius Dei γενόμενος, factus seu natus ex semine Dauid. Gal. 4. Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum γενόμενον, factum seu natum ex muliere, Phil. 2. Cum in forma Dei existeret, γενόμενος, factus est in similitudine hominũ. Ibi verò Paulus clarissimè explicat participium γενόμενον, cum inquit, λάβων, formam serui accipiens, factus est in similitudine hominũ. Omnium verò clarissimè verbum γίνεσθαι quo Iohannes vtitur in sententia illa (Verbum caro factum est) explicatur, Heb. 2. per tria significantissima vocabula. Primum autem vocabulum est, κοινωνεῖν σαρκὸς καὶ αἵματος, communicare carni & sanguini. Significat autem κοινωνεῖν, vel transitiuè, vt alibi, rem aliquam alteri vel multis communem facere, hoc est, inter multos distribuere. Vel, vt hoc loco, intransitiuè, aut correlatiuè, aliquid quasi in consortium & societatem accipere, & sibi adiungere, vel communionem aut consortium cum aliquo habere. Ita Græci interpretes 2. Par. 20. verbum חבר Chabar, quod significat coniunctionem, copulationem & consotiationem, reddiderunt per κοινωνεῖν. Ita quando credentes accipiunt inhabitantem Spiritum sanctum, vocatur κοινωνία Spiritus Sancti, 2. Cor. 13. & Phil. 2. Vt autem rectè intelligatur, qualis facta sit κοινωνία carnis & sanguinis, in Incarnatione Christi, dicit: Sicut pueri communicant carni & sanguini. Alterum vocabulum est μετέσχεν, particeps factus est carnis & sanguinis. Significat autem μετέσχεν rei alicuius participem fieri, Ita pueri fiunt participes

lactis, Heb.5. Credentes sunt participes Christi, Heb.3. Qui in ipsis inhabitat, Ephes.3. Item, sunt participes Spiritus Sancti, Heb. 6. Qui habitat in ipsis. 1.Cor.3. Filius Dei verò particeps factus est carnis & sanguinis, non sicut credentes participes fiunt Spiritus, sed sicut pueri, ad quorũ substantiam pertinet caro & sanguis. Tertium vocabulum est ἐπιλαμβάνεται, Assumpsit non Angelos, sed semen Abrahæ. Significat autem hoc verbum duarum rerum coniunctionẽ, sine confusione, talem, vt quando aliquid apprehenditur, vt firmiter teneatur. Ita verbum אחז Achaz, ϕ significat apprehendere, firmiter retinere, non dimittere, Græci reddiderunt ἐπιλαμβάνεται. Filius autem Dei ita assumpsit semen Abrahæ, non sicut Iacob apprehendit plantam Esau, sed vt per omnia fratribus similis fieret, excepto peccato: vtϕ cum apprehenso semine vnum fieret ὑφισάμενον.

Verbum igitur caro factum est, non conuersione aut confusione, sed iuxta scripturæ interpretationẽ assumptione. Veteres plerique omnes, sicut recitat Theodoretus, explicationem verbi ἐγένετο ex illis propositionibus sumpserunt. Christus factus est peccatum. 2.Cor.5. & maledictum Gal. 4. quia scilicet peccata nostra portauit, & maledictionem in se transtulit. Sed quæramus exemplum, quod de inconfusa duarum substantiarum vnione per verbum ἐγένετο loquatur. Et commodissimum exemplum est, de formatione hominis, Gen.2. Cùm enim Deus corpus hominis formasset de limo terræ, postea cùm inspiraret illi spiraculum vitæ, dicit scriptura, factus est in animam viuentem, Et iucundum est considerare, quomodo hoc exemplum Paulus accommodet: inquit enim 1. Cor. 15. Primus homo χοικὸς, factus est in animam viuentem: non quòd caro conuersa sit in animam, hoc est, in Spiritum, sed quia facta est vnio animæ & corporis. Addit autem Paulus, secundus homo Christus factus est in Spiritum viuificantem. Et vocabulum Spiritus ibi de diuina natura in Christo intelligitur, sicut 1.Pet.3. dicitur, viuificatus Spiritu. Hic locus manifestè ostendit, sicut verbum ἐγένετο dicitur de vnione corporis & animæ in homine, eodem etiam modo vsurpari de vnione diuinæ & humanæ naturæ in Christo, sine conuersione seu confusione. Nec obstat, quòd Iohannes sine præpositione dicit, Verbum ἐγένετο caro.

Moses

Moſes verò cum præpoſitione dicit, Factus eſt in animam viuentem: Præpoſitio enim à Græcis aliquando verbo ἐγένετο additur, aliquando omittitur, ſicut videre licet in exemplis. Exod.4. Præterea verò ſcriptura alijs etiam vtitur vocabulis, in deſcriptione huius vnionis. Rom.8. Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati. 1. Ioh. 4. Venit in carnem. Luc.24. Habet carnem & oſſa. 1. Tim. 3. Deus manifeſtatus in carne, Actor. 10. Deus erat cum ipſo, ſcilicet non ita, ſicut cum Prophetis fuit, ſed ſicut Petrus in illo ipſo loco mox explicat, cum inquit: Hic eſt Dominus omnium. Videtur autem Petrus, cum dicit, Deus erat cum ipſo, voluiſſe reddere illud Iſa. 7. Vocabitur nomen eius Emmanuel, quod Angelus Matth. 1, reddit, Nobiſcum Deus. Quia ſcilicet Filius Dei aſſociauit ſibi humanam naturam. Significat enim AM coniunctionem ſeu conſociationem. Et ſicut Iſaias vocat Meſsiam Immanuelem, Nobiſcum Deum. Item, Zach.13. Chriſtus vocatur Vir Amith, hoc eſt, Socius Dei, vel conſociatus Deo, propter arctiſsimam copulationem diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto. Et vocabulum Immanuel videtur Epiſtola ad Ebræos cap. 2. voluiſſe ex profeſſo explicare. Nam ex 8. cap. Iſaiæ, vbi extat appellatio Immanuelis, allegat dictum: Ego & pueri mei. Et mox addit explicationem, ſicut pueri communicarunt carni & ſanguini &c.

Præcipuè verò Col. 2. extat valdè illuſtris deſcriptio hypoſtaticæ vnionis: In Chriſto inhabitat tota plenitudo diuinitatis σωματικῶς. In qua ſententia, quia inſignis eſt, ſingula vocabula diligenter ſunt expendenda. Nominat igitur non virtutes ſeu qualitates, diuinos habitus, aut dona diuina, ſed ipſam θεότητα, Deitatem ſeu diuinā naturā. Et plenitudo Deitatis ſignificat ipſam perfectiſsimā diuinam naturā filij Dei, & quidquid in ea eſt, vel ad eam pertinet, ſicut plenitudo orbis ſeu maris in ſcriptura ita vocatur. Illā ipſius deitatis plenitudinē dicit inhabitare in Chriſto: q̄ non poteſt intelligi, quaſi in Deitate inhabitet plenitudo Deitatis. In Deo.n. omnia ſunt eſſentialia, ſeu ipſa eſſentia, & nihil habitat in ſeipſo. Diſtinctè igitur indicat deitatē inhabitantē, & inhabitaculū ſeu templum, in quo inhabitat, aſſumptā ſcil: naturā. Aduerbiū verò σωματικῶς nō ſignificat, quod ipſa diuinitas ſit corporea, vel corporalis, vt corporaliter per ſe alicubi adſit

adsit: sed ostendit, quòd natura sit habitaculum illud, in quo tota plenitudo deitatis inhabitet, Corpus scilicet Christi, hoc est, humana assumpta natura, sicut Athanasius & reliqui veteres dicunt, in Christi assumpto proprio corpore inhabitare plenitudinem deitatis. Vulgò iam σωματικῶς expouitur pro personaliter. Quod enim nunc vocamus personas, Græci interpretes vocarunt σώματα, vt Gen. 34. & 36. reddiderunt σώματα, vbi Ebræus habet חיל strenuum cœtum in domo, Item omnes animas domus. Et Gen. 49. præbuit familiæ cibum, κατα σώματα. Et Tobiæ 1. Serui & ancillæ vocantur σώματα. Et Epiphanius in Ancorato citat hoc exemplũ: Est Dominus 80. σωμάτων, vbi animæ, inquit, non excluduntur. Intelligitur per σῶμα persona constans corpore & anima. Habitat igitur tota plenitudo Deitatis in Christo personaliter, non ita tantũ, quòd tota persona Filij sit in Christo: nam & in sanctis tota persona Filij inhabitat, sed ita σωματικῶς, hoc est personaliter, quòd tota plenitudo Deitatis Filij, cum assumpto corpore, id est, cum humana natura sit vna persona, aut diuinitas vnita est personaliter, & humanitas assumpta est in vnitatem personæ τοῦ λόγου. Augustinus hoc considerat, quia apud Paulum vmbra & corpus opponuntur, & Ioh. 3. Christus corpus suum vocat verum Deitatis templum. Ita igitur exponit: olim Deitatem vmbratiliter in templo apud arcam habitasse, ibi voluisse quæri, ac maiestatem suam ita ostendisse: Nunc autem in vero templo, in Christi scilicet corpore, eam habitare, ibi velle agnosci, quæri, apprehendi, in eo, & per illud totam plenitudinem Deitatis suæ, tanquam gloriam vnigeniti exerere. Theophilactus aduerbium σωματικῶς opponit τῇ ἐνεργείᾳ. Cyrillus opponit τῇ χάριτι, quòd scilicet Deitas in assumpto corpore, non energia tantum, vel secundum participationem tantum seu effectum, sed ipsa substantia seu per essentiam inhabitet, vel οὐσιωδῶς, sicut Ephesini Canones loquuntur: Non autem, sicut essentia sua implet cœlum & terram, & in sanctis habitat, Sed ideò additur aduerbium corporaliter, vt indicetur talem esse inhabitationem diuinæ naturæ in assumpta humana, sicut in corpore huma-

humano anima inhabitat, nec mixtim, nec diuisim, sed κατὰ χωρίχώρησιν. Ita veteres Oecumenius interpretatur σωματικῶς pro ἐνσαρκῶς, vel σεσαρκωμένως. Veteres enim ex hoc loco Pauli vnionem hypostaticam seu incarnationem appellant σωμάτωσιν & vtuntur verbo σωματοῦσθαι. Sensus itaq; erit, Deitatem assumptione corporis seu carnis esse corporatam, sicut Tertullianus & Theophilactus loquuntur, seu incarnatam, vt cum assumpto corpore vna sit hypostasis, subsistens in duabus illis naturis. Ac nominat totam plenitudinem Deitatis, vt sciamus, quicquid est diuinæ maiestatis, potentiæ, sapientiæ, vitæ, bonitatis, gratiæ, veritatis &c. totum illud nos habere & inuenire in assumpto corpore, seu humanitate Christi, per quod omnia illa bona ad nos deriuentur, vt ex plenitudine eius omnes accipiamus. Ita enim Paulus dicit, Nos in Christo compleri. Syrus interpres vtitur vocabulo deducto à verbo גשם Gascham, quod & corpus significat & rem, quæ alteri coniuncta est. Hæc de interpretatione loci, Col. 2. paulo fusius annotaui: est enim illustris sententia, totam hanc doctrinam breui quasi compendio complectens.

Hæc fermè sunt vocabula, quibus hypostatica hæc vnio in scriptura notatur & describitur.

Subijciam autem simplici & breui enumeratione illa etiam vocabula, quibus potissimum veteres Ecclesiastici scriptores, in descriptione & explicatione huius mysterij, vti voluerunt. Animaduertet autem lector & obseruabit, alia veterum vocabula, magis esse significantia, propria & commoda, quàm alia. Considerabit etiam quasdam appellationes vsitatas fuisse, ante certamen Nestorianum & Eutychianum, quæ postea propter hæreticorum insidias non potuerunt amplius ita commodè vsurpari. Atq; ex hac collatione etiam intelligi poterit, quæ vocabula maximè sint propria & commoda, quibus nunc in explicatione huius doctrinæ vtimur, & vnde sint sumpta.

Ignatius igitur, auditor Iohannis Euangelistæ, in Epistola ad Trallianos inquit: Verè & non δοκήσει, putatiuè, ἀνέλαβε assumpsit corpus. Item, Deus λόγος nascitur ex Maria, corpus

ἀμφιεσμένον indutus. Item, Maria genuit, corpus habens Deum ἔνοικον, hoc est, inhabitatorem, quasi domesticum in proprio assumpto corpore personaliter inhabitantem. Illud verò postea plenius explicat. Nam in Epist. ad Philadelph: damnat illos qui dicunt, λόγον inhabitasse in illo corpore loco animæ, ita vt corpus illud non habuerit animam humanam. Et ad Philipp: inquit, Verbum factum est caro, hoc est, perfectus homo, non in homine habitans. Ad Smyrnenses: Verbum in carne ᾤκησε habitauit, sapientia enim ædificauit sibi domum. Ibidem. Etiam post resurrectionẽ, οἶδα αὐτὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ ὄντα noui ipsum & scio in carne existere. Item, Blasphemat Dominum, qui non confitetur αὐτὸν σαρκοφόρον θεὸν, ἢ ἐν σαρκὶ πεπολιτεῦσθαι, hoc est, qui non confitetur, Christum Dominum esse Deum carniferum, qui in carne conuersatus officia ministerij sui perfecerit. Quid verò intelligat per σαρκοφόρον, inde simplicissimè colligi potest. Deus in sua essentia est Spiritus, Ioh. 4. Et Spiritus non habet carnem & ossa, Luc. 24. Christus verò ideo incarnatus est, vt esset Deus ferens, gestans, seu habens propriam carnem, assumptam scilicet, in qua conuersatus est, & officium suum administrauit. Augustinus cum Epist. 57. inquit: Gerebat hominem. Et de agone, capite 33. Portabat hominem, voluit exprimere σαρκοφόρον. Idem Ignatius ad Antiochenos dicit, Verbum carnem factum esse, per ἐνανθρώπησιν καὶ ἐνσωμάτωσιν. Et ad Philip. Non Pater, non Paracletus, sed solus Filius ἐνανθρωπήσας. Significant autem illa vocabula, non conuersionem diuinitatis in carnem, sed assumptionem carnis seu vnionem hypostaticam diuinitatis ad carnem. Tertullianus ἐνσωμάτωσιν reddidit corporationem. Et quid vocabulo illo intelligatur, Augustinus exemplo ostendit. Disputans enim de Incubis lib. 15. Ciu. cap. 23. inquit: Non audeo temerè definire, vtrum aliqui Spiritus elemento aëreo corporati sint, hoc est. An Spiritus aliqui sint, qui duplici natura constent, spirituali & elementari, seu corporali. Existimo autem, vocem ἐνσωμάτωσιν sumptam esse ex dicto Pauli, Col. 2. Quia enim in Christo diuinitas habitat σωματικῶς. Rectè igitur hoc mysterium vocatur ἐνσωμάτωσις. Et quia verbum factum est caro, hoc est,

est, perfectus homo, sicut Ignatius interpretatur: Inde vox ἐνσωθεωπήσεως facta est, quam Latinè dicere possemus inhumanationem, Christus enim est Deus & homo, Deus ab æterno, homo verò per assumptionem, habens corpus & animam humanam, sicut inquit Ignatius ad Philip. Idem Ignatius scribens ad Ephesios mysterium incarnationis vocat οἰκονομίαν, quæ vox quia posteris ita placuit, vt in tota Græca Ecclesia facta sit vsitatissima, ac vsus eius si non rectè explicetur & intelligatur, posset lectorem turbare: Ideò paucis hoc loco declarabimus Ecclesiasticam significationem & vsum vocabuli οἰκονομίας.

Vsurpant igitur Græci Theologi vocabulum, οἰκονομίας, generaliter pro singulari quadam Dei ordinatione, aut extraordinaria aliqua dispositione, peculiari consilio & potẽtia Dei, non communi aut vsitato sed extraordinario modo facta, vel quo ad ipsum Deum, vel quo ad creaturas. Quo ad Deum, quando scilicet Deus non vtitur absoluta sua maiestate aut potentia, sed demittit se ad nostrum captum, quæ aliâs συγκατάβασις appellatur, vt quãdo Deus visibili specie apparuit, vel angelos visibili specie misit. Item quod Christus radios diuinitatis suæ ex corpore assumpto non semper, etiam post resurrectionem ita emisit, sicut fecit Matt. 17. Act. 7. & 9. Item quòd post resurrectionem comedit. Quo ad creaturas vero vocant οἰκονομίαν, quando potentia Dei in creaturis vel per creaturas, extra vsitatum naturalem earum cursum, & contra communẽ ordinem aliquid facit, vt cum Sol stat, Aquæ non diffluunt, ferrum nata, ignis non vrit: Vel quando præter & extra naturalem ac communem conditionem, creaturæ, Dei potentia extolluntur in gradũ, conditionem & facultatem, ordinaria sua dispositione, superiorẽ, vt cũ Asina loquitur, Virga Mosis mira facit, Petra dat aquã, Aaronis virga floret, ad contactũ ossium Elisæi cadauer reuiuiscit.

Præcipuè verò totum mysterium incarnationis Græca Ecclesia vocat οἰκονομίαν, sumpto vocabulo ex Paulo, qui totum mysterium redemptionis, & officium regni Christi vocat οἰκονομίαν. Ephes. 1. & Col. 1. Sumitur autem ratio appellationis οἰκονομίας, ex cap. 3. ad Ebreos, vbi scribitur, Christum non vt seruum, sicut Moses fuit, sed vt Filium, super vniuersam domum

Dei conſtitutum, & in eius adminiſtratione fidelem eſſe. Quia igitur Chriſtus ideo aſſumpſit humanam naturam, vt in magna domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei & regnum Chriſti, omnia, quæ ad redemptionem & reconciliationem noſtram, ad Eccleſiæ collectionem, gubernationem, conſeruationem, ſalutem &c. pertinent, diſponat, procuret, adminiſtret, efficiat & diſpenſet, in aſſumpta humana natura, cum ea, & per eam: Ideò & inde ipſa incarnatio ſeu vnio naturarum in Chriſto vocatur οἰκονομία, Vt cum Nazianzenus dicit: ἄλλος ὁ λόγος τῆς θεολογίας ἢ τῆς φύσεως, ἄλλος τῆς οἰκονομίας, Alia eſt ratio, quando de Deo, aut de natura ſiue diuina ſiue humana abſolutè loquor, & quando de œconomia duarum naturarum loquar. Vocatur autem vnio οἰκονομία, Primo, quia ſumma maieſtas diuina, ſine ſui diminutione ſubmiſit ſe ad vnionem cum maſſa miſeræ noſtræ naturæ. Secundò, quia illam aſſumptam ita exaltauit, vt iam ad ipſius Filij Dei perſonam pertineat. Tertiò, quia iam in œconomia ſeu adminiſtratione regni & officij Chriſti, neutra natura ſinè altera, ſed vtraq; agit cum cõmunicatione alterius. Exinanitio etiam, quòd Maieſtas diuina in aſſumpta natura non ſemper ſe exeruit, vocatur οἰκονομία. Item, Cùm diuina natura ſit impaſſibilis & immortalis, quòd in aſſumpta natura ſed ſecundum carnem Deus paſſus & mortuus eſt, vocatur οἰκονομία ſeu diſpenſatio, Ita etiam quando veteres docent carnem Chriſti viuificare, habet potentiam & operationem τοῦ λόγου, addunt illud fieri per œconomiam vnionis. Hæc poſtea repetenda erunt. Vt autem rectè explicentur & intelligantur, ideò vocabulum οἰκονομίας, quæ vulgò diſpenſatio vocatur, hoc loco declarari volui.

Hæc vocabula ex Græcis Ignatij Epiſtolis collegi: Sunt enim poſt Apoſtolos antiquiſsima, quæ omnibus ſequentibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus poſtea in vſu fuerunt, ac multa monere poſſunt. Iucundum enim eſt ſcire, quàm antiqua ſint vocabula, & vnde ſint ſumpta, quòd myſterium hoc vocatur ἐνανθρώπησις, ἐνσωμάτωσις, οἰκονομία. &c.

Iuſtinus in expoſitione fidei (quanquam phraſes manifeſtè arguunt, libellum Iuſtini ætate poſteriorem eſſe, ipſa tamen doctrina rectè ac commodè in eo explicatur) retinet vocabulum

bulum οἰκονομίας, ab Ignatio ſumptum. Ipſe autem ſemper vocat ἕνωσιν, vnionem diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto, qualis ſcilicet eſt animæ humanæ ad ſuum corpus, vbi vnus eſt homo, conſtans tamen ex duabus diuerſis naturis, quarum quælibet peculiaris ſuas proprietates & actiones habet: non tamen ſeparatas, ſed cum communicatione alterius naturæ. Vocat autem ἄκραν ἕνωσιν, vnionem non qualemcunq, ſed ſummam, abſolutam, ſeu arctiſsimam. Inde igitur cœptum eſt frequentari in Eccleſia vocabulum vnionis. Poſtea verò, quòd Iuſtinus vocat ἄκραν ἕνωσιν, clarioris ſignificantiæ gratia appellarunt vnionem hypoſtaticam, ſeu perſonalem, ſicut ſuo loco notabimus. Extant verò & hæc vocabula apud Iuſtinum, σωάφεια καὶ σύζευξις, coniunctio, copulatio, ſeu connexio ſicut animæ & corpus, ita diuinæ naturæ ad humanam. Idem ex antitheſi doctrinam hanc declarat. Narrat enim quoſdam ſui temporis hæreticos introduxiſſe ἀναίρεσιν, abolitionem alterutrius naturæ. Item, κρᾶσιν καὶ σύγχυσιν, mixturam & confuſionem duarum naturarum: Et μεταβολὴν, conuerſionem ſeu mutationem vnius naturæ in alteram. Quidam enim dixerunt, λόγον in carnem τετράφθαι, alij carnem in verbum οὐσιωθῆναι. Illis verò omnibus opponit vocabulum ἑνώσεως, cuius vetuſtiſſima ſignificatio, & ex illa antitheſi, & ex ſimilitudine vnionis animæ & corporis, qua Iuſtinus vtitur, rectiſsimè colligi poteſt. Porrò addit Iuſtinus illam ſententiam, quæ in tota poſtea antiquitate celebrata fuit, ἔμεινεν ὃ ἦν, καὶ γέγονε, ὃ οὐκ ἦν, id quod erat, permanſit, & quod non erat, factus eſt, ſeu aſſumpſit. Item λόγῳ vbiq; eſt, κατ' οὐσίαν, ſecundum eſſentiam, In proprio verò templo, κατ' ἰδιαίτερον, modo eximio, peculiari & exempto, ſeu diſtincto ab alijs modis præſentiæ Dei. Eſt enim verbum per eſſentiam in Patre, eſt etiam in omnibus rebus, ſed non eodem modo. Ita & in templo ſuo eſt alio modo, quam vel in Patre, vel in alijs rebus.

In colloquio cum Triphone dicit, Chriſtum Euchariſtiam inſtituiſſe in commemorationem τοῦ σωματοποιήσασθαι, noſtra cauſa, hoc eſt, quod corpus ſibi fecerit, ſeu aſſumpſerit, vel quòd caro factus ſit. Huiuſmodi igitur vocabulis tradita & ex-

 plicata

plicata fuit doctrina de mysterio incarnationis in Ecclesia Samaritana & Romana, Iustini tempore, hoc est, sicut ipse annotat, circa annum Domini 150. Fuit enim Iustinus patria Samaritanus & ciuis Romanæ Ecclesiæ.

Proximè post Iustinum fuit Irenæus, ex quo integras Græcas sententias describunt Eusebius, Theodoretus & Epiphanius. Nos versionem tantum, non satis feliciter factam, habemus, Græcum enim Exemplar, nescio, an alicubi extet.

Is igitur in explicatione huius mysterij, vtitur hisce vocabulis. Studiosè retinet τὸ ἐγλύετο Iohannis, vt lib. 3. cap. 20. Oportebat eum, qui interficeret peccatum, idipsum fieri, quod erat homo, vt peccatum ab homine interficeretur, & homo exiret à morte. Cap. 21. Immortalitas facta est, quod sumus nos, vt absorbeatur mortale, Cap. 32. Si Filius Dei non hoc factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est. Ita & alteram phrasim Iohannis retinet lib. 3. cap. 19. Vnigenitus venit in hominem propter hominem.

Deinde Iustini vocabulum ἕνωσιν frequenter vsurpat, lib. 3. cap. 18. λόγῳ vnitus suo plasmati caro factus est. Cap. 20. Adduniuit hominem Deo. Lib. 5. Ebionitæ negant vnitionem Dei & hominis, Et dicunt: Iesum tantum fuisse receptaculum Saluatoris, sicut receptaculum operationum Dei est homo, sicut inquit lib. 3. cap. 18. & 22.

Præterea Irenæus, primus, quod sciam, dixit, λόγον σαρκωθέντα. Et vnionem vocat σάρκωσιν. Sententiæ extant citatæ in 1. Dialogo Theodoreti. Et hoc est vocabulum σαρκώσεως καὶ ἐνσαρκώσεως incarnationis, quo tota antiquitas postea cupidissimè vsa est. Reddit enim compendio, & quod Iohannes dicit, Caro factus est: Item, venit in carnem: Et quòd Hebr. 2. scriptum est, Communicauit seu particeps factus est carnis & sanguinis, sicut pueri.

Atq; vtile est, de vsitatis & receptis vocabulis obseruare, vnde sumpta sint, & quæ sit illorum ratio.

Sunt & hæc Irenæi vocabula, lib. 3. cap. 18. λόγῳ, qui semper humano generi aderat, vnitus & conspersus suo plasmati, secundum placitum Patris, Caro factus est.

Et ob-

Et obſeruetur, quòd vnionem hanc diſtinguit à reliquis modis præſentiæ, quibus, ſicut inquit lib. 4. cap. 14. λόγ@ ab initio aſtitit ſuo plaſmati.

Lib. 3. cap. 20. Hærere fecit & aduniuit hominem Deo. Item, Fecit, vt Deus aſſumeret hominem, & homo ſe dederet Deo. Ibidem, Homo coniunctus eſt Deo. Lib. 4. cap. 59. Quomodo homo tranſiret in Deum, ſi non Deus in hominẽ? Lib. 5. dicit: Filium Dei ſua incarnatione cooptare, tenere, baiulare ſuum plaſma. Ibidem, Hominem depoſuit apud Deum, per ſuã incarnationem. Vocat etiam carnalem aduentum Filij Dei.

Lib. 3. cap. 21. Filius hominis comixtus eſt verbo Dei, vt homo adoptionem percipiens Filius Dei fiat. Lib. 4. cap. 37. Commixtio & communio Dei & hominis facta eſt. Intelligit autem Irenæus vocabulo commixtionis, non confuſionem naturarum, ſed opponit vocabulum illud imaginationi, de nuda præſentia, ſeu aſsiſtentia diuinitatis in Chriſto, qualis eſt in reliquis hominibus, vel ſicut clauus vnitur rotæ. Et vocabulo commixtionis intelligit talem vnionem, qua tota plenitudo diuinitatis habitat in aſſumpta natura, ſicut ignis vnitur ferro, non per attingentiam tantum, ſed penetrat & permeat ferrum, & vndiq; ei, ſine tamen confuſione, miſcetur, vt nulla pars ferri expers ſit ignis. Sic Verbum, aſſumens humanam naturam, lucet in ea tota & aſſumpta humana natura, velut accenſa lumine verbo vnita eſt. Et in hoc ſenſu tota fermè antiquitas vocabulũ cõmixtionis de hoc myſterio vſurpauit: Quod Damaſcenus poſtea cõmodiori vocabulo, περιχωρήσεως, cõmutauit: Nazianz. Epiſt. 1. ad Clidonium, vocat κρᾶσιν καὶ σύγκρασιν. Sed propter Eutychianam naturarum confuſionem poſtea minus frequens libera & commoda fuit eius vſurpatio. Vnde Cyrillus inquit: Non mixtura confuſionem aut κρᾶσιν ſubſtantiæ λόγυ ad carnem factam definimus: Sed dicimus carni animam habenti rationalem vnitum verbum, ſed vltra mentem & ineffabiliter vt ſolus ipſe nouit. Quòd autem hæc ſit Irenæi de commixtione ſententia, inde manifeſtè colligitur, quòd lib. 5. vnionem animæ & corporis in homine vocat commixtionem. Ita enim inquit; Homo eſt cõmixtio & adunatio animæ admixtæ in carne.

Lib. 3. cap. 18. In eandem ſententiam vtitur vocabulis ſignificantiſsimis: Filius Dei hominis Filius factus eſt, portante homine & capiente & complectente Filium Dei. Hoc loco valdè optârim extare ipſa Græca vocabula, quibus Irenæus vſus eſt, inde enim emphaſis ſignificationis rectius colligi poſſet. Extat autem apud Theodoretum Irenæi ſententia, ὁ ἄνθρωπος χωρήσας τὸν λόγον. Item, θεὸς ἐχωρήθη εἰς ἄνθρωπον. Vnde conijcio, in commemorato loco eſſe illud vocabulum, quod Damaſcenus ex antiquitate ſumptum frequenter vſurpat. Dicit enim lib. 3. cap. 5. 7. & 15. Naturas in Chriſto ſine Conuerſione περιχωρεῖν ἀλλήλαις. Et cap. 3. vocat περιχώρησιν τῶν μερῶν εἰς ἄλληλα. Significat autem περιχωρεῖν immigrare, peruadere, permeare, penetrare, & vndiq; aliquid complecti, ſicut anima (hac enim ſimilitudine vtitur Damaſcenus) permeat, penetrat & complectitur corpus, & ſine confuſione quaſi miſcetur ei, vt nihil ſit corporis, quin illi aſsit anima, quæ corpori ſuo modo communicat potentiam vegetatiuam, motiuam, ſenſitiuam &c. Et anima agit ſuas actiones, non ſine corporis adminiculo, ſed ſuo modo cum corpore & per corpus, & corpus ſuas abſoluit operationes, ipſius animæ virtute & adminiculo. Hanc appellationem ſignificantiſsimam eleganter explicat Cyrillus, de incarnatione vnigeniti, cap. 8. Tanquam in imagine, licet in carbone conſpicere, adunatum quidem humanitati Deum verbum, non tamen proiecciſſe, quod fuerat, transformaſſe autem magis aſſumptam naturam, in ſuam gloriam & operationem. Quemadmodum enim ignis ligno affixus, & in id penetrans, comprehendit quidem ipſum, & quamuis ignis eſſe non deſinat, vim tamen ſuam, ſpeciemq; tranſmittit omnem, ſeq; confert in lignum, & cum ipſo quaſi vnum æſtimatur: Idem intellige & de Chriſto &c.

Et breuiter, περιχώρησις vna voce complectitur & proponit totum illud, quod Origenis ſimilitudo ſupra expoſita habet. Si maſſa aliqua ferri ſemper in igne ſit poſita, omnibus ſuis poris & venis ignem recipiens, ſi neq; ignis ab ea ceſſet aliquando, neq; ipſa ab igne ſeparetur &c. Baſilius de natiuitate Chriſti, illud, quod Damaſcenus vocat περιχώρησιν, ita explicat,

cat, loquens de ferro ignito, ὅλον πλησοῖ ἑαυτῷ τὸ μέτεχον, hoc est, ignis ferrum ita reddit particeps sui, vt seipso impleat totum ferrum. Significantissimum igitur in explicatione huius doctrinæ est vocabulum περιχωρήσεως. Et vtile est scire, non recens esse à Damasceno excogitatum, sed vsurpatum ab Irenæo, & explicatum à Cyrillo. Et hæc sunt Græca vocabula, antiquissimis Græcis scriptoribus vsitata.

Quæ verò sint antiquissima Latina vocabula, quibus Latina Ecclesia in explicatione huius mysterij vsa est, ex Tertulliano & Cypriano colligi potest. Tertullianus igitur in libro de carne Christi vocat incarnationem & corporationem. Idem dicit, Deum carne corporatum. Sunt & hæc Tertulliani verba in illo libro: Agnoscunt hominem Deo mixtum. Voluit autem Tertullianus hoc modo Græcorum illa vocabula, de quibus iam dictum est, latinis auribus reddere. Idem aduersus Praxeam, Apostolus de vtraq; Christi substantia loquitur: Qui factus est ex semine Dauid, & definitus Filius Dei, secundum Spiritum. Videmus enim duplicem statum, non confusum sed coniunctum in vna persona Deum & hominem Iesum.

Idem in libro de Trinitate inquit: Autoritas diuini verbi ad suspiciendum hominem conquieuit. Item, Oportebat Verbum carnem fieri, vt in semetipso concordiam confibularet, terrenorum pariter atq; cœlestium, dum vtriusq; partis in se connectens pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet. Et mox: Dum Filius hominis adhæret in natiuitatem Filio Dei, ipsa permixtione fœneratum & mutuatum teneret, quod ex natura propria possidere non posset. Ibidem, Christus tam ex eo, quòd Deus est, quàm ex eo etiam, quòd homo est, intelligitur esse permixtus & sociatus.

Cyprianus de Idolorum vanitate: Sermo & Filius Dei in virginem illabitur, carnem Spiritu cooperante induitur. Item, Deus cum homine miscetur. Hic Christus est, qui Mediator duorum, hominem induit, quem producat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, vt & homo posset esse, quod Christus est. Idem aduersus Iudæos. lib. 2. cap. 9. Homo &

Deus Christus, ex vtroq; genere concretus, vt Mediator esse inter nos & Patrem posset.

In sermone de Baptismo Christi: Conuenerunt simul sempiterna diuinitas, & temporalis humanitas, & eo tenore vtri vsque naturæ facta est vnitas, vt impossibile sit, quod iunctum est, ab inuicem separari, sed Verbum & caro sic sunt vna essentia, vt perfectam & integram sincera coniunctio faciat vnitatem. Vnitas autem in illa Cypriani sententia vsurpatur pro vnione, & essentia pro hypostasi seu persona, quæ vsurpatio iam non est commoda. In expositione symboli vocat assumptionem carnis. Ibidem: Filius Dei non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem, Deumq; media, & Verbum Dei capiente, generatus est, &c. In Sermone de natiuitate: Miror, quomodo verbo Dei adhæserit caro, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit. Hæc vtiliter conferri possunt, quomodo latina græcis respondeant, & ab illis sint sumpta.

Vtilis est & hæc obseruatio, quomodo vetus Ecclesia, ante mota Nestorij & Eutychis certamina, simplicius & liberius, minusq; accuratè aliquando locuta sit de hoc mysterio, quæ nunc non sunt ad imitationem trahenda. Sed pergamus in annotatione vocabulorum ex reliquis vetustis Scriptoribus.

Origenes igitur περὶ ἀρχῶν, lib. 2. cap. 6. Vnxit eum præ participibus, non gratia Spiritus, sicut Prophetis, animæ illi data est, sed ipsius verbi Dei, in ea substantialis inerat plenitudo. Et lib. 4. Oleo lætitiæ vngitur illa anima, cùm verbo Dei immaculata confœderatione cõiuncta, Filij Dei plenè capax fuit.

Athanasius ad Epictetum vocat κοινωνίαν περὶ ἕνωσιν communionem & vnionem verbi ad carnem. Serm. 4. contra Arrianos, Nostrum corpus induit. Item: Non in hominem superuenit, vt in aliquem ex sanctis, vt in eo se ostenderet: in multis enim habitauit, non tamen caro factus. Et quod Paulus vocat σωματικῶς, Athanasius interpretatur, quod proprium quoddam corpus cœperit. Ibidem: Caro in verbo Deum gestat. In alia Oratione: Missio vocatur vnitio &c. Item: Christus est nomen vnionis Deitatis cum humanitate.

De incar-

De incarnatione Christi improbat illos, qui dicunt: Diuinitatem vsam tantum superficie humanitatis, loco instrumenti. Hoc est, non factam talem ἀφῃρώσησιν, qualis est animæ & corporis, ignis & ferri. Idem Athanasius dial. 5. de Trinit. Apollinaris vocabula σωνθέσεως, σωναφείας, προσλεύξεως &c. iudicat non satisesse commoda, ipse vero magis probat vocabula ἑνώσεως καὶ προσλήψεως.

Eusebius lib. 4. ἀπόδειξι cap. 10. ἐπεὶ δὲ ἔδει καὶ αὐτῷ ὀργάνῳ ἀνθρωπίνῳ, ὡικὰς τὴν ἡμετέραν φύσεα πάρεισιν εἰς ἀνθρώπους θεὸν δι' ἀνθρώπου ὡιδεικνύμενος, hoc est, Cum ad redimendum & salnandum genus humanum opus ipsi esset organo humano, ingressus nostram naturam, accessit inter homines, Deum per hominem ostendens & demonstrans. Ibidem: οὐδαμῶς τὸ εἶναι ὃς ἦν ἵστάμενος, ὁμοῦ δὲ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ φυλάττων τὸν θεὸν, hoc est, nequaquam absistens aut desinens, vt non esset, qui erat, sed simul in homine conseruans Deum.

Hilarius de Trinitate lib. 2. vocat societatem admixtionis, Ita enim citat Leo, Epist. 95. Lib. 9. dicit, Christum Deo viuere, naturæ nostræ societate in communionem substantiæ immortalitatis vnita. Lib. 10. Vnus Christus & Dei Filius & hominis Filius, habens in se vno eodemq́, per dispensationem atq́ naturam, in Dei forma & in forma serui, sine aliqua sui, & partitione, quòd homo est, & sine diuisione, quòd Deus est. Ibidem: Quomodo Dei Filius natus est ex Maria, nisi quòd Verbum caro factum est, scilicet, quòd Filius Dei, cum in forma Dei esset, formam serui accepit. Vnum tamen eundemq́, non Dei defectione, sed hominis assumptione profitemur. Item: habet in se naturam Dei, & perfecti hominis absolutionem, cum veritate corporis subsistens in natura Dei, & cum Dei natura manens in corporis veritate. Idem: in 16. cap. Matth. Filium Dei assumsisse corpus, & hominem factum esse, perfecta confessio est. Quia sicut æternitas naturæ nostræ corpus accepit: ita cognoscendum est, naturam corporis nostri, æternitatis assumere posse virtutem.

Basilius in sanctam natiuitatem. Humanitatem συμφυῆ, hoc est, connatam seu concretam sibi & vnitam προσλαμβανόμενος assciscens, vt διὰ συγγενοῦς σαρκὸς, per cognatam nobis carnem, ad seipsum genus humanum reduceret. Item, Deitas est in carne, sicut ignis in ferro.

Gregorius Nyssenus oratione de Resurrectione Christi prima aliquoties nominat ἔγκρασιν, κατάκρασιν, ὠμιξίαν.

Epiphanius vocat ἕνωσιν lib. 2. Tom. 2. contra Arr. συνένωσιν λόγου καὶ ἀνθρωπήσεως, connitionem Verbi & humanitatis. Lib. 1. Tom. 3. συνηνωμένης τῆς ἀνανθρωπήσεως τῇ θεότητι humanitate connita diuinitati. Lib. 2. Tom. 2. Ibidem vocat ἔνσαρκον θεωσίαν. In Ancorato ita explicat dictum Pauli: In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, τὸ δοχεῖον τῆς σοφίας καὶ θεότητος ὁ χριστὸς, Christus receptaculum sapientiæ & diuinitatis,

Ibidem, Idem Deus, idem homo, non efficiens confusionem, sed τὰ δύο κεράσας εἰς ἕν, duo illa temperans in vnum. Et mox postea inquit: συγκεράσας. Quomodo verò hæc veterum vocabula ab Eutychianis postea contaminata sint, suo loco dicemus.

In Theodoreti dialogis, præter illa, quæ annotauimus, extant hæc veterum vocabula, quæ non omnia satis commoda & propria sunt.

Eustachius dicit, λόγον ἀνθρώπῳ συναπτόμενον. Athanasius corpus vocat περιβολὴν diuinitatis. Item σάρκα θεοφόρον, quæ appellatio postea in Nestorio improbata est.

Nyssenus vocat θεοδόχον σαρκὰ. Idem dicit: Rex Regum venit εἰς κοινωνίαν nostræ naturæ.

Amphilochius: Nostram naturam περιβάλλεται.

Athanasius: Verbum caro factum, non in carnem ἀναλυθεὶς, ἀλλὰ σάρκα φορέσας.

Eustachius dicit, ἄνθρωπον φορέσας.

Athanasius vocat σωάφειαν. Item, ἐνεδύσατο carnem, προσελάμβανε corpus.

Nyssenus, Serui formam ὑποδύεται.

Basilius: Fleuit, vt ostenderet κοινωνίαν humanæ naturæ.

Na zian-

Nazianzenus humanam naturam vocat προσλημμα, quam dicit, εἰς τὸν θεὸν προσεθλῆφθαι. Item εἰ γαρ τὰ σωαμφότερα ἓν, ἀλλ' οὐ τῇ φύσει, τῇ δ' ἐ σωόδῳ, hoc est, Vtraq; sunt vnum, non autem natura, sed vnione.

Nyssenus vocat προσεγγισμὸν.

Theodoretus dialogo 2. citat hæc verba, quæ extant apud Hilarium, Athanasium, Ambrosium, & Cassianum, διὰ τὸ ἐγχέαι τὼ ἑαυτοῦ δ'ώαμιν ἐμίγη τῇ φύσει, τῇ ἀνθρωπίνῃ, οὐ μὼν ἀνθρώπου φύσις ἐμίγη τῇ θείᾳ, Deus Verbum per infusionem suæ potentiæ mixtus est naturæ humanæ, non autem humana natura mixta est diuinæ. Hæc quia non satis commodè dicta sunt, posteri commoda interpretatione lenierunt, vt Rusticus Diaconus de fide Chalcedonensi: Nomen commixtionis posuerunt etiam sanctorum nonnulli, quoniam verò vereri te dicis, ne forsitan putetur refusio quædam contigisse, sicut fit in ijs, quæ inuicem liquida commiscentur, libero te ab eiusmodi pauoribus, Sapuerunt enim sicut nos, nunquam abusi sunt verbo, summam factam vnitionem earum, quæ ad alterutrum conuenerunt significare studentes.

Ambrosius de Fide lib. 1. cap. 7. vocat incorporationem. Lib. 2. cap. 4. susceptionem carnis & assumptionem corporis. Item, Consors est vtriusq; naturæ, & in eodem vtraq; est natura. Lib. 4. cap. 2. vocat incarnationem.

De Fide contra Arrianos cap. 8. Cum hominem induit, non substantiam mutauit, sed illuuias eiusdem corporis, æternæ claritatis suæ lumine illustrauit. De Sacramento incarnationis cap. 4. Suscepit, quod meum est, non vt confunderet, sed vt impleret. Ibidem vocat susceptionem nostræ naturæ.

Hieronymus in 61. cap. Isaiæ, vocat dispensationem assumptæ carnis. Et hoc vocabulo Græcorum οἰκονομίαν voluit reddere.

In expositione Fidei: Sic confitemur, in Christo vnam Filij esse personam, vt dicamus, duas & integras esse substantias, Deitatis & humanitatis, quæ ex anima continetur, & corpore.

Augustinus contra sermonem Arrianorum. Apparet idem Christus geminæ Gigas substantiæ, sed vna est persona.

In Enchiridio cap. 34. Verbum caro factum est, à diuinitate carne susceptа, non in carnem diuinitate mutata.

Cap. 35. Et Deus & homo est. Deus, quia Dei verbum, Homo aũt, quia in vnitatem personæ accessit verbo anima rationalis & caro &c. Idem, Ipse vtrumq; ex vtroq; vnus Christus.

Cap. 36. Quemadmodum vna persona quilibet homo anima scilicet rationalis, & caro, Ita Christus vna persona, Verbum & homo.

De Fide ad Petrum cap. 13. Vocat susceptionem formæ seruilis. Cap. 14. Verbum Deus habens veram nostri generis carnem, & animam rationalem sine peccato.

Cap. 16. Verbum caro factum, in duabus naturis inconfusibiliter manet. Cap. 17. Verbum caro factum, vnam habet diuinitatis suæ, carnisq; personam. Ita enim veraciter sibi vniuit humanam naturam, & permanente diuinitate, ita Verbum caro factum est, vt quamuis naturaliter non hoc sit verbum, quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo, secundum vnam tamen personam, idem Verbum caro fieret. Verbum enim non accepit personam hominis, sed naturam, & in æternam personam diuinitatis accepit temporalem substantiam carnis.

De Ecclesiast. dog. cap. 2. Non duos Filios, neq; duos Christos fatemur, sed Deum hominem, vnum Filium, manentem in duabus substantijs, sicut ei naturæ veritas contulit, non confusis naturis, neq; immixtis, sed societate vnitis. Deus ergò hominem assumpsit, homo in Deum transiuit, non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem, nec homo in diuinam, glorificatus in Deum, quia mutatio vel versibilitas naturæ, & diminutionem & abolitionem substantiæ facit.

De Agone Christiano cap. 33. Aliud est esse creaturam, aliud suscipere creaturam. Filius igitur Dei suscepit humanam creaturam, quam lapsam erigere, atq; inueteratam renouare dignatus est.

Augusti-

Augustinus de Trin. lib.4. cap. 13. Verbo Dei ad vnitatem commixtus est homo. Cap. 20. Filius missus est, non vt esset cum hominibus, aut in hominibus, hoc enim antea in Patribus & Prophetis fuerat, sed vt ipsum Verbum caro, id est, homo fieret. Et in fine inquit, Verbo Dei, ad vnitatem personæ, copulatus, & quodammodo commixtus est homo, cum factus est ex fœmina Filius Dei, vt esset & Filius hominis, propter filios hominum. Idem Epist. 3. Virtus diuina totum hominem in melius mutandũ, nullo modo ipsa in deterius mutata, cooptauit. Item, Hominem non consumpsit, sed assumpsit. Et mox, Ita inter Deum & homines Mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtramq; naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. Verbum tempus elegit, quo susciperet carnem, non tempori cessit, vt verteretur in carnem. Homo quippe Deo accessit, non Deus à se recessit. Quidam sibi rationem reddi flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit, vt vna fieret persona Christi, quasi rationem ipsi reddant, quomodo misceatur anima corpori, vt vna persona fieret hominis. Nam sicut in vnitate personæ anima vtitur corpore, vt homo sit, ita in vnitate personæ Deus vtitur homine, vt Christus sit. In illa ergò persona mixtura est animæ & corporis: In hac persona mixtura est Dei & hominis, si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, vt neuter seruet integritatem suam, quanquam & in ipsis corporibus aëri lux incorrupta miscetur. Item, cum verbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus, si tamen non indignè ad ista mixtionis vel mixturæ nomen admittitur, propter consuetudinem corporalium rerum. Hæc Augustini sententia, ostendit etiam, illo tempore minus commodum visum fuisse vocabulum mixtionis.

Ibidem: Filius Dei longè alio modo quodam, quàm eo, quo creaturis cæteris adest, suscepit hominem, seq; & illum fecit vnum Iesum Christum, Mediatorem Dei & hominum. Item, hominem suscipere dignatus est & cum illo vniri quodammodo, vt ei sic cooptaretur homo totus, sicut animæ corpus, excepta concretione mutabili, in quam non conuertitur Deus.

Idem

Idem Epiſt. 57. De nobis Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, morimur, & ſumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniam & aliter Deus ille in homine, proprio quodam & ſingulari modo, Vna enim perſona Deus & homo eſt, & vtrumq; eſt vnus Chriſtus. Idem ſingulari quadam ſuſceptione hominis illius vna facta eſt perſona cum Verbo.

Epiſt. 174. Filius Dei factus eſt Filius hominis, non mutando, quod erat, ſed aſſumendo, quod non erat.

Ibidem, Filium Dei crucifixum fatemur, non ex ſuæ naturæ permixtione, ſed ex noſtræ ſuſceptione.

Scholaſticis frequens & vſitata eſt hæc Auguſtini ſententia. In rebus per tempus exortis ſumma gratia eſt, quòd Deus in vnitatem perſonæ homini, nullis præcedentibus meritis, copulatur. Et altera ſententia de Trin. lib. 13. Deum & hominem in vna perſona, ineffabilis gratiæ largitate coniunctum.

Venimus iam ad Cyrillum, qui moto Neſtoriano certamine accuratius & circumſpectius de hoc myſterio locutus eſt, & voces quaſdam vetuſtioribus ante ſe vſurpatas, agnouit propter Neſtorium minus proprias & commodas eſſe, niſi addita neceſſaria declaratione explicentur & præmuniantur, vt in Epiſt. Synod. ad Neſtorium inquit: Coniunctionis nomen tanquam non idoneum ad ſignificandum vnitatis arcanum euitamus. Item, Vnus eſt Chriſtus, vnus Filius & Dominus, non velut cõiunctionem quamlibet in vnitate dignitatis & autoritatis ad Deum, nec ſecundum participationis affectum, nec ſicut in ſanctis habitat. Et cap. 2. damnat Neſtorium, qui natura ſola connexione coniungat, ſecundum dignitatem, autoritatem & poteſtatem. Vocabula autem ſunt σωάπτειν καὶ σωάφεια, quæ tamen vetuſtiſsimis vſitata fuiſſe oſtendimus.

Ipſe verò Cyrillus vtitur verbo ἕνωσις, Et indifferenter nominat ἕνωσιν καὶ ἑνότητα, & declarationis gratia dicit in Epiſtola ſynodica, Filium Dei vnitum carni κατὰ φύσιν. In 2. cap. κατὰ οὐσίαν. Cap. 3. vocat ἑνότητα φυσικὴν, καὶ οὐσιωδῆ. His vocibus offenſi fuerunt orientales, quaſi Cyrillus ſtatueret vel conuerſionem vnius naturæ in alteram, vel confuſionem naturarum, vt ex duabus vna quædam tertia reſultet. Sed Cyrillus declarauit ſe,

uit se, quòd voces illas Nestorio opposuerit, qui fingebat tantum coniunctionem ratione dignitatis, autoritatis, & potestatis. Ostendendum igitur fuisse, ipsas naturas seu essentias diuinitatis & humanitatis, in Christo verè vnitas esse, idq; καθ' ὑπόσασιν, sicut inquit in Epistola synodica.

Varias autem vocabulas declaratorias Cyrillus addidit vocabulo vnionis, ad præcauendam & confusionem naturarum & distractionem. Vocat ἕνωσιν ἀσύγχυτον καὶ ἀδιάστασον, Vnionem inconfusam & indiuulsam. Item, duæ naturæ conuenerunt secundum vnionem, ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως, inconfusè & inseparabiliter. Sunt & hæc eius vocabula, vnio οὐ κατὰ φυρμὸν ἢ ἀνάχυσιν ἢ μετάσασιν, non secundum confusionem, sicut fermentum massæ miscetur, vel secundum transmutationẽ, aut decessum & sepositionem vnius naturæ ab altera. Hoc enim significat μετάσασις. Obseruetur autem, quòd post Chalcedonensem synodum, propter Eutychianos, non libenter appellarunt ἑνότητα ἢ φύσιν, ἢ οὐσίαν, φυσικὴν & οὐσιωδῆ, sed retenta fuit hæc, vt omnium commodissima appellatio, ἕνωσις ὑποστατικὴ ἢ καθ' ὑπόσασιν, Vnio hypostatica personalis, & secundum subsistentiam. Et Gelasius existimat vocabulum vnitionis commodius esse, quàm vnionis.

Frequenter & hæc vocabula apud Cyrillum occurrunt, Naturæ συνενεχθῆναι, συνελθεῖν, συνδιαμηνύειν πρὸς ἢ καθ' ἕνωσιν. Naturæ conueniunt & concurrunt ad vnionem. Item, Conuentus & concursus naturarum secundum vnionem.

In Iohannem lib 4. cap. 21. Verbum ineffabili modo vnionis carni coniunctum. Cap. 24. Caro summè cum Spiritu coniuncta.

Lib. 12. Thesauri cap. 10. Christus Mediator naturaliter & substantialiter Deus & homo, in vna hypostasi est.

De recta fide ad Theodosium vocat dispensationem per vnionem, Item vnionem dispensatiuam. Hoc enim Cyrillo cum reliquis Græcis Theologis commune est, quod θεολογίαν vocant, quando absolutè de diuina natura loquuntur: Quando verò de Incarnatione loquuntur, vocant οἰκονομίαν.

Lib. 1. ad Reginas: Verbum proprium habens corpus. Lib. 2. Proprium factum est viuentis Verbi vnitum illi corpus.

Epist. 1. contendit: Non hominem ex virgine natum, organi vice assumptum, sed Deum incarnatum.

Epist. 10. Verbum caro factum, non sicut in sanctis habitat, sed talem sibi effecit inhabitationem, qualem & hominis anima, cum proprio creditur habere corpore.

De incarnatione vnigeniti, cap. 7. Sicut corpus alterius est naturæ quàm anima, Vnus tamen ex vtroq; homo efficitur & vocatur: Ita ex perfecta Dei verbi subsistentia, & humanitate perfecta, vnus est Christus. Cap. 11. Verbum se in id, quod non erat, immisit. Atq; hoc modo Cyrillus appellationes illas temperauit, vt eas Nestorio opponeret. Postea cum Eutyches fingeret, in vnione factam esse naturarum conuersionem seu confusionem, Modi loquendi accommodati fuerunt ad cauendum & refutandum illum errorem.

Leo igitur Epistola 10. inquit: Salua proprietate vtriusq; naturæ, & in vnam coëunte personam, suscepta est à maiestate humilitas &c. Natura inuiolabilis, naturæ vnita est passibili, vt vnus atq; idem Mediator &c.

Tenet sine defectu proprietatem suam vtraq; natura. Et sicut formam serui, Dei forma non adimit, ita formam Dei, forma serui non minuit. Seruilem formam, obumbrata maiestatis suæ immensitate suscepit. Sicut Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Et sicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Quid est soluere Iesum, nisi humanam ab eo separare naturam? Et tandem concludit, Catholica Ecclesia hac fide viuit ac proficit, vt in Christo Iesu, nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate diuinitas.

Epistola 11. Cur inconueniens aut impossibile videatur, vt Verbum caro & anima, vnus Dei hominisq; sit Filius, si caro & anima, quæ dissimilium naturarum sunt, vnam faciunt personam, cum multò facilius sit, vt ad hanc vnitatem sui atq; hominis, Deitatis præstet potestas, quàm vt eam in substantijs suis obtineat, solius humanitatis infirmitas. Nec Verbum igitur

in car-

in carnem, nec in verbum caro mutata est, sed vtrunq; in vno manet, & vnus in vtroq; est, non diuersitate diuisus, non permixtione confusus. Ibidem: Non esset Dei hominumq; Mediator, nisi idem Deus idemq; homo, in vtroq;, & vnus esset & verus.

Epist. 13. Forma Dei ac forma serui, in vnam conueniente personam.

Epist. 22. Factus Filius hominis, non suæ conuersione substantiæ, sed nostræ assumptione naturæ, Venit quærere & saluare, quod perierat.

Epist. 81. Ita in idipsum vtraq; concurrunt, vt in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur.

Cassianus de Incarnatione ad Leonem lib 1. recitans confessionem approbatam ab Ecclesijs Africanis & Gallicanis inquit: Nec tamen, quia incarnatus dicitur & immixtus, diminutio eius est accipienda substantiæ. Nouit enim Deus, sine sui corruptione, misceri, & tamen in veritate misceri, Nouit in se ita suscipere, vt nihil ei crescat augmenti. Item, Non ex similitudine de duabus in se inuicem ingredientibus creaturis putemus, Deum hominemq; commixtum, vt conflatili genere, duas naturas in vnam redactas arbitremur substantiam. Deus enim qui capabilis non capax est, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, per infusionem potentiæ suæ misericorditer naturæ est mixtus humanæ, οὐ μὴν ἡ ἀνθρώπου φύσις ἐμίγη τῇ θεᾷ. Non autem humana natura, mixta est diuinæ. Ita enim Theodoretus Dialogo 2. hanc sententiam citat.

Idem Cassianus: Manente in sua perfectione naturaliter vtraq; substantia, sine sui præiudicio, & humanitati diuina communicant, & diuinitati humana participant. Lib. 3. Nestorius docuit: Carnem Christi esse θεόδοχον susceptricem Deitatis. Lib. 5. Christum esse θεόδοχον, sicut sancti. Et tamen Gregorium Nyssenum ita locutum esse paulo ante ostendimus.

Definitio Chalcedonensis ita inquit: Vnum eundemq; Filium Dominum nostrum Iesum Christum, docemus perfe-

ctum eundem in Deitate, eundem in humanitate perfectum, Deum verè, & verè hominem eundem, ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri, secundum diuinitatem. Consubstantialem nobis eundem, secundum humanitatem. Hunc vnum & eundem Christum, Filium, Dominum, vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter, cognoscendum, nunquam vel in nullo sublata differentia naturarum, [propter vnitionem, sed salua magis vtriusq; naturæ proprietate, & in vnam coëunte seu concurrente hypostasin, non in duas diuisum personas.

Ibidem citatur sententia Augustini in Iohannem: Per vnitionem & commixtionem, Vnus est Deus, verbum & caro, nequaquam facta confusione vel permixtione harum substantiarum, sed vnitione ineffabili.

—Fulgentius lib. 1. ad Transimundum: Hoc Deus in nobis saluauit, quod pro nobis accepit. Et illam Filius Dei naturam fecit participem salutis, quam sibi coniunxit in vnitate personæ. Ibidem, Diuinitas totam hominis naturam & renouandam susscepit, vt susceptam posset renouare. Ibidem, Idem Deus totam in se susscepit naturam hominis, & idem homo totam in se habet substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem, hominemq; peccantem, talis vtiq; Mediatoris debuit interuenire persona, quæ ad propiciandum Deum homini, totum verumq; in se Deum de Deo natum haberet, & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumq; in se de homine natum hominem contineret, atq; ita ex vtroq; & in vtroq; nunc Christus esset, vt plenitudo Deitatis susceptum non consumeret, sed proueheret hominem, & plenitudo humanitatis nec minoraret Immensum, nec mutaret impassibilem Deitatem.

Lib. 3. Homo ille Deus dicitur, pro eo quod est à Deo susceptus, In cœleste nomen transijt, per consortium Deitatis.

Ibidem, Ab ipso conceptionis exordio, sic in Christo personalis vnitas mansit, & sic vtriusq; naturæ inconfusa veritas perdurauit, vt nec homo à Deo diuelli, nec Deus à susscepto homine

posset

posset separari, nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permutaret.

Idem ad Donatum: Nunquam homo à Deo gratiam salutis acciperet, si in vna persona Christi, diuinæ humanæq; naturæ communio non maneret, Ipse vnus, in quo est gemina, inseparabilis, inconsciscibilisq; natura, ex vtriusq; naturæ coniunctione vna persona. Fides enim sicut in Christo duas naturas veraciter prædicat, sic duas in eo personas omnino denegat.

Non longè post Fulgentium scripsit Vigilius. Is igitur contra Eutychen Lib. 1. inquit: Carnis natura ita per suscipientis commixtionem in verbi transijt personam, vt tamen in verbo non fuerit consumpta. Item, Carnem ineffabili societatis permixtione ita sibi adunauit, vt verbum homo, & homo Deus, Idemq; vnus, non mutatis naturarum generibus. Vsq; adeo voluit nostri generis naturam per commixtionis indiuiduam societatem non fuisse consumptam, vt se etiam in cœlo positum, Filium hominis dicat.

Ex vtroq; subsistens, vtroq; non carens, vtriusq; est naturæ. Eutychiani vtriusq; naturæ proprietatem idcirco nolunt accipere, ne videantur duos Christos inducere. Item, Dicunt Christum vsq; ad resurrectionem ex duabus naturis fuisse, post resurrectionem verò vnius esse naturæ.

Lib. 2. Quia est in Christo & naturarum proprietas & personæ vnio, Nestorius attendendo proprietatem naturarum à personæ excidit vnitate & duos putauit Christos seu duas personas. Eutyches vnam intuendo personam, à naturarum proprietate desciuit. Ibidem extat & hæc sententia: Vt diuina humanitas & humana diuinitas propicietur nobis.

Lib. 4. Ex verbo & carne concreta & compacta est Eutychis natura, vt nec verbum retinuerit naturam suam commixtione carnis, nec caro proprietatem suæ naturæ commixtione diuinæ, Vt nec homo, nec Deus fit Christus, Caro non perdidit proprietatem naturæ & generis sui, Lib. 5. Vt humana diuinis & diuina humanis sociaret, prius vtrumq; sine vtriusq; abolitione vniens in seipso, Deinde omnes fideles patri reconcilians.

Quintæ ſynodi vniuerſalis Canon. 4. Vocat vnitionem, non per confuſionem, diuiſionem, operationem ſeu relationem, Sed per ſeu ſecundum compoſitionem, quæ eſt ſecundum ſubſtantiam. Item vocat ſubſiſtentiam compoſitam, Ita & in Synodo Romana vocatur vnitio per aut ſecundum compoſitionem, quæ & confuſionem & diuiſionem tollit.

In 6. vniuerſali ſynodo, citatur Nyſſeni ſententia, quæ appellat copulationem atq; concretionem naturarum. Ibidem citatur Cyrilli ſententia, ex libris theſauri. Sancti patres vtraſq; voces confitendo (Quod Chriſtus exiſtat in Deitate & humanitate, Et quòd ex Deitate & humanitate exiſtat) per vtraq; eorum inconfuſam & indiuiſam diſpenſationem Saluatoris noſtri tradiderunt.

Sophronius Ieroſolymitanus, Anima & caro Chriſti, à Deo verbo producta, & in ipſo conſiſtentia, & cum ipſo copulata. Item, vnam eius ſubſiſtentiam compoſitam dicimus. Nam quæ ſecundum ſubſiſtentiam, & naturaliter vniuntur, neq; mutationem, neq; diuiſionem agnoſcunt.

Chriſti perſona compoſita, & inconfuſo conſtans temperamento, partitionem conuenientium neſcit.

Chriſtus eſt vnum & duo, vnum ſecundum ſubſiſtentiam, duo verò ſecundum ipſas naturas, atq; naturales eorum operationes, ex quibus natura duplex, vnum eſſe ſortitur, & vnum permanere ſeruabit. Item, Perfectus Deus naſcitur, licet eſſet humanæ carni intellectualiter animatæ commixtus. Hæc Sophronius.

Boëtius in libro, de duabus naturis, Qui Filius Dei eſt, homo appellatur, non ſubſtantia diuinitatis, ſed humanitatis, quæ tamen diuinitati naturali vnitate coniuncta eſt. Et cum hæc ita intelligentia diſcernantur, permiſceanturq;, tamen vnus idemque & homo, perfectus eſt & Deus, Homo Deus eò, quòd à Deo fuerit aſſumptus. Et qui Deus homo, quoniam veſtitus homine ſit, cumq; in eadem perſona aliud ſit diuinitas, quæ ſuſcepit, & aliud, quam ſuſcepit humanitas, Idem tamen Deus atq; homo eſt. Nam ſi hominem intelligas, Idem homo eſt qui Deus, quoniam homo ex natura, Deus aſſumptione. Si verò Deum in-

um intelligas, idem Deus est atq; homo, quia Deus est natura, homo assumptione, fitq; in eo gemina natura, geminaq; substantia. Quoniam homo Deus, Et vna persona, quoniam idem homo atq; Deus.

Post hæc tempora, circa annum Domini 700. scripsit Iohannes Damascenus, cuius scripta doctrinæ huic non parum lucis afferre possunt, non propter ipsius Damasceni autoritatem, sed quia collegit disputationes & sententias totius antiquitatis, ex omnium Græcorum patrum scriptis, præsertim verò ea, quæ definita sunt in 4. illis Oecumenicis concilijs, de huius doctrinæ controuersijs celebratis. Sicut non difficile esset ostendere, ex quorum patrum scriptis & conciliorum decretis pleraſq; sententias, atq; adeò ipsa vocabula Damascenus descripserit. Is igitur lib. 3. de orthodoxa fide cap. 2. inquit: Λόγῳ σαρκὶ ἐψυχωμένῃ, καὶ ἓν αὐτῷ τὸ εἶναι λαχόσῃ ἕνωθεὶς κατὰ ὑπόσασιν, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀναλλοιώτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀδιασάτως, Verbum carni animatæ, & in ipso Verbo esse suum sortitæ, vnitum est secundum hypostasin, sine confusione, conuersione, & mutatione, sine diuisione, separatione, absq; interuallo seu distantia.

Cap. 3. Nec diuina natura excedit à sua simplicitate, nec humana natura, vel in diuinitatem conuersa, vel prorsus interempta & abolita est (εἰς ἀνυπαρξίαν χωρησάσῃ) nec ex duabus naturis facta est, μία σῶθετῳ φύσις, vna composita natura. Composita enim natura, neutri earum, vnde componitur, ὁμοδόσιῳ est.

Ibidem: Confitemur ἕνωσιν οὐ κατὰ φυρμὸν ἢ σύγχυσιν, ἢ σύγκρασιν, ἢ ἀνάκρασιν, hoc est, non secundum fermentationem, confusionem, commixtionem, aut contemperationem, sicut Eutyches finxit, Nec sicut Nestorius voluit, σχετικὼς, ἢ κατὰ ἀξίαν, ἢ ταυτοβουλίαν, ἢ ὁμοτιμίαν, ἢ ὁμωνομίαν, ἢ εὐδοκίαν, hoc est, non secundum habitudinem, aut secundum dignitatem, aut consensum voluntatis, aut æqualitatem honoris, aut nuncupationem, aut beneplacitum, ἀλλὰ κατὰ σῶθεσιν, ἥγουν καθ' ὑπόσασιν. Sed secundum compositionem, videlicet secundum hypostasin.

Item

Item fatemur in Christo, σώζεσθαι, saluas esse, seu seruari duas naturas, οὐκ ἰδίᾳ καὶ ἀνὰ μέρος τιθέντες ἑκάστω, ἀλλὰ ἡνωμένας ἀλλήλαις ἐν μιᾷ σωθέτω ὑποστάσει, Non ponentes vnamquamq; naturam seorsim, priuatim & quasi ad partem, sed vnitas inuicem in vna composita hypostasi seu persona.

Ibidem: Non ἐξ ἑτέρων ἕτερον. In Christo ex diuersis non fit aliud, vt ex anima & corpore homo, ἀλλά ἐξ ἑτέρου τὰ αὐτά, sed ex diuersis eadem. Christus enim est ex duabus & in duabus naturis, ἐκ δύο τε καὶ ἐν δυσὶ φύσεσι. Et cap. 14. Nazianzenus de naturis in Christo breui & eleganti sententia ita loquitur: ἐξ ὧν ἐν αἷς καὶ ἅπερ, ex quibus naturis, in quibus, & quæ ipsæ sunt Christus.

De Vocabulo περιχωρήσεως, quod in frequentissimo vsu est Damasceno, supra dictum est.

Idem cap. 5. Fatemur duas naturas σωελθείας ἀλλήλαις, Inde dicitur conuentus seu concursus naturarum.

Cap. 6. Citat ex Dionysio θεότης ὁλικῶς ἡμῖν ἐν μίᾳ τῶν ἑαυτῆς ἐκοινώνησε ὑποστάσεων. Diuinitas in vna sui hypostaseon tota nobis communicauit. Ibidem citat ex Athanasio & Cyrillo τὴν φύσιν τοῦ λόγου σεσαρκωμένην, Naturam verbi incarnatam. Cap. 7. Verbi hypostasis, quæ prius erat simplex, facta est composita ex duabus naturis.

Ibidem: Christus ὅλος Deus, non ὅλον, totus non totum. Hoc enim naturam, illud personam significat.

Cap. 9. Duabus naturis ἀναγομένων reductis in vnam Hypostasin.

Cap. 11. ἕνωσις significat solam coniunctionem, Sed σάρκωσις ἢ ἐνανθρώπησις, Incarnatio aut inhumanatio significat vnionem ad carnem seu hominem.

Ibidem: Non propriè dicitur θεότης, diuinitas incarnata, aut homo facta: Est enim communis tribus personis. Item Pater & Spiritus Sanctus μὴ οὐδένα λόγον, nulla ratione communicarunt carni verbi, nisi secundum diuinas operationes, beneplacitum & voluntatem.

Cap. 12.

Cap. 12. ᾧ αὐτὸ ὑποσάσθ ἐψυχωμλύλω σάρκα ὑποστήσας ηρὴ αὐτὸς γεγονὸς αὐτῇ ὑπόσασις, hoc est, λόγ@ in sua hypostasi animatam carnem sustentans, ipse carni factus est hypostasis.

Cap. 19. Duæ naturæ sunt vnus Christus, & vnus Christus duæ naturæ.

Lib. 4. cap. 19. vocat περιχώρησιν, ἀσύγχυτον ηρὴ ἀμετάβλητον, penetrationem sine confusione & conuersione. Vocat etiam ibi ἕνωσιν, συμφυΐαν ηρὴ ἁρμόγλω naturarum.

Ibidem communicationem operationum vocat κρᾶσιν ηρὴ μίξιν, quæ quomodo intelligenda sint, postea explicabimus.

Anshelmus: Cur Deus homo. lib. 2. cap. 7. Non potest fieri Deus homo, ex diuina & humana natura, conuersione alterius naturæ in alteram, aut corruptiua commixtione vtriusque in tertiam. Seruata igitur integritate vtriusq; naturæ facta vnio &c. Idem de Incarnatione, cap. 4. Deus assumpsit hominem, non in vnitatem naturæ, sed in vnitatem personæ.

Bernhardus de consideratione lib. 5. Sicut anima & caro vnus est homo, ita diuinitas & humanitas vnus est Christus. Decuit quippe familiarius similiusq; cum hominis conuenire constitutione, quod pro homine constitutum est Sacramentum: Item, Sicut in Trinitate tres personæ & vna essentia, Ita in Incarnatione, conuenientissima quadam contrarietate, tres essentiæ, diuinitas, anima & corpus, sunt vna persona. Hoc modo Mediator est Dei & hominum. Idem allegorisans tria fata Euangelica, inquit: Vna persona, Verbum, anima, caro, In vtero virginis commixtio hæc & fermentatio facta est.

Idem in Vigilia Natiuitatis: Tres mixturas fecit omnipotens illa Maiestas in assumptione nostræ carnis. Coniuncta quippe sunt ad inuicem, Deus & homo, Mater & virgo, Fides & cor humanum: Admirabiles istæ mixturæ: Nihil Deo sublimius, nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaq; dignitate limus ascendit in Deum, Vt, quicquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur, quicquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur.

Scholasticis Scriptoribus præcipuè vsitata sunt vocabula Incarnationis, vnionis, & assumptionis. A vocabulo compositionis dicunt se abstinere, propter duas causas. 1. Quia diuinitatis natura simpliciſsima non potest subire compositionem cum alio, vt fiat inde totum ex duabus partibus. 2. Diuinitas non dicitur esse pars compositi, propter imperfectionem, quæ est de ratione partis. Sed quantum hæ rationes valeant, lector, iudicet. Certè aliquot Synodi vocarunt compositionem: Nec sequitur diuinitatem fieri partem alterius: Sed sicut Longobardus inquit, lib. 3. Dist 7. Inexplicabilis est illa compositio, quæ non est partium. Theodorus 3. Dialogorum citat hanc sententiam: ὑπὲρ τῶν σώθεσιν ὁδὸν, καὶ ὑπὲρ τῶν διάλυσιν.

Hæc de vocabulis ex vetustis Scriptoribus, bono studio & mediocri labore collectis, hoc loco annotare volui. Adferunt enim non parum lucis ad explicationem & intellectum doctrinæ, de hypostatica seu personali vnione duarum naturarum in persona Christi. Et continent multas breues ac venustas notationes, seu descriptiones hypostaticæ vnionis. Ostendit etiam hæc obseruatio, quomodo alij scriptores alijs diligentius & commodius locuti sunt. Et quomodo propter certamina alijs temporibus, alia vocabula, vel magis vel minus commoda visa fuerint. Ex hac etiam obseruatione multa de modis loquendi, in explicatione huius doctrinæ, dextrè possunt dijudicari.

Atq; propter hanc causam spero studiosum & candidum lectorem huic recitationi, licet aliquanto prolixiori, non fore iniquum.

CAPVT.

CAPVT X.

Sententiæ quædam ſcripturæ & vetuſtatis, monſtrantes, totam plenitudinem myſterij hypoſtaticæ huius vnionis in hac vita imperſcrutabilem & ineffabilem eſſe, vt meminerimus, mediocri explicatione & cognitione nos debere contentos eſſe.

HÆc igitur ſit ſimplex & mediocris explicatio hypoſtaticæ vnionis duarum naturarum in Chriſto, quæ in hac quidem vita ad ſalutarem cognitionem ſufficit. Non autem exiſtimare debemus, illa qualicunq; explicatione nos totam profunditatem huius myſterij comprehendere, aſſequi, atq; adeò exhaurire poſſe: Ex parte enim cognoſcimus 1. Cor. 13. Sed quando eam, ſicut in ſcripturis patefactum eſt, de hoc myſterio cognitionem, quæ in hac vita ad ſalutem neceſſaria eſt & ſufficit, ex verbo Dei hauſimus, ſciamus, multa ſupereſſe, quæ in huius vitæ infirmitate, nobis incomprehenſibilia & ineffabilia ſunt, Vtq; curioſitatem mentis noſtræ reprimamus, vtile eſt, talia quædam dicta in conſpectu habere.

Scriptura igitur affirmat, eſſe myſterium, & quidem extra controuerſiam magnum myſterium, quòd Deus manifeſtatus eſt in carne, 1. Tim. 3. Et 1. Cor. 2. Paulus dicit eſſe ſapientiam, in myſterio abſconditam, quam nemo principum huius ſæculi cognouit, quòd Dominus gloriæ crucifixus ſit.

Iuſtinus de expoſitione fidei in hanc ſententiam multa habet pulcherrima dicta. Vocat enim λόγον οἰκονομίας ἄῤῥητον, rationem diſpenſationis ſeu incarnationis ineffabilem. Et mox ſubiungit, De modo vnionis, nemo me interroget, Non enim

verebor ignorantiam fateri, magis verò gloriabor, quòd credam τοῖς ἀποῤῥήτοις, hoc eſt, arcanis, quæ non ſatis explicari poſſunt, καὶ μύσυς τότων ὑπάρχων ὧν καὶ λόγῳ καὶ νοῒ ἀτονῶ τῷ καταλήψιν, hoc eſt, Non erubeſcam, ſed magis gloriabor, me eſſe & diſcipulum & interpretem illorum myſteriorum, in quorum compræhenſione & mens & oratio deficiunt. Item quando in his quæſtionibus hæſito, confugio ad exclamationem illam, quæ vſurpatur de admirandis myſterijs Chriſtianorum, τὰ ἡμέτερα ὑπὲς νοῦν, ὑπὲς λόγον, ὑπὲς καταλήψιν κτισῆς φύσεως, hoc eſt, Myſteria noſtra ſunt ſupra mentem, ſupra ſermonem, & ſupra comprehenſionem creatæ naturæ. Item cùm quærenti tibi incidit dubitatio, πρόφερε ἑτοίμως λύσιν τῷ πίσιν, hoc eſt, profer fidem, quæ eſt promptiſsima ſolutio. Non autem eò hæc dicit Iuſtinus, quaſi nulla prorſus de hoc myſterio cognitio vel neceſſaria ſit, vel haberi poſsit, ſed ea, quæ in verbo Dei patefacta ſunt, quantum mens Spiritu Sancto illuſtrata in hac infirmitate capere poteſt, vult agnoſci & firma fide teneri. Quando verò vel modum, vel ea, quæ patefactionem verbi excedunt, non poſſumus vel comprehendere, vel explicare, tunc Iuſtinus opponit illas ſententias. Et addit memorabilem ſententiam, σαφὴς ἔλεγχος ἀπιςίας τὸ πῶς περὶ τοῦ θεοῦ λέγειν, Manifeſtum indicium eſt incredulitatis de rebus diuinis quærere: Quomodo?

Origenes περὶ ἀρχῶν, Libro 2. Cap. 6. Ex omnibus miraculis, illud penitus admirationem humanæ mentis excedit, nec inuenit mortalis intelligentiæ fragilitas, quomodo ſentire vel intelligere poſsit: quomodo Dei verbum, potentia & ſapientia, in qua creata ſunt omnia, intra circumſcriptionem eius hominis, qui in Iudæa apparuit, credenda ſit, ſed & ingreſſa Dei ſapientia vuluam fœminæ, naſci paruulus, vagitum emittere voluerit, &c. Et poſtea addit, Cum omni metu & reuerentia contemplandum hoc eſt. Item, Arbitror, quod etiam Sanctorum Apoſtolorum ſupergrediatur menſuram, quin imò etiam fortaſsis totius creaturæ, Cœleſtium virtutum eminentiæ eſt Sacramenti iſtius explanatio.

Athana-

Athanasius De Incarnatione verbi: Res istas exactè excutere, paucorum est, Fidem autem retinere omnium est, qui Christo ascultant. Item res magnas & apprehensu difficiles, non nisi fide consequi datur, & inde fit, cum vires in scrutando non sufficiant, vt in ruinam trahamur, nisi in fide permaneamus & curiosas quæstiones auersemur. Addit etiam, Qui ea, quæ vltra vires sunt, indagat, in præcipiti consistit: Qui verò traditionibus, scripturæ scilicet (loquitur enim de loco 1. Timoth. 3. inhæret, extra periculum versatur.

Chrysostomus in Homilia quadam: Scio, quòd Verbum caro factum est, & quomodo factum sit, nescio. Miraris quia ego nescio? Omnis creatura ignorat.

Cyrillus in Iohannem lib. 4. cap. 15. Ineffabiliter & vltra quàm possit mens humana intelligere, Verbum humanitati coniunctum est. Cap. 24. Quomodo id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio atq; firma fide id suscipimus.

Idem de vera fide ad Theodosium, Profundus & verè ineffabilis, cogitationibusq; nostris incomprehensibilis incarnationis modus. Item, Stultissimum omninò fuerit, examini subijcere, quæ intelligere impossibile est.

De recta fide ad Reginas lib. 1. citat Athanasij dictum. Ne interrogeris, Quomodo? Vbi enim Deus vult, naturæ vertitur ordo, voluit enim & potuit, &c.

In declaratione 1. Anathematismi: Dicimus Verbum carni, modo nobis nec intelligibili, nec dicendo, quem solus ipse nouit, vnitum.

De incarnatione vnigeniti cap. 7. Arcana & nulli penitus nota est illa vnio, nec mirum: Quis enim est, qui possit exprimere modum vnionis animæ cum corpore? Ambrosius de Sacramento dominicæ incarnationis, cap. 3. Nescio hoc multo melius quàm scio, hoc solum benè scio, quod nescio, quæ scire non possum.

Cassianus de Incarnatione lib. 4. Rationem quæris dicti: Non reddo: Deus hoc dixit, Verbum illius summa ratio est: Sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis, Quid mihi

quærere, quomodo verum ſit, quòd Deus dixit, cum dubitare non debeam, quin verum ſit, quia Deus dixit.

Anshelmus de Incarnatione cap. 2. Inſipienti ſuperbia iudicant nullatenus poſſe eſſe, quod nequeunt intelligere. Cyprianus in ſermone de Natiuitate: Non miror miracula mundi, Miror Deum in vtero virginis, Omnipotentem in cunabulis: miror, quomodo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentum induerit &c.

Auguſtinus Epiſt. 3. de hac vnione diſputans inquit: Hîc ſi ratio quæritur, non erit mirabile, ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe: in talibus rebus tota ratio eſt facti potentia facientis. Damaſcenus lib. 3. cap. 1. de Incarnationis myſterio loquens inquit: τὸ πάντων καινῶν καινότατον τὸ μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον.

CAPVT XI.

De vſu huius doctrinæ, Quomodo conſideratio Hypoſtaticæ vnionis diuinæ naturæ Filij Dei cum noſtra humana natura præbeat dulciſsimas conſolationes.

LLud verò, cuius aliquoties iam mentio facta eſt, in fine iam denuò repetam. De arcano & admirando illo fœdere, quo diuina & humana natura in hypoſtaſi Chriſti copulatæ ſunt, non eſſe arguta & curioſa ſubtilitate tantum diſputandum, ſed concepta mediocri ex verbo Dei agnitione, videndum eſſe, quomodo tota doctrina, ad ſerium vſum, in veris fidei exercitijs, conferri poſsit. Ac vtiliter recenſentur cauſæ, quæ ſemper in conſpectu eſſe debent, quare Mediatorem, Redemptorem & Saluatorem noſtrum oportuerit, nec Deum tantum, nec hominem tantum eſſe, Sed quare in perſona Mediatoris duas naturas diuinam & humanam vniri oportuerit.

Primò

Primò enim quia iuxta ſententiam Iudicij diuini, eo die, quo Adam lapſus eſt, humana natura debuerat æterna perditione extingui: Ideo Filius Dei ad aſſumendā naturam humanam ſe obtulit, & eam poſtea aſſumpſit, ne morte moreretur.

2. Quia humana natura lapſa, rea iræ Dei & damnationi ſubiecta erat: Ideò etiam in humana natura oportebat à Mediatore fieri ſatisfactionem.

3. Quia humana natura per peccatum erat deprauata & perdita, ita vt eſſet corpus peccati & mortis: Ideò Filius Dei voluit viciſsim in aſſumpta humana natura peccatum damnare, mortem abolere, ac in ſua perſona humanam naturam rurſus inſtaurare, ad Iuſticiam, vitam ac ſalutem.

4. Quia humana natura in Adamo erat per peccatum à Deo auulſa, à vita & communione Dei abalienata: Ideo Filius Dei eam rurſus in ſua perſona, arctiſsima copulatione Diuinæ naturæ vniuit, atq; ita ad communionem Dei reſtituit.

5. Filius Dei opus redemptionis voluit efficere, in humana, cum humana & per humanam aſſumptam naturam, vt certi eſſemus, ad nos illud pertinere, ac ad omnia merita Chriſti nos fratres eius eſſe, & cohæredes.

6. Filius Dei omnia beneficia ac dona ſua in aſſumptam naturam tota plenitudine diſpoſuit, vt inde, quia cognata nobis eſt, ad nos, qui fratres ſumus, deriuentur, tanquam ex capite in membra cognata.

7. Filius Dei aſſumpſit humanam naturam, ad communionē officiorum & operum, regni, & perpetui ſacerdotij Meſsiæ, vt certi ſimus, nos ad ipſum aditum habere, & ipſum officijs regni ac ſacerdotij ſui nos complecti, quoniam diuina ipſius natura regnum & ſacerdotium ſuum in regno Dei adminiſtrat, cum communicatione noſtræ aſſumptæ naturæ, quæ nobis cognata, imò conſubſtantialis eſt. Nemo enim carnem ſuam odio habet, ſed nutrit ac fouet eam, ac Rex & pontifex noſter eſt caro de carne noſtra, & nos ſumus os ex oſsibus eius.

Eodem etiam modo piè cogitetur, quare non ſola humana natura, ad officium redemptionis & ſaluationis ſufficiat, Sed quare oportuerit ei diuinam naturam Filij vniri?

1. Quia

1. Quia non fuisset æquiualens λύτρον pro peccato & ira Dei, quæ infinita mala sunt, sed inde ac ideo tantum est precium ac dignitas passionis ac mortis Christi, vt pro peccatis totius mundi sit propitiatio, quia Filius Dei carne sua passus & mortuus est.

2. Quia nuda creatura non potuisset sustinere immensum onus iræ Dei, totius mundi peccatis debitæ.

3. Sola humana natura non potuisset peccatum tollere, Iram Dei ac mortem vincere, caput serpentis conculcare: diuinæ enim potentiæ hæc opera sunt.

4. Quia sola humana natura & creata potentia non potuisset iusticiam, vitam & salutem restituere, quod ad Mediatoris officium pertinet.

5. Quia oportebat Mediatorem ingredi arcanum Trinitatis, vt consilium eius nobis posset enunciare, ac apud Deum in intimo eius consilio caussam nostram agere.

6. Quia diuinæ potentiæ est, perpetuam Ecclesiam ex genere humano colligere, conuertere, iustificare, sanctificare, saluare, gubernare, conseruare, Spiritum Sanctum dare, omnes homines à morte suscitare, & electos in vitam æternam inducere. Ad quæ tamen officia diuina Filij Dei potentia vtitur etiam assumpta sua natura, vt certi simus, ipsum illis officijs nos vt fratres clementer complecti.

7. Vt æterna illa bona Christus, quia Deus est, melius & firmius nobis conseruaret, quàm Adam fecerat. Item, Quia Mediatorem oportuit vtriq; parti coniunctum & cognatum esse, ideo Deus est homo.

Hæc si reuerenter & piè cogitentur, tunc tota doctrina de hypostatica hac vnione dulcescet. Ac si ad hunc vsum referatur, facilior ac planior erit.

Ac quia vtile est tales considerationes ad quotidianum pietatis exercitium semper in promptu & conspectu habere, Quasdam veterum sententias, in quibus selectis & illustribus verbis doctrinam de caussis vnionis duarum naturarum in Christo complexi sunt, adscribam, licet in præcedentibus etiam quædam notatæ sint.

Ignatius

Ignatius in Epiſtola ad Philip. pag. 124. ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο, ὁ ἀσώματος ἐν σώματι, ὁ ἀθάνατος ἐν θνητῷ σώματι, ἡ ζωὴ ἐν φθορᾷ, ὅπως θανάτου καὶ φθορᾶς ἐλευθερώσῃ ἡμᾶς, hoc eſt, Verbum caro factus eſt, incorporeus in corpore, immortalis in corpore mortali, vita in perditione, vt nos à morte & perditione liberaret.

Irenæus lib. 3. cap. 11. Filius Dei factus eſt Filius hominis, ad hoc, vt & homo fieret Filius Dei.

Cap. 18. Filius Dei hominis Filius factus eſt, vt per eum adoptionem percipiamus, portante homine & capiente & complectente Filium Dei.

Cap. 19. Vnigenitus venit in hominem, propter hominem.

Cap. 20. Oportuerat Mediatorem Dei & hominum, per ſuam ad vtroſq; domeſticitatem (οἰκοιότητα) ad amicitiam & concordiam vtroſq; reducere, & facere, vt Deus aſſumeret hominem, & homo ſe dederet Deo. Quomodo enim adoptionis eius participes eſſe poſſemus, niſi per Filium, eam, quæ eſt ad ipſum, accepiſſemus communionem, & niſi verbum eius communicaſſet nobis, caro factum.

Ibidem: Peccatum dominabatur homini: Oportebat igitur eum, qui occideret peccatum, & mortis reum redimeret hominem, idipſum fieri, quod erat ille, id eſt, hominem, vt peccatum ab homine interficeretur, & homo exiret à morte.

Cap. 21. Qui Filius Dei eſt, Filius hominis factus eſt. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, niſi aduniti fuiſſemus incorruptelæ: quomodo autem aduniri poſſemus, niſi immortalitas facta fuiſſet id, quod nos, vt abſorberetur mortale.

Lib. 4. cap. 59. Quomodo Ebionitæ poſſunt ſaluari, ſi non eſt Deus, qui ſalutem ipſorum operatus eſt ſuper terram? Et quomodo homo tranſiet in Deum, ſi non Deus in hominem? quomodo fortem illum, qui Adamum vicit, viciſſet, ſi non ſuperior, & præcellentior fuiſſet Adamo? Lib. 5. Chriſtus Deum depoſuit apud homines, & rurſus hominem depoſuit apud Deum, per ſuam Incarnationem. Item: quomodo caro non eſſet

capax virtutis Dei, quæ ab initio percepit manus Dei. Assuetæ igitur sunt manus Dei, coaptare, tenere, baiulare suum plasma, Ideo non solo verbo sanauit, sed adhibuit manus, vt ostenderet, per eandem manum, quæ plasmauerat, fieri restitutionem. Item: Iusta caro reconciliauit eam carnem, quæ in peccato detinebatur, & in Adam perierat, Quod si quis aliam substantiam carnis à nostra, Domino affinxerit, non constabit reconciliatio. Si enim ex altera substantia Dominus attulit carnem, iam illud non reconciliatum est Deo, quod per transgressionem factum fuerat inimicum. Non iustè victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui per mulierem homini dominatus est ab initio. Sicut per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem Victorem ascendimus in vitam.

Lib. 3. cap. 20. Verbum caro factum est, vt quod perdideramus in Adam, scilicet secundum imaginem & similitudinem Dei esse, hoc in Christo reciperemus. Item: si homo non vicisset inimicum hominis, non iustè victus esset inimicus. Et rursus, Nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam, & nisi homo coniunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Ibidem cap. 21. Descendit in inferiora terræ quærere ouem perditam, Et ascendit in altitudinem, offerens & commendans patri hominem.

Athanasius de humanitate verbi: Homo per λόγον creatus factus λογικὸς, gratiam imaginis diuinæ in se amiserat, Ipse igitur λόγος, qui potuisset corporalem suum aduentũ in præstantiore aliquo ostendere, nostrum corpus assumsit, & in illo corpore amissam imaginem restituit, In illo etiam corpore satisfecit iuxta legem, Morte morieris, Decebat enim eum, per quem omnia, & ex quo omnia &c. Heb. 2. Oportuit igitur ipsum Filium Dei esse redemptorem: 1. Vt qui crearat, per ipsum fieret ἀνάπλασις generis humani, Et per quem omnia facta sunt, in eo omnia reficerentur. 2. Vt Imago Patris, in nobis restitueret amissam imaginem Dei. 3, Vt ille qui vita est, donaret nobis Immortalitatem. 4. Vt verbum ostenderet nobis Patrem. Et quia mors in naturam humanam inserta erat, oportuit Filium

Dei

Dei incarnari, vt peccatum & mors, in similitudine carnis peccati & corporis mortis vinceretur. Aliàs victa quidem esset mors, sed extra nos, hæsisset autem nihilominus in natura nostra. In hanc sententiam Athanasius ibi multa præclarè disputat. Idem contra Arrianos oratione 2. Filius Dei assumpta carne peccatum in carne damnauit, Vt ita eiecto inde peccato, liberam eam assereret, & iustitia legis in ea impleretur.

Et Orat. 3. Nisi autem Christus verus esset, & naturalis Filius Dei, tunc homo non esset firmiter agglutinatus Deo.

Oratione 4. Hæc verba tribuit Christo, Ego corpus illorum gesto, vt habeant cum corpore meo vnitatem, & in eo vnum fiant, & quasi quos ipse gestem, pariter vnum corpus fiant.

Ibidē: Quæ merus homo accipit, possunt ei eripi, sicut Adamo. Vt igitur gratia & donatio firma maneret, Ideò Christus Deus & homo, dicit, se potestatem accepisse, vt hominem, quam semper habet, vt Deus, vt carne eius in ipso accipiente, ea ex carne illius in nos firmiter posidenda traderentur.

Cyrillus in Ioh. lib. 11. cap. 25. Filius Dei naturam nostram sibi coniunxit, vt eam in se primo & per se ipsum ad pristinam pulchritudinē restitueret, vtq; cœlestis ipse homo, & Adam secundus, primus omnium in iusticia & sanctificatione spirituali constitutus, cuncta per seipsum bona generi nostro immittat.

Ibidem cap. 27. Nexus vnionis nostræ ad Deum Christus est, nobis quidem vt homo, Deo autem Patri, vt Deus naturaliter Vnitus, Non enim possibile erat, corruptam hominis naturam ad immortalitatem conscendere, nisi natura immortalis, communione ac participatione sui, à mortalitatis nostræ terminis, ad suum bonum nos reformatos eleuaret, Consummati igitur sumus, reductiq; ad vnionem Dei Patris, mediatione Saluatoris, Filium enim Dei natura Patri vnitum corporaliter substantialiterq; accipientes, clarificamur, glorificamurq; supremæ facti naturæ participes.

Idem lib. 9. Thesauri, cap. 3. In primo Christo natura humana reparata est, & diuinarum gratiarum dona, quæ nobis concessa sunt, in ipso & per ipsum, vt hominem sunt, & ab ipso vt Deo, Deus enim fuit in carne.

Lib. 12. cap. 10. Mediator Dei & hominum eſt, non ſolum, quia reconciliauit homines Deo, verum etiam, quia naturaliter & ſubſtantialiter Deus & homo in vna Hypoſtaſi eſt. Quod enim duo quædam ſicut medium coniungit, ab vtroq; neceſſariò tangitur, & hoc modo diuerſa per medium coniunguntur. Eſt igitur Chriſtus Mediator Dei & hominum, quia in ipſo vno Deus & homo coniunguntur. Et quoniam naturaliter nobiſcum coniungitur, diuinæ ſubſtantiæ natura noſtra in ipſo coniungitur, & hoc modo diuinæ naturæ communicamus.

Cyrillus lib. 6. dialogorum: Natura humana initio creata fuit vt particeps eſſet Spiritus, & ad imaginem Dei. Sed per peccatum amiſſus Spiritus. Deus igitur reſtituturus, voluit alterum quodammodo generis initium exoriri Chriſtum, vt in ipſo permaneret Spiritus, Ideo Deus ſimul & homo.

Idem de incarnat. vnigeniti cap. 1. Verbum factum eſt homo, vt in ipſo, & in eo ſolo, innocentiæ laudibus natura hominis coronata, Spiritu Sancto ditaretur, non diſceſſuro iam, ſicut in Adamo factum eſt, ſed manſuro in ipſa, ac ſic reformaretur ad Deum per ſanctificationem. Tranſit enim ad nos quoq; gratia accepta in Chriſto, quia in nobis primogenitus eſt, & quaſi ſecundum generis noſtri primordium.

Hilarius de Trin. lib. 9. Vt Filio Dei per corpoream aſſumptionem tanquam in vite modo palmitis ineſſemus, fructum nobis, vt palmitibus, niſi illi vitis eſſet effectus, non daturus.

Auguſtinus contra Felicianum, cap. 18. Chriſtus per operationem propriæ Deitatis cuncta viuificans, ex vno ſuſcepti hominis grano, innumerabilem patri redditurus eſt meſſem.

Tertullianus de Trinitate, Oportebat Deum carnem fieri, Vt in ſemetipſo concordiam confibularet terrenorum pariter atq; cœleſtium, dum vtriuſq; partus in ſe connectens pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet.

Baſilius in ſanctam natiuitatem. Filius Dei adeptus humanitatem συμφυῆ, hoc eſt, concretam ſeu agnatam & vnitam ſibi, reducit humanam naturam ad ſeipſum, διὰ σαρκὸς συγγένειαν, per carnem, quæ nobis cognata eſt. Ibidem: Propterea Deus eſt in carne, quoniam maledictam hanc carnem oportebat ſanctificari,

ficari, debilem potentem reddi, abalienatam à Deo ipsi assimulari, elapsam ex Paradiso in cœlos reduci.

Ambrosius de fide, lib. 4. cap. 5. Ego viuo propter Patrem & qui manducat me, viuet ipse propter me. Quid hoc est, nisi quod sic viuificat Filius hominem, sicut Pater in Filio carnem viuificauit humanam. Ad conditionem enim humanam deriuatur gratia largitatis, eò, quòd viuificata est in Christo. Nam excepto dominicæ incarnationis priuilegio, fateor societatem nobis vitæ spiritualis in Filio esse, per humanæ vnitatem naturæ. Et cap. 7. Similitudinem Vitis ita explicat, Quia in illo nixa fragilis prius humana conditio, fœcundis rediuiuæ fructibus pietatis adoleuit.

Leo Epistola 10, Æqualis est periculi, Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo, solum hominem credidisse. Item, Catholica Ecclesia hac fide viuit ac proficit, vt in Christo Iesu, nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate diuinitas.

Epistola 11. Non esset Dei hominumq; Mediator, nisi idem Deus, idemq; homo, in vtroq; & vnus esset & verus. Epist. 13. per eundem Spiritum, per quem Christus & conceptus & natus est, etiam nos renascimur. Et pulcherrima eius extat sententia Epistola 95. ad Leonem Augustum: Nisi verbum dignaretur fieri caro, nulla posset caro saluari.

In Ephesino Concilio citatur Athanasij sententia: Filius Dei nostram in semetipsum natiuitatem transtulit, vti ne de cætero, sicut terra tantum constituti, in terram eamus, sed cœlo verbo coniuncti in cœlum ab eo perducamur.

Extat etiam ibidem Theophili sententia, citata ex Epistola 5. paschali, Sicut artifices optimi non in preciosis solum materijs artem ostendentes mirandi sunt, sed qui ex vili luto, & cera solubili, sæpè suæ disciplinæ operando demonstrant virtutem, multò magis sunt laudabiles: Ita omnium optimus artifex, viuum & efficax Dei verbum, decorans vniuersa, non quasi accepta precioſa corporis materia, ad nos peruenit, sed in luto maiestatem suæ artis ostendit, reformans hominem, qui de limo plasmatus est.

In 6. Synodo, citantur multæ Athanasij sententiæ, explicantes 5. caput ad Romanos: Quod est hominibus beneficium, nisi in eiusdem substantiæ & naturæ innouatione appareat Dominus, sicut Apostolus ait: Quam innouauit nobis viam nouam & viuentem.

Item: Verbum formam serui aduersus Inimicum proferens, victoriam fecit, per illud, quod aliquando victum est, vt per quam naturam progressio peccati facta erat, per hanc & ostensio iustificationis fieret. Venit verbum primi hominis conditor, vt fieret homo, ad viuificationem hominis & destructionem inimici.

Fulgentius ad Transimundum lib. 1. Reuera homo saluari non potuit, si vel susceptor hominis naturaliter Verus Deus non fuit, vel si in veri Dei susceptione aliquid hominis defuit. Hoc enim Deus in nobis saluauit, quod pro nobis accepit, Et illam naturam Filius Dei participem fecit salutis, quam sibi in vnitate personæ coniunxit. Diuinitas totam hominis naturam & renouandam susceptit, vt susceptam posset renouare, & humana Natura desponsata est Filio Dei in Incarnatione. Ibidem: Quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem & hominem peccantem, talis vtiq; Mediatoris debuit interuenire persona, quæ ad propitiandum Deum, homini, totum verumq; in se Deum de Deo natum haberet, Et ad reconciliandum hominem Deo, totum verumq; in se, de homine natum hominem contineret, atque ita ex vtroque in vtroq; nunc Christus esset.

Idem ad Donatum: Mediator nullatenus esset, si vel cum Patre Diuinitatis naturam, vel cum hominibus communem carnis, & animæ substantiam non haberet. In eo autem verus Mediator est Dei & hominum, Homo Christus Iesus, in quo & de Patre formam Dei, per quam saluaret, naturaliter habuit, & ex virgine formam serui, quam in nobis saluaret, accepit. Nunquam enim homo à Deo gratiam salutis acciperet, si in vna persona Christi, diuinæ humanæq; naturæ communio non maneret.

Libro 3. ad Transimundum: Homo à Deo susceptus, descendit

ſcendit, quo homo ſeparatus à Deo peccati merito ceciderat, id eſt, ad infernum, vbi ſolebat peccatoris anima torqueri, & ad ſepulchrum, vbi conſueuerat peccatoris caro corrumpi, ſic tamen, vt nec Chriſti caro in ſepulchro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur. Deſcendit autem, vt mors occideretur, & dolores inferni ſoluerentur, quia Diuinitas adfuit. His autem confectis (inquit Photius apud Oecumenium) primitias noſtræ naturæ, Chriſtus aſcendens Patri obtulit, & Pater quaſi proprijs manibus munere illo ſuſcepto, ac penes ſe poſito, dixit, Sede à dextris meis.

Chryſoſtomus 1. Timo. 2. Mediator vtriſq; eis debet ſocietate coniungi, quorum eſt Mediator, Quod ſi vnum quidem ſocietate contingat, ab alio verò fuerit ſeparatus, Mediator iam dici non poteſt, Niſi igitur Chriſtus conſors ſit paternæ naturæ, Mediator profecto non eſt, Quippe cum à Patris ſit ſubſtantia ſeparatus. Quemadmodum enim humanæ naturæ conſortium accepit, quando ad homines venit, ita & à Dei ſubſtantia non diſceſsit, quoniam à Deo venit. Nam quia duarum naturarum medius fuit, ambarum apparuit eſſe participem. Quemadmodum igitur homo factus eſt, ita etiam Deus erat. Homo quippe purus, Mediator nunquam penitus fieret, oportebat enim huiuſmodi Mediatorem cum Deo colloqui. Deus item ſolus Mediator eſſe non poſſet, neq; enim ipſum ſuſcepiſſent hi, quorum Mediator accederet.

Auguſtinus lib. 10. Confeſsionum, cap. 42. Mediatorem, inter Deum & homines, oportebat, vt haberet aliquid ſimile Deo, & aliquid ſimile hominibus, ne in vtroq; hominibus ſimilis, longè eſſet à Deo, aut in vtroq; Deo ſimilis, longè eſſet ab hominibus, atq; ita Mediator non eſſet.

Cyprianus de Idolorum vanitate, Deus cum homine miſcetur, hic Chriſtus eſt, qui Mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo eſt, Chriſtus eſſe voluit, vt & homo poſſet eſſe, quod Chriſtus eſt.

Item, in expoſitione ſymboli, Diuina Filij Dei virtus, hamus quidam erat, habitu humanæ carnis obtectus, ad ineſcandum & capiendum Draconem &c.

Anshel-

Anshelmus in libro, Cur Deus homo, cap. 18. Ideò facta est duarum naturarum Vnio, vt, quod opus erat fieri, ad hominum restitutionem, si humana non posset natura, faceret diuina, & si diuinæ minimè conueniret, exhiberet humana. Vt idem ipse per humanam solueret, quod ipsa debebat, & per diuinam posset, quod expediebat.

Et cap. 7. inquit: Satisfactionem facere non potest, nisi sit verus Deus, nec debet, nisi sit verus homo: Si homo tantum est, non faciet, quia non poterit: Si Deus tantum, non faciet, quia non debebit.

Bernhardus Sermone in vigilia Natiuitatis: Ex Deo & homine cataplasma confectũ est, quod sanat omnes infirmitates nostras. Hæ duæ species commixtæ sunt in vtero virginis, contusæ in passione, &c.

Hilarius in 16. cap. Matth. Perfecta confessio est, Filium Dei assumpsisse corpus, & hominem factum esse. Et ideò, quia summum in fide ista bonum est, à Discipulis requirit, quem se homines esse dicerent. Hæc enim Confessionis tenenda est ratio, vt sicut Dei Filium, ita & Filium hominis meminerimus, quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem.

Sub finem adscribam precatiunculam Damasceni ex lib. 4.

Εὖγε ὦ χρισὲ τί σοι τούτων ἁπάντων, οἱ ἄποροι ἡμεῖς ἀντιδοίημεν, σὰ γὰρ ἅπαντα, καὶ αὐτῆς παρ' ἡμῶν οὐδὲν, ἢ τὸ σώζεσθαι, αὐτὸς καὶ τοῦτο δίδους, καὶ λαμβάνουσι χάριν εἰδῶς, δι' ἄφατον ἀγαθότητα. σοὶ χάρις ζῷ τὸ εἶναι δεδωκότι, καὶ τὸ εὖ εἶναι χαρισαμένῳ, καὶ τοῦτο πραπισόντας, αὖθις ἐπαναγαγόντι, πρὸς τοῦτο, διὰ τῆς ἀφάτου συγκαταβάσεως.

Euge ô Christe, quid tibi pro his omnibus nos miseri & egeni retribuemus. Tua enim sunt omnia, & nihil à nobis petis, nisi vt saluemur: ac hoc ipsum etiam tu das. Et quidem accipientibus gratiam habes, propter ineffabilem tuam bonitatem: Tibi sit gratia, quòd, cum non essemus, dedisti, vt essemus, cumq; perditi essemus, ex gratia nobis donasti, vt benè essemus, ac qui inde prolapsi sunt, eos rursus erigis, ac reducis eò, propter ineffabilem tuam demissionem.

Has

Has veterum ſententias ideò adſcripſi, præbent enim materiam ad multas dulciſsimas conſolationes. Et ad finem huius capitis de hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto vnione, volui illas annotare, vt præbeant commonefactionem, quàm diſpari ratione doctrina illa tractata ſit, à Patribus, & poſtea ſpinoſis diſputationibus inuoluta ſit à Scriptoribus ſcholaſticis.

Hi enim tantum ſubtilitates venantur, & perſequuntur, quàm poſſunt tenuiſsimè. Illi verò parcè & ſobriè, myſterij huius rationem, venerantur magis, quàm explicant. Multi verò & copioſi ſunt in monſtrando vero & ſalutari vſu huius doctrinæ. Et hanc Methodum iudico omnium eſſe commodiſsimam & tutiſsimam.

CAPVT XII.

De ijs, quæ ex Hypoſtatica duarum naturarum in vna perſona Chriſti vnione oriuntur, & eam conſequuntur, in quos gradus ſeu in quæ generalia capita ea poſsint diſtribui: Et quibus appellationibus gradus illi ſeu genera poſsint notari & diſtingui.

DIximus hactenus de ſingulis in Chriſto naturis & doctrinam de hypoſtatica etiam earum vnione, qua potuimus ſimplicitate & perſpicuitate expoſuimus: Iam porrò ſubiungenda eſt declaratio, quid ex hypoſtatica illa duarum in Chriſto naturarum vnione oriatur vel ſequatur, aut quid eam comitetur. Alia enim ratione, denominationes naturarum, idiomatum & actionum, poſt vnionem, & ratione vnionis enunciantur & prædicantur

de persona Christi, quam si aut persona λόγϐ esset (sicut ante vnionem hanc fuit) simplex sine carne, aut si humana natura, in sese sola priuatim subsisteret. Ac diligentia quidem digna est piè eruditis, propter concordiam loqui cum Ecclesia, vt verba fidei sint consona, ac res ipsas, sicut in scriptura sunt traditæ & patefactæ, rectè, commodè, ac perspicuè explicent. Philosophi enim, sicut Augustinus, inquit, liberis vtuntur verbis, Nobis verò in Ecclesia ex præscripto loquendum est. Et qui rectè quidem sentit, non autem rectè aut commodè loquitur, ei Augustinus dicit, teneat mentem, corrigat linguam.

Non tamen de solis phrasibus seu modis loquendi, aut de nudis prædicationibus, hoc loco agitur: Res enim, non verba tantum sunt, quæ hoc loco considerare iubemur, Nam naturæ in Christo non singulæ, seorsim, solæ per se subsistunt & agunt, quæ cuiusq; propria sunt, sed persona subsistit in duabus illis naturis, & agit omnia, iuxta cuiusq; naturæ proprietatem. Nec altera ocioſè quiescit, vel sua tantum priuatim agit, aliud agente aut patiente altera, sed vtraq; natura in Christo agit cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est. Et diuinæ quidem naturæ in Christo, quia per se perfectissima est, nihil accessit. Humana verò eius natura, in illa persona, non tantum habet & retinet naturales seu essentiales suas proprietates, sed ex hypostatica illa cum Deitate vnione, præter, supra & vltra essentiales suas proprietates, multas ἄϱχὰς ἀξίας, prærogatiuas, dignitates, excellentias & præeminentias sortita est, sicut postea explicabimus. Hæc omnia profecto non sunt, vt ita loquar, verbalia, sed maximè realia, quæ certè piè cognoscenda, & rectè explicanda sunt. Et qui de ipsis naturis, ac de earum vnione, rectè se clamitat sentire, si ea, quæ ex vnione illa, iuxta scripturam oriuntur & consequuntur, vel negat, vel non sane ea exponit, aut intelligit, eum de ipsa etiam vnione, quæ nec confusionem nec separationem admittit, non posse recte sentire certum est, id quod non in Nestorij tantum exemplo, sed in multorum nostri temporis disputationibus conspicuum est. Non minus igitur diligenter, quam de ipsis naturis, ac earum vnione, hæc etiam pars doctrinæ de ijs, quæ ex hypostatica

tica duarum in Christo naturarum vnione oriuntur & consequuntur, iuxta scripturam explicanda & tenenda est.

Ac Veteres omnia illa vno generali vocabulo κοινωνίας (quã latinè & communionem, & communicationem nominamus, licet communionis vocabulum aptius & commodius sit) complecti voluerunt. Non enim vera est hypostatica vnio, vbi nulla prorsus vel sit, vel est, vel intercedit inter naturas vnitas, & inter earum idiomata, communio vel communicatio, differentiæ naturarum, & vnitati personæ, consentanea & correspondens, vel vbi altera natura cum altera, nihil habet consortij & commercij. Et qui fingit vnionem, sine tali communione, is & se & alios seducit. Nestorius enim licet clamitabat se credere vnionem, tamen quia communionem seu communicationem inde sequentem negabat, damnatus est.

Sunt autem, qui ad vocabulum κοινωνίας communionis seu communicationis trepidant, quasi eo ipso inuoluatur confusio, transmutatio, aut exæquatio naturarum, & earum proprietatum in Christo, quæ cum doctrina de salua differentia naturarum in Christo, pugnat: Sed vetus Ecclesia, cui vsitatissimum fuit hoc vocabulum, illud nec vidit, nec timuit, nec ea vis est vocabuli κοινωνίας, vt vel confusionem vel exæquationem secum trahat. Cum sanctis enim & in sanctis est κοινωνία Spiritus, 2. Cor. 13. Non tamen ideo vel fit, vel cogitatur, siue confusio, siue exæquatio substantiarum Spiritus Sancti & credentium. Et Samosatenus, sicut Theodorus & Suidas scribunt, inter cætera ideo etiam damnatus fuit, quòd finxerit, duas naturas in Christo πάντα πάσι ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαύτας, hoc est, prorsus esse incommunicabiles, vel, quod nullam prorsus ad inuicem habeat communionem.

Illud verò omnino existimo, declarationis & præmunitionis gratia, vtile ac necessarium, vt quando nominatur κοινωνία, communio seu cõmunicatio, disertè addatur perspicua declaratio, qualis intelligatur communio. Nequaquam enim talis fit aut est communicatio, quasi quod proprium est vnius naturæ, fiat & sit etiam alterius naturæ proprium, vt quod vna natura in Christo est & habet, illud altera etiam natura fiat, sit & habeat

beat eſſentialiter, in ſeſe aut ſecundum ſeſe. Talis enim communicatio eſſet confuſio, tranſmutatio & exæquatio naturarum, quarum tamen differentiam ſaluam eſſe & manere in ipſa vnione, & antea oſtendimus, & paulò pòſt etiam repetendum erit. Non itaq; intelligitur, ex vnione oriri & conſequi κοινωνία communio ſeu communicatio vel phyſicæ effuſionis, vel eſſentialis tranſmutationis, vel formalis exæquationis, ſiue naturarum ſiue idiomatum, ſed κοινωνία vnioni hypoſtaticæ, quæ nec confuſionem nec ſeparationem admittit, conſentanea eſt & correſpondens: quæ qualis ſit, mox ordine explicabimus.

Et quia nec vtile, nec tutum eſt, nouas loquendi phraſes comminiſci, ſint in conſpectu teſtimonia, quòd in veteri Eccleſia ſemper vſitatum & receptum fuerit Vocabulum κοινωνίας, in hac ſignificatione & de hac parte doctrinæ.

Irenæus 4. lib. cap. 34. dicit per vnionem factam eſſe communionem Dei & hominis.

Athanaſius in Epiſtola ad Epictetum vocat κοινωνίαν verbi ad carnem, vnde carni magna facta ſit acceſsio.

Hilarius lib. 9. De Trin. dicit, Naturæ noſtræ ſocietatem, in communionem ſubſtantiæ immortalitatis vnitam.

Baſilius in ſanctam Natiuitatem vocat κοινωνίαν noſtræ naturæ πρὸς Θεὸν.

Gregorius Nyſſenus apud Theodoretum dicit: Rex regum venit εἰς κοινωνίαν in communionem noſtræ naturæ. Idem lib. 2. Philoſophiæ de Anima cap. 12. dicit eſſe communionem Dei verbi & aſſumptum corpus & animam.

Caſsianus lib. 1. Humanitati diuina communicant, & diuinitati humana participant, manente in ſua perfectione naturaliter vtraq; ſubſtantia.

Fulgentius ad Donatum, in vna perſona Chriſti eſt diuinæ humanæq; naturæ communio.

Damaſcenus lib. 3. ex Dionyſio citat dictum, quòd Deitas in vna ſui hypoſtaſeon communicârit carni. Ibidem cap. 19. dicit carnem communicare Deitati. Et lib. 4. cap. 19. Vocat ἕνωσιν καὶ κοινωνίαν vnionem & communionem naturarum.

Cyrillus

Cyrillus ad Sucreſſum vocat communionem gloriæ & contumeliæ.

In 6. Synodo citatur Athanaſij ſententia, quod homo ſublimatus ſit, per vnionem & communionem naturæ altiſsimi. Ac Lutherus etiam in 53. cap. Eſaiæ dicit: ipſa communio vnit iſtas duas naturas in vnam perſonam.

Ac vſitatiſsimum eſt, vocare communicationem Idiomatum, quando ea', quæ vnius naturæ propria ſunt, tribuuntur ac communia fiunt perſonæ.

Item, vtramq; naturam agere cum communicatione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt, in Chalcedonenſi concilio confirmatum eſt.

Et Euſebius dicit, mortalem naturam eſſe aſſumptam ad communionem in diuinitate & beatitudine, ſicut poſtea ſuo loco notabimus.

Et hic vſus vocabuli κοινωνίας ipſi etiam ſcripturæ conſentaneus eſt. Nam & de inhabitatione per gratiam vſurpatur. 2. Cor. 13. κοινωνία Spiritus Sancti ſit vobiſcum. Et 2. Pet. 1. efficimur κοίνωνοι diuinæ naturæ. Ac Ebr. 2. expreſſè vſurpatur de incarnatione: ſicut pueri communicârunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorum.

Retineamus igitur in hac parte doctrinæ vocabulum κοινωνίας, communionis ſeu communicationis, quod in Eccleſia, ſicut oſtendimus, ſemper in hac ſignificatione receptum & vſitatum fuit, ac addita perſpicua declaratione illud ita explicemus, vt contra omnes ſiniſtras ſuſpitiones, ac prauas opiniones præmuniatur: ita enim totius doctrinæ explicatio facilior ac planior erit. Sicut & in Torgenſi conuentu, poſt grauiſsimam de hac doctrina deliberationem Theologis viſum fuit, Vocabulum κοινωνίας communionis ſeu communicationis, vt generale retinendum & vſurpandum, cui poſtea diſtincti gradus communicationis, addita ſingulis perſpicua declaratione, ſubijci poſsint.

Diſputatur etiam, An communicatio illa, quæ ex hypoſtatica vnione oritur & ſequitur, ſit verbalis & realis. Sed reiectis λεπτολογίαις & λογομαχίαις, res plana eſt: Verbale enim, vel

 aliquid

aliquid verbaliter alicui tribui, vulgò intelligimus, quando tantum titulotenus, verbotim, nuda appellatione, ſolo vocabulo, nuncupatiuè per ὁμωνυμίαν, alicui aliquid tribuitur, quod reuera ipſi non adeſt, μόνον τὸ κοινὸν ὄνομα ἔχον, ſicut inquit Athanaſius Dial. 5. ſolum nomen commune habens. Quia verò Vnio non eſt verbalis, ſed vera, non enim nuncupatiuè tantum vel verbaliter, coniunctæ ſunt duæ naturæ in Chriſto, ſed vere, reipſa, reuera, quòd vſitate vocamus, Realiter, Et ab eo, ſi res quæ enunciatur, vel eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa, Ideò communicatio vocatur non Verbalis, ſed Realis, Vt hoc vocabulo diſtinguatur à fictitia, commentitia, imaginaria, ſeu putatiua communicatione. Vt verò aliæ etiam ſiniſtræ opiniones remoueantur, additur, Communicationem non eſſe phyſicam, non eſſentialem, ſed realem. Illa verò realis communicatio, iuxta diſtinctos gradus communionis, quos mox recenſebimus, diſtincta eſt. Quando enim de perſonali naturarum communione loquor, certè Deus non verbaliter, ſed realiter eſt homo: Sed tamen diuina natura non eſt realiter humana natura, ita enim confuſio naturarum fieret. Similiter quando Filius Dei dicitur mortuus, certè non verbaliter, ſed realiter eſt mortuus. Mors tamen realiter tribuitur, non ipſi diuinæ naturæ in ſeſe, ſed perſonæ realiter tribuitur. Quandò verò Epheſinus canon ex ſcriptura contra Neſtorium pronunciat, Carnem Chriſti eſſe viuificam, Ibi cerè non perſonæ tantum, ſed ipſi etiam aſſumptæ naturæ in perſona, vel perſonæ, ſecundum aſſumptam etiam naturam hoc tribuitur, Et diuinæ quidem naturæ tribuitur hoc eſſentialiter, aſſumptæ verò naturæ tribuitur, non communicatione phyſica, ſeu eſſentiali effuſione, aut confuſione, ſed tamen reuera ſeu realiter, per diſpenſationem vnionis, ſicut veteres loquuntur, quomodo ſcilicet anima ſuas potentias corpori, ignis vim ſuam lucendi & vrendi ferro communicat, non verbaliter, ſed realiter, ſine tamen confuſione & exæquatione. Hæc omnia poſtea plenius explicabuntur, Nunc de Vocabulis tantum quædam annotare volui.

Porrò hæc doctrina, de illa communicatione, quæ ex hypoſtatica vnione ſequitur, poteſt quidem ſimul vna continua explica-

explicatione comprehendi. Sed ego de mea ſimplicitate fateor, quod non poſsim me ex intricatis de hac doctrina diſputationibus euoluere, niſi adhibita aliqua, quam res ipſa monſtrat & præbet, diſtinctione, Qua adhibita poſſum totam hanc doctrinam mediocri ſimplicitate explicare, rectius eam intelligere, ac explicatius, remotis ſcrupulis, de ea cogitare. Illam ſimplicitatem video etiam noſtris Eccleſijs, quæ à Sacramentariorum opinionibus alienæ ſunt, placere ac probari, vt ſcilicet doctrina de communicatione idiomatum, in certos aliquos diſtinctos gradus diſtribuatur, ac ſinguli gradus peculiari declaratione explicentur. Ipſos enim gradus diſtinctos eſſe, & diſcriminis aliquid habere, res ipſa manifeſtè oſtendit. Ac fieri non poteſt, quin explicatio, confuſione aliqua turbetur aut obſcuretur, ſi ea, quæ diſtincta ſunt, non diſtinctè explicentur, Quanquam magnorum ingeniorum ea eſt felicitas, vt diſtincta poſſint abſq; confuſione vna oratione explicare. Sed loquar iam de methodo, quæ ſimplicioribus & ad docendum & ad diſcendum accommodata eſt.

Oſtendemus igitur, quomodo doctrina hæc κοινωνίας, communionis ſeu communicationis, quæ ex vnione hypoſtatica oritur & ſequitur, in certos aliquos diſtinctos gradus diſtribui poſsit. Nec verò ex priuatis noſtris ſpeculationibus gradus illos comminiſcimur aut excogitamus, ſed res ipſa in hac parte doctrinæ, ſi rectè conſideretur, monſtrat & præbet illam diſtinctionem ſeu diſtributionem graduum. Ac vetus Eccleſia doctrinam hanc eodem prorſus modo, diſtinctè ſeu per diſtinctiones, ſi non peculiaribus appellationibus, re ipſa tamen ita tradidit, ſicut poſtea in ſingulis gradib. ſeu generibus oſtendemus.

Ac quia multorum ſophiſticum Stratagema eſt, Quando res ipſas conuellere & negare conantur, ſed propter euidentiam veritatis, palàm illud facere, vel non poſſunt, vel non audent, quod Vocabula quædam arrodunt, & de appellationibus litem mouent, vt in hac parte doctrinæ contendunt, vnicum tantum genus, ſeu primum gradum vocari communicationem Idiomatum, quæ appellatio latius, ſiue ad alia genera non poſsit aut debeat extendi, Sepoſitis igitur pauliſper diſputa-

ſputationibus de vocabulis & appellationibus, ex re ipſa oſtendemus, ex vnione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto, oriri & ſequi, non vnum tantum genus, vel primum tantum gradum, ſed plura & diſtincta eſſe, quæ inde oriuntur & ſequuntur: Nec ſimilia prorſus eſſe, & ad primum genus ſeu ad vnicum gradum, omnia referri poſſe, quæ de vnitis naturis, & de perſona Chriſti, in ſcriptura prædicantur & enunciantur. Hoc modo, ſi de re ipſa primum agatur, animaduerti poſſunt inſidiæ, quæ rebus ipſis, ſub pallio ac prætextu vocabulorum ſtruuntur. Si enim res ipſas quis negare tentauerit, facilius ac rectius ex rebus ipſis refutari poterit, remoto ſpectro contentionis de vocabulis. Quando verò de rebus ipſis conſtitutum eſt, tunc apud ſtudioſos veritatis & conſenſionis, de vocabulis facilis eſt ratio. Paucis igitur ex re ipſa oſtendemus, non ſimilia & eiuſdem prorſus rationis eſſe omnia ea, quæ ex hypoſtatica vnione oriuntur & ſequuntur, nec poſſe ea, ad vnum vel caput, vel genus, vel gradum, vel claſſem, vel quomodocunq; quis appellare veiit (de vocabulis enim non litigo) omnia commodè referri, Sed alia & plura eſſe, vel capita, vel genera, vel gradus. Et illos gradus diſtinctos eſſe vel ſingulos peculiare aliquid habere à reliquis diſtinctum, quæ omnia rectius intelligi & conſiderari poterunt, ſi diſtinctè explicentur.

Et de illis quidem prædicationib. ſeu enunciationibus, quæ ex perſonali κοινωνία vnitarum naturarum, abſq; earum confuſione, in perſona Chriſti oriuntur, vt quòd ſcripturæ exemplo rectè dicimus: Deus eſt homo, homo eſt Deus: Non aũt dicimus, Diuinitas eſt humanitas, Humana natura eſt diuina natura, de illis inquam prædicationibus, ſupra in Quinto capite egimus: Pertinent enim ad ipſam hypoſtaticam duarum naturarum in perſona Chriſti vnionem. Hoc loco verò potiſsimum agimus de κοινωνία communione ſeu communicatione, quæ ratione hypoſtaticæ vnionis, inter idiomata naturarum in perſona Chriſti, abſq; confuſione, intercedit: illam communicationem ſimpliciſsimè in certos aliquos gradus diſtribui poſſe oſtendemus.

Primò igitur, quia hactenus oſtendimus, in Chriſto incarnato eſſe ac manere duas integras & diſtinctas naturas, diuinam &

nam & humanam, quarum vnaquæq; essentialia sua idiomata absq; confusione & abolitione habet & retinet. Et quia duæ illæ naturæ in Christo, non singulæ seorsim & separatim subsistunt, vt alius sit Christus Deus, & alia persona sit Christus homo, sed vnitæ sunt in vnam hypostasin seu personā, vt vnus sit Christus, simul Deus & homo, Idiomata igitur naturarum in Christo, nō tantum illi naturæ tribuuntur, cuius propria sunt, nec ita distribuuntur, vt cum Nestorio alia Christo Deo, alia Christo homine, tanquam duabus personis tribuantur, Sed sicut fit ipsarum naturarum vnio hypostatica, ad vnum ὑφισάμενον, vt vna sit vtriusq; naturæ hypostasis seu persona, Ita etiam propter illam vnionem, fit mutua quædam idiomatū alternatio, seu communicatio in persona. Quoniam verò in hypostatica illa vnione, nō est facta vel conuersio, vel confusio, siue ipsarum naturarum, siue proprietatum essentialium, sed duæ illæ naturæ vnitæ sunt, non in vnam compositam naturam, sed in vnam hypostasin seu personam, Ideo sicut per hanc vnionem Diuinitas non fit humanitas, nec humanitas Diuinitas, ita quod est essentiale idioma vnius naturæ, non fit substantialis proprietas alterius naturæ in abstracto, hoc est, vt essentialiter & formaliter, vtriq; naturæ communiter & æqualiter seorsim inhæreat. Ita enim fieret vel confusio vel exæquatio. Et tamen, sicut Lutherus rectè inquit: Hypostatica vnio duarum naturarum in vnam personam Christi, non admittit talem diuisionem, vt propriè loquendo dicere possem: Hæc agit Diuina natura Christi, illa facit humana natura Christi. Ad talē enim diuisionem operum, sequeretur etiam diuisio personæ, quia actiones, sicut Damascenus inquit: non sunt naturarum sed personæ. Ideò proprietas vni naturæ conueniens, communicatur seu tribuitur personæ in concreto, seu per vocabulum concretum, vt Deus est mortuus, Filius hominis descendit de cœlo, quia vna est hypostasis subsistens in vtraq; natura, seu constans duabus illis naturis. Hic igitur sit primus gradus, seu primum genus communicationis idiomatum, quando id, quod proprium est vnius naturæ, prædicatur de persona in concreto, in qua prædicatione, addi solet declaratio, secundum quam naturam personæ aliquid tribuatur.

Secundò, Certum autem & manifeſtum eſt, non ſolam vnicam hanc rationem communicationis, oriri & ſequi, ex hypoſtatica vnione duarum naturarum in vna perſona Chriſti: Sed quoniam admiranda illa duarum naturarum vnio in Chriſto, ideo facta eſt, quòd ea quæ ad officium Meſsiæ pertinent, Filius Dei non volebat peragere in vna natura ſola, ſiue diuina, ſiue humana, ſed in vtraq; cum vtraq;, & per vtramq;. Ideò appellationes, & opera officiorum Chriſti, tribuuntur perſonæ Chriſti, non ſecundum alteram tantum naturam, ſed ſecundum vtramque. Et perſona in illis officijs habet actiones in vtraq;, & ſecundum vtramq; naturam ſimul. Præterea propter hypoſtaticam vnionem, quælibet naturarum in Chriſto, licet habeat proprias, non tamen habet ſeparatas ſuas actiones, ita & diuina ſua ſeparatim agat ſine humanitate, & humana ſuas ſeparatas habeat actiones, ſine Diuinitate. Sed iuxta Chalcedonenſis Concilij definitionem, vtraq; natura in Chriſto agit cum communicatione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt. Sic igitur hoc ſecundum genus, vel ſecundus gradus eorum, quæ ex hypoſtatica vnione, in perſona Chriſti oriuntur & ſequuntur, quando ſcilicet in appellationibus officiorum, id, quod perſonæ Chriſti tribuitur, ei conuenit ſecundum vtramq; naturam, hoc eſt, quando in operationibus officiorum, perſona habet actiones in vtraq;, & per vtramq; naturam: Et quando in actionibus perſonæ, vtraq; natura agit cum communicatione alterius, actione vtriuſq; propria & naturali: Et hunc ſecundum gradum differre à primo, ac habere peculiare aliquid diſtinctum à primo, manifeſtum eſt.

In Primo enim genere, vel ſingularum naturarum, vel vnius naturæ Idiomata, in ſeſe diſtinctè conſiderantur, ac nihilominus tribuuntur perſonæ, ſed ſecundum vnam illam naturam, cuius ſunt propria, Vel ſicut Lutherus inquit in confeſſione de Cœna: Perſona Chriſti agit iam ſecundum hanc, iam ſecundum illam naturam.

In Secundo verò gradu ſeu genere, conſideratur opus ad quod vtriuſque naturæ actiones concurrunt, aut conſideratur quod vna natura agat cum communicatione alterius, quod cuiuſq;

iuſq; proprium eſt. Ac quæ in hoc genere perſonæ tribuuntur, conueniunt ipſi, non ſecundum vnam tantum, ſed ſecundum vtramq; naturam. Hoc manifeſtum diſcrimen eſt inter primum & ſecundum gradum.

Tertiò præter hæc certum ac manifeſtum eſt, aliud adhuc eſſe, quod ex hypoſtatica vnione naturarum in Chriſto, oritur & ſequitur. Nam in diuina quidē Chriſti natura, quia perfecta & immutabilis eſt, nulla fit mutatio, nulla vel diminutio vel acceſsio. Aſſumpta verò humana in Chriſto natura, non tantum habet & retinet phyſica ſua Idiomata, ſed præter, ſupra, & vltra eſſentiales ſuas proprietates, ex hypoſtatica illa cum diuina natura λόγῳ vnione, ſalua manente ſubſtantia humanitatis, ſaluis etiam manentibus eſſentialibus ipſius proprietatibus, ornatur, augetur, locupletatur, & exaltatur, innumerabilibus & excellentiſsimis, vltra omne nomen, quod nominatur non tantum in hoc, verum etiam in futuro ſeculo, prærogatiuis, præeminentijs, excellentijs, dignitatibus, aut quibuſcunq; vocabulis illa appellare quis velit, quas prærogatiuas, humanitas Chriſti non habet ex natura ſua, ſed accipit & habet illas, donatas & communicatas ex arctiſsima illa hypoſtatica vnione cum diuina natura, per περιχώρησιν, præter & vltra rationem formæ communis, imò præter & vltra conditionem omniū aliorum hominum, atq; adeo ipſorum etiam angelorum, Eph. 1. Et poſtea quidem, quales prærogatiuæ illæ ſint, ex ſcriptura, & ex veteris Eccleſiæ teſtimonijs, oſtendemus & probabimus. Hoc loco tantum in genere, Capita ſeu gradus communionis recenſemus. Hic igitur ſit tertius gradus, vel tertium genus, aut tertium generale caput eorum, quæ ex hypoſtatica vnione duarum naturarum in perſona Chriſti oriuntur & ſequuntur. Omnino enim certum eſt, & negari non poteſt, Humanā naturam in Chriſto, præter naturales proprietates, aut eſſentialia Idiomata, ex hypoſtatica vnione, innumerabilia παραφυσικὰ καὶ ὑπερφυσικὰ accepiſſe & habere, ac aſſumptam illam naturam in officijs regni & ſacerdotij Chriſti, cooperari, ac ſuam habere efficaciam, non tantum ex naturalibus, & ſecundum eſſentialia ſua Idiomata, ſed præcipuè, ex illis, & ſecundum illas

præeminentias, excellentias, dignitates & prærogatiuas, quas ex hypoſtatica, cum diuina Chriſti natura vnione, accepit & habet. Quæ verò & quales illæ ἔξοχαὶ καὶ ἀξίαι ſint, poſtea ex ſcriptura & probabimus & confirmabimus. Nunc gradum ſeu genus ipſum, ex rei ipſius euidentia, conſtituiſſe ſatis eſt.

Differre autem hunc gradum, & diſtinctum eſſe à duob. præcedentibus, manifeſtũ eſt. In primo enim genere ſeu gradu, vnius naturæ proprietas, non tribuitur alteri naturæ, vt eius quoq; ſit eſſentialis proprietas, ſed tribuitur perſonæ ſecundum illam naturam, cuius eſſentialiter eſt propria. Et in primo illo genere, licet perſonæ realiter tribuantur ea, quæ propria ſunt naturarum, ipſis tamen naturis, ea tantum, quæ naturaliter & eſſentialiter ipſis propria ſunt, tribuuntur. Ac communicatio illa ad vnam perſonam, in primo genere, reciproca & mutua eſt, inter proprietates & diuinæ & humanæ naturæ. In hoc tertio verò gradu, de illis agimus, quæ non perſonæ tantum, ſed ipſi aſſumptæ naturæ communicata ſunt realiter, non per confuſionem aut exæquationem, ſed pro ratione vnionis, ſicut poſtea explicabimus. Et illa communicatio non eſt mutua ſeu reciproca, ſicut in primo genere, ſed cum diuinæ Chriſti naturæ, ex hypoſtatica vnione, nihil vel accedat vel decedat, Humana ipſius natura innumerabilia, ex hypoſtatica illa vnione realiter accepit & habet, Si enim caro Chriſti ex vnione non aliter eſſet viuifica in tertio hoc gradu, quam ſicut in primo gradu Filius Mariæ dicitur ex Patre ante ſecula genitus, & Filius Dei in tempore ex Maria natus, tunc ipſi humanæ naturæ in Chriſto nulla realis acceſsiſſet communicatio. A ſecundo etiam gradu, hic tertius manifeſto diſcrimine diſtinctus eſt, Ibi enim vtraq; natura in Chriſto, agit cum communicatione alterius, ſed additur, quod cuiuſq; proprium eſt, In hoc tertio verò genere, perſona Chriſti, in officijs regni & ſacerdotij, agit ac operatur ſimul etiam in humana, cum humana, & per humanam naturam, non tantum ſecundum ea, & per ea, quæ humanæ naturæ in ſe, ex principijs φυσατικοῖς conſideratæ propria, naturalia & eſſentialia ſunt, ſed præcipuè ſecundum ea, quæ humana

natura

natura in Christo, præter, vltra & supra naturales proprietates, ex hypostatica cum verbo vnione ac περιχωρήσει, accepit & habet. Hæc est simplex, plana, & ex re ipsa desumpta, ac non incommoda distributio totius doctrinæ, de ijs, quæ ex hypostatica vnione duarum naturarum in persona Christi, oriuntur & eam consequuntur, Quam iudico & docentibus & discentibus, planioris & facilioris declarationis gratia, vtilem esse, cum aliàs, res ipsæ in hac doctrina abstrusiores sint, ac studiosè à multis, confusione eorum, quæ distingui & poterant & debebant, inuoluantur & turbentur. Vix enim fieri potest, vt vel commodè & rectè tradatur, vel dextrè accipiatur & intelligatur hæc doctrina, quando sine distinctione, & non adhibita aliqua distributione de ea disputatur.

Nec verò noua aut recens excogitata est hæc distributio, sed Veteres, præcipuè verò Cyrillus ac Leo, & ex veteribus Damascenus, eodem prorsus modo, ac simili distributione, quod ad res ipsas attinet, doctrinam hanc tradiderunt. Primò enim docent, Enunciationes scripturæ de Christo, ad vnicam illam personam referendas, siue diuinæ siue humanæ naturæ proprietates describant. Secundò docent, Quod & quomodo, vna in Christo natura agat cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est. Tertiò describunt diuitias, sicut ipsi loquuntur, quæ assumptæ naturæ, ex hypostatica vnione, vltra naturales proprietates accesserunt. Damascenus quidem Lib. 4. cap. 19. in plura membra distributionem illam deducit, Vt quædam de Christo dici ante vnionem, quædam in ipsa vnione, quædam post vnionem, & horum quædam prædicari respectu diuinæ naturæ, quædam humanæ naturæ respectu, quædam de vtriusq; simul vnitis, quædam verò describere πλῶτον προσλυόμενον τῇ σαρκὶ, ex hypostatica vnione, & mutua naturarum περιχωρήσει. Sed hæc membra omnia, ad tria hæc genera, seu ad tres hosce gradus, quos recensuimus, breuitatis gratia, commodè referri possunt. Ac si cui magis placent bimembres diuisiones, res tamen eodem redibit. Erit enim talis distributio. Primò, Scriptura de persona Christi, siue de naturis eius

vnitis prædicat, vel personalem κοινωνίαν inter naturas vnitas, vt Deus est homo, & homo est Deus: de qua prædicatione egimus in Quinto capite, de hypostatica vnione, vel prædicat Idiomatum seu attributorum communicationem, de qua propriè hoc loco agemus. Secundò, Idiomata vel attributa, quæ prædicantur, vel sunt naturalia & essentialia, vel προφυσικὰ & ὑπερφυσικὰ, quæ ex vnione accesserunt. Tertiò, Naturalia & essentialia Idiomata prædicantur de persona Christi dupliciter, vel ita, vt quod distinctè vnius naturæ proprium est, tribuatur toti personæ, salua distinctione, cuius naturæ proprium est: Vel ita prædicantur, vt propria naturarum coniungantur, in aliquo opere, in quo persona agit secundum vtramq; naturam, cum communicatione vtriusq; naturæ, quod cuiusq; proprium est. Quartò, ὑπερφυσικὰ, quæ ex vnione accesserunt, diuinam naturam nihil auxerunt, sed humanæ eius naturæ, ex hypostatica illa vnione, magna facta est accessio, sicut Athanasius loquitur. Illa verò, vel sunt dona creata formalia & habitualia, subiectiuè ipsi humanæ Christi naturæ, in sese, & secundum se inhærentia, vel sunt ipsæ diuinæ virtutes & operationes, non formaliter aut subiectiuè, humanæ naturæ in sese inhærentes, sed dispensatione vnionis ita communicatæ, sicut potentiæ animæ corpori animato, & vis lucendi & vrendi ferro ignito communicantur absq; naturarum vel confusione, vel exæquatione, sicut postea explicabimus. Sed siue hoc, siue alio modo distributio instituatur, res eodem redibit, Nos verò distributionem illam in tres gradus, siue in tria genera, ad quæ omnia, quæ huc pertinent, commodè referri possunt, retinebimus. Illam enim distributionem, doctis, pijs, ac rectè sentientibus, in nostris Ecclesijs probari ac placere video.

Et de rebus ipsis quidem hæc plana sunt. De Vocabulis verò ijsdem & similibus, non inter omnes conuenit. Sed quando de rebus ipsis conuenit, de vocabulis, quæ tantum rebus seruiunt, faciles esse debemus. Diligentia tamen digna est piè eruditis, propter concordiam vti receptis vocabulis, præsertim veteri Ecclesiæ vsitatis, quando propria & significantia sunt, & nihil habent incommodi.

Theodo-

Theodorus Presbyter & Suidas, quasi genus horum graduum videntur ponere κοινωνίων. Ita enim Samosateni errorem describunt, quod duas quidem naturas in Christo posuerit, ἀλλὰ διεκριμένως ἐχούσας πρὸς ἑαυτὰς πάσι ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς, sed seorsim, vel separatim se habentes, quæq; simpliciter incommunicabiles essent, vel nullam prorsus ad se inuicem communionem haberent.

Damascenus lib. 3. cap. 4. Primum genus vocat ἀλλοίωσιν καὶ ἀντίδοσιν, hoc est, alternationem & mutuam attributionem, quando proprietas vni naturæ conueniens tribuitur personæ in concreto. Cap. 19. Secundum genus vocat συνδρίφασιν, quando duarum naturarum operationes, vna locutione comprehenduntur. Idem aliquoties repetit, vtramq; naturam agere μετὰ κοινωνίας, cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est. Tertium genus vocat Damascenus lib. 4. cap. 19. ὑπερύψωσιν carnis, πλεῖστον προηγουμένων κατὰ τὴν ἑνώσεως. Lib. 3. Cap. 17. inquit: Caro Domini ditata est diuinis operationibus. Cap. 7. Diuina natura μεταδίδωσι carni propriam gloriam seu maiestatem, ipsa verò manet ἀμέτοχος eorum, quæ humanæ naturæ sunt.

Nazianzenus primum gradum vocat συγχυσιν ὀνομάτων, eò quòd sicut naturæ, ita etiam enunciationes vniantur ad vnam personam.

Theodoretus vocat ἀναλλαγὴν καὶ κοινωνίαν ὀνομάτων, alternationem & communicationem attributorum in persona.

Vigilius lib. 2. vocat communionem, qua ea, quæ propria sunt naturarum, fiunt communia personæ.

Cyrillus Epist. 29. id quod nos primum gradum ponimus, vocat ἰδιοποιῶν, vel ἰδιοποίησιν, quando id quod vni naturæ conuenit ac proprium est, tota persona sibi vendicat ac proprium facit, atq; ita personæ tribuitur in concreto, seu per vocabulum concretum, vt Deus est passus, crucifixus, mortuus.

Et ante Cyrillum, Athanasius in Epistola ad Epictetum, vtitur verbo ἰδιοποιεῖν, quando ea, quæ assumptæ carnis sunt propria, λόγος seu Filius Dei sibi appropriat, vel tanquam

propria

propria vendicat. Idem in Dialog. 5. de Trinit. inquit: Sicut λόγος assumptum corpus suum dicit, licet non sit eiusdem naturæ cum Deitate: Ita & sua dicit quæ patitur, ἰδιοποιούμενος, sibi vendicans & tribuens, vel propria sibi faciens, omnia quæ sunt humanitatis. Et dial. 1. Sicut ἰδιοποιεῖται corpus, cum inquit: Hoc meum est corpus: Ita & πάθη οἰκεῖται. Inde Damascenus vocat οἰκειώσιν, ea quæ ad primum gradum nos referimus.

Secundum verò gradum, quando ea, quæ de officijs Messiæ, personæ tribuuntur, vtriq; naturæ, salua earum differentia, conueniunt, vel quando ad opus aliquod, vtriusq; naturæ operationes communiter concurrunt. Cyrillus vocat κοινοποιεῖσθαι, κοινοποιίαν, vel κοινοποίησιν. Epistola 29. Leo dicit: Vnam naturam operari cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est. Damascenus inquit μετὰ κοινωνίας.

De Tertio gradu & alij patres, sicut postea ostendemus, vtuntur vocabulo κοινωνίας. Et Cyrillus de Incarnatione Vnigeniti cap. 7. dicit, λόγος diuinæ suæ maiestatis operationes, carni communes facit, vt ea possit viuificare mortuos, sanare infirmos, &c.

Scholastici scriptores vsitate vocant Communicationem idiomatum, quæ ad primum nostrum gradum pertinent. Quod verò quidam hoc ita arripiunt, vt clamitant, Patres vnum & solum hoc genus communicationis Idiomatum agnouisse, In eo & fallunt & falluntur. Apud omnes enim Patres, non extat, ac ne apud Lombardum quidem, totidem verbis illa compositio vocabulorum, Communicatio Idiomatum, Sed Scholasticorum appellatio est ex diuersis veterum sententijs conflata, sicut Cyrillus de recta fide ad Theodosium vocat communicationem, quando Filio hominis tribuitur, quod ab æterno sit, propter personæ vnitatem.

Illud verò ex Patrum scriptis constat, Vocabulum κοινωνίας, de omnibus ac singulis hisce tribus gradibus vsurpari. Vt de primo gradu constat ex Theodoreto, Vigilio, & ex Scholasticis scriptoribus, qui vocant Communicationem Idiomatum. Secundum gradum Chalcedonense Concilium ita describit,

Quod

Quod vna natura agat, cum communicatione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt, Quod verò cuiuſq; ἴδιον propriũ eſt, certè Idioma eſt. Et quia additur ibi etiam κοινωνίας vocabulum, Quare igitur non poſsit, ſi quis contendere velit, etiam hic gradus vocari Communicatio Idiomatum, ego ſane non video.

Tertium etiam gradum vocari κοινωνίαν à veteribus, & antea diximus, & poſtea oſtendemus. Non diſplicet igitur, quod quidam eruditi, Vocabulo κοινωνίας addunt peculiares notationes, Ac gradus hoſce ita diſtinguunt, vt primum genus appelletur Communicatio Idiomatum, ſeu proprietatum: Secundum appelletur Communicatio operationum: Tertium appelletur Communicatio maieſtatis. Ego de vocabulis, ſi modo rebus ipſis non ſtruantur inſidiæ, cum nemine litigabo: Sed res ipſas, ſicut in ſcriptura traditæ, & in veteri Eccleſia explicatæ ſunt, in ſingulis tribus gradibus ordine explicabo.

CAPVT XIII.

De primo gradu ſeu genere communicationis Idiomatum, quæ ex hypoſtatica vnione, in perſona Chriſti conſequitur, quod ſcilicet ea, quæ propria ſunt vnius naturæ in Chriſto, tribuuntur perſonæ in concreto.

Cholaſtici ſcriptores illas prædicationes, quibus propria naturarum tribuuntur perſonæ, propriè & vſitatè vocarunt Communicationem Idiomatum, Atq; inde in ſcholis in hac ſignificatione in vulgari vſu manſit. Et quia non voluimus de Vocabulis contendere, nominemus primum hunc gradum Communicationem Idiomatum, ſed addimus, quæ vſitatè in ſcholis ita appel-

letur, Quod ideò additur, ne quis ſub prætextu vſitatæ appellationis, contendat, nullam præterea aliam eſſe rationem communionis, ex hypoſtatica vnione in Chriſto, quam quæ à Scholaſticis, ſub vſitata illa appellatione definitur. Ita autem Scholaſtici vſitatam ipſis communicationem Idiomatum deſcribunt, Quidam dicunt, quod ſit mutua prædicatio concretorum vtriuſq; naturæ, de ſe inuicem: Vt Deus eſt homo, Homo eſt Deus. Sed hæc propria non eſt Idiomatum communicatio, ſed perſonalis communio inter naturas, ideò pertinet ad Quintum caput de hypoſtatica vnione, vbi eam declarauimus. Alij igitur Scholaſtici dicunt, quod Communicatio idiomatum ſit proprietatum mutua attributio, qua vtraq; natura, ea, quæ alteri tantum propria ſunt, viciſsim permutat in concreto, propter perſonæ ſeu hypoſtaſis identitatem. Et idem dicit vſitata Philippi definitio, Communicationem Idiomatum eſſe prædicationem, in qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur perſonæ in concreto. Et fundamenta huius doctrinæ, de primo hoc gradu ſeu genere communionis, quæ certa & manifeſta ſunt, diligenter ſunt obſeruanda.

Primò enim, ſicut antea oſtenſum eſt, hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto vnio facta eſt, ipſa naturarum ſubſtantia non mutata, non conuerſa, non exæquata, nec altera naturarum, εἰς ἀνυπαξίαν aut ἀφανισμὸν, ſicut veteres loquuntur, abolita, Sed in Chriſto incarnato ſunt & manent duæ naturæ, integræ, differentes & diſtinctæ, diuina & humana, ita vt ſecundum Diuinitatem Chriſtus ſit & maneat ὁμοούσιος Patri, ſecundum humanitatem verò, perpetuò ſit & maneat conſubſtantialis fratribus,

Secundò, Quælibet harum naturarum, ſua peculiaria, eſſentialia ſeu naturalia habet Idiomata, quæ in ipſa Vnione retinet, ſine conuerſione & cõfuſione, ſicut inquit definitio Chalcedonenſis. Non ſublata differentia naturarum propter vnionem, ſed ſalua magis vtriuſq; naturæ proprietate, & in vnam coëunte perſonam. Cyrillus in 2. Epiſt. ad Succeſſum, Vtraq; natura manſit in ſua proprietate, & ineffabiliter vnita. Item:

libro

libro 6. dialogorum: Impoſsibile eſt, aliquid poſſe cognoſci alterius proprietatibus, & non putare, eſſe illud ipſum, quod illud ſecundum naturam eſt, cuius proprietatibus agnoſcitur. Et contra μονοθελήτας definitum eſt cap. 7. Subſtantialem differentiam naturarum, in Chriſto etiam poſt vnitionem, inconfuſè & indiuiſè ſaluatam. Et cap. 9. Naturales proprietates diuinitatis & humanitatis, indiminutè & ſine defectione in Chriſto ſaluatas. Et Epiſtola Synodica inquit, Amputata proprietate naturali & eſſentiali, ipſa etiam natura cum illa perimitur. Natura enim cognoſci nullo modo poteſt, niſi per eſſentialem deſignantem eam naturalem proprietatem. Et alia ſynodica inquit: Vnamquamq; Chriſti naturam proprietatem naturalem habere, confitemur, & habere diuinam omnia, quæ diuina ſunt, & humanam omnia, quæ humana ſunt abſq; vllo peccato.

Euagrius lib. 2. cap. 4. Decretum ſeu definitionem Chalcedonenſis concilij ita recitat: ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν, υἱὸν, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ ὁμοφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι. θεὸν ἀληθῶς, καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς τὸν αὐτὸν, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας, πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν, τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ θεοτόκου, κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ἕνα καὶ αὐτὸν Ἰησοῦν Χριστὸν υἱὸν. Κύριον μονογενῆ, ἐν δύο φύσεσιν. ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνηρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον, τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν μονογενῆ θεὸν λόγον, καὶ κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καθάπερ ἄνωθεν οἱ προφῆται καὶ αὐτὸς περὶ αὐτοῦ ὁ Χριστὸς ἐξεπαίδευσε, καὶ τὸ τῶν πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον.

Hæc eadem verba extant etiam apud Nicephorum lib. 15 cap. 6. Vnum & eundem profitemur esse Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, & vna voce omnes deprædicamus, perfectum eundem in Diuinitate, & perfectum eundem in humanitate, Deum verum, & hominem verum eundem, ex rationali anima & corpore, substantialem Patri secundum Diuinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis æqualem, absq; peccato, ante secula quidem ex Patre, secundum Diuinitatem, in extremis autem diebus eundem, propter nos & propter nostram salutem, ex Maria virgine & Dei genitrice, secundum humanitatem genitum. Vnum & eundem Iesum Christum, Filium & Dominum vnigenitum, in duabus naturis, inconfusè, immutabiliter, indiuisè, insegregabiliter, cognitum & deprædicatum. Haud quaquam naturarum differentiam vnione tollente, sed proprietatem potius vtriusq; naturæ conseruante, quæ in personam vnam & subsistentiam vnam concurrunt, non veluti in duas personas dispertitum aut diuisum, sed vnum & eundem Filium vnigenitum, Deum Verbum Dominum nostrum Iesum Christum, quemadmodum antiquitus Prophetæ, & ipse de seipso nos docuit Christus, & symbolum patrum nobis tradidit.

Reliquas sententias Chalcedonensis Concilij, Damascenus Græcè ita recitat, lib. 3. cap. 3. σώζεσθαι τὴν φύσεων τὴν οὐσιώδη διαφορὰν ὁριζόμεθα. Definimus essentialiter naturarum differentiam seruari. Cap. 5. δύο φύσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν μὴ ἀληθεῖαν αὐτὰς εἶναι, ἀλλὰ τὰ τούτων φυσικὰ ἰδιώματα, φυλάττει γὰρ ἑκατέρα τὴν ἑαυτῆς φυσικὴν ἰδιότητα ἀμετάβλητον. Cap. 7. Manserunt etiam post vnionem naturæ ἀσύμφυρτοι καὶ αἱ τούτων ἰδιότητες ἀλώβητοι, hoc est, sicut Leo inquit, Epist. 10. Tenet enim sine confusione & defectu proprietatem suam vtraq; natura.

Tertiò: Duæ illæ naturæ in Christo, non seperatim vel singillatim singulæ per se solæ subsistunt, sed vnitæ sunt in vnam hypostasin seu personam, vt vnum sit ὑφισάμενον, ἐκ δύο καὶ ἐν δυσὶ, ex duabus & in duabus illis naturis subsistens, vnus Christus,

Christus, vnus Filius, sicut illa plenius sunt explicata in præcedentibus.

Ex hisce fundamentis extructa est doctrina, de primo hoc genere, quòd vsitatè vocatur Communicatio Idiomatum, Ac tota res ex anthithesi clarissimè intelligi potest. Samosatenus enim, referente Suida, duas naturas in Christo, & earum ἰδιότητας simpliciter posuit ἀκοινωνήτους, hoc est, sine vlla communicatione, Quod scilicet diuina natura in Christo per se sola seorsim sua ageret, ac similiter etiam humana. Sed ratio hypostaticæ vnionis, qua λόγος communicauit carni & sanguini, omninò requirit communicationem idiomatum. Illam verò Nestorius talem ponebat, vt Deo Christo tantum tribuerentur diuina Idiomata, homini vero Christo tantum humana, Hominem scilicet, non Deum natum ex Maria, crucifixum, &c. Item: Deum, non autem hominem, ægrotos sanasse, mortuos viuificasse: sed ita alia esset persona Christi Dei, & alia Christi hominis, fierentq; duæ personæ, & duo Christi. Illa igitur Nestorij communicatio, diuellens personam, reprobata fuit. Mox verò postea Eutyches, fugiens Nestorij diuulsionem, ex vnione fecit naturarum vnitatem, & Idiomatum confusionem: Finxit enim post vnionem tantum vnam esse in Christo naturam, & idiomata prorsus eadem, ita & ipsa diuina natura in Christo ea, quæ humanitatis sunt, passa sit, crucifixa scilicet, lacerata, mortua &c. Sed & hæc opinio, quia introducit conuersionem & confusionem naturarum, damnata est.

Apollinaris apud Athanasium dial. 5. de Trin. Ideò finxit Deitatem λόγου fuisse assumpto corpori loco animæ, vt ita omnes actiones & passiones illius, possent Deo verbo tribui, Vtq; ita dici posset, Hominem illum esse Deum. Ita enim Apollinaris inquit dial. 4. Sicut corpus si accipiet animam irrationalem, fit Animal brutum, Si accipiat rationalem animam, fit homo, Ita si assumpto corpori Deitas loco animæ ponatur, erit animal illud, seu homo ille Deus. Sed Athanasius & Epiphanius prolixè hanc opinionem refutant.

Monotheletæ postea, omnia idiomata, quæ personæ tribuuntur, putabant promiscuè & æqualiter conuenire vtriq; naturæ. Con-

ræ. Contendebant enim, eadem esse idiomata vtriusq; naturæ. Sed & hæc opinio, quia cum fundamentis supra expositis pugnat, reprobata est, in sexta vniuersali Synodo. Sicut de illa controuersia postea plura dicenda erunt.

Vera igitur fides, inter hosce scopulos, prælucente verbo Dei circumspectè nauigat, & medium iter tenet. Contra Samosatenum enim agnoscit, esse Idiomatum communicationem. Illam verò cum Eutyche & cum Monotheletis non confundit inter naturas, cum conuersione & confusione & naturarum & Idiomatum, vt humanitas dicatur esse diuinitas, vel essentiale idioma vnius naturæ, fiat substantialis proprietas alterius naturæ, in abstracto, vel extra vnionem, vel in sese, aut per se, in ipsa vnione consideratæ. Sed proprietas vni naturæ conueniens, cõmunicatur seu tribuitur personæ in concreto, hoc est, Vocabulo non naturas ipsas, sed personam significante. Non autem ita, sicut Nestorius volebat, alium esse in Christo, cui diuina, aliam cui humana tribuerentur Idiomata, sed vni & eidem hypostasi seu personæ, quæ subsistit in vtraq; natura, communicantur seu tribuuntur omnia idiomata, siue diuinæ, siue humanæ ipsius naturæ essentialiter conueniant. Et tamen ne illa communicatione, ipsæ naturæ, cum suis proprietatibus confundantur, exemplo scripturæ additur declaratio, cui naturæ in Christo, proprietas illa, quæ personæ tribuitur, essentialiter conueniat, aut secundum quam naturam aliquid de persona prædicetur: Hoc modo in personæ vnitate, seruatur naturarum differentia, & idiomatum distinctio. Et simul etiam cum naturarum differentia, & proprietatum distinctione, seruatur personæ vnitas, quæ sunt fundamenta huius doctrinæ.

Vtq; modi loquendi de hoc mysterio ratione accuratiori, contra omnium phanaticorum vel diuulsiones vel confusiones, formari possent, olim in scholis distincta sunt vocabula, Grammaticis & Dialecticis appellationibus: Vocabula enim, quæ naturas vnitas quidem, sed tamen distinctas denotant, vocant abstracta, Concreta verò vocant, quibus persona significatur. Vna igitur natura in abstracto non prædicatur de altera. Neq; enim Diuinitas dicitur esse humanitas. Et Scholasticorum re-

gula

gula eſt, Idiomata ſubſtantialia vnius naturæ non tribui alteri naturæ, in abſtracto conſideratæ, ſed communicari perſonæ in concreto, hoc eſt, Vocabulo ſignificante hypoſtaſin. Non enim rectè dicitur, Humanitas eſt ab æterno ex Patris eſſentia genita. Diuinitas eſt clauis transfixa, lancea perforata, ſed in concreto rectè dicitur, Filius hominis aſcendit vbi erat prius, Dominus gloriæ eſt crucifixus. Quomodo verò vtraq; natura in Chriſto agat cum communicatione alterius, & quomodo naturæ humanæ in Chriſto communicentur ὑποφυσικὰ, poſtea in ſecundo & tertio genere explicabimus.

Damaſcenus lib. 3. cap 4. idem tradit, alia ſcilicet eſſe vocabula, quibus naturæ ipſæ in Chriſto nominantur, alia verò eſſe vocabula, quibus hypoſtaſis ex duabus illis naturis compoſita deſignatur. Et addit, Deitatem nominantes, non prædicamus de ea, humanitatis idiomata, vt eſſe paſsibilem, creatam, Neq; de carne ſeu humanitate prædicamus, quæ Deitatis ſunt propria. Perſonæ verò vtriuſq; naturæ idiomata tribuimus. Deſignatur autem, iuxta Damaſcenum, hypoſtaſis ſeu perſona Chriſti, concreto vocabulo, ſicut ſcholæ loquuntur, ſumpta denominatione concretiua, ſiue ex vna natura, ſiue ex vtraq;: Ex vna natura, vt ex diuina, λόγος, Deus, Filius Dei, Dominus gloriæ. Ex humana, Homo, Filius hominis, ſemen mnlieris, germen Dauidis. Ex vtraq;, vt Chriſtus, Immanuel, Meſsias, Redemptor, &c. Et quia vnio naturarum facta eſt in hypoſtaſi verbi, ita, vt vna & eadem iam ſit perſona vtriuſque naturæ ſubſiſtens in vtraq; natura ſimul, Vocabula igitur concreta ex diuina natura ſumpta, vt Deus λόγος, Filius Dei, quando de Chriſto incarnato prædicantur, licet denominatio fiat à diuina natura, tamen ſignificant non diuinam tantum naturam, ſed perſonam ſubſiſtentem iam in duabus naturis, diuina ſcilicet & humana. Et concreta vocabula ſumpta à natura humana, vt homo, Filius hominis, quando prædicantur de Chriſto incarnato, non deſignant nudam aut ſolam humanam naturam, ſed hypoſtaſin ſubſiſtentem, & in diuina & in humana natura, ſiue quæ conſtat ſimul & diuina & humana natura, & ad quam

vtraq;

vtraq; natura pertinet. Atq; hinc fit, quod concretis vocabulis significantibus personam Christi, siue ab vtraq;, siue ab alterutra tantum natura denominatis, rectè tribuuntur omnia Idiomata, siue sint diuinæ, siue humanæ naturæ.

Vt autem tota res planius conspici, & rectius considerari posset, recensebo aliquot modos talium prædicationum, quibus scriptura, idiomata naturarum tribuit personæ Christi, denominationibus concretiuis, siue appellationibus personalibus, sumptis ab alterutra natura, siue ab vtraq; natura, quæ absq; cauillatione accipi peto.

Primum autem locum inter hasce prædicationes, vt fundamentum, tenere debebant hæ: Deus est homo, & Homo est Deus, sed hæ propriè non pertinent ad Idiomatum communicationem, sed ad personalem κοινωνίαν, quæ est inter naturas hypostaticè vnitas. Ideò capite Quinto, vbi ipsa hypostatica vnio explicata est, has prædicationes posuimus & declarauimus. Hoc loco tractamus, quomodo idiomata naturarum tribuantur personæ.

Vt primo quando in scriptura proprietas diuinæ naturæ, prædicatur de concreto diuinæ naturæ in Christo, vt Ioh. 5. Quæ Pater facit, ea similiter & Filius facit. Hebr. 3. Christus Deus creauit omnia.

2. Quando in scriptura humanæ naturæ proprietas, prædicatur de concreto humanæ naturæ in Christo, vt Matth. 20. Filius hominis traditur in manus peccatorum, crucifigitur, resurgit à mortuis.

3. Quando in scriptura Diuinæ naturæ proprietas, tribuitur concreto humanæ naturæ in Christo, vt Iohannis 6. Si videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius. 1. Cor. 15. Secundus homo de Cœlo. Quicquid enim in Christo facit Deus, non potest non dici facere etiam homo, quia Deus est homo, inquit Augustinus.

4. Quando in scriptura humanæ naturæ proprietas, prædicatur de concreto diuinæ naturæ in Christo, vt 1. Cor. 2. Dominus gloriæ crucifixus est. Act. 2 Autorem vitæ interfeciſtis.

Act. 20.

Act. 20. Deus ſuo ſanguine redemit Eccleſiam. Zach. 12. Iehoua extendens Cœlum & fundans terram, inquit, Aſpicient ad me, quem confixerunt.

5. Quando ea, quæ vtriuſq; naturæ propria ſunt, tribuuntur concreto, quod ſumptum eſt ab alterutra, ſiue à diuina, ſiue ab humana natura in Chriſto, Vt Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus. 1. Tim. 2. Deus redemit Eccleſiam. Act. 20.

6. Quando concreto vtriuſq; naturæ in Chriſto, tribuitur proprietas vni naturæ conueniens, ſiue diuinæ ſiue humanæ: vt Chriſtus heri, hoc eſt, ab æterno. Heb. 13. Item: Chriſtus natus eſt ex Maria Virgine, Matth. 1. Chriſtus paſſus eſt, mortuus eſt. Rom. 6. 1. Pet. 3.

7. Quando proprietas vtriq; naturæ conueniens, prædicatur de concreto vtriuſq; naturæ, vt Chriſtus eſt Redemptor, Mediator, Saluator, &c. Sed quæ vtriq; naturæ conueniunt, non propriè pertinent ad hoc primum genus communicationis, ſed ad ſecundum.

Haſce prædicationes Idiomatum de perſona Chriſti in concreto, extare in ſcriptura certum ac manifeſtum eſt. Quidam verò recens mouerunt λεπτολογίας, non in omnibus illis prædicationibus, eſſe κοινωνίαν ἰδιωμάτων, ſed tantum in illis, vbi vnius naturæ proprietas, tribuitur perſonæ, Vocabulo concreto ab altera diuerſa natura denominato, vt Deus eſt paſſus, mortuus, Filius hominis fuit priuſquã Abraham fieret. Sed hactenus recepta & vſitata fuit hæc definitio, Quod communicatio idiomatum ſit prædicatio, qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur perſonæ in concreto. Iuxta hanc definitionem, in illis prædicationibus omnibus, eſſe communicationem Idiomatum, manifeſtum eſt. Ac ſi quis contendat, non eſſe communicationem Idiomatum, Quando dico: Filius hominis eſt pro nobis paſſus, mortuus, Homo Chriſtus eſt pro nobis traditus, ſequetur nudum hominem, vel ſolam humanam naturam, pro nobis paſſam, mortuam. Certum etiam eſt, quando perſona Chriſti incarnati appellatur, vel Filius Dei, vel Filius hominis, quod illa appellatione intelligatur, non tantum, vel diuina vel humana natura ſola, ſed tota perſona, conſtans & diuina & hu-

mana natura. Quando igitur dico, Filius hominis est mortuus, cum proprietas illa, vt mori, non vtriq; , sed vni tantum naturæ conueniat, Denominatio verò seu appellatio Filij hominis , licet ab humana naturadesumpta, totam tamen personam , duabus naturis constantem significet, Certè negari non potest, esse communicationem Idiomatum. Ita etiam quando dico : Christus est mortuus, cùm appellatio Christi vtramq; naturam, sicut Cyrillus inquit, complectatur & significet, Mors verò non vtriq; naturæ , sed humanæ tantum conueniat, Manifestum est, iuxta definitionem, esse κοινωνίαν ἰδιωμάτων. Quod verò vtriq; naturæ conuenit, & tribuitur concreto vtriusq; naturæ,vt Christum esse Mediatorem,hoc fateor non proprie pertinere ad hoc proprium genus communicationis Idiomatum , sicut & hoc notaui.

Recensui autem ex scripturæ exemplis , hosce modos prædicationum, in primo hoc genere , vt doctrina eò esset planior. Quia enim vna & eadem est hypostasis Christi incarnati , siue nominetur concreto diuinæ, siuæ humanæ, siue vtriusq; naturæ. Vnum enim est ὑφισάμενον subsistens in duabus, & in duabus naturis , Ideò ad ostendendam arctissimam hanc personæ vnitatem, ea, quæ propria sunt,siue Diuinæ,siue humanæ,siue vtriusq; naturæ , tribuuntur vni illi hypostasi , siue designetur concreto sumpto à diuina : siue ab humana , siue ab vtraq; natura, sicut exemplis ostensum est. Ne tamen ideò naturæ existimentur esse confusæ , addi solet scripturæ exemplo declaratio , cui naturæ conueniat proprietas, quæ personæ tribuitur, seu secundum quam naturam personæ tribuatur , sicut de particulis distinctiuis mox dicemus. Quæ enim vnius naturæ propria sunt, non impediunt,quò minus adsit & altera natura, cum suis proprietatibus , Nec impediunt, quò minus ea , quæ vnius naturæ propria sunt , tribuantur personæ subsistenti in vtraq; natura , Nec necesse est, ea, quæ in hoc genere prædicantur de persona , conuenire vtriq; naturæ, Sed satis est, si secundum alteram, siue Diuinam siue humanã, personæ conueniant , sicut ipsa scriptura per particulas distinctiuas ostendit. Rom. 1. Natus ex semine Dauid secundum carnem , Demonstratus Filius Dei secundum

dum Spiritum, 1. Pet. 3. Mortificatus carne, viuificatus Spiritu. Sicut de particulis distinctiuis mox iam dicemus.

Repeto autem id, quod antea dictum est, Distinctionis gratia hanc distributionem ita institui, vt in hoc primo gradu seu genere, explicentur essentiales cuiusque naturæ proprietates, quæ docentur non ita communicari, vt in vnione, & per vnionem fiant & sint, alterius etiam naturæ proprietates, sed communicantur personæ, sicut dictum est. Quod verò vna natura in Christo, sua non seorsim sola agat, altera interea ociosa existente & nihil cooperante quod agat, sed cum communicatione alterius, hoc in secundo gradu seu genere explicabimus. Et quomodo Diuina natura τῦ λόγυ, sua communicet assumtæ naturæ, non physica seu essentiali communicatione, sed œconomia vnionis, vt caro Christi sit viuifica, ac secundum humanitatem etiam Christus habeat & omnem & omnium potestatem, in Tertio genere explicabimus, Quod ideò moneo, Quidam enim hanc doctrinam, quod essentialia Idiomata vnius naturæ communicentur personæ, non autem communia fiant alteri naturæ, vt eius etiam propria sint, siniſtrè ita accipiunt & vrgent, quasi humanitas Christi, tantum naturalia sua idiomata habeat, & ex vnione illa nihil acceperit, Aut quæ scriptura & in tempore tradita affirmat, ea ad personam ita referunt, vt ad ipsam humanitatem in illa vnione prorsus nihil pertineant. Item: Quod fingunt singulas naturas in Christo, sua propria agere, sine communicatione alterius. Sed integra doctrina ex omnibus tribus gradibus seu generibus coniungenda est. Distinguuntur quidem illi gradus, quia simul & semel non possunt omnia dici, sed tamen quæ distincta sunt, non sunt diuellenda, sed suo ordine coniungenda.

CAPVT XIIII.

Quomodo hæc doctrina de primo gradu ſeu genere Communicationis, à vetuſtis Eccleſiæ ſcriptoribus ſit tradita, ac ſubinde à recentioribus etiam magis illuſtrata.

POſitis de hac parte doctrinæ, firmis ex Verbo Dei fundamentis, vtile eſt addere illam conſiderationem, quomodo vetuſti ſcriptores in Eccleſia, formas illas loquendi in ſcripturis præmonſtratas, diligenter ſint imitati, ac quomodo doctrinam hanc, in certas quaſi regulas redactam, ita propoſuerint, vt eò rectius ad explicationem huius myſterij vſurpari, & contra omnes hæreticorum corruptelas opponi poſſet. Et hæc obſeruatio ſimul oſtendit, quomodo hæc doctrina varijs hæreticorum certaminibus exagitata, ſubinde clarior ſit reddita, ac formis loquendi accuratioribus propoſita. Præcipuas igitur quaſdam ex Veteribus ſententias adſcribemus.

Ignatius in Epiſt. ad Trallianos: Chriſtus verè natus eſt, & ex Deo & ex Virgine, ἀλλ' οὐχ ὡσαύτως, ſed non eodem modo οὐδὲ γὰρ ταυτὸ, Non enim vnum & idem eſt, (quod ad naturam ſcilicet) Deus & homo.

Iuſtinus in expoſitione fidei: Quando audieris de vno Filio, voces contrarias, καταλλήλως μέριζε ταῖς φύσεσι τὰ λεγόμενα, hoc eſt, diſtribue ea, quæ dicuntur, inter naturas, vt cuiq; id, quod proprium eius eſt, aſsignetur. Ita effugies vocum diſcordantiam, ἑκάσης δὲ πέφυκε θ'εχομένης φύσεως, vnaquaq; natura recipiente, quæ eius propria ſunt. Et confiteberis iuxta ſcripturam, vnum Filium, & æternum, & πρόσφατον, hoc eſt, recentem, quia in tempore natum.

Ibidem:

Ibidem: Cum vnus sit Filius, omnis eius operatio, non est separanda ab vna filiatione (ὑότητ@) Naturam verò, cuius id quod fit, proprium est, ratione intelliges.

Tertullianus de carne Christi: Proprietates conditionum diuinæ & humanæ, æqua vtriqꝫ naturæ veritate cuiusqꝫ dispuncta est.

Athanasius sermo. 4. contra Arrianos: Si viderimus Christum per organon sui corporis diuinitus aliquid agentem vel dicentem, Sciamus, quia Deus est, qui hæc operatur. Si viderimus eum humanitus, quid loquentem aut patientem, non ignoremus, quia carne indutus, factus est homo. Singularum enim naturarum proprietatem cognoscentes, & vtraqꝫ ab vno agi, intelligentes, rectè credemus, & non aliquando errabimus. ἑκάστ γαὰρ τὸ ἴδιον γινώσκοντες, καὶ ἀμφότερα ἓν ἐνὸς πραττόμενα βλέποντες, ὀρθῶς πιστεύσομεν, καὶ οὐ πλανηθησόμεθα. Hæc valdè illustris est Regula, quæ etiam in 6. Synodo recitata est.

Hilarius de Trinit. lib. 9. loquens de Morte & Resurrectione Christi, inquit: Cum sint vtraqꝫ suis gesta naturis, vnum tamen Christum Iesum eum mementote, qui vtrumqꝫ est.

Nazianzenus Sermone 2. de Filio: Hoc est, quod Hæreticis præbet errandi occasionem, scilicet ἡ τῶν ὀνομάτων σύγχυσις, hoc est, quod attributa ita coniunguntur, vt de vno Christo prædicentur, Sed sicut naturæ in vnione illa cogitatione discernuntur, ita etiam attributa discernenda sunt.

Ambrosius de fide lib. 2. cap. 4. Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis, vnus in vtraqꝫ loquitur Dei Filius, quia in eodem vtraqꝫ natura est. Et si idem loquitur, non vno semper loquitur modo, quasi Deus loquitur, quæ diuina sunt, quasi homo dicit, quæ sunt humana. Ibidem: Dominus Maiestatis crucifixus est, non quasi Maiestate sua crucifixum putemus, Sed quia idem Deus, idem Homo, per Diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, Iesus Christus, Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusqꝫ naturæ, humanæ atqꝫ diuinæ; in natura hominis subijt Passionem, vt indiscretè

& Dominus Maiestatis dicitur esse, & Filius hominis, qui crucifixus est.

Lib. 5. cap. 3. Pia mens, quæ leguntur, secundum carnem diuinitatemq; distinguit, sacrilega confundit. Idem, de Sacramento Dominicæ Incarnationis, cap. 2. Si rectè offeras, non tamen rectè diuidas, peccasti, hoc est, si nesciamus, quæ propria sunt diuinitatis, incarnationisq; distinguere.

Augustinus de Trinit. lib. 1. cap. 13. Nisi ipse idem esset Filius hominis, propter formam serui, quam accepit, qui est Filius Dei propter Dei formam, in qua est, non diceret Apostolus, Dominum gloriæ crucifixum, Ex forma enim serui crucifixus est, & tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Quid tamen, propter quid, & secundum quid dicatur, adiuuante Domino, prudens & diligens & pius Lector intelliget.

Contra Felicianum cap. 14. Vna persona est salua vtriusq; proprietate substantiæ. Contra sermonem Arrianorum cap. 8. Talis est vnitas personæ, constans ex vtraq; natura, vt quibuslibet earum, vocabulum etiam altera impertiat.

Cyrillus Epist. 28. approbat illam Orientalium confessionem, qua suscepta, reddita est pax Ecclesijs, certamine Nestoriano conturbatis, Duarum naturarum facta est vnio, vt sit vnus Filius, vnus Christus, vnus Dominus. Et secundum hunc inconfusæ vnitatis intellectum, Mariam Θεοτόκον confitemur. Euangelicas verò & Apostolicas de Domino voces, scimus veros Theologos, tanquam ad vnam personam pertinentes, ratione duarum naturarum diuidere, & alias quidem vtpote diuinitati competentes, ad Diuinitatem Christi, alias verò humiles ad ipsius humanitatem referre.

Epist. 29. Anathematisati sunt, qui duabus subsistentijs voces asscribunt, alias tanquam homini separatim præter verbum considerato, alias verbo separatim præter carnem. Antiocheni verò, benè ea, ex quibus Christus intelligitur, tanquam nudis & solis cogitationibus intuentes, naturarum quidem differentiam ponunt, eò, quod non idem sunt in qualitate naturali, diui-

nitas

nitas & humanitas, attamen vnum Filium, vnam perſonam eſſe, dicunt, Solas de Domino voces deuidendas eſſe contendunt: Competere autem eas, dicunt, non alias Filio tanquam Dei Patris Verbo ſeparatim, alias tanquam alteri Filio, qui ex muliere ſit, Sed alias diuinitati eius, alias verò humanitati eiuſdem, Idem enim ipſe & Deus eſt & homo. Aliud autem eſt, vocum differentias agnoſcere, aliud poſt vnionem duas perſonas facere,

Idem de recta fide ad Theodoſium. Sicut in homine ab vna quidem carne totum animal nominatur, Interdum autem & anima nominata intelligitur vtrumque, ſimili modo & de ipſo Chriſto accipiemus.

Ad Reginas, lib. 1. Verbum proprium habens corpus, propter hoc dicitur eſſe natum carnaliter, quia ſuæ carnis natiuitatem ſibi propriam fecit. Et lib. 2. Propria ſibi fecit omnia, quæ ſunt proprij corporis, & quæ animæ.

Idem de Incarnatione vnigeniti cap. 3. Deſcendiſſe dicimus de cœlo Filium hominis, per vnitatem οἰκονομικὴν, verbo tribuente propriæ carni gloriæ ſuæ, & diuinæ maieſtatis claritudinem. Cap. 4. Verbum humanitatis paupertatem propriam facit, nihil in natura propria violatum. Cap. 12. Non diuidendus eſt vnus Dominus Ieſus, in hominem ἰδικῶς, & in Deum ἰδικῶς, Sed vnum eundemq; Ieſum Chriſtum eſſe dicimus, non ignorantes differentiam naturarum, ſed eas inconfuſas inter ſe ſeruantes. Cap. 27. Paſsio οἰκονομίας erat, ſua quidem dicente Deo verbo, quæ ſunt propriæ carnis, propter inenarrabilem vnionem, manente vero extra paſsionem, quantum ad ipſius naturam pertinet. Ibidem: Prodeſt & neceſſarium eſt, ſi in vno Chriſto id accipiamus, quod κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο ſecundum aliud, & aliud de vno codemq; conſtituatur. Et quod in duo diuidi non permittit, licet diuerſa inter ſe, & minimè conuenientia, acta eſſe dicantur, Naſcitur ex Deo & ex muliere, ſecundum aliud & aliud, Cum enim idem ſit homo ſimul & Deus, propter vnitatem propria ſua ducit humana.

Idem ad Succeſſ. Epi. 1. Vnientes ſanctæ carni, Dei Verbū, inconuertibiliter vnum Chriſtum, vnum Filium, vnum Dominum

num confitemur, eundem ſimul Deum & hominem, non ἄλλον καὶ ἄλλον, alterum & alterum: Idcirco aliquando vt homo, iuxta diſpenſationem humanitatis effatur, aliquando vero Deo decibilia effatur.

Damaſcenus hîc obſeruauit, quod ἄλλος ſit nomen perſonæ, ἄλλο nomen naturæ, Sicut & Proſper inquit: Sic homo, ſic Deus es, vt non ſis alter & alter. Et obſeruetur phraſis κατ' ἄλλο, Nam in primo hoc genere communicationis, eſt particula diſtinctiua, vt cum dico: Dominus gloriæ eſt crucifixus, κατὰ ἄλλο, hoc eſt, non ſecundum Diuinam, ſed humanam naturam. Item: Filius hominis deſcendit de cœlo κατ' ἄλλο, hoc eſt, non ſecundum humanam, ſed diuinam naturam. Sed in tertio genere, κατ' ἄλλο ſignificat cauſſam, Vt cum Cyrillus dicit: Caro Chriſti eſt viuifica, non καθ' ἑαυτὴν non ſecundum ſe, ſed κατ' ἄλλο, δι' ἄλλο, καθ' ἕνωσιν, Ibi cauſſa ſignificatur hac phraſi, vnde ſcilicet, & quomodo caro Chriſti ſit viuifica, Sicut in tertio genere oſtendemus. Et hoc loc illud moneo. Multi enim æquiuocatione illius phraſis ludunt, Carnem Chriſti eſſe viuificam, ſed κατ' ἄλλο: quod ita intelligunt, non carnem Chriſti, ſed ſolam diuinam eius naturam, quaſi ſeorſim viuificare. Sed hæc in tertio genere repetenda erunt.

Ibidem: In incarnatione duæ naturæ ſecundum Vnitatem indiuiduam inconfuſè ſibi conuenerunt: Caro caro eſt, & non Deitas, licet Dei facta ſit caro. Similiter verbum Dei non eſt caro, quamuis diſpenſatoriè propriam ſibi fecerit carnem. Hac ratione vnitas non læditur, ex duabus naturis effecta, propter vnitatem verò non ſequeſtramus naturas ab inuicem, nec in duos filios vnum indiuiduumq; partimur.

Leo Epi. 10. Quamuis in Chriſto Deo & homine vna perſona ſit, aliud tamen eſt, vnde in vtroq; communis eſt contumelia, aliud vnde communis eſt gloria, Propter hanc vnitatem perſonæ intelligendam, & Filius hominis dicitur de cœlo deſcendiſſe, cum Filius Dei carnem ex Maria ſumpſerit. Et rurſus, Filius Dei crucifixus dicitur, cum hæc non in Diuinitate, ſed in naturæ humanæ ſit infirmitate perpeſſus.

Ibidem:

Ibidem : Poſt reſurrectionem clauſis ianuis introibat, & flatu ſuo dabat Spiritum. Et rurſus fixuras clauium monſtrans, inquit: Palpate, videte carnem, oſſa &c. vt agnoſceretur in eo proprietas diuinæ humanæq; naturæ indiuidua permanere, vt ita ſciremus, verbum non hoc eſſe quod carnem, & vnum Dei Filium confiteremur, & verbum & carnem.

Idem Epiſt. 11. Nec verbum in carnem, nec in verbum caro mutata eſt, ſed vtrumq; in vno manet, & vnus in vtroq; eſt: Non diuerſitate diuiſus, non permixtione confuſus. Non alter ex Patre, alter ex matre, ſed idem, aliter ex Patre, aliter ex matre.

Idem Epiſt 81. Quamuis vnius perſonæ fuerint totius temporis actiones, ea ipſa tamen, quæ inſeparabiliter facta ſunt, nulla permixtione confundimus. Sed quid cuiuſq; formæ ſit, ex operum qualitate ſentimus. Nec diuina enim humanis præiudicant, nec humana diuinis, cum ita in idipſum vtraq; concurrant, vt in eis nec proprietas abſumatur, nec perſona geminetur.

Ibidem: Non intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur, cum idem ſit & totus hominis Filius, propter carnem, & totus Dei Filius, propter vnam cum Patre Deitatem.

Gelaſius contra Neſtorium ſcribit, Quicquid Deitatis eſt, habet homo & Filius hominis, & quicquid humanitatis eſt, habet Dominus Maieſtatis. Petrum audiamus dicentem: Chriſtum paſſum carne, non Deitate, cum tamen ipſa Deitas totum ſuum faciat, quicquid caro perpeſſa eſt, Ea enim dignatione, qua ſuſcepit hominem, ſuum facit, quicquid eſt hominis, quia homini viciſsim tribuit, quicquid eſt Dei.

Sexta Synodus citat hanc Nyſſeni ſententiam. Propter copulationem atq; concretionem, Communia fiunt vtraq; alteri, tam Domino ſeruiles cicatrices in ſe ipſo ſuſpiciente, quàm ſeruo Dominico honore glorificato.

Ibidem citatur ſententia Anaſtaſij Antiocheni, Non idem eſt Deitati humanitas, neq; quæ ex eis procedunt, eadem ipſa ſunt: Idem autem ipſe facit vtraq;, qui Deus ſimul & homo,

non ad confusionem immiscens easdem substantias, nec item, quæ ab ijsdem substantijs procedunt operationes.

Ibidem Sophronius inquit: Idem est, qui & diuina gessit & humana, secundum aliud verò & aliud. Iuxta Cyrillum: Non enim idipsum est Deitas & hnmanitas, secundum qualitatem, vnicuiq; naturaliter inditam, licet in vnam personam concurrant.

Concilium Spalense 2, inquit: Propter vnitatem personæ, ad hominem referuntur in Christo, quæ Dei propria sunt, & diuinitati adscribuntur, quæ hominis sunt. Et citatur ibi Augustini sententia, Si attendas distinctiones naturarum, Filius Dei de Cœlo descendit, Filius hominis crucifixus est, Si vnitatem personæ, Filius hominis descendit de cœlo, & Dominus gloriæ crucifixus est.

Theodoretus dialogo 3. τῆς τῶν ἀνομοίων φύσεων ὁμολογηθείσης ἑνώσεως, ὁ μὲν τὸ πρόσωπον τοῦ χριστοῦ, καὶ ταῦτα καὶ ἐκεῖνα, διὰ τὴν ἕνωσιν, ἑκατέρα δέ γε φύσις τὰ πρόσφορα προσαγορεύεται, hoc est, posita confessione de vnione duarum diuersarum naturarum, persona Christi recipit & hæc & illa propter vnionem, vtriq; tamen naturæ conuenientia accommodantur.

Ibidem: Vnio facit nomina seu attributa naturarum, communia personæ. Item, quæ propria sunt naturarum, communia euadunt personæ. Addit autem Theodoretus regulam: οὐ σύγχυσιν ἐργάζεται τῶν φύσεων, ἡ κοινότης τῶν ὀνομάτων, Communicatio nominum seu attributorum non facit confusionem naturarum. Item: οὐ διαιροῦμεν τὴν ἕνωσιν, ἀλλὰ θεωροῦμεν τὰ τῶν φύσεων ἴδια. Non diuellimus naturarum vnionem, sed quæ cuiusq; naturæ propria sunt, consideramus.

Item Dialogo 2. Quando de naturis in Christo loquimur, oportet cuiq; naturæ tribuere, quæ eius propria sunt, Et scire, quòd quædam propria sunt Diuinitatis, quædam humanitatis, Quando vero de persona loquimur, oportet ea quæ naturarum propria sunt, personæ communia facere, & hæc & illa tribuere saluatori Christo, & eundem appellare Deum & hominem, &c.

Vigi-

Vigilius lib. 1. contra Eutychen. Cernis aliquid proprium esse carnis, quod verbi non est, Sed etiam verbi est, quia verbi est illa caro, cui possunt hæc omnia aptius conuenire.

Ibidem: Est aliquid proprium Christo, quod diuinitati, aliud quod humanitati conuenit, licet propter singularitatem personæ, & mors ad Diuinitatem, & immortalitas ad Dei referatur humanitatem.

Lib. 2. Vnus est Christus, idem Deus, idemq; homo, habens in verbis & gestis, vnum, quod humanitatis, alterum, quod diuinitatis naturæ conuenit, licet vtrumq; simul ad vnam eius personam pertineat.

Ibidem: Quicquid est proprium verbi, fit commune cum carne, & vicissim. Propter hanc communionem, quam salua naturarum proprietate, personæ vnio præstat, Filius hominis dicitur descendisse de cœlo, Et Deus dicitur sepultus, Secundum proprietatem naturæ, Sola caro est sepulta: secundum vnionem personæ, Deus sepultus est, quia persona verbi in carne est, quæ mortis dispendium sensit. Item: Passio propriè pertinet ad carnem secundum naturam, ad verbum autem, secundum personam, quia & verbi & carnis vna est persona, Passus est Deus in vnione personæ, non passus in proprietate naturæ.

Idem lib. 5. Impium & sacrilegum est, ea quæ sunt propria carnis, ad naturæ verbi proprietatem referre. Et rursus ea, quæ sunt propria carnis, per exceptionem proprietatis, alienare à verbo, cum Christus sit vtrumq;.

Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum. Nos fidem retinentes Euangelicæ veritatis. Sic in Christo propria vniuscuiusq; naturæ cognoscimus, vt vnitatem personæ nullatenus diuidamus, scientes quod sic vtriusq; in Christo substantiæ, manserit vnita proprietas, vt in carne patiens, impassibilis Deus, & veram passionem in vera carne sentiret, & in Diuinitate prorsus impassibilis permaneret Nec alius in carne passus fuerit, nisi ille, qui in vera carnis passione, Impassibilis omnino permansit, Nec alius semetipsum morti dignatus sit tradere, quàm ille, qui sic potuit moriendo mortem vincere, vt mortem non posset in morte sentire.

 Ibidem:

Ibidem, Hæc cuncta vnus Christus & gesit & pertulit, quia in vno eodemq; Christo, vera Diuinitatis, veraq; humanitatis natura permansit.

Item: In vnitate personæ, sicut Christus Deus in homine, nomen hominis accepit, sic idem homo Christus in Deo vocabulum Deitatis accepit.

Item: Vnus idemq; Christus est, qui quod humanum est, habet Deus, in veritate humanæ, & quod diuinum est, habet homo, in veritate diuinæ naturæ.

Damascenus lib. 3. cap. 3. λόγῳ ea, quæ humana sunt οἰκεῖα propria facit, & quæ propria sua sunt, μεταδίδωσι communicat carni, per modum ἀντιδόσεως, propter hypostaticam vnionem, Vnus enim erat & idem, qui operabatur & diuina & humana, Secundum aliud vero diuina operabatur, & secundum aliud passiones idem ipse sustinebat.

Idem cap. 4. Quando nominamus Deitatem, non prædicamus de eo, humanitatis idiomata, Nec de carne aut humanitate prædicamus Deitatis idiomata, sed quando hypostasis siue ex altera siue ex vtraq; natura nominatur (ὑποτίθεμαι) attribuimus ei idiomata ambarum naturarum, vt quando nominatur Filius Dei, δέχεται τὰ τῆς σωμαφεσκυίας φύσεως ἰδιώματα recipit idiomata eius etiam naturæ, quæ simul in ipso subsistit, hoc est, humanitatis. Ita Deus est passus, Dominus gloriæ crucifixus, οὐ καθὸ θεὸς, ἀλλὰ καθὸ ἄνθρωπος, non in quantum Deus, sed in quantum homo. Atq; ita fermè Patres de primo hoc genere communicationis Idiomatum loquuntur: Neque enim omnes omnium sententias adscribere volo. Ac mox de particulis distinctiuis, plures veterum sententiæ annotandæ erunt. Alias verò Patrum sententias, Quomodo vna natura in Christo agat cum communicatione alterius, Et quomodo caro Christi ratione hypostaticæ vnionis totam vim & operationem τοῦ λόγου habeat, iuxta Cyrillum, sicut ferrum ignitum possidet vim ignis lucendi & vrendi, Illas inquam veterum sententias, in secundo & tertio genere adscribemus.

Adijciam autem hoc loco paucis, Quomodo Scholastici doctores, Doctrinam de primo hoc gradu seu genere communicationis

nicationis Idiomatum, tradiderint. Illi enim veterum doctrinam, per distinctionem vocabulorum abstractorum & concretorum, non malè nec incommodè tradunt & explicant, Significant autem in hac doctrina nomina abstracta, naturas ipsas, si per se considerentur, siue extra vnionem, siue in ipsa vnione, vt Deitas, humanitas, Diuina natura, humana natura, Caro: Concreta verò significant, ὑπόσασιν seu ipsum ὑφισάμενον, in quo naturæ illæ, subsistunt, quod ὑφισάμενον denominationem accipit, siue ab altera naturarum, siue ab vtraq, Vt Deus, homo, Filius Dei, Filius hominis, Christus. Ita apud Scholasticos concretum diuinæ naturæ est Deus, & concretum humanæ est homo, Filius hominis. Item: Diuina natura in concreto est Deus, λόγ☉, Filius Dei, Humana natura in concreto est homo, Filius hominis, hoc est, vocabula, quæ ipsam personam designant, in concreto efferuntur, quas appellant denominationes concretiuas, Illi termini Scholasticorum noti esse debent, ne ex dissimili vsurpatione eorum contentiones oriantur. Certis autem quibusdam regulis, totam doctrinam Scholastici complectuntur, ex quibus illas, quarum manifestus vsus est, hoc loco breuiter annotabo. Monstrant enim fundamenta in modis loquendi vel receptis, vel reprobatis.

1. Abstracta naturarum, non prædicantur de se inuicem, nam naturæ in vnione manent sine confusione distinctæ: Ita de naturis non dicitur: Diuinitas est humanitas, vel econtra. Nec propria vnius naturæ tribuuntur alteri in abstracto, vt non dicitur, Diuina natura in Christo est in tempore facta, lacerata, mortua, Nec dicitur: Humana natura in Christo est ab æterno ex Patris substantia genita, spiritualis, infinita, immensa &c.

2. Concreta naturarum, prædicantur de se inuicem, & de hypostasi in his subsistente: Vt Christus est Deus, est homo, Deus est homo, Filius hominis est Filius Dei, Et proprietates vnius naturæ tribuuntur alteri in concreto, sicut Scholastici aliquando loquuntur, hoc est, tribuuntur personæ in concreto, scilicet quando denominatione concretiua persona appellatur. Ita Ignatius dicit in Epistola ad Polycarpum: ὁ ἄχρονος ἐν χρόνῳ, ὁ

νῳ, ὁ ἀόρατος τῇ φύσει, ὁρατος ἐν σαρκὶ, ὁ ἀψηλάφητος ὡς ἀσώματος δι' ἡμᾶς ψηλαφητὸς ἐν σώματι, ὁ ἀπαθὴς ὡς θεὸς, δι' ἡμᾶς παθητὸς ὡς ἄνθρωπος. Qui ſine tempore æternus eſt, factus eſt in tempore, qui natura ſua inuiſibilis eſt, factus eſt viſibilis in carne, qui incontrectabilis eſt, vt incorporeus, factus eſt propter nos palpabilis in corpore, qui impaſsibilis eſt vt Deus, factus eſt paſsibilis vt homo.

3. Abſtracta non prædicantur de concretis. Non enim propriè dicitur, λόγος eſt humana natura, vel homo eſt diuina natura.

4. Concreta non prædicantur de abſtractis, vt, non dicimus, humanitas eſt Deus, eſt Creator &c. Diuinitas eſt homo, eſt creatura. Humanitas eſt æterna, inuiſibilis, impaſsibilis, diuinitas eſt mortalis, paſsibilis. Subtiliter quidem diſputant, Quia in diuinis natura diuina & perſona idem ſunt, ideo ſecundum prædicationem identicam, abſtracta diuinæ naturæ prædicari de quolibet, de quo eius concreta prædicantur, ſed non nimis tenuiter hæc ſunt limanda.

5. Quædam de humana natura tantum in abſtracto ſumta dicuntur, illa non prædicantur ὑποστατικῶς de Hypoſtaſi, vt, natura humana diuerſa eſt à diuina, in natura humana aliud eſt ſubſtantiale, aliud accidentale, aliud eſt totum, aliud pars &c. Non enim dicitur, Filius Dei eſt diuerſus à Filio hominis, Filius Dei eſt pars, eſt accidens &c.

6. Quædam, quæ de natura humana rectè prædicantur, non prædicantur ſimpliciter, ſine aliqua additione, aut explicatione, de Hypoſtaſi Verbi, propter hæreticorum corruptelas, Vt, Natura humana in Chriſto, non fuit ab æterno, ſed cœpit & facta eſt in tempore, Non autem ita de hypoſtaſi verbi ſimpliciter dicitur, Filius Dei non fuit ab æterno, aut Filius Dei cœpit & factus eſt in tempore, Sed cum additione rectè dicitur, Deus homo factus eſt, Filius Dei factus eſt Filius hominis: Verbum cœpit eſſe homo: Ita veteres, non abhorruerunt ab illa propoſitione: Chriſtus eſt creatura, cum in ſano ſenſu, per communicationem Idiomatum, dextrè poſsit & declarari & intelli-

intelligi. Hilarius de Trinit. 12. Filius, qui est ex homine, factura est, neq; factura tantum, sed & creatura. Et Hieron. in 2. cap. ad Ephes. Multi timore trepidant, ne Christum esse creaturam dicere compellantur. Nos proclamamus, non esse periculum dicere, Christum esse creaturam. Augustinus in sermone Domini in monte: Qui est creator, voluit esse creatura. Leo de natiuitate Domini: Deus, qui semper est, & qui semper erat, fit creatura. Et Damascenus inquit: Non offendetur appellatione creaturæ, qui Christum seruum, vermem, granum, appellare non veretur. Posset igitur Propositio illa ex rigore Canonis, de communicatione Idiomatum defendi. Longobardus tamen cum Scholasticis rectè censuit, propter Arrianorum insidias, ambiguitatem vitandam esse, Atq; ideò non simpliciter dicendum esse, Christum esse creaturam, sed addendam determinationem, in quantum homo, seu secundum humanam naturam. Et Durandus tradit vtilem regulam: Proprietas vnius naturæ, quæ videtur includere exclusionem proprietatum alterius naturæ, non debet absolutè sine determinatione prædicari de Christo, ne simpliciores vel offendantur, vel seducantur, & in illa occasione hæretici falsas opiniones spargere possint. Talia exempla sunt, λόγον Filium Dei esse creaturam, non esse ab æterno, cœpisse, factum esse, &c. Lutherus in disputatione Anni 43. dicit: Nihil aliud volunt illæ formæ loquendi, Christus secundum quod homo, vel secundum humanitatem, vel humanitate, vel per humanitatem, vel in humanitate, est creatura, quàm quod habet creaturam, vel assumpsit creaturam humanam, vel, quod simplicissimum est, Humanitas Christi est creatura.

7. Quia persona verbi non assumpsit personam hominis, sed naturam hominis. Item, quia natura diuina est assumens. Humana verò natura non est assumens, sed assumpta, Inde rectè quidem dicitur, Deus factus est homo, Non autem ita propriè dicitur, Homo factus est Deus, Deus assumpsit hominem, licet veteres aliquando ita loquantur: Item assumi, sustentari, &c. prædicantur de humana natura. Non autem rectè dicitur, Filius Dei assumptus est à Filio hominis, aut Filius Dei

ſuſtentatur, in Filio hominis. Nec propriè dicitur, Filius hominis aſſumpſit naturam diuinam.

8. Bonauentura tradit etiam hanc regulam, Idiomata totius, communicantur non partibus, ſed toti vt ſuppoſito : Ita Idioma diuinæ naturæ ſcilicet, vnitum eſſe carni, non conuenit animæ, in morte Chriſti, tunc enim ſeparata fuit à carne. Ita etiam Idiomata partis humanæ naturæ, non communicantur perſonæ verbi, ſed quæ ſunt totius hominis aſſumpti, vt ſeparari à corpore, quod animæ conuenit in morte, non tribuitur λόγῳ. Mori autem tribuitur Filio Dei, Et tamen iacere in ſepulchro, quod ſolius carnis proprium eſt, prædicatur de Filio Dei, ſicut Auguſtinus inquit, Tractatu 78. in Iohannem, Quia credimus in Filium Dei ſepultum. Candidè igitur, & ſine Sophiſtica, regulæ illæ intelligendæ ſunt.

9. Sæpè in locutionibus veterum abſtracta pro concretis, & concreta pro abſtractis, vſurpantur, quæ rectè quidem interpretanda & reſoluenda ſunt, non tamen temerè vbiq; omiſſo proprietatis & perſpicuæ declarationis ſtudio, imitanda, Sicut talia quædam exempla ex veteribus, poſtea commemorabimus.

Porrò doctrinam hanc de primo gradu ſeu genere, quod vſitatè vocatur communicatio Idiomatum etiam Lutherus, noſter eodem modo, & ijſdem fermè vocabulis & terminis, ſicut hactenus dictum eſt, repetiuit, & explicauit, Ex quo locos aliquos huc adſcribemus.

Lutherus igitur de nouiſsimis verbis Dauidis, vſitatam communicationem Idiomatum ita deſcribit: Cauendum eſt, ne illam vnicam perſonam diſtrahas in duas, & rurſum, ne diſtinctas in eadem perſona naturas, in vnam confundas, Sed retinendum eſt duarum naturarum diſcrimen, in admiranda vnitate perſonæ, Sicut igitur ambæ naturæ in vna perſona Filij Dei copulatæ ſeu vnitæ ſunt, ita & vocabula in ſermone ſeu formis loquendi in Eccleſia receptis, quæ tribuuntur naturis, quæ vulgo vocantur prædicata, conueniunt, & quaſi copulantur cũ ijs, quæ de integra perſona dicuntur, Quas formas loquendi vſita-

vſitatè vocant Communicationem idiomatum, hoc eſt. cum id, quod eſt proprium alteri naturæ, & de ea ſeorſim in abſtracto dicitur, tamen in concreto tribuitur toti perſonæ, vt ſicut rectè & verè dicimus, Hominem natum eſſe ex Maria virgine, & à Iudæis crucifixum, Ita hæc eadem prædicata, rectè etiam tribuuntur Filio Dei, & rectè dicitur, Filium Dei eſſe natum ex virgine, crucifixum à Iudæis, Propterea quod Deus & homo vna eſt perſona, ſeu vnus Chriſtus, Filius Dei & virginis, nõ duo Chriſti, nec duo Filii, alter Dei, alter Virginis, ſed idem & vnicus Filius Dei & virginis, etſi verum eſt, hominis nomen per ſe, propriè, de natura humana intelligi, ſicut Dei nomen de natura diuina. Quod ſi cum Neſtorio negare velis, Filium Dei natum eſſe ex Virgine aut crucifixum, ac contendas hominem duntaxat eſſe virginis Filium & crucifixum, Hoc ipſo iam indiuiduam vnitatem perſonæ diſtraxiſti in duas, quarum vna ſit nata ex Virgine, & adfixa cruci, altera verò, quæ nec nata nec paſſa ſit, Intelligeturq́ hoc modo vtraq́ natura ſeorſim eſſe perſona ſubſiſtens, & iam non vnus, ſed duo Filij, quod prorſus idem eſt, ac ſi neges Deum, ſeu Filium Dei factum eſſe hominem, Et talem diſtractionem in Chriſto facit, ac ſi Deus ſit perſona ſeorſim cogitanda, ſeu reuera & per ſeſe ſeiuncta ab homine, quaſiq́ rurſum homo ſit perſonaliter ſeiunctus à perſona diuina, quod palam veritati contrarium & impium eſt affirmare. Sed dicimus Deum pro nobis crucifixum, mortuum, ſanguine ſuo nos redemiſſe, Nam hic iam vna eſt perſona Dei & hominis, ſeu Diuina natura & humana copulatæ ſunt in vnam perſonam, & Chriſtus reuera eſt Deus & homo. Quod igitur facit, patitur, loquitur homo, idem verè facit, patitur, loquitur Deus æternus. Rurſum quod facit, quod loquitur Deus, idem facit, loquitur homo, videlicet idem Filius & Dei æterni, & hominis virginis, vna indiuidua perſona, ſed diſtinctarum naturarum &c.

Idem Lutherus in diſputatione Anni 43. Ex veritate geminæ ſubſtantiæ & vnitate perſonæ, ſequitur illa, quæ dicitur cõmunicatio idiomatum, Vt ea, quæ ſunt hominis, rectè de Deo,

& econtra, quæ Dei ſunt, de homine dicantur. Non tamen hæc rata ſunt in abſtractis (vt dicitur) humanæ naturæ.

Et in 53. cap. Iſaiæ: Patres hoc communicationem Idiomatum appellarunt, quod vtraq; natura ſuas proprietates communicet illi perſonæ. Humana cõmunicat illi perſonæ, quæ eſt Filius Dei, & diuina natura ei, qui eſt filius Mariæ, quod accidit huic, qui eſt Filius Dei, dicitur accidiſſe filio virginis & econtra. Item: quomodo eſt ſeruus noſter? Reſpondeo ſecundum humanitatem, Nunc autem quia diuina & humana natura copulatæ ſunt in vnam perſonam, & Chriſtus reuera eſt Deus & homo, Ideò etiã dicitur Filius Dei ſeruus noſter. Ego rectè & diuinitus opinor factum in Grammatica, vt quædam vocabula dicantur Concreta, quædã Abſtracta, licet infinita ſint inuolucra diſputationum de concretis & abſtractis. Sic rectè dico, Diuinitas nõ patitur, Humanitas non creat. Hîc loquor de abſtracto, & de ſeparata diuinitate. Sed hoc non eſt faciendũ, non ſeparanda ſunt abſtracta, alioqui fides noſtra falſa eſt, Sed credendum eſt in concreto, Ille homo eſt Deus &c. Hîc propria & attributa rectè manent. Humanitas non creat, ſcilicet in humanitate ſeparata, vel ſeorſim poſita, ſi de ea ſola loquimur. Sic econtrà, Diuinitas non moritur, Ideò hoc loco de abſtracto tacendum eſt prorſus, quia fides docet hîc nullam eſſe abſtractionem, ſed concretionem, communicationem & copulationem vtriuſque naturæ, Quapropter de hac re loquendum eſt, vt de concreto, Filius virginis conſeruat cœlum & terram, Filius Dei moritur, patitur. Sic loquitur ſcriptura: Ergo eadem perſona vocatur Filius & æqualis Deo, in humana natura, non per ſe, vel ſeorſim, ſed in illa concretione, de qua dicuntur omnia, quæ poſſunt dici de diuina natura, dicuntur in concreto & de altera. Item: Quicquid ergo de Filio Dei dicitur, idem dicitur de homine, vel humana natura in concreto. Hæc Lutheri verba, quidam ſiniſtrè ita accipiunt, quaſi Lutheri ſententia ſit, Quod vnius naturæ proprium eſt, & de ea dicitur, illud in concreto, hoc eſt, in illa vnione alterius etiam naturæ proprium fieri & eſſe, atq; ita de ea dici. Quod falſum eſt: vnio enim, ſicut ſupra oſtendimus, facta eſt, ſalua naturarum & idiomatum differentia,

tia, Et proprietas vnius naturæ, nec fit, nec eſt in illa vnione proprietas alterius naturæ, Quod ipſa etiam analogia fidei manifeſtè oſtendit, Diuina enim natura eſt ab æterno, ſpiritualis, infinita & immenſa ſubſtantia, Hæc certè de humana natura in Chriſto, in ipſa etiam vnione, nec dicere poſſum nec credere debeo. Ita etiam, quod de humana natura rectè dicitur, Quod ſit in tempore facta, illud profecto de diuina natura Chriſti, in illa vnione, nec credere nec dicere debeo, Sed de perſona omnia hæc rectè dico, ſiue Filius Dei, ſiue Filius Mariæ, nominetur. Vnus enim & idem eſt Filius ſubſiſtens in duabus naturis. Ac paulò ante annotauimus, quod Scholaſticorum terminis idem ſit, Natura in concreto & concretum alicuius naturæ, ac intelligunt ipſam perſonam vocabulo concreto, ſiue à diuina, ſiue ab humana natura ſumpto notatam ſeu deſignatam. Ac ipſe Lutherus in eodem loco verba ſua ita declarat, quando nominat naturam, ſiue diuinam, ſiue humanam in concreto, quod ipſam perſonam intelligat, Vocabulo concreto notatam, vt Deus, Filius Dei, Homo, Filius Mariæ: Hæc enim ſunt eius verba.

Et Philippus etiam in Dialecticis, in loco diſparatorum, illis Scholaſticorum terminis ita vtitur, vbi inquit: Propria vni naturæ tribuuntur alteri in cõcreto, quod ita interpretatur, Eſſe prædicationes in concreto, quibus perſona ſignificatur, vt Filius Dei eſt homo, Deus eſt paſſus. Et quanquam in illo loco Lutheri, quædam ſunt, quæ ad Tertium genus, ſicut poſtea dicemus, pertinent, illorum tamen verborum, de quibus nunc agimus, hanc eſſe ſententiam, ex alijs Lutheri locis manifeſtum eſt. In Maiori enim Confeſsione de Cœna Domini inquit: Rectè dicitur, Filius Dei pro nobis eſt crucifixus & mortuus, Quod ſi obijcitur, Deitatem non poſſe pati & mori, Reſpondebis, verum hoc eſſe, ſed tamen quia diuinitas & humanitas in Chriſto eſt vna perſona, ideo propter talem perſonalem vnionem, Scriptura etiam Deitati tribuit, quicquid humanitati accidit, & econtrà. Sed audi quam perſpicuè Lutherus ſe declaret. Sequitur enim: Hoc oportet te confiteri, Chriſtum ſeu perſonam pati & mori,

mori. Iam persona illa est verus Deus. Ergò recte dicitur, Filius Dei patitur. Licet enim vna eius pars (vt ita loquar) vt Diuinitas non patitur, persona tamen, quæ Deus est patitur altera sui parte, vtpote humanitate. Sicut vsitatè dicitur, Filius regis est sauciatus, licet pes eius tantum sauciatus sit, Solomon est sapiens, licet sola eius anima sit sapiens. Absolon est pulcher, licet solum corpus ipsius sit pulchrum. Quia enim corpus & anima vna est persona, ideo rectè & benè toti personæ tribuitur, quicquid vel corpori vel animæ, vel minimo membro corporis accidit. Ita totus mundus loquitur, non scriptura tantum. Et verè Dei Filius est pro nobis crucifixus, hoc est, persona, quæ est Deus, illa inquam persona est crucifixa, secundum humanam naturam. Ita ergo toti personæ tribuendum est, quicquid alteri eius parti accidit, propterea, quia vtrumq; est vna persona. Ita loquuntur omnes veteres Doctores, ac recentes etiam Theologi, omnes linguæ & tota scriptura. Veteres vocant Synechdochen, quando dico, Christus est mortuus secundum humanam naturam. Et paulò post, quando opera diuiduntur & separantur, tunc persona etiam diuiditur, cum omnes vel actiones vel passiones, non naturis, sed personæ tribuantur. Persona enim est, quæ omnia agit & patitur, hoc iuxta hanc, illud iuxta alteram naturam, sicut eruditis notum est &c.

Eandem sententiam Lutherus in 14. cap. Iohannis prolixè explicat. Vnde summatim ea, quæ huc pertinent excerpemus: Christus agit & loquitur, quædam quæ diuinæ, quædam quæ humanæ naturæ conueniunt, Et tamen vnica illa persona vtrumq; dicit & facit, quia enim persona, simul Deus & homo est, Ideo vtrumq; de ea dicitur, vt ostendamus, in hac persona non meram esse diuinitatem, nec nudam aut solam humanitatem, sed vtramq; naturam in vnam personam inseparabiliter copulatam, Ita vt & diuinitatis & humanitatis idiomata toti personæ tribuantur, hoc modo, vt semper naturæ discernantur, ac vnitas personæ maneat indiuisa, Ideò ita de Christo loquendum est, sicut vtraq; natura exigit, vt quædam dicta humanam, quædam diuinam naturam indicent, vtq; diligenter consideretur,

tur, quid ſecundum humanam, quid ſecundum diuinam Chriſtus loquatur, Si enim hoc non obſeruetur aut diſcernatur, neceſſe eſt varias ſequi hæreſes. Et hoc vocatur Communicatio idiomatum, quod poſſum dicere, Homo Chriſtus eſt æternus Dei Filius, per quem omnia ſunt creata, Ac viciſsim, Filius Dei eſt ex Maria virgine natus, paſſus, mortuus, Non quidem ſecundum diuinam naturam, ſed quia perſona illa, quæ Deus eſt, patitur, moritur &c. Ita Ioh. 6. Filius hominis aſcendit, vbi erat prius. Hoc propriè de Diuina natura dictum eſt, quæ ſola ab æterno fuit apud Patrem. Et tamen etiam de perſona, quæ verus homo eſt, dicitur, Ac breuiter, quicquid perſona Chriſti dicit & agit, hoc dicit & agit verus Deus, & verus homo, Ita, vt omnia ipſius dicta ſemper tribuantur toti perſonæ, hoc tamen modo, vt naturæ diſtinctè credantur & agnoſcantur. Nam quando de naturis propriè & diſtinctè loquimur, fatendum eſt, Deum aliam eſſe naturam, quàm hominem, Et humana natura non eſt ab æterno, ſicut diuina, Nec Diuina natura in tempore eſt nata & mortua, ſicut humana, Et tamen in vnam perſonam ſunt vnitæ, vt vnus ſit Chriſtus, de quo vtrumque prædicatur. Ita duæ naturæ in Chriſto diſcernuntur, & perſona manet tota & indiuidua. Item: quicquid Chriſtus dicit vel facit, id dicit & facit verus Deus & verus homo, Et tamen ſingula iuxta illam naturam, cuius ſunt propria, &c. Ita Lutherus.

CAPVT XV.

De particulis Diſtinctiuis.

HActenus expoſuimus doctrinam de primo gradu, ſeu genere Communicationis, quæ ex hypoſtatica vnione oritur. Volui autem doctrinam illam non meis, ſed ſcripturæ & eruditæ antiquitatis verbis & ſententijs exponere. Multum enim vtilitatis habet hæc ratio, qua bonæ mentes in ſimplici & propria forma do-

 ctrinæ,

ctrinæ, plurimum confirmantur. Sicut autem ſeruanda eſt perſonæ vnitas, Ita etiam modi loquendi ita moderandi ſunt, vt differentia naturarum ſine confuſione diſtincta ſeruetur, Addi igitur in hoc genere ſolent Particulæ diſtinctiuæ, quibus oſtenditur determinatio, ad quam naturam pertineat Idioma, quod Perſonæ tribuitur in concreto, Idq; fit exemplo & autoritate ipſius ſcripturæ. Loquimur enim in hoc primo gradu ſeu genere, de phyſicis proprietatibus, quæ eſſentialiter naturis conueniunt, quomodo illæ perſonæ tribuantur. Oſtendit autem obſeruatio, ſcripturam aliquando loqui per communicationem Idiomatum, ſicut vulgo vocatur, ſimpliciter, ſine expreſſa aliqua determinatione, aut ſine particulis diſtinctiuis, vt, Filius hominis deſcendit de Cœlo, Dominus gloriæ crucifixus eſt. Aliquando verò additur expreſſa determinatio, per particulam diſtinctiuam, vt Rom. 9. Ex Patribus eſt Chriſtus ſecundum carnem. Atq; illa obſeruatio monet nos, 1. Quod non neceſſe ſit, ſemper in hoc genere expreſſè addere particulas diſtinctiuas, ſed quod liceat ſæpè ſimpliciter loqui per communicationem Idiomatum. 2. Quod ea, quæ in hoc genere ſimpliciter proferuntur, explicanda & reſoluenda ſint per particulas diſtinctiuas. 3. Quod maioris perſpicuitatis gratia, ad vitandas inſidioſas ambiguitates, & ad cauendos errores addendæ ſæpius ſint in ipſis propoſitionibus, particulæ diſtinctiuæ: Ita enim ipſa ſcriptura facit.

Annotabimus autem particulas diſtinctiuas, quibus ſcriptura in hoc genere vtitur, vt vera ſanorum verborum ὑποτύπωσις, ſemper in conſpectu ſit.

1. Petrus ita loquitur: Chriſtus paſſus eſt carne. 1. Pet. 4. & cap. 3. Mortificatus carne, viuificatus autem Spiritu.

2. Additur præpoſitio In. Epheſ. 2, Soluens inimicitias in carne ſua. Coloſ. 1. In corpore carnis ſuæ. 1. Pet. 2. Portauit in corpore ſuo ſuper lignum. 1. Pet. 3. In Spiritu abiens prædicauit Spiritibus in carcere.

3. Additur Præpoſitio כ, Rom. 1. Filius Dei natus eſt ex ſemine Dauid, ſecundum carnem & declaratus eſt, eſſe Filius Dei ſecundum Spiritum. Rom. 9. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum

dum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula. Actor. 2. Deus suscitauit Christum ex fructu lumborum Dauidis, secundum carnem.

4. Paulus vsurpat etiam illo fermè modo præpositionem ἐξ, 1. Cor. 13. Crucifixus est ex infirmitate, viuit autem ex virtute Dei.

5. Epistola ad Heb. cap. 10. vtitur præpositione διὰ. Innouauit nobis viam in sancta per velum, hoc est, per carnem suam, Heb. 9. cap. per proprium sanguinem.

6. Obseruetur & illa particula. Ioh. 5. Dedit ei potestatem, iudicium quoq; faciendi, ὅτι, quia Filius hominis est, hoc est, non tantum quatenus Deus, sed & quatenus homo est.

Hæ fermè sunt distinctiuæ particulæ, quibus scriptura vtitur.

Hanc scripturæ præmonstrationem religiosa antiquitas accurata diligentia imitata est, Et aliquot formulas distinctiuas, vetustati vsitatas notabo, vnde diligentia propriè loquendi iuuari poterit. Ac simul considerari, quod quædam formæ loquendi magis sint propriæ & commodæ, quàm aliæ.

Iustinus: Filius existens Deus & homo, peccatum deleuit, ἅγιος, quatenus enim homo erat, mortẽ subijt, θεὸς, quatenus vero Deus, templum dissolutum excitauit, & mortem destruxit.

Irenæus lib. 3. cap. 21. Homo erat vt tentaretur, & verbum vt glorificaretur. Tertullianus de Trinit. Qua homo ex Abraham est, qua Deus ante Abraham est. Idem de carne Christi, Qua caro, Homo, Et Filius hominis mortuus est, non qua Spiritus, sermo & Dei Filius.

Athanasius sermone 2. contra Arrianos, Spiritus Domini super me. Hoc dicit respectu carnis. Sermone 4. Vt homo tetigit, Vt Deus sanauit, Mihi data est omnis potestas &c. Illa ἀνθρωπίνως humanitus loquitur, ob corpus suum. Item ignoratio diei extremæ ad humanam naturam pertinet. Et disputans de tristitia & passione inquit, Non sunt propria verbi, in quantum verbum, sed eatenus eius sunt, quatenus verbum in carne erat, quæ patiebatur. Item: Non ad verbum, quatenus verbum, Sed propriè ad carnem pertinet. Idem: Æqualis Patri secundum Diuinitatem, minor Patre, secundum humanitatem.

Hila-

Hilarius de Trinit. Lib. 11. Pater eſt Deus Chriſti, ſecundum eam formam, qua frater noſter eſt. Item: Vnctus eſt in ea natura, qua nos ſumus conſortes eius.

Nazianzenus ad Clidonium, Si quis duos introducit Filios, vnum ex Deo, alterum ex Maria, & non vnum & eundem, anathema ſit. Item: In Trinitate eſt alius & alius, non aliud & aliud, In Chriſto verò eſt aliud & aliud, non alius & alius. Ibidem: Illud ſecundus homo de Cœlo, non ideo dicitur, quòd carnem è Cœlo traxerit. Sed dicitur propter vnionem, Vt naturis commixtis, Ita & actionibus cognatis.

Idem de Theologia lib. 4. voces ſcripturæ ſublimiores tribuimus Deo, quæ verò humiliores, eas tribuimus ſiue nouo illi propter nos nato Adamo, ſeu Deo, tollendi peccati noſtri cauſa, patibuli.

Ambroſius de fide lib. 1. In eo ſe creatum dicit, in quo & hominem teſtificabatur Lib. 2. & 3. Vt homo turbatur, crucifigitur. Cap. 4. Per diuinitatem Deus, per ſuſceptionem carnis homo, Per naturam hominis tæduit, In natura hominis minor eſt Patre. Quaſi Deus loquitur, quæ diuina ſunt, quaſi homo dicit, quæ ſunt humana, propter rationem corporis dicit: Sede à dextris meis.

Lib. 4. cap. 2. Chriſtus ſecundum aſſumptionem carnis, vnus eſt cum omnibus hominibus in carne ſubſtantiæ, Item: iuxta humanam conditionem, & ſecundum incarnationem, Caput Chriſti eſt Deus, vbi ſerui, hoc eſt, hominis, non Dei forma tractatur, eſt caput Chriſti Deus, Cap. 5. Loquitur ſecundum Filium hominis. Lib. 5. cap. 6. Secundum carnem omnia ſubiecta accipit.

Apud Theodoretum Athanaſius inquit: Corpus eſt, cui dicit, Sede à dextris meis. Item, cum Paulus inquit: Exaltauit illum: De templo corporis ipſius dicit, non de Diuinitate. Item: hoc dicitur non propter Diuinitatem, ſed propter humanitatem.

Chryſoſtomus: Hoc dicitur οὐ πρὸς θεὸν λόγος, ἀλλὰ τὸν πρὸς σάρκα. Idem: Quis ille eſt, qui audiuit, Sede à dextris meis: Quæ erat natura illa, ad quam ita dixit?

Euſta-

Euſtachius: Habuit poteſtatem ponendi animam, οἷα tanquam Deus. Idem: Paſsio εἰς τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' οὐκ εἰς τὸ θεῖον ἀνήκτηται, Ad hominem, non ad diuinam naturam refertur.

Athanaſius ad Epictetum, quæ patiebatur τὸ ἀνθρώπινον humana natura verbi, illa verbum ad ſe transferebat. Et erat paradoxon, quod idem ipſe erat ὁ πάσχον καὶ μὴ πάσχων patiens & non patiens, Patiens quidem eò, quòd proprium ipſius corpus patiebatur, & in ipſo, quod patiebatur inerat, Non patiens autem, quod λόγῳ natura Deus exiſtens, ἀπαθὴς eſt. Idem: Corpore eius ſuſcitato, Paulus dicit, Filium ex mortuis ſuſcitatum, Quæ enim corporis ipſius ſunt, de perſona ipſius dicuntur. Item: Erat impatibilis, οἷα quaſi Deus.

Gregorius Nyſſenus: Quis eſt qui laborat ex itinere? & quis eſt, qui ſine labore totum mundum ſuſtentat: τί τὸ, quid eſt, quod ſplendor gloriæ eſt? & quid eſt, quod clauis tranſfixum eſt, quæ forma in paſsione cæditur, & quæ ab æterno glorificatur?

Chryſoſt. Hoc dicitur ἐπὶ τῆς σαρκὸς, de carne, non de Diuinitate.

Nazianzenus: ὡς λόγῳ non erat parentibus ſubditus, ὡς δὲ ſerui forma. Item καθὸ λόγῳ, καθὸ ἄνθρωπῳ, In quantum Deus, in quantum homo.

Auguſtinus de Trinit. lib. 1. cap. 7. Quæ de Chriſto dicta ſunt ſecundum hominem. Contra Maximinum, In qua forma crucifixus eſt, ipſa exaltata eſt. Item: ex natura hominis dicit, Triſtis eſt anima mea. Contra Felicianum cap. 10. Impaſsibilis in ſuo, paſſus eſt in noſtro, proprio carnis guſtauit vita mortem, & proprio Deitatis, perpetuam reddidit carnem.

In Enchiridio cap. 35. In quantum Deus, ipſe & Pater vnum ſunt, in quantum autem homo, Pater maior eſt illo, propter Verbum æqualis eſt Patri, propter hominem minor.

De fide ad Petrum cap. 2. Verbum ſalua æternitate ſua natum temporaliter, ſalua impaſsibilitate ſua paſſum, ſalua immortalitate ſua mortuum. Mortem guſtauit, quia verus homo eſt, idemq; mortem deglutiuit, quia verus Deus eſt.

Concilium Spalenſe citat ex Athanaſio: Secundum hominem ex Maria natus, ſecundum hunc hominem paſſus, reſurrexit &c. Idem, Paſſus humana natura. In paſsione quidem moritur homo, vt viuificaret protoplaſtum.

Nazianzenus: Circa Deitatem intelligitur Impaſsibilitas, circa humanitatem diſpenſatio paſsionis.

Baſilius: Quod Salomon dicit (genuit) de Filio Dei intelligendum eſt, Creauit vero de ea parte, qua in forma ſerui eſt. Cyrillus ad Succeſſum, Paſſus ſecundum humanitatem, Ipſius enim paſſa eſt caro.

Auguſtinus: Vbi reſurgit, niſi in eo, vbi mortuus fuit, Quære mortem in verbo, quære in anima? Nunquam fuit. Quære in carne, Planè ibi fuit.

Idem in Iohannem: Certè Chriſtus eſt vita, quomodo mortua eſt vita? Nec anima mortua eſt, nec verbum, caro autem mortua eſt, vt in ea mors moreretur. Idem: Quis eſt, per quem factus eſt Mundus? Chriſtus in forma Dei. Quis eſt crucifixus? Chriſtus, ſed in forma ſerui.

Concilium Toletanum 11. inquit: Secundum quod Deus, creauit Mariam, ſecundum quod homo, creatus ex Maria, per hoc quod Deus, æqualis eſt Patri, per hoc quod homo, minor eſt Patre.

Et ſæpiſsimè repetitur apud omnes Veteres, illa Athanaſij ſententia: Conſubſtantialis Patri, ſecundum Diuinitatem, Conſubſtantialis hominibus, ſecundum humanitatem. Athanaſius dialog. 4. de Trinit. Num igitur λόγος non eſt paſſus? Reſpondet, οὐ φυσικῶς, Non naturaliter, Omnino tamen paſſus eſt, quia vniuit ſibi corpus, quod pati poterat, vt paſsio ſit οἰκονομίας, non naturæ τοῦ λόγου. Paſſus enim eſt λόγος, non φύσει natura Deitatis, ſed τῆς ἑνώσεως οἰκονομίᾳ diſpenſatione vnionis.

Cyrillus citat hanc Athanaſij ſententiam, Sicut corpus ipſius eſſe dicimus, ita & paſsiones propriæ eius dicuntur, etiamſi non contingant ſecundum Diuinitatem.

Iuſtinus in expoſitione fidei: Anima corpori compatitur, doloribus eius afficitur, Paſsiones ſentit, & inde immutatur,

Quod

Quod de Christi Deitate, οὐκ ἄν τις τῶν ὀρθὰ φρονούντων, εἰ μὴ πάντελῶς τὸν νοῦν παρενεχθῇ, nemo rectè sentientium, nisi prorsus mente captus sit, audebit vel dicere vel cõprobando recipere.

Athanasius in Epistola ad Epictetum: Inter nostra monstra, quæ infernus eructauit, numerat etiam hoc, quod in cruce pependit non fuisse corpus, sed ipsam creatricem essentiam diuinæ naturæ.

Cyrillus in Epistola ad Nestorium: Deus dicitur passus, non secundum naturam verbi, sed quia proprium illius corpus est quod passum est. Inerat enim in corpore, quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat, quo ad naturam, Insania est enim hoc vel sentire, vel dicere.

Cyrillus de Incarnatione verbi cap. 3, Descendisse dicimus de Cœlo Filium hominis, per vnitatem dispensatoriam. Cap. 5. Ex Deo natus diuinè θεϊκῶς, ex muliere humanè ἀνθρωπίνως, Cap. 12. Deus passus dicitur, quia corpus eius passum est, & quod erat in corpore patiente, ipse qui pati nõ poterat. Cap. 27. Passio dispensationis erat, sua quidem dicente Deo verbo, ea, quæ sunt propriæ carnis, propter inenarrabilem vnionem, manente vero extra passionem, quantum ad ipsius naturam pertinet. Ibidem: Communicauit passioni vnigenitus, quantum pertinet ad familiaritatem corporis sui, mansit autem passionis expers, vt Deus. Cap. 28. Patitur corpore patiente, eo quod ipsius sit proprium, quantum verò pertinet ad Diuinitatis naturam, manet impassibilis.

Idem in Apologetico, contra Theodoretum: Aliud est, dicere, Deum pati in carne, & aliud, simpliciter dicere, pati diuinitatis naturam: Quia enim idem Deus simul & homo, est impassibilis quidem, quantum ad diuinitatis attinet naturam, passibilis verò, secundum humanitatem. Quid hic absurdi est, si dicitur pati in eo, quod pati potest, qui mansit impassibilis in eo, quod pati non potest. Nam quæ carnis erant, propria sibi fecit. Non enim erant alterius cuiusdam, sed magis eius, quæ inenarrabiliter ei vnita erat carnis.

Hieron. ad Damasum, Filius Dei passus est secundũ illud, quod pati poterat, id est, non secundum illam substantiam,

quæ assumpsit, sed quæ assumpta est, Ipse enim Filius Dei, secundum suam Diuinitatem, non potest mori.

Et inter Decreta Damasi, extat hoc, Si quis dixerit, Filium Dei in Passione crucis, dolores sustinuisse, in ipsa Deitate, & non in carne atq; anima rationali, quam in serui forma assumpsit, anathema sit.

Leo, Epistola 10. Natura inuiolabilis, naturæ est vnita passibili, vt vnus atq; idem Mediator, & mori posset ex vno, & mori non posset ex altero. Ibidem: Esurire, euidenter humanum est, Sed de quinque panibus tot millia pascere, sine ambiguitate, diuinum est. Item, Quamuis in Christo Deo & homine, vna persona sit, aliud tamen est, vnde in vtroq; communis est contumelia, aliud vnde communis est gloria. De nostro illi est minor Patre humanitas. De Patre illi est æqualis cum Patre Diuinitas.

Idem Epistola 11. Non alter ex Patre, alter ex matre, Sed idem aliter ex Patre, aliter ex matre.

Epistola 81. Dicant, Quæ substantia Saluatoris affixa sit ligno, iacuerit in sepulchro &c.

Damascenus lib. 3. cap. 11. Christum carne passum edocti sumus, sed ipsam diuinam naturam τὸν λόγον, passam carne, οὐ δέ πω ἠκούσμεν ad hoc vsq; tempus nondum audiuimus.

Vigilius lib. 2. contra Eutychen: Passio propriè pertinet ad carnem, secundum naturam, ad Verbum autem secundum personam, quia & Verbi & carnis vna est persona. Item: Passus est Deus in vnione personæ, non passus in proprietate diuinæ naturæ.

Lib. 4. Habet initium ex natura carnis, non habet ex natura Diuinitatis. Creatus est per naturam carnis, Creator est per naturam Diuinitatis. Æqualis Patri secundum naturam Diuinitatis, Mortuus est natura carnis. Circumscribitur loco per naturam carnis, loco non capitur, per naturam Diuinitatis &c.

Fulgentius ad Transimundum lib. 3. Deus passionem in carne sensit, cum carne non sensit. Diuinitas particeps passionum carnis non fuit, licet susceptæ carni, nec in passione defuerit

erit. Hæc dum quidam minus attendunt, Diuinitatem Christi non dubitant subijcere passioni, & audientes Christum in carne passum, putant Deum carni fuisse compassum, minus attendentes, Diuinam Filij Dei substantiam, & in carne passibili passionem suscepisse, & cum carne passionem sentire non potuisse. Item: In sua Deus anima voluit esse tristitiam, & in sua carne suam Deus esse voluit passionem, quia totus in toto homine permanens inseparabilis Deus, nec animæ tristanti defuit, nec carnem suam in passione deseruit, Sed in Christo tristi & passo, licet Deitatem separare non posset patiens, & tristis humanitas, In toto tamen homine tristi, non est Diuinitas tristata, In toto homine patiente, non est diuina natura compassa. Aliud enim est in carne passum Deum dicere, aliud carni prædicare compassum. Aliud in anima contristatum, & aliud cum anima contristatum. Passus est Deus in homine, quia vna est Dei hominisq; persona, Non est compassus Deus homini, quia in vno Christo non est confusa Dei hominisq; substantia.

Intelligunt autem Veteres per passionem propriè cruciatus, plagas, sauciationes, lacerationes, fixuras corporis, affectiones passionum, dolores & sensum doloris. Item affici mœstitia, anxietate, turbatione, mori &c. Hæc vero dicunt non cadere in ipsam diuinam naturam. Non autem omnia quæ in historia passionis acciderunt, solam humanam tantum naturam attigerunt, Nam opprobrijs & conuicijs (vt cum dicunt: Si Filius Dei es, Aue Rex, si es Christus rex Israël &c.) petita & blasphemata fuit, non humana tantum, sed præcipuè diuina natura Christi, sicut Paulus Rom. 15. introducit Christum dicentem ad Patrem illud Psalmi, opprobria opprobrantium tibi, ceciderunt super me. Sed hæc distinctè & rectè possunt ita exponi, vt de ijs, quæ vsitatè & propriè vocantur passiones, cum Petro dicamus, Dominum gloriæ passum carne, Mortificatum carne, Animam eius laborasse. Isa. 53. Et sicut veteris Ecclesiæ phrases iam recitauimus. Quomodo vero dicta scripturæ de Passione, non ita sint restringenda ad solam humanitatem Christi, vt à diuina ipsius natura prorsus separentur, sicut

Lutherus inquit: Quasi in opere passionis, Diuinitas Christi, cum in sese pati non possit, prorsus fuerit ociosa, ac non simul etiam suas proprias habuerit actiones, volens carnem suam pati, & sustentans eam, vt posset onus illud sustinere, ac efficiens passiones salutares, Postea in secundo genere explicabimus. In hoc primo gradu ea tantum, quæ singularum naturarum essentialiter propria sunt, tractantur, Quomodo scilicet personæ, absq; naturarum & Idiomatum confusione tribuantur.

Hæc Veterum exempla adscripsi, vt eò facilius, propter imitationem obseruari possit, quibus particulis distinctiuis, & quomodo vsa sit pia & erudita antiquitas, in hoc genere, vbi ea, quæ vnius naturæ propria sunt, tribuuntur personæ.

Reperiuntur tamen multa etiam apud veteres exempla, vbi minus aliquando diligenter & propriè locuti sunt, præsertim ante mota Nestoriana & Eutychiana certamina. Sæpè enim vocabula concreta ponunt pro abstractis, quando de naturis loquuntur, & abstractis vocabulis sæpè vtuntur, quando personam designare volunt. Hæc obseruare ideò vtile est, vt in veterum exemplis delectum habeamus, nec temerè quasuis formulas loquendi arripiamus, vtq; candorem adhibere discamus, in interpretandis & veterum & aliorum, quos rectè sentire constat, minus propriè & regulariter dictis.

Vt Athanasius Tom. 1. in expositione fidei inquit: Filius Dei nostrum assumpsit hominem, quem passioni tradidit, & in eo resurrexit. Idem ad Liberium: Illa caro suspensa est in Cruce, non ipse. Item: λόγῳ passiones sustinuit vt homo, non ipse.

Apud Theodoretum Irenæus dicit: Christum vniuisse hominem Deo. Hyppolitus dicit: Gestasse hominem.

Athanasius: Ratione hominis, quem ex Maria gestauit, talia dicuntur.

Eustachius: Quod ex mortuis suscitabatur, homo ne erat an Deus?

Amphilochius: Voces humiles tribues homini, qui est ex Maria, Sublimes verò λόγῳ: qui erat in principio.

Ambros.

Ambros. de fide lib. 4. cap. 5. Loquitur secundum hominis Filium. Lib. 2. cap 4. Ex persona hominis dicit, Patrem se maiorem Et lib. 5. cap. 3. Ex persona hominis loquebatur. Ita Amphilochius apud Theodoretum : Si vultis scire, quomodo Pater maior me est, id dixi ex carnis, & non ex Diuinitatis persona. Eadem phrasis etiam extat apud Epiphanium, contra Arriomanitas, cum inquit : Deus meus, vt quid me dereliquisti, non ἐκ προσώπου Deitatis, hæc dicit, sed ἀπὸ προσώπου humanitatis. Inde verò Nestorius postea duas in Christo personas finxit.

Cyrillus de recta fide ad Theodosium : Esse vnigenitum, factum est in Christo proprium humanitatis, per hoc, quod vnitá est verbo.

Augustinus contra sermonem Arrianorum, cap. 8. Talis est vnitas personæ, ex vtraq; natura constans, vt quibuslibet earum vocabulum etiam altera impertiat, illa Diuinitas huius humanitatis nomen accepit. Et ista humanitas illius Diuinitatis nomen accepit.

Concilium Spalense citat Augustini sententiam in Iohannem. Nec anima mortua est, nec Verbum, Caro tantum mortua est, vt in ea mors moreretur.

Vigilius lib. 1. Propter singularitatem personæ, & mors ad Diuinitatem, & immortalitas ad Dei refertur humanitatem. Lib. 4. constat, Diuinitatem humanitatis habere vocabulum, hoc est, Verbum dici carnem, quia vtrumq; vnus est Christus.

Lib. 5. citat Hilarij sententiam: Mors homini, Deo vero excitatio carnis deputatur.

Huius generis est etiam illud, quod ex veteribus repetit Damascenus. Lib. 3. cap. 4. Hic est modus Antidoseos, vtraq; natura tribuente alteri suas proprietates.

In his exemplis manifestum est, quomodo vocabula sicut Scholastici loquuntur, concreta pro abstractis, & vicissim abstracta pro concretis ponantur. Et huiusmodi improprijs locutionibus veterum Nestoriani postea & Eutychiani abusi sunt ad errores suos palliandos, & incautis obtrudendos, quasi scilicet non Deus, sed homo tantum pro nobis passus & mortuus

sit,

sit, Et quasi post vnionem nulla prorsus differentia sit naturarum & essentialium Idiomatum, sed promiscua & confusa omnia. Pauca igitur hæc Exempla annotare volui, vt hystorica consideratio, quorsum improprietates illæ euaserint, excitet & acuat studium diligenter, & propriè de hoc mysterio loquendi.

CAPVT XVI.

Quis sit vsus huius doctrinæ, de Communicatione Idiomatum primi generis.

NEc verò existimetur ociosa esse subtilitas, accurata ita in loquendo diligentia, Sed semper in conspectu sit, Quis sit verus doctrinæ huius vsus, Ita enim diligentiam propriè loquendi magis amabimus, & facilius cauere poterimus, ne degeneret in λογομαχίας seu λεπτολογίας.

Est autem primus doctrinæ huius vsus, quòd rectam fidem de vna persona & duabus naturis in Christo, hisce modis loquendi succinctè & commodissimè complecti & profiteri possumus. Quia enim duæ naturæ in Christo non seorsim vel separatim subsistunt, Sed vnitæ sunt, non per conuersionem vel confusionem, sed ὑποστατικῶς, salua naturarum & idiomatum essentialium differentia, Ideo vsitato more in scholis recepto per vocabula concreta loquimur de persona, & per abstracta significamus naturarum differentias. Ita professio rectæ fidei conspicua extat, in ipsis modis loquendi, & hac diligentia conseruari potest.

Secundo per hos Canones de Communicatione Idiomatum, seiungimus nos ab omnibus Phanaticis opinionibus, siue de per-

de persona Christi, siue de naturis. Et si quis siue Nestorianus siue Eutychianus, aliquid occultare videbitur, vt periculum sit, ne generalitate verborum incautos seducat, Adhibita doctrinæ huius norma, fraus potest deprehendi, denudari & refutari. Ita Nestorius clamitabat, se nullo modo docere duos Christos, duos Filios, aut duas personas in Christo, sed naturarum differentiam necessario retinendam esse. Insidiæ autem ita deprehensæ sunt, quòd fingebat, in Christo alium esse, cui diuina conuenirent, alium, cui humana. Vociferatur enim apud Theodoretum: Non genuit Maria Deum, sed genuit hominem, Diuinitatis organum. Et in Tripartita historia, Noli gloriari Iudæe, Non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Apud Euagrium inquit: Mariam nemo vocet θεοτόκον. Impossibile enim est, ab homine generari Deum. Et addit, τὸ γενόμενον δίμηνιαῖον ἢ τρίμηνιαῖον οὐκ ἄν θεὸν ὀνομάσαιμι, quod factum est bimestre aut trimestre, nunquam Deum esse dicam. Apud Theodoretum Nestorius tradit talem regulam, quando Christus nominatur Deus, simpliciter solam diuinam naturam intelligendam esse. Quando vero nominatur homo, significari solam humanam naturam. Sed hoc modo duæ hypostases, alia Dei, alia hominis in Christo statuuntur, & alius erit Christus Deus, alius Christus homo.

Ita Eutyches arripuit illam scripturæ propositionem, Dominus gloriæ crucifixus est. Quia vero simpliciter reijciebat particulas distinctiuas, deprehensum est, quod ipsam Diuinitatem Filij Dei, per conuersionem faceret passibilem, quod manifestè postea confessus est. Ita qui abiectis simpliciter particulis distinctiuis vrgebant illud, Secundus homo de cœlo. Item: Filius hominis descendit de Cœlo: tandem carnem Christi non ex Maria, sed ex cœlo produxerunt.

Tertiò, Sine doctrinæ huius adminiculo, multa scripturæ dicta non possunt rectè explicari, vel ab hæreticorum corruptelis defendi & vindicari, Multo verò magis necessarius doctrinæ huius vsus est, in patrum sententijs dextrè intelligendis. Ier. 23. Iehoua est iusticia nostra. Inde quidam finxerunt, solam

Diuinam naturam in Christo esse iusticiam nostram. 1. Tim. 2. Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Hoc quidem ita deprauarunt, quasi sola humana natura in Christo sit mediatrix 1. Cor. 15. Secundus homo de Cœlo. Item, Filius hominis descendit de Cœlo: Hoc Manichæi ita deprauabant, quasi Filius Dei carnem suam non ex Maria virgine assumsisset, sed è cœlo secum attulisset. Luc. 1. Gabriel inquit: Quod ex te nascitur, Filius Dei vocabitur. Inde multi blasphemarunt, Filium Dei non fuisse ante Mariam virginem. Paulus dicit, Dominum gloriæ crucifixum. Inde Διοπαθηται prætextum erroris sui sumserunt. Sed doctrina de Communicatione Idiomatum monstrat veram explicationem. Nomina enim concreta siue à Diuinitate, siue ab humanitate denominentur, non designant alteram tantum naturam in Christo, sed personam subsistentem ex duabus & in duabus naturis. Et propositiones veræ sunt de tota persona, siue secundum alteram tantum naturam, siue secundum vtramq; conueniant, prout ex scriptura probari potest, aliquid conuenire, vel vtriq; vel alteri tantum naturæ in Christo. Ita homo 1. Tim. 2. non significat tantum humanam naturam in Christo. Deus Actor. 20. non tantum Diuinitatem Christi significat, sed personam subsistentem, & in Diuina & humana natura.

Quartò, Modi illi loquendi, multa vtiliter monent de mysterio incarnationis & redemptionis, Luc. 1. Elisabeth Mariam cum primùm concepisset vocat matrem Domini. Et Gabriel dicit ad Mariam: Concipies, & quod ex te nascetur sanctum, Filius Dei vocabitur. Item: Paries filium, qui erit magnus, & Filius altissimi vocabitur. Certissimum autem est, quòd diuina natura Christi, non sumserit originem suam ex substantia Mariæ, ab æterno enim ex Patris substantia genitus est Filius Dei, secundum diuinam naturam. Et tamen nec falsò nec frustrà Maria vocatur mater Domini. Nec sine graui causa dimicatum fuit contra Nestorium, Mariam dicendam esse Θεοτόκον, Sicut tota antiquitas locuta fuit. Nam sicut Sophronius Hierosolymitanus in 6. Synodo inquit, quæ verba etiam Damascenus lib. 3. cap. 2. & 12. transsctipsit: Non præformato, atq; in sese

sub-

ſubſiſtenti corpori, vel animæ præexiſtenti copulatus eſt Filius Dei, ſed tunc his ad ſubſiſtendum venientibus, quando eis λόγῳ naturaliter vnitus eſt, vt humana natura in Chriſto, contemporalem habeat ἕνωσιν καὶ ὕπαξιν vnitionem & ſubſiſtentiam in hypoſtaſi Filij Dei. Simul enim caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul animata, ſimul verbo vnita & aſſumpta, à Deo verbo producta, in ipſo ſubſiſtens, & cum ipſo compoſita.

Damaſcenus lib. 5. cap. 12. Maria non concepit aut peperit ψιλὸν merum hominem, nec γυμνὸν nudum Deum, ſed Deum incarnatum, & hominem ἐνωθέντα, per vnionem in perſonam Filij Dei aſſumptum. Non igitur dicimus, inquit Leo, Epiſt. 22. quod Maria hominem ſine Deitate conceperit, qui creatus à Spiritu Sancto, poſtea ſit ſuſceptus à verbo, ſicut Neſtorius finxit. Sed ſicut Auguſtinus inquit ad Petrum cap. 15. Non carnem Chriſti ſine Diuinitate conceptam in vtero virginis, priuſquam ſuſciperetur à verbo, ſed ipſum Deum verbum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamq; carnem verbi Incarnatione conceptam, non vt prius creata, inquit Leo Epiſt. 11. pòſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur. Non autem ita, vt Filius Dei per ſe, & Filius Mariæ etiam per ſe, ἰδικῶς καὶ ἀνὰ μέρος, ſicut Cyrillus loquitur, ſubſiſteret, Sicut Spiritus ſanctus & Baptiſta in vtero Eliſabeth, Luc. 1. Sed vt humana natura Chriſti, carens proprio & peculiari ὑφιστάνῳ, ſubſiſteret in hypoſtaſi Filij Dei, in qua ſuſtentaretur & inde dependeret. Ipſe enim carnem illam, in ipſa conceptione & natiuitate propriam ſibi fecit. Et λόγῳ in illa aſſumptione ſine conuerſione & confuſione, factus eſt hypoſtaſis propriæ ſuæ carnis, cui ſecundum veritatem vnitus inconfuſè, in vtero matris conceptus eſt, & ex vulua matris proceſsit, ſicut inquit Cyrillus, in explicatione anathematiſmi primi. Deus igitur, Dominus, Filius Dei, λόγῳ &c. propriæ ſuæ carnis conceptione & natiuitate, propter hypoſtaticam vnionem, dicitur conceptus & natus ex Maria virgine, quæ ideò etiam rectè appellatur mater Domini & θεοτόκῳ. Non enim concepit & genuit hominem, cui poſtea vnitus fuerit Filius Dei, vel in quo Diuinitas in vtero matris per gratiam tantum inhabitarit, ſicut in Baptiſta, Sed hypoſta-

ſin Filij Dei incarnatam peperit. Non autem ſecundum diuinitatem, ſecundum quam ab æterno ex Patre natus eſt, ſed ſecundum humanitatem, in qua tota plenitudo Deitatis ſine confuſione, inhabitabat corporaliter. Et inde aliquo modo æſtimari poteſt immenſa humilitas Filij Dei, qui ita carni ſuæ vnitus, in ea ὑπέμεινε ſuſtinuit & tolerauit (ſicut Cyrillus loquitur in Epiſtola ſynodica) conceptionem, vteri geſtationem, natiuitatem ex vulua, & quæ his naturaliter excepto peccato, coniuncta ſunt. Potuiſſet enim, vel ſicut in Adamo ex puluere terræ, vel ſicut in Eua ex coſta, vel ex oſſe aliquo abſq; naturali conceptione & natiuitate, ſibi formare humanam naturam, & aſſumere, Sed voluit in propria ſua carne, in qua tota diuinitatis plenitudo habitabat corporaliter, illa omnia, quæ ad conceptionem & natiuitatem pertinent, ſuſtinere, vt noſtram immundam conceptionem, & corruptam natiuitatem expiaret & ſanctificaret, ſua illa conceptione & natiuitate, quam ipſe Filius Dei in propria ſua carne, ſicut nos, ſed abſq; peccato, ſuſtinuit. Hæc verò dulciſsima conſolatio perit nobis, ſi fingamus, non Deum incarnatum, hoc eſt, Emanuelem, ſed hominem tantum, ſeu carnem ex Maria virgine natam. Et tamen ſalua manet, ſine confuſione, naturarum differentia. Naſci enim tribuitur perſonæ, tanquam illi, qui naſcitur, quo autem, & ſecundum quid naſcatur, tribuitur naturæ, ſicut Scholaſtici loquuntur. Et licet ex Spiritu Sancto conceptus ſit Chriſtus, Verè tamen Maria eſt mater eius. Ad rationem enim maternitatis requiritur, materiam miniſtrare corpori prolis, prolem productam in vtero geſtare, & nutrire, vſq; ad rempus partus, & deinde ex vtero in lucem edere. Quæ omnia virgini matri conueniunt. Imò cum in cæteris matribus concurrat etiam ſemen patris, ſubſtantia corporis Chriſti de nulla alia materia ſumpta eſt, quam per operationem Trinitatis, de corpore & ſanguine Mariæ, ſanctificatis per Spiritum Sanctum.

Eodem modo verum eſt, naturam Verbi, hoc eſt, ipſam diuinitatem, non eſſe flagellis laceratam, clauis perforatam, lancea vulneratam &c. Hæc enim carnis propria ſunt. Grauiſsima ta-

ma tamen ratio eſt, & plena conſolationis, quod credimus, non ſolam aut nudam humanam naturam pro nobis paſſam, ſeu nudum hominem pro nobis mortuum, ſed Dominum gloriæ crucifixum 1. Cor. 2. Et Deum ſuo ſanguine redemiſſe Eccleſiam, Non enim corruptibilibus redempti ſumus 1. Pet. 1. Nec relatione tantum paſsio Chriſti tribuitur Deo, ſicut ſuas paſsiones Paulus vocat paſsiones Chriſti, Col. 1. Alias enim paſsio Chriſti non eſſet præſtantior paſsionibus ſanctorum, Cum Paulus dicat 1. Corinth. 1. Num Paulus pro vobis crucifixus eſt? Sed inde tanta eſt præſtantia & efficacia mortis & paſsionis Chriſti, quia perſona Filij Dei eam & voluit & ſuſtinuit, in illa carne, quam hypoſtatica vnione ſibi propriam fecerat, quam etiam ita roborauit, vt poſſet immenſum illud onus ſuſtinere, Atq; ita Deus vere dicitur paſſus, quia illa caro paſſa eſt, in qua tota plenitudo diuinitatis habitabat corporaliter. Quod verò & quomodo in ipſa paſsione, Diuina natura Filij non fuerit ocioſa, ſed quod & tunc vna natura egerit cum communione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt, In ſecundo gradu ſeu genere explicabimus. Nunc vero de proprietatibus agimus, quæ vnius naturæ propria ſunt, & tamen perſonæ tribuuntur, vt lacerari, mori, &c.

Veteres pulchrè hæc explicant, vt Athanaſius ad Epictetum: In paſsione nihil quicquam ſentit impatibile Verbum Dei, ſed corpus patiebatur affixum ligno. Aliquo modo tamen ipſum Verbum clauos ſuſtinuit, quia cum prohibere poſſet, non prohibuit, ſed ſibi vendicauit, tanquam ſua ipſius, quæ propria erant corporis, quod cum eſſet templum Verbi, plenum erat Deitatis, etiam quando patiebatur & moriebatur, ideò Sol in paſsione, radios contraxit. Idem, ſerm. 4. Cum corpus patiebatur, verbum non erat extra corpus, Ideò paſsio illius dicitur. Epiphan. contra Arriomanitas: Cum Filius Dei vellet pro ſalute hominum pati, poſtquam Diuinitas, quæ in ſe impatibilis eſt, pati non poterat, aſſumpſit noſtrum paſsibile corpus, vt in illo σωτευδοκήσῃ pati, & noſtras paſsiones ἀναδέξηται ad ſe referret, ἐν καρκὶ σωζόσης θεότητος, Diuinitate coexiſtente in carne. Et poſtea dicit: Licet Diuinitas ſit impatibilis, paſsionem ta-

nem tamen tribui Deo, vt ſit nobis ſalus quidem in Deo, in carne vero paſsio. Idem contra Dimæritas, Non habemus ſpem in homine, Sed in Deo, Maledictus enim qui confidit in homine. Et non habemus Deum paſsibilem, qui tamen non extra paſsionem, ſalutem noſtram perfecit, Simul igitur erant diuinitas & humanitas, quando Chriſtus patiebatur in carne, vt iuſtificationem non in carne ſolum haberemus, ſed & in diuinitate. Hæc Epiphanius.

Cyrillus ad reginas lib. 1. Si Immanuel communis homo fuiſſet, quomodo vtilis fuiſſet hominis mors, Saluauit autem mors Chriſti, Moriens enim natura Deus eſt, & proprium eius corpus fuit quod oblatum eſt. Ibidem, Deus erat in illa carne, ſuo ſanguine nos purificans. Ideo Hebræorum 10. ſcriptum eſt, Sanctificans per ſanguinem.

Lib. 2. Si intelligatur Deus incarnatus, & carne propria paſſus, parua eſt erga ipſum omnis creatura, & ſufficit ad redemptionē mundi vnius Carnis mors, propria enim erat Verbi.

In eandem ſententiam Leo inquit: Epiſtola 81. ad Palæſtinos, Nullius inſontis occiſio fuit propitiatio mundi, Sed effuſio pro iniuſtis ſanguinis Filij Dei iuſti, tam potens fuit ad Priuilegium, tam diues ad precium, Vt ſi vniuerſitas captiuorum, in redemptorem ſuum crederet, nullum Tyrannica vincula retinerent.

Lutherus in libro de Eccleſia & Concilijs, vtitur venuſta ſimilitudine, Si in vna lance appendantur peccata noſtra & Ira Dei, peccatis noſtris debita, Ac in altera lance ponatur tantum humanæ naturæ mors, aut homo tantum pro nobis paſſus, tunc altera lanx deprimit nos ad infimum vſq; infernum. Si verò in aduerſa lance ponatur Dei paſsio, Dei mors, Dei ſanguis, ſeu Deus pro nobis paſſus, & mortuus, tunc grauior ac ponderoſior fiet lanx illa quam omnia peccata noſtra, & vniuerſa Ira Dei. Vt autem Deus poſſet pati & mori, ideò oportuit ipſum hominem fieri, Deus enim in ſua natura non poteſt mori, Sed quia Deus & homo in Chriſto iam vna eſt perſona, Ideò rectè dicitur Dei mors, quando ille homo moritur, qui cum Deo eſt vna perſona, Hæc Lutherus.

Sed

Sed plenior explicatio, quomodo diuina natura λόγϑ, per paſsionem & mortem aſſumptæ naturæ, operata ſit redemptionem & ſalutem noſtram, pertinet ad ſecundum genus.

Atq; hinc etiam iudicari poteſt, quid ſentiendum ſit de Theodoreti diſputatione, qua in dialogis ſuis reijcit hanc propoſitionem: λόγϑ, ſeu Deus carne pro nobis paſſus & mortuus eſt, ac tantum illam propoſitionem admittit, Chriſtus paſſus eſt carne, ſicut Neſtorius contendebat, Mariam appellandam eſſe tantum χϱιſοτόκον, non autem ϑεοτόκον. Et Theodoretus quidem credit vnam Chriſti perſonam, quæ Deus ſit & homo: Timet autem, ſi dicamus Deum paſſum, ne impatibilis natura diuina in patibilem mutata putetur. Sed vanæ ſunt hæ ſollicitudines, inquit Vigilius, cum quidem ipſa ſcriptura ita loquatur, Ro. 5. 1. Cor. 2. Act. 20. Et addita declaratione, quæ timentur inſidiæ, facilè poſſunt caueri, Sicut facit Cyrillus in explicatione Anathematiſmi 13. Dicimus Deum paſſum, nō quod Deus verbum in ſua natura clauorum transfixiones ſuſceperit, ſed quia corpus illud, quod ipſius proprium factum eſt, hoc ſuſtinuit. Inerat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Vigilius lib. 2. non inutilem tradit commonefactionem de moderatione adhibenda in modis loquendi. Multi orthodoxorum in duas ſe partes, non diuerſitate ſententiæ, ſed vocis profeſsione diuiſerunt, Quidam enim nolunt duas dicere naturas in Chriſto, ne cum Neſtorio duas putentur facere perſonas. Et tamen ſenſum de duabus naturis catholicè exponunt, Dicunt enim: Verbum ſic aſſumpſiſſe carnem, vt non mutaretur in carnem, Sic Deum hominem & hominem Deum factum, vt non fuerit tamen vtrumq; conſumptum. Alij timentes Eutychen, nolunt dicere Deum paſſum, cum tamen vnam credant perſonam, quæ Deus ſit & Homo. Sollicitudines ſunt vanæ, quæ fecerunt, Orthodoxos Hæreticorum ſibi nomina impingere. Et tandem addit, Rogo, cum ſenſibus incolumes ſitis, cur vocibus inſanitis?

Ita Iohannes Antiochenus timebat, ne Cyrillus naturas cōfunderet, & viciſsim Cyrillus timebat, ne Orientales perſonam Chriſti

Christi diuiderent. Atq; inde grauissima orta fuit dissensio. Sed cum ita se mutuo declararent, Euangelicas & Apostolicas de Domino voces, ad vnam personam pertinere, sed ratione naturarum diuidi, vt aliæ ad Diuinitatem Christi, aliæ ad ipsius humanitatem referantur: Restituta est concordia, sicut scribit Iohannes Antiochenus: Hoc suscepto complacuit nobis, ad amolitionem omnis contentionis, vt per orbem sanctis Ecclesijs Dei pax constituatur, tollanturq; è medio repullulantia offendicula &c. Prudentia igitur vnà cum Christiana moderatione, in huiusmodi disputationibus & certaminibus de vocabulis & modis loquendi adhibenda est.

CAPVT XVII.

Secundus gradus, vel secundum genus, aut secundum generale caput eorum, quæ ex Hypostatica, duarum naturarum vnione in persona Christi oriuntur & consequuntur, quòd scilicet quædam tribuuntur personæ, secundum vtramq; naturam, quando scilicet vtraq; natura in Christo, agit cum Communione alterius, quod cuiusque proprium est.

PRimus Gradus seu primum Genus, quod hactenus explicauimus, vsitatè & propriè in scholis vocatur Communicatio Idiomatum. Illud verò quidam ita conantur restringere, vt contendant, omnia, quæcunq; prædicantur de persona Christi, referenda esse ad alteram tantum ipsius naturam, siue diuinam siue humanam. Et addunt, antiquitatem nullum aliud genus, κοινωνίας inter naturas & earum Idiomata in persona Christi, quàm hoc, agnouisse.

uisse. Sed ipsa doctrina de caussis, quare Mediatorem oportuerit, non solum Deum, nec hominem tantum, sed simul Deum & hominem esse, conuincit falsum illud esse. Et vetus etiam Ecclesia, alterum hoc genus κοινωνίας diserte agnouit & tradidit. Chalcedonensis enim concilij definitiones tradunt, vtramq; naturam in Christo agere μετὰ κοινωνίας, cum communione alterius, quod cuiusque proprium est. Ac licet de vocabulis, sicut antea dixi, non velim pugnare: Tamen cum vniuersale concilium hoc genus expresse nominet κοινωνίαν, Et addat, quod cuiusq; naturæ ἴδιον proprium est, vel pueris manifestum est, hoc esse κοινωνίαν τῶν ἰδίων, hoc est, communicationem Idiomatum. Et Cyrillus Epist. 10. 29. & alibi, expresse dicit: Euangelicas voces, quæ vni personæ Christi tribuuntur, aliàs competere diuinitati eius, aliàs humanitati eius: Alias verò voces, dicit esse medij ordinis, ac quodammodo communicatiuas (Vtitur autem verbo κοινοποιεῖσθαι) quæ simul ad vtramq;, & Diuinitatem & humanitatem respiciant. Et Nazianzenus 4. de Theologia dicit: Quædam, quæ de Christo prædicantur, non esse vnius tantum naturæ propria, sed communia vtriq;.

Sicut & scripturæ & antiquitatis testimonijs, mox hæc confirmabimus & illustrabimus, Vt autem ea, quæ ad hunc secundum gradum κοινωνίας pertinent, simplicius & distinctius explicari & considerari possint, ea tantum iuxta Chalcedonensis Synodi definitionem huc referemus, vbi vtraq; natura in Christo, cum communicatione alterius agit id, quod cuiusq; proprium est. Quia verò officia & beneficia Christi Saluatoris talia sunt, in quorum multis seu plerisq; humana natura in Christo, solis naturalibus seu essentialibus suis proprietatibus seu operationibus, non potest cooperari, Ideò præter & vltra naturales proprietates, innumera ὑπὲρφυσικὰ καὶ παραφυσικὰ, Humanæ naturæ ex hypostatica cum Diuinitate vnione, tradita & communicata sunt. Sed illa in Tertio genere explicabimus, vt huius secundi generis definitio maneat, sicut in Chalcedonensi Synodo tradita est. Quando vtraq; natura in Christo agit cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est. Pertinet

igitur huc primò, quando sumo ἀποτέλεσμα, effectum seu opus aliquod, officij, meriti & beneficij Christi saluatoris, vt redemptionem, propiciationem, saluationem, mediationem, &c. Et considero, quod & quomodo ad ἀποτέλεσμα illud producendum seu efficiendum, naturales seu essentiales vtriusq; naturæ in Christo, actiones seu operationes concurrant seu coniungantur, & quæq; natura, quod suum est, cum communione alterius conferat.

Secundò pertinet ad hunc gradum, etiam hæc consideratio, Quando vna in Christo natura id, quod sibi proprium est agit, aut quando Christus secundum proprietatem vnius naturæ aliquid agit, quod tunc in illa actione seu passione, altera natura, non sit ociosa, vt vel nihil, vel aliud agat, sed quod & hoc, quod vnius naturæ proprium est, fiat & agatur in Christo cum communione alterius naturæ, salua differentia illa, quod cuiusq; proprium est, vt quando Christus humana sua natura patitur & moritur, quod & hoc fiat cum communione alterius naturæ, non vt diuina etiam natura in sese patiatur & moriatur, hoc enim humanæ naturæ proprium est, Sed quia Diuina Christi natura, adest personaliter naturæ patienti, ac vult illam humanæ suæ naturæ passionem, non auertit eam, sed permittit humanitatem suam pati ac mori, corroborat ac sustentat eam, vt possit sustinere immensum illud onus peccati mundi, ac totius iræ Dei, & efficit passiones illas, coram Deo pretiosas, ac mundo salutares.

Considerandæ igitur est differentia inter propositiones seu prædicationes, quæ loquuntur de naturalibus siue essentialibus singularum naturarum proprietatibus, & quæ loquuntur de officijs, meritis & beneficijs Christi Mediatoris & Saluatoris. Singulæ enim naturæ in Christo, habent per sese naturalia seu essentialia sua Idiomata. Neq; enim ideò facta est duarum naturarum vnio in Christo, vt æternitas posset prædicari de Diuina natura, vtq; passio & laceratio posset tribui assumptæ naturæ. Illa enim sunt Idiomata nuturarum, quæ habent, etiam quan-

quando extra vnionem considerantur. Quia verò naturæ illæ, in vnam personam vnitæ sunt in Christo, Ideò essentialia earum Idiomata toti personæ tribuuntur. Sed quoniam in illa vnione, naturæ cum suis proprietatibus non sunt confusæ, sed manent distinctæ & differentes, Talia igitur Idiomata tribuuntur personæ, secundum illam naturam, cuius sunt propria, sicut in præcedenti genere dictum est.

Longè verò aliud est, quando de illis officijs & beneficijs Christi loquimur, propter quæ vnio duarum naturarum in Christo facta est, vel ad quarum consortium, commertium, societatem & κοινωνίαν, humana natura in Christo assumpta & euecta est, Quædam enim in illis officijs talia sunt, quæ Diuina Christi natura non potest, sine assumta humanitate præstare, vt corpus suum dare, sanguinem suum effundere, pati, mori, &c. Quædam verò posset quidem sola sua diuina potentia efficere, sed ex beneplacito, libera & bona voluntate, quam Græci εὐδοκίαν vocant, vult ad illa etiam efficienda, κοινωνίαν, communionem, societatem & cooperationem quandam assumptæ humanæ naturæ, tanquam organi personaliter, & inseparabiliter vniti adhibere. Ita enim λόγος humanam naturam assumpsit, Vt iam sit μέρος, sicut Damascenus loquitur, suæ personæ, hoc est, pertinens ad integritatem personæ Verbi incarnati, vnde sine ea opera Diuinæ potentiæ suæ, posset quidem, sed propter hypostaticam vnionem, non vult efficere, Sicut anima quamdiu est in corpore, potentias suas non exercet sine corpore, vt hoc modo ostendatur, in quantam dignitatem, humana nostra natura assumta sit à Filio Dei, vtq; dulcissimã inde consolationem hauriamus, Officia regni & sacerdotij Christi in Ecclesia, certo ad nos pertinere, quoniam ea, contra portas inferorum, apud Patrem, & erga nos, non absolutè sola Diuina sua potentia, sed in assumpta humana, cum illa, & per illam, quæ nobis similis, cognata atq; adeo consubstantialis est, exercet & perficit. Pertinet igitur ad illa officia Christi, dominatio, qua secundum vtramq; naturam, potenter dominatur omnibus creaturis, non enim soli diuinæ naturæ Christi, sed & as-

 sumptæ

ſumptæ naturæ omnia ſubiecta ſunt. Epheſ. 1. Pſal. 8. Ebr. 2. ſicut in Tertio genere oſtennemus. Præcipuè verò hûc pertinent merita, officia & beneficia Chriſti Saluatoris in Eccleſia, Vt quod eſt Redemptor noſter, Propiciator, Mediator, Iuſtificator, Saluator, Rex, Sacerdos ſeu Pontifex, Paſtor, Epiſcopus, Doctor, Caput, Dux vitæ, Cuſtos, Defenſor, Auxiliator, Conſeruator, Victor & Triumphator hoſtium, Exauditor precum, præſens Eccleſiæ, Videns, cognoſcens, gubernans, diſpenſans, & diſponens omnia, faciens miracula, implens promiſsiones, Viuificator, Reſuſcitator mortuorum, Iudex &c. Illa enim officia & beneficia, pertinent ad perſonam Chriſti, non ſecundum vnam tantum eius naturam, ſiue diuinam ſiue humanam, ſed ſecundum vtramq;. Et perſona in illis officijs habet actiones ſeu operationes, non in vna tantum natura, ſed in vtraq;, Nec ea, quæ ad officia & beneficia illa pertinent, in vna tantum natura, ſed in vtraq;, cum vtraq;, & per vtramq; perficiuntur, vel ſicut Chalcedonenſis Synodus loquitur, in officijs illis vtraq; natura in Chriſto, agit cum communicatione alterius. Ac in Tertio quidem genere oſtendemus, Ideò humanam naturam in Chriſto, ex hypoſtatica vnione ὑποστατικὰ καὶ περιφυσικὰ accepiſſe, vt poſſet in officijs illis Chriſti Saluatoris, etiam præter & vltra naturales ſuas proprietates cooperari. Sed in hoc loco diſtinctionis gratia, ea prius explicabimus, quæ humana natura in illis officijs, ex naturalibus ſeu eſſentialibus ſuis proprietatibus, confert ſeu cooperatur, Vt doctrina veteris Eccleſiæ, de duabus naturalibus voluntatibus & actionibus ſeu operationibus Chriſti incarnati, eò commodius explicari & intelligi poſsit.

Scripturæ igitur Teſtimonia manifeſtè oſtendunt, Ideò factam vnionem duarum naturarum in Chriſto, vt officium Redemptionis, propiciationis, ſaluationis &c. in vtraque, cum vtraq;, & per vtramq; Chriſti naturam perficeretur. Si enim redemptio, propiciatio, liberatio à peccato, à diabolo, morte, Ira Dei, & maledictione æterna, potuiſſet effici, vel per Diuinitatem ſolam, vel per humanitatem ſolam, fruſtra λόγῳ

propter

propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendiſſet de cœlis, & incarnatus homo factus eſſet. Sed quia ea, quæ ad officium Meſsiæ pertinent, non potuerunt in vna natura ſola, ſiue Diuina ſiue humana, peragi, Ideò decreto diuino facta eſt admiranda & ineffabilis illa duarum naturarum vnio, in vnam hypoſtaſin, Vt perſona Mediatoris noſtri in vtraq; natura, per & ſecundum vtramq; naturam, operaretur & efficeret ea, quæ ad Redemptionem & ſalutem noſtram pertinent.

Ita Paulus docet Gal. 4. Vt nos à maledictione Legis liberaremur, & adoptionem reciperemus, Ideò Deus miſit Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub Lege. Et Rom. 8. Vt peccatum in carne damnaretur, & iuſtificatio Legis in nobis impleretur, Ideò Deus miſit Filium ſuum, in ſimilitudinem carnis peccati.

Item: Vt Meſsias eſſet Iuſticia noſtra, Ideò Deus Dauidi ſuſcitauit germen iuſtum, cuius nomen Iehoua, Ier. 23.

Et Chriſtus ipſe affirmat, Ioh. 3. Vt mundus ſaluetur, ideò Deum miſiſſe vnigenitum Filium ſuum in mundum.

Hæc teſtimonia diſertè affirmant, vt Chriſtus eſſet propiciatio, redemptio, iuſticia, ſalus noſtra, ideo miſſum eſſe vnigenitum Dei Filium, hoc eſt, ideo factam eſſe hypoſtaticam vnionem duarum naturarum in perſona Chriſti.

Ita ad deſtruendum fortem illum armatum, qui mortis habebat imperium, oportebat fortiorem ſuperuenire. Sed quia per mortem illud debebat fieri. Ebr. 2. & Diuinitas in ſua natura non poteſt mori, Ideò oportuit Redemptorem hominem eſſe. Quia verò non tantum mori debebat, ſed per mortem deſtruere mortis imperium, & reſtituere vitam, 2. Timoth. 1. quod illius proprium eſt, in quo in principio vita erat, Iohan. 1. Ideò eum, qui eſt ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ Patris, oportuit participem fieri carnis & ſanguinis, vt per mortem deſtrueret eum, qui mortis habet imperium, Heb. 2. Iohan. 10. Bonus Paſtor animam ponit pro ouibus ſuis, & dat eis vitam æternam. Illa duo non poſſunt conuenire vni naturæ ſoli, ſiue diuinæ ſiue humanæ, ideo facta eſt vtriuſq; naturæ vnio in vnam perſonam.

Rom. 5. Reconciliator noſter non tantum mortuus eſt pro nobis, ſed & per vitam eius ſeruamur ab ira.

Rom. 8. Superamus non tantum propter eum, ſed & per eum, qui dilexit nos, hoc eſt, Chriſtus eſt Saluator noſter, & merito & efficacia, Quæ ſunt actiones perſonæ Mdiatoris in vtraq; natura.

Ita inter Diuinitatem, partem offenſam, & inter genus humanum, partem offendentem, non potuit mediatrix eſſe, vel ſola Diuinitas, vel ſola humanitas, quia Mediatorem oportet vtrique parti coniungi. Mirabili igitur temperamento, hypoſtatica duarum naturarum vnio facta eſt in perſona Chriſti, vt eſſet mediatrix humana diuinitas, & diuina humanitas, iuxta Auguſtini dictum, Sicut ſupra, cum de hypoſtatica vnione ageremus, tales ſententias plures annotauimus.

Antiquitas in miraculis Chriſti, valdè venuſtè obſeruauit, quomodo in Chriſto incarnato vtraque natura agat cum communicatione alterius. In ſanationibus enim & reſuſcitationibus mortuorum, adhibuit vel contactum vel verbū corporale, vt Matth. 8. Leproſum. Luc. 14. Hydropicum. Ioh. 9. Cæcum ſanat contactu. Mar. 7. digitum mittit in aures, tangit linguam, & ſanat ſurdum ac mutum. Luc. 7. tangit loculum, & reſurgit mortuum, Marc. 6. apprehendit puellā manu & reſuſcitat eam. Ioh. 4. Matt. 8. ſanaturus abſentem dicit verbum. Ioh. 11. reſuſcitaturus Lazarum, inclamat ipſum voce corporali. Ioh. 20. daturus Spiritum Sanctum, vtitur flatu corporali. Potuiſſet ſanè omnia illa miracula ſine corporali vel tactu vel voce, ſolo diuinæ potentiæ nutu & imperio perficere, Sed certo conſilio, etiam carnem ſuam tanquam organon diuinitatis, adhibere voluit, vt in externis & viſibilibus illis miraculis, nobis oſtenderet vſum aſſumptæ humanitatis, Ne quis in ſummis illis officijs Meſsiæ redemptionis, reconciliationis, iuſtificationis, viuificationis, mediationis, ſaluationis, &c. Humanæ naturæ in Chriſto, tanquam Creaturæ, nullum vſum eſſe contenderet, cum ſolius Diuinitatis virtute & potentia, facilius & rectius nobis videantur illa effici poſſe,

Sicut

Sicut igitur in miraculis vna natura agit cum communicatione alterius, Diuinitas enim in sua natura non habet digitum, quem mittat in aures, non habet manum, qua apprehendat & contingat, non habet flatum, non vocem corporalem, Sed vtitur ad hoc assumpta carne, Vicissim verò corporalis ille cõtactus, flatus, & vox, participant, sicut Scholastici loquuntur, virtutem Diuinitatis, vt possint sanare, viuificare &c. hoc enim humanæ carnis contactus per se non habet.

Ita cum oporteret mortem Mediatoris intercedere. Heb. 9. & diuinitas in sua natura non posset mori, assumpsit ad hoc humanam naturam, cuius passio & mors vicissim participat virtutem Diuinitatis, Ita enim & ideo per hanc mortem destruitur mors, & restituitur vita, cum alias totius mundi passiones, non sint condignæ ad futuram gloriam, Rom. 8. Sicut hæ actiones vtriusq; naturæ cum communicatione alterius (libenter enim vtor phrasi Chalcedonensi) in officio redemptionis, pulchra & breui sententia comprehenduntur. Ebr. 9. Sanguis Christi, qui per Spiritum æternum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundat conscientiam ab operibus mortuis.

Addit autem Damascenus lib. 3. cap. 14. In hoc genere vtilem commonefactionem, vtramq; scilicet naturam in Christo, in officijs illis, agere, quod cuiusq; proprium est, non διηρημένως sed ἡνωμένως, sicut naturæ in Christo vnitæ sunt & subsistunt, hoc est, non ita, vt vox Christi seorsim seu separatim inclamet Lazarum, & diuina ipsius potentia seorsim aut separatim sola ipsum suscitet, Sed diuina Christi potentia, per vocem illam humanitus formatam, suscitat Lazarum. Et vox illa virtute diuinæ potentiæ suscitat Lazarum, vt ita vna natura, non absq; alia sua agat, sed vtraq; cum communione alterius suscitationem Lazari conficiat.

Licet autem, non semper in officijs Christi Saluatoris, ad oculum vel pingere, vel monstrare possimus, quomodo vna natura agat cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est: Illud tamen ratione hypostaticæ vnionis fieri non dubitemus. Damascenus, qui ex veterum Græcorum scriptis, hanc

partem

partem doctrinæ diligenter illustrauit, Vtitur illa similitudine lib. 3. cap. 15. Alia est actio animæ simplex, qualis est per se extra corpus, Alia est actio animæ vtentis corpore tanquam organo, Ita alia est actio corporis absolutè seu per se, Alia est corporis ἀγομένου καὶ κινουμένου, quando agitur & mouetur ab anima. Ex illa enim similitudine simpliciſsimè intelligi potest, Quomodo in hypostatica vnione, vna natura Christi agat cum communione alterius, Et quomodo in officijs Messiæ, assumpta humana natura, quod suum ac proprium est conferat. Hoc Damascenus ex veteribus lib. 3. cap. 15. 18. & 19. ostendit. Diuina enim natura Christi, in officijs Messiæ, vtitur tanquam organo, naturalibus operationibus assumptæ humanitatis. Constat autem humana Christi natura corpore & anima. Et ratione corporis cooperatur, vel verbo vel applicatione corporis, seu carnis, Animæ verò ratione cooperatur, quod scilicet humana mens intelligit, agnoscit & videt. Voluntas humana in Christo desiderat, expetit, vult & approbat, quod Christus diuina sua potentia in officijs illis agit. Atq; ita anima, conscia mente, & conformi voluntate cooperatur. Quæ verò & corpus & anima Christi, ὑποφυσικῶς in officijs illis cooperantur, ea ad Tertium genus pertinent. Hæc simplicia & plana sunt, quæ veterum verbis ideo explico, vt lector videat, me non mea somnia, sed veteris Ecclesiæ doctrinam repetere & recitare. Commentator Damasceni dicit: Humana Christi actio, habet diuinam virtutem coeffectricem, Diuina eius actio, habet humanam operationem, more coniuncti organi cooperatricem, Atq; ita diuina Actio, non est expers humanæ, nec humana diuinæ, sed diuina Christi potentia vtitur vnione, coniunctione, communione, & cooperatione humanæ Christi operationis, ad exercenda, implenda, absoluenda & perficienda diuina sua, in officijs Saluatoris opera, Sicut anima in corpore suas actiones operatur, non sine corporis adminiculo, Et corpus suas operationes absoluit, ipsius animæ virtute & adiutorio. Sed mox plura veterum testimonia adducemus.

Omni-

Omninò autem neceſſaria eſt aliqua, de his tantis rebus, prælucente verbo Dei, conſideratio, quare in officijs Chriſti Redemptoris & Saluatoris, vtraq; ipſius natura agat cum communicatione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt. Indè enim aliquo modo peccati magnitudinem intelligere poſſumus, quòd genus humanum à ſeruitute peccati & mortis, aliter liberari non potuit, niſi ipſe Filius Dei, Diuina potentia, per mortem, in illo corpore, quod per incarnationem ſibi proprium fecerat, deſtrueret mortis imperium. Non enim humana tantum ſatisfactione, & humanis viribus, ira Dei potuit placari, mors deſtrui, & vita reſtitui, ſed Diuinæ virtutis opus hoc fuit, non tamen extra carnem, ſed ſanguis Filij Dei emundat nos à peccatis 1. Ioh. 1. Ita etiam fides noſtra certiſsimam conſolationem inde habet, quod operatio redemptionis noſtræ, non eſt nudi hominis, aut ſolius humanitatis, Ita enim peccatum maius, ira Dei grauior, & regnum mortis fortius eſſet, Sed Deus ſuo ſanguine redemit Eccleſiam, Idq; non ita, vt redemptionis operatio in ſola humanitate ſubſiſteret, Sed ipſius diuinæ naturæ potentia, per obedientiam & paſsionem aſſumptæ naturæ operata eſt, & acquiſiuit redemtionem, hoc eſt, Perſona Redemptoris, officium redemptionis p[illegible]eit, ſecundum vtramque naturam, ita vt operatio redemptionis, ſit perſonæ, non tantum in humanitate, verum etiam in Diuinitate, ſeruata tamen in hoc genere cuiuſq; naturæ proprietate, Vtq; eo firmius ſtatuere poſſemus, ad nos pertinere beneficium redemptionis, ideò Filius Dei naturam nobis conſubſtantialem, & cognatam aſſumpſit, per quam in virtute diuinitatis, opus redemptionis perficeret, Vt ſicut per humanam naturam in Adamo, peccatum & mors intrauit in mundum, ita per eandem naturam in Chriſto, iuſtitia & vita reſtitueretur. Sed multo abundantior & potentior eſt iuſticia & vita in Chriſto, quàm peccatum & mors in Adamo, Roman. 5. 1. Corinth. 15. Ideò Chriſtum oportuit eſſe Deum & hominem, & vtriuſque naturæ operatione, æternam redemptionem inuenire, ſalua ſemper in hoc genere naturarum differentia & proprietate. Sicut enim Zonaras dicit, In Chalcedonenſi Synodo definitam eſſe διαφορὰν differenti-

am, non διαίρεσιν separationem naturarum & Idiomatum essentialium. Ita Damascenus rectè dicit: differentes operationes naturarum in Christo, non διηρημένως sed ἀνομένως, ad vnum ἀποτέλεσμα concurrere, conuenire & vniri.

Nullo modo igitur sentiendum est, diuinam naturam τοῦ λόγου, prorsus ociosam fuisse in officio redemptionis, persona operante redemtionem in sola humana natura. Ita enim virtus & honor redemptionis, diuinæ naturæ detraheretur, & ad solam humanam naturam transscriberetur, Atq; ita, sicut Epiphanius inquit: Incideremus in iudicium illud, de quo Ieremias inquit, Maledictus qui carnem ponit brachium suum. Nec satis solida & firma esset nostra redemptio, si solis humanæ naturæ operationibus niteretur. Sed inquis, Tamen supra, in primo genere communicationis Idiomatum ostensum est, passionem & mortem esse proprietates, conuenientes non diuinæ, sed humanæ naturæ, Sicut & scriptura inquit, Christum passum & mortuum esse carne. Respondeo: Aliud est, loqui de passione & morte Christi, quatenus est proprietas humanæ naturæ, Et aliud est, quod per illam passionem & mortem, placata est ira Patris, contritum caput serpentis, Mors destructa, vita restituta, captiui liberati &c. Hæ enim diuinæ virtutis operationes sunt, non tamen sine carne. Diuina enim Filij Dei virtus, sicut Cyprianus inquit: velut hamus quidam erat, habitu humanæ carnis obtectus, vt à serpente Leuiathan deuoratus, per illam passionis & mortis suæ infirmitatem, caperet & superaret fortem illum armatum.

Porro ad hunc gradum κοινωνίας, pertinet & hæc consideratio, quod tam arcta est hypostatica vnio, vt non tantum in effectu aliquo officij Christi producendo & efficiendo, vna natura agat cum communione alterius: Verumetiam, quando vna natura in Christo, quod suum & proprium est, agit, vel, quando Christus secundum vnam naturam, quod eius proprium est, agit, quod etiam tunc illa seu actione seu passione alterius naturæ propria, altera non sit ociosa, ita, vt vel nihil vel aliud agat, Sed quod & tunc, vna natura agat cum communione alterius, quod cuiusq; proprium est, vt pati ac mori humanæ naturæ pro

prium

prium est, Sed tamen propter arctissimam hypostaticam vnionem, patiente humanitate, diuina Christi natura non fuit ociosa, sed adfuit personali vnione naturæ patienti, Volens eam pati, permittens eam mori, corroborans & sustenstans eam, vt posset onus illud sustinere, & victrix euadere, vtq; passiones illæ fiant salutares. Ita in genere Damascenus lib. 3. cap. 16. & 18. inquit: Humana natura in Christo, non à se ipsa, vel proprio iudicio mouebatur ad ea, quæ sibi naturalia sunt, sed ea volebat, quæ diuina voluntas volebat eam velle, καὶ συγχωρέσης θεότητος & Deitate permittente, agebat & patiebatur naturalia. Item inquit, Anima Christi; volente Deitate eius, tentata fuit naturali infirmitate, fuga, ac sensu mortis, vt ostenderet se verum hominem. Rursus vero in illa infirmitate. Τοῦ θείου νευρωθέντος θελήματι, τὸ θανάτου καθαρρώσεται. Diuina voluntate roborata, contra mortem ita obfirmatur, vt volens mortem eligat, non tantum secundum quod Deus, sed vt homo etiam.

Eodem etiam modo Damascenus inquit: Quando Diuina natura Christi ea, quæ sua & propria sunt, agit, Vel, quando Christus secundum diuinam suam naturam aliquid agit, Tunc in illo opere humana ipsius natura non est iners aut ociosa, sed Deitati personaliter vnita est ac manet, & conscia mente intelligit, cognoscit & videt. Ac conformi voluntate expedit, vult, & approbat ea, quæ Diuina natura agit, Ita propter differentiam naturarum, differentes sunt voluntates & operationes naturarum in Christo, Sed propter hypostaticam earum vnionem, non seorsim, aut separatim, quælibet sua agit, sed ἑνωμένως cohærenter seu vnitè, cum tali communione alterius, sicut iam dictum est, absq; confusione. Et qui talem communionem, inter vnitas naturas & earum Idiomata, vel negat vel tollit, is siue sciens, siue imprudens, ipsam hypostaticam vnionem soluit.

Ita elegans est Irenæi sententia lib. 3. cap. 21. Christum crucifixum & mortuum esse, requiescente verbo, vt posset crucifigi & mori. Hanc sententiam quidam insulsè & impiè ita deprauant, quasi in passione ac morte, Diuina natura quieuerit,

hoc eſt, prorſus ocioſa fuerit, ſola humanitate in illo opere paſſionis laborante. Sed Irenæus eruditè & diſtinctè loquitur, Non enim dicit, λόγον in officiò Redemptionis patiente humana natura ocioſum fuiſſe, & ſolam humanam naturam viciſſe mortem & Diabolum. Sed dicit λόγον quieuiſſe, in hanc ſententiam, quia enim tota plenitudo Diuinitatis, corporaliter inhabitans in Chriſto, facile potuiſſet propulſare omnes iniurias, paſsiones, atq; ipſam adeò mortem, ne incurrere poſſent in illam maſſam aſſumptæ humanæ naturæ, in qua tota illa plenitudo Diuinitatis perſonaliter inhabitabat. Proponit igitur conſiderandam, admirandam illam obedientiam Filij Dei quieſcentis, hoc eſt, quòd diuina ipſius natura, non vſa eſt ſua potentia, non exercuit ſuas vires, ad prohibendas à carne ſua iniurias, paſsiones, & mortem, Sed ceſsit iræ æterni Patris, aduerſus peccatum generis humani, volens humanam ſuam naturam pro ſalute generis humani pati, ac permittens, vt caro illa crucifigi & mori poſſet. Hoc Irenæi vocabulum ἡσυχάζειν, adeò placuit poſteris, vt aliquoties repetitum ſit. Cyrillus enim 6. Dialogorum dicit: Diuinam naturam conquieuiſſe ad paſsionem. Athanaſius de illa ſententia: Nunc anima mea turbata eſt &c. inquit: Hoc factum eſt Deitate quidem acquieſcente, carne autem inſurgente. Et Tertull. libro de Trinitat. Verbum ἡσυχάζειν, quo Irenæus vtitur, pulchrè interpretatur, cum inquit: Autoritas diuini verbi ad ſuſpiciendum hominem interim conquieſcens, nec ſe ſuis viribus exercens. Ambroſius Phil. 2. inquit: Poteſtatem ſuam ab opere retraxit, vt humiliatus ocioſa virtute infirmari videretur. Num verò patiente humana natura, poteſtatem & operam ſuam diuina virtus ita retraxit, vt illa ocioſa exiſtente, vel aliud agente in ſola humana natura, perficeretur officium Redemptionis? Nequaquam, inquit Irenæus, Sed λόγος, qui conquieuit, vt natura aſſumpta poſſet crucifigi & mori, idem λόγος adfuit naturæ patienti, virtute & operatione ſua efficiens, vt iram Dei effuſam in illam perſonam, poſſet ſuſtinere, & per paſsionem, peccatum, diabolum, mortem, iram Dei, & maledictionem vincere, vt ita συμμαχία quædam fuerit operationum Chriſti, in Diuina & humana natura,

tura, in officio Redemptionis, Hoc enim verbum συγχύνεσθαι, quo Irenæus vtitur, significat non ociosam præsentiam. Sicut igitur humana natura in Christo, non potuisset crucifigi, & mori, nisi Diuina natura conquieuisset ad passionem. Ita immensum hoc onus, humana natura non potuisset sustinere, nec victoria diaboli & mortis, potuisset per illam passionem & mortem obtineri, nisi virtus Diuinæ naturæ in Christo, operatione sua hoc effeciisset. Sed præstat ipsam Irenæi sententiam adscribere. Infeliciter autem versa est, sicut totum Irenæi scriptum, Cum quidem Græcum Irenæi Exemplar non extet. Ita enim legimus in versione: Homo erat, vt tentaretur, Verbum, vt glorificaretur, requiescente Verbo, vt posset tentari, & inhonorari, & crucifigi & mori, Absorpto autem homine in eo quod vincit & sustinet & resurgit & assumitur: Theodoretus verò 3. Dialogo. illam Irenæi sententiam Græcè, sicut ab ipso autore scripta est, recitat, & digna est, quæ ipsius Irenæi verbis in Ecclesia extet, Vocabula enim valde sunt significantia, præsertim verbum ἡσυχάζειν καὶ συγχύνεσθαι. Ita autem Theodoretus sententiam illam Irenæi recitat, pagina 69. ὥσπερ γὰρ ἦν ἄνθρωπος, ἵνα πειρασθῇ, οὕτω καὶ λόγος, ἵνα δοξασθῇ, ἡσυχάζοντος μὲν τοῦ λόγου, ἐν τῷ πάσχειν, καὶ σταυροῦσθαι, καὶ ἀποθνήσκειν, συγχινουμένου δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ νικᾶν, καὶ ὑπομένειν, καὶ χρησεύεσθαι, καὶ ἀνίστασθαι, καὶ ἀναλαμβάνεσθαι. Hoc est, Sicut homo erat, vt posset tentari, Ita erat Verbum, vt posset glorificari, conquiescente quidem Verbo ad passiones, vt posset tentari, crucifigi, & mori, præsente verò & cooperante Verbo cum homine illo, vt posset vincere, sustinere, nobis prodesse, resurgere, & in cœlum ascendere. Ita enim iudico, simpliciter & significanter reddi posse hanc Irenæi sententiem.

Errant igitur & peccant, qui officium Redemptionis, soli humanæ naturæ in Christo tribuunt, & ab eo officio diuinam naturam excludunt, ita, vt eam patiente humana natura ociosam fuisse in officio Redemptionis fingant. Ad officium enim Redemptionis non tantum pertinet pati & mori, Sed per passionem & mortem, genus humanum redimere, à maledictione

Dei, à poteſtate Diaboli & Mortis, Atq; hinc manifeſtum eſt, quàm neceſſaria ſit diſtinctio inter Idiomata, quæ vnius naturæ propria ſunt, quæq; perſonæ tribuuntur ſecundum alteram naturam, cuius propria ſunt: Et inter officia Meſsiæ, propter quæ peragenda, facta eſt hypoſtatica duarum naturarum vnio, atq; ideo perſonæ conueniunt ſecundum vtramque naturam. In illis enim officijs, perſona operatur in vtraq;, cum vtraq;, & per vtramq; naturam, ſicut de officio Redemptionis oſtenſum eſt. Sicut autem peccant, qui ab officio Redemptionis Diuinam naturam excludunt, ita & illi peccant, qui poſt conſummatum opus Redemptionis, humanam naturam in Chriſto, ab officio regni, Sacerdotij, Iuſtificationis, viuificationis, Saluationis &c. ſimpliciter excludunt, & fingunt eam in Cœlo, quo ad hæc officia, ocioſam, ſua tantum gloria perfrui. Ideò enim humana natura in Chriſto non tantum naturales ſuas vires & operationes habet, ſed præterea per hypoſtaticam vnionem, ad virtutem melioris (ſicut Cyrillus loquitur) eleuata eſt, vt poſsit idoneum organon eſſe, cum quo, & per quod, diuina natura Filij Dei, officia Meſsiæ in Eccleſia, vſq; ad conſummationem ſeculi, adminiſtret, non tantum merito, verum etiam efficacia: Sed hæc explicatio pertinet ad tertium genus, de quo mox dicemus, Ita enim ordinis & docendi gratia diſtribuere volui, vt in hoc ſecundo genere, explicentur ea, in quibus vtraq; natura agit, cum communione alterius, quod cuiuſque proprium eſt, ſicut Leo loquitur Epiſtola 10. ſeu in quibus perſona agit naturalibus operationibus vtriuſq; naturæ, Quæ verò humana natura, ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione acceperit, in tertio genere explicabuntur.

Adijciam autem aliquot veterum ſententias, vt in illis obſeruetur, quomodo vetus Eccleſia hoc genus explicârit, & ad quem vſum retulerit.

Hilarius de Trinit. lib. 9. In partu, paſsione ac morte, naturæ noſtræ rem peregit Chriſtus, res tamen ipſas omnes, naturæ ſuæ virtute geſsit.

Athanaſius ſermone 4. contra Arrianos, Quæ ſunt propria verbi, ea quoque corporis miniſterio peragebantur, Et ſicut

verbum

verbum carnis infirmitates baiulabat vt suas, erat enim ipsius caro. Ita rursus, cum caro suo ministerio Diuinitatis operibus inseruiebat, illa opera in carne fiebant, quia caro illa erat corpus Dei. Cum eius caro patiebatur, ipse non erat extra corpus, Ideò passio illius nuncupatur, licet passiones non pertingant ad Diuinitatem, Et cum faceret opera Patris, non erat seorsim à sua carne, sed in ipso suo corpore hæc opera faciebat. Et hoc declarat exemplis, vt homo tetigit, vt Deus sanauit. Et mox addit, Nisi opera Deitatis verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo Deificatus esset. Rursus, Nisi quæ propria carnis sunt, verbi dicerentur, nunquam homo perfectè liberatus esset.

Ibidem: Verbum impatibile, non læditur passionibus: sed illas in se profligat, Homines verò, translatis suis passionibus in eum, & ibi pereuntibus, liberi ab illis redduntur.

Item: Si quid diuinitus per organon sui corporis egit, sciamus Deum esse, qui ista operatur, Si quid humanitus, sciamus Deum hominem esse factum.

Idem de dicto: Ex Deo Deus. Nostras passiones in se suscepit, & Patri refert, intercedens pro nobis, vt in se deleantur.

Idem de dicto: Omnia mihi tradita, Iudicium mortis contra nos traditum est Filio, vt illud oboleret.

De blasphemia in Spiritum, Vt Deus sanauit, excitauit mortuos, mutauit aquam, Non enim hæc erant opera hominis, sicut sitire, defatigari, mori, nequaquam erant Deitatis, fiebant autem ista non diuisim, vt hæc quidem designarentur à corpore absque Deitate, Illa verò à Deitate seorsim à corpore, sed coniunctim ista omnia fiebant, Vnusquíe erat Dominus qui illa faciebat, per suam gratiam. Spuebat quidem vt homo, sputamentum tamen illud diuinum erat, siquidem per illam saliuam oculos cæci sanauit. Apostolicus vir cum videt in illo corpore, ea, quæ sunt Deitatis signa, veneratur Dominum in corpore latentem. Rursum, cum videt, quæ sunt corporis propria plusquam obstupescit, animaduertens in illis Deitatis energiam.

Dama-

Damaſcenus citat hanc Chryſoſtomi ſententiam: Paſsionem Chriſti rectè vocaueris πρᾶξιν actionem, In eo enim quod paſſus eſt, perfecit magnum illud opus, mortem ſoluens.

In 6. Synodo citatur hæc Athanaſij ſententia, Verbum proferens formam ſerui, aduerſus inimicum, Victoriam fecit per illud, quod aliquando victum erat. Citatur etiam ibi Gregorij Nyſſeni ſententia, Diuinitas per corpus quod circa eam eſt, verè operatur omnem ſalutem, vt corporis quidem ſint paſsiones, Dei vero operatio, per quam ſaluamur. Et conſideretur, quomodo in ipſis infirmitatibus, quæ propriæ ſunt carnis, veteres obſeruarint & monſtrarint communionem operationis alterius etiam naturæ. Vt Epiphanius lib. 1. Tom. loquens de fame, ſiti, paſsione Chriſti, quæ ſunt propria carnis, inquit, τῆς θεότητος ὡσὶ εὐδοκούσης τῇ ἀνθρωπότητι, καὶ συνευδοκούσης εἰς τὰ εὔλογα, hoc eſt, ipſa Diuinitate indulgente & permittente humanitati, & conſentiente ad paſsiones ordinatas.

In Ancorato inquit: τὸ πάθος τῆς σαρκὸς ὑπὸ τῆς θεότητος φορτιζόμενον ἐλογίσθη εἰς τὸν θεότητα, ἵνα ἐν τῇ θεότητι ἡμῖν ἡ σωτηρία γένηται, hoc eſt paſsio carnis, quæ à diuinitate geſtabatur, ipſi diuinitati reputata eſt, vt in diuinitate ſalus noſtra ſit.

Et contra Dimæritas: Poſtquam multis diſputauit, Deitatem in Chriſto, nec paſſam nec mortuam, ſed Chriſtum carne paſſum ac mortuum, Et tamen in paſsione, Diuinam naturam non ſeparatam fuiſſe à carne patiente, tandem concludit, Non ponimus fiduciam noſtram in homine, quia maledictus, qui confidit in homine, Ergo σωτῆρι vnà erant diuinitas & humanitas, quando Chriſtus patiebatur in carne, Deitas vero impaſsibilis manebat, vt Iuſtificationem non in carne ſolum habeamus, ſed & in Diuinitate, vt & in Diuinitate & carne, κατ' ἀμφοῖν ſecundum vtramq; naturam, ſalus nobis contingeret. Non enim habemus Deum (in ſua ſcilicet natura) patientem, qui tamen extra paſsionem ſalutem noſtram non perfecit.

In 6. Synodo citatur Athanaſij ſententia: Anima Chriſti turbata eſt, Deitate quidem acquieſcente, carne autem inſurgente,

gente. Potuisset enim Deitas prohibere perturbationem, Sed noluit, vt similitudinem, quam ad nos habuit, non dissolueret. Et mox addit, vt in Melicrato iam aqua, iam mel superabundat, Ita Deitas aliquando permittit carni, vt superabundet, aliquando vero eam superat, ad perimendam carnis infirmitatem.

Item: Ex carnis motione passiones superuenerunt & victæ sunt, & ideo victæ, vt omnis natura humana per cognationem beneficium accipiat. Oportebat quippe moueri carnis voluntatem, subijci vero voluntati Deitatis, atq; ita hominum inobedientiæ soluuntur, per hanc admirabilem obœdientiam, qua Christus obœdiuit pro nobis, vt nos lucremur coniunctionem nostram, quæ ad Deum in Christo facta est. Hæc Athanasius.

Extat etiam ibi Cyrilli sententia super illud, Non sicut ego volo, Transformationem naturæ humanæ, de exuperata formidine, in audaciam spiritualem significat. Inest quippe in eo pauor passionis propter humanitatem, vt homo enim subformidat mortem, quæ extra naturam, & ex maledicto, intromissa est, compescitur autem continuò virtute ac fortitudine inhabitantis Verbi. Item: Caro itaq; quæ in Christo, ad summam posthac fiduciam hominis transformabatur, docebatur mortem non pertimescere. Discente & incipiente nostra natura in primo Christo viriliter agere, & prævalere contra incursus.

Citatur & hæc sententia ex thesauro Cyrilli: Mouebantur in Christo humanæ passiones, non vt motæ prævalerent, sicut apud nos, sed vt motæ per virtutem inhabitantis verbi destruerentur, ad meliorem & diuiniorem statum transmutanda natura. Ita nempe inerant in primo Christo, & non aliter, vt etiam ad nos ipsos, sanationis modus transiret.

Item Cyrillus in Ioh. lib. 4. explicans illud: Descendi, non vt meam facerem voluntatem, sed eius qui misit me, inquit. Vides quomodo humana natura in ipso Christo sua patitur & formidat, Sed à coniuncto sibi verbo, ad θεοπρεπῆ Deo conuenientem fortitudinem & robur reducitur, vt dicat, Non quod ego volo, sed quod tu vis.

Sophronius inquit: λόγος erat sibi ταμίας dispensator & arbiter humanarum passionum & actionum, indulgens corpori, quæ naturæ suæ sunt agere & pati. Item: Humana eius vltra naturam humanam effecta, vt ingressus per ianuas clausas, Diuinæ naturæ verbi existebant indicia, etsi per carnem, & non sine carne agebantur.

Nyssenus dixit: Humanitatem Christi in omnibus fuisse θεοκίνητον.

Cyrillus ad reginas, explicans illud: Sanguis Christi emundat, Qui ex Deo est, assumpta carne sanguinem pro nobis fudit, hac ratione purgare potest credentes, Deus enim erat in carne, suo sanguine nos purificans.

Leo Epistola 10. quæ in Chalcedonensi Concilio approbata est: Vtraq; natura in Christo, agit cum communione alterius quod cuiusq; proprium est, verbo operante, quod verbi est, & carne exequente quod carnis est.

Leo Epistola 81. Considerandum est, quid sit, quod caro sine verbo non agit, & quid sit, quod verbum sine carne, non efficit.

Ibidem: In tantam vnitatem ab ipso conceptu virginis, Deitas & humanitas connexa sunt, vt nec sine homine Diuina, nec sine Deo agerentur humana.

In Ephesino Concilio citatur sententia Theophili ex Epistola Paschali: Sicut artifices optimi, non in preciosis solum materijs artem ostendentes, admirandi sunt, sed qui in vili luto & cera solubili, suæ disciplinæ monstrant virtutem, multò magis sunt laudabiles: Ita omnium optimus artifex, viuum & efficax Dei verbum, decorans vniuersa, non quasi accepta corporis preciosa materia ad nos venit, sed in luto maiestatem suæ artis ostendit, reformans hominem, qui de limo plasmatus est.

Est & hæc Fausti non in elegans sententia: Mortem nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset. Ideò eam, pro ratione geminæ substantiæ, homo suscepit, & Deus vicit.

Sed

Sed vt hunc locum tandem finiam, assribam quædam ex Damascено, qui veterum sententias de hac disputatione diligenter collegit. Inquit igitur lib. 3. cap. 15. Diuinitas operabatur θεοσημίας, sed non sine carne, Caro operabatur humilia, sed non sine Diuinitate. Patienti enim carni coniuncta erat Diuinitas manens impassibilis, καὶ τὰ παθὴ ζωτελῆσα σωτήρια, hoc est, efficiens vt passiones essent salutares, Non autem sicut Diuinitas verbi per carnem operabatur. Ita & caro per Diuinitatem patiebatur, Organon enim Diuinitatis caro est.

Ibidem: operatur secundum vtramq; naturam, verbo efficiente, quæ sunt verbi διὰ ἀυθεντίαν καὶ θέλησίαν Diuinitatis, corpore verò perficiente, quæ sunt corporis, ad voluntatem & imperium verbi, cuius proprium factum est. Non enim à seipso ad physica πάθη impetum faciebat corpus, sed mouebatur ad nutum naturæ verbi, volentis & permittentis corpori agere & pati propria.

Et mox: Non ἀνθρωπίνως operabatur humana, Non enim homo solum, sed & Deus, vnde & passiones eius viuificæ & salutares ζωποιὰ καὶ σωτήρια. Neq; θεϊκῶς operatur diuina, Non enim Deus solum, sed & homo, vnde per tactum & verbum, operabatur diuina miracula.

Cap. 19. Dionysius dicit: Christum πεπολιτευμένον καὶ νεώ τινα θεανθρικὴν ἐνέργειαν, hoc est, nouam quandam Deiuirilem operationem exercuisse. Illud Damascenus ex veterum sententia ita explicat, Quod scilicet vtraq; natura in Christo agat cum communicatione alterius, Diuinitas enim communicat humanitati operanti, eò quod εὐδοκίᾳ diuinæ voluntatis permittitur humanitati agere & pati propria, quodq; operatio carnis omnino est salutifera, id quod non est humanæ, sed diuinæ operationis. Caro verò communicat Diuinitati verbi operanti, eò quod diuinæ operationes tanquam per organon, corporis perficiuntur. Et quia vnus est, qui operatur, καὶ ἀνθρωπίνως καὶ θεϊκῶς, & humanitus & diuinitus. Item: Humana eius actio,

non est ἄμοιρον expers diuinæ eiùs operationis, nec diuina humanæ, sed sicut ignitæ machæræ, dicimus vnam incisam vstionem, Et tamen alia actio est, Incisio, quæ propria est gladij, & alia vstulatio, quæ propria est ignis. Scholastici solent ita loqui, humana Christi actio diuinam virtutem habuit coeffectricem, & diuina actio habuit humanam more organi cooperatricem.

Cap. 15. Damascenus inquit: In machæra ignita, sicut duæ naturæ, ignis & ferri seruantur: Ita & duæ energiæ, & harum apotelesmata. Habet enim ferrum τὸ τμητικὸν, ignis vero τὸ καυστικὸν. Et incisio est actionis ferri apotelesma, Vstulatio vero ignis. Et seruatur tùm naturarum, tùm actionum differentia, ἐν τῇ τετμημένῃ καύσει, καὶ ἐν τῇ κεκαυμένῃ τομῇ. In incisa Vstulatione, & in Vstulata incisione. Post vnionem verò, nec Vstulatio sine incisione, nec incisio sine Vstulatione fit. Ita in Christo, duarum naturarum actiones inseparabiles ab inuicem existunt, in theandrica energia, Et tamen seruatur differentia actionum, sicut naturarum. Locus autem ille Dionysij: de quo disputat Damascenus, extat in quarta epist. ad Gaium: ἐξ ἀνθρώπων, ἀνθρώπων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον, ἀληθῶς ἄνθρωπος γεγονὼς, καὶ τὸ λοιπὸν ἢ κατὰ θεὸν τὰ θεῖα δράσας, ἢ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος θεῷ καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένου, hoc est, Ex hominibus vltra homines, & supra hominem, verè homo factus est, vt posthac nec secundum Deum diuina operetur, neque secundum hominem humana, sed Deo homine, seu viro facto, nouam quandam Dei virilem actionem nobis administrauit.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De Controuersia Monotheletarum.

AD hoc secundum Genus pertinet etiam certamen τῶν Μονοθελητῶν, quod agitatum & explicatum est in 6. vniuersali Synodo, circa annum Domini 680. Quidam enim, qui contra Nestorium vnam hypostasin Christi, Et contra Eutychen duas distinctas naturas confitebantur, vehementer contenderunt, in Christo incarnato, in duabus naturis, Diuina & humana, esse vnam & eandem scientiam, sapientiam, voluntatem, actionem, seu operationem, & breuiter eiusdem vires seu facultates esse vtriusq; naturæ, hoc est, Negarunt & sustulerunt differentiam essentialium proprietatum in naturis Christi, Ac finxerunt, propter hypostaticam vnionem, eadem & communia esse vtriusq; naturæ Idiomata, vel vt diuinæ naturæ idiomata, per vnionem facta sint etiam humanæ naturæ essentialiter & formaliter propria, vel vt ex duabus naturalibus voluntatibus & actionibus, per vnionem, facta sit vna mixta & composita, sicut Damascenus recitat lib. 3. cap. 14. Et hanc controuersiam, longè ante Apollinarius mouisse videtur. Cùm enim fingeret, In humana natura Christi, loco mentis, seu animæ rationalis, fuisse diuinam naturam, consequenter non potuit aliter docere, quam vnicum tantum, diuinam scilicet scientiam, voluntatem & operationem in Christo esse. Postea verò Monotheletæ sub alio prætextu idem certamen renouarunt. Et moti videntur præcipuè his argumentis: 1. Propter personæ vnitatem in Christo, vnus est volens, vnus intelligens, vnus agens, seu operans & non duo. Sed si dicerentur duæ voluntates, & duæ operationes esse in Christo, sequi videretur, duos esse volentes, duos agentes, Et ita cum Nestorio Christus in duas distraheretur perso-

nas. Ideò iudicarunt, potius dicendum esse, sicut in Christo vnus est, qui intelligit, vult & operatur. Ita etiam vnius volentis, & vnius operantis, vnam esse voluntatem, & vnam actionem vtriusq; naturæ. 2. Quia in persona Christi incarnati, nihil est contrarium, pugnans seu aduersum, sicut humana scientia, voluntas & operatio, etiam in credentibus discrepat, & sæpe pugnat cum diuina scientia, voluntate & operatione. Ideò putarunt, non duas, sed vnam esse voluntatem & actionem in vtraq; natura Christi. 3. Quia humana natura in Christo est organon Diuinitatis, quod à Diuinitate tanquam à principali agente mouetur, vt ex vtriusq; vnum opus producatur, Vt, Non sunt duæ redemptiones, non duæ sanationes, non duæ saluationes, vna humanæ, altera diuinæ naturæ, Sed vna est redemprio, vna sanatio, saluatio. Ideò simpliciter contenderunt, in vtraq; natura Christi esse vnam voluntatem & vnam actionem. 4. Quia veteres dicunt, humanam naturam in Christo, propter vnionem hypostaticam esse Deificatam, putarunt, factam esse exæquationem omnium, quæ sunt in diuina & humana natura, atque ideò prorsus vnam & eandem esse virtutem, voluntatem, & operationem, quæ non aliter, sed eodem prorsus modo, formaliter & essentialiter sit propria humanæ naturæ in Christo, sicut est Diuinæ. Hæc argumenta Monotheletarum extant in actis 6. Synodi, & in Damasceno.

Non leuiter autem Ecclesia hoc certamine quassata est, Hinc Nestorianis prætextu duarum voluntatum & operationum in Christo distrahentibus personam vnius Christi in duas, illinc Eutychianis prætextu vnius operationis tollentibus differentiam naturarum, & essentialium proprietatum in Christo. Honorius ergo circa Annum Domini 630. censuit, vocabula illa, siue vnius, siue geminæ operationis prorsus esse à prædicatione fidei eximenda, cum viderentur tantum scintillas veterum Heræseon resuscitare, & seminaria nouarum contentionum præbere. Suasit autem potius retinendam esse hanc confessionem: Vtraq; naturas in Christo Hypostatica vnione copulatas, cum alterius communione operari, quod cuiusque pro-

proprium eſt, non diuiſè neq; confuſè, Sed vt vnus atq; idem ſit operans & diuiua & humana. Et non multo pòſt, tumultuantibus iſtis litigatoribus, Conſtantinus 4. circa Annum Domini 640. propoſuit edictum, vt, nec ἐνιαύα nec δύπ, hoc eſt, nec vnica, nec duplex, ſeu gemina diceretur voluntas & operatio in Chriſto, Sed vnum & eundem operari & diuina & humana. Sophronius enim Hieroſolymitanus promiſit, ſe concordiæ gratia, non velle amplius vrgere vocabulum geminæ operationis in Chriſto, ſi & Cyrus vocabulum vnius operationis abijceret.

Sed hoc modo ſublatis modis loquendi, quibus falſæ opiniones deprehendi, & à vera ſententia diſcerni poterant, plus damni Eccleſijs dederunt hæreſes, clanculum incautis non animaduertentibus inſtillantes, vel diſtractionem vel confuſionem & conuerſionem naturarum in Chriſto.

Sophronius igitur indicta Hieroſolymis Synodo, definiuit οἱ μίαν λέγοντες θέλησιν καὶ ἐνέργειαν ἐπὶ τῶ δύο φύσεων τοῦ Χριστοῦ, μίαν ἄντικεις καὶ φύσιν κεκύτθασι, Hoc eſt, Qui de duabus naturis Chriſti, vnam voluntatem & actionem prædicant, illi haud dubiè vnam etiam naturam prædicant. Ac tandem in 6. Synod. controuerſia illa ex ſcriptura, collatis etiam antiquitatis teſtimonijs diſcuſſa, & definita eſt in hanc ſententiam, Quia duæ naturæ in Chriſto, ſicut ſuperius explicatum eſt, vnitæ ſunt in vnam hypoſtaſin, ſalua naturarum differentia, ſaluis etiam eſſentialibus vtriuſq; naturæ proprietatibus. Ideò neceſſariò ſequi, perſonam Chriſti, ſicut habet duas integras & diſtinctas naturas, ita etiam ſicut Damaſcenus inquit, habere gemina ſeu duplicia naturalia κατάλληλως, correſpondentia duabus illis naturis, Et diuinam quidem naturam, habere diuinam eſſentialem ſapientiam, voluntatem, potentiam, & operationem, extrà controuerſiam eſt. Aſſumpſit autem Filius Dei humanam naturam, non amentem, non inuoluntariam, non ἀνενέργητον inefficacem, ſed integram, habentem omnes vires & facultates humanæ naturæ proprias & ordinatas, hoc eſt, Aſſumpſit naturam λογικὴν θελητικὴν, καὶ ἐνεργητικὴν, intelligentem,

gentem, volentem, & operantem seu efficacem. Ergò, cum humana natura assumpsit etiam δ'ώναμιν, seu potentiam intelligendi, volendi, & operandi, quæ humanæ naturæ propria & ordinata sunt. Qui igitur Christo incarnato adimit humanam scientiam, voluntatem & operationem, simul ipsi etiam adimit veritatem essentiæ seu naturæ humanæ. Et Damascenus rectè dicit: Mens ἄσοφος non est mens εἰ γὰρ ἀνενέργητος καὶ ἀκίνητος καὶ ἀνύπαρκτος πάντως. Si enim mens caret efficacia & motu, omnino non existet mens, Ita vera natura humana non est substantia exanimis, bruta & iners, sed λογικὴ, θελητικὴ, καὶ ἐνεργητικὴ. Intelligens, volens, & operans, hoc est, sicut Damascenus explicat, habens naturalem δ'ώναμιν intelligendi, volendi, & operandi. Et scriptura diserte tribuit humanæ naturæ in Christo, propriam naturalem scientiam, voluntatem, & operationem, Luc. 2. Profecit sapientia. Matth. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Iohan. 6. Descendi de cœlo, non vt meam voluntatem facerem, sed eius, qui misit me. Marc. 7. Voluit latere, & non potuit. Isa. 7. Vt discat reprobare malum, & eligere bonum. Ita manibus tangere, pedibus ambulare, os aperire, oculis lachrymari, anima tristari, &c. actiones sunt humanæ naturæ propriæ.

Nomine voluntatis autem Scholastici lib. 3. dist. 17. intelligunt omnes appetitiones humanæ naturæ ordinatas, quas in tres gradus diuidunt, Vt appetitus naturalis, vt cibi, somni, &c. Sensitiuus, vt fuga doloris, læsionis, destructionis naturæ, &c. Rationalis, quæ propriè vocatur voluntas, sequens cognitionem & deliberationem rationis.

Sicut autem humana natura per vnionem non est abolita, vel conuersa in diuinam, Ita etiam naturalis scientia, voluntas & operatio humanæ naturæ in Christo, non sunt vel abolitæ, vel ita conuersæ, Vt eadem iam sit naturalis, seu essentialis sapientia, voluntas & operatio humanæ naturæ in Christo, quæ est diuinæ. Et sicut per vnionem non est facta confusio naturarum, vt ex duab. composita sit vna quædam tertia: Ita etiam non est facta Idiomatum essentialium confusio, vt voluntas & operatio Christi,

Christi, iam nec diuina nec humana sit sed tertij cuiusdam generis. Ita enim non esset vnius voluntatis cum Patre. Rectè igitur in Concilio Romano definitum est cap. 7. Substantialem differentiam naturarum in Christo, etiam post vnitionem, inconfusè & indiuisè saluatam. Et cap. 9. Naturales proprietates Diuinitatis & humanitatis, indiminutè & sine defectione, saluatas in Christo.

Cap. 12. Vnius & eiusdem Christi, verè duas esse naturales voluntates & operationes cohærenter vnitas, diuinam & humanam, & ex hoc, in vtraq; eius natura, voluntarium & efficacem eum esse, secundum naturam.

In 6. Synodo extat hæc sententia, Nequaquam vnam & eandem operationem Deo & creaturis adscribere debemus, ne creatura ad diuinam essentiam euehatur, & ne diuinæ naturæ peculiares & excellentes prærogatiuæ creaturis tribuantur, ideò & miracula & passiones vnius integri Christi sunt, sed secundum aliud & aliud eorum, ex quibus est naturis, & in quibus habet esse. Ac summa definitionis illius Synodi est: δύο θελήματα φυσικὰ ἤγουν θελήσεις καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας, ἐπὶ τοῦ ἑνὸς δυγνῶσθαι χριστοῦ, hoc est, Duas naturales voluntates, & duas naturales operationes, in vno Domino nostro Christo demonstrari.

Sicut igitur in Christo duas naturas cum suis proprietatibus credimus, Ita duas naturales voluntates & naturales actiones, vnam diuinæ, alteram humanæ, confiteri cogimur, nisi velimus vel conuersionem, vel confusionem naturarum fingere. Conuersio enim vel confusio voluntatum & operationum, ipsarum etiam naturarum vel conuersionem, vel confusionem introducit. Nam iuxta Damascenum sunt ἰδιώματα συσατικὰ τῆς φύσεως οὐσιωδῶς πρόσοντα, Sunt proprietates constituentes naturam, quæ essentialiter naturæ insunt. Verum est enim veterũ axioma, Quæ eiusdem voluntatis & operationis sunt, vtiq; eiusdem substantiæ esse, sicut ex vnitate voluntatis & operationis personarum Trinitatis, vnitas quoq; essentiæ, probatur Ioh. 5. Item: ex diuersitate voluntatis & operationis, diuersitas etiam substantiæ rectè ostenditur, Sicut hæc Nysseni

 senten-

sententia in 6. Synodo citata, inquit: Diuersas esse operatrices naturas, ex diuersitate operationum animaduertimus. Non enim possibile est, quæ secundum naturæ rationem distant, cum inuicem ad vnam operationum speciem coniungi.

Sicut autem naturæ in Christo, non separatim subsistunt, sed vnitæ sunt personaliter, vt vnus sit Christus, Ita vnus est volens, vnus est operans, secundum vtramq; naturam, οὐ διῃρημένως ἄλλα ἡνωμένως, hoc est, naturæ singulæ, non per se separatim, seu seorsim suas actiones exercent, Sed sicut naturæ, ita etiam operationes naturarum vniuntur. Vnus igitur Christus vult, & operatur in vtraq; natura, nec confusè nec diuisè, sed cum communione alterius, quod cuiusq; proprium est, quam communionem Dionysius vocat actionem περιχωρησιν, quæ à Scholasticis rectè ita explicatur. 1. Quia vna est hypostasis, habens actiones non in vna tantum natura, sed in vtraq; & diuina & humana. 2. Quia diuina actio vtitur humana, tanquam organo seu instrumento, Et vicissim, humana actio participat de virtute diuinæ, vt sit salutaris. Quia duæ illæ actiones, vniuntur ad vnum effectum, quem Damascenus vocat ἀποτέλεσμα, vt est mundatio leprosi, redemptio, &c.

Et ex his fundamentis Damascenus scribit, tria hæc esse Synonyma, quarum alterum declaratur per alterum.

1. Persona Christi agit seu operatur μετ' ἀμφω τὰς φύσεις, secundum vtramq; naturam, non separatim, sed coniunctim.

2. Persona Christi ἐνεργεῖ ἐν ἑκατέρᾳ μορφῇ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας, hoc est, habet actiones in vtraq; forma seu natura, cum communione alterius, quod cuiusq; proprium est.

3. ἑκατέρα φύσις ἐν χριστῷ ἐνεργεῖ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας: Vtraq; natura in Christo operatur cum communione alterius, quod cuiusq; proprium est. Et de hac postrema quidem propositione, disputatum fuit in Concilio Chalcedonensi, propterea quod actiones, sicut in primo genere diximus, non naturis, sed hypostasi tribuendæ sint: Sed modus ille loquendi, tandem ibi receptus & approbatus fuit. Duæ enim naturæ vnitæ, inquit

Dama-

Damaſcenus lib.3.cap.19.ſunt vnus Chriſtus,& vnus Chriſtus, duæ naturæ perſonaliter vnitæ. Idem igitur eſt dicere, Chriſtus agit ſecundum vtramq; naturam, & vtraq; natura in Chriſto agit cum communione alterius. Vigilius lib.4. recitat hanc obiectionem: Si vtraq; natura in Chriſto dicitur agere, quod cuiuſq; proprium eſt, ſicut Leo in Epiſtola Synodica loquitur, videntur duæ perſonæ in Chriſto conſtitui. Defendit autem modum illum loquendi exemplo Pauli, qui de vno & eodem homine loquens, inquit: Omnia membra non habent eandem operationem. Item: Oculus non poteſt dicere manui, opera tua non indigeo.

Et iam facilis eſt explicatio argumentorum, quibus Monotheletæ, vt ſupra diximus, vſi ſunt. Quomodo enim perſonæ vnitas non diſtrahatur, ſed ſeruetur, etiam cum dicuntur duæ aſſe actiónes in Chriſto, ſatis oſtenſum eſt. Scholaſtici hæc ita explicant, Agere eſt hypoſtaſis ſeu perſonæ, ſed forma ſeu natura eſt cauſa agendi, Vnumquodq; enim agit ratione formæ, quam habet. Ad diuerſitatem autem cauſarum ſequitur diuerſitas effectuum: Vbi igitur diuerſæ ſunt formæ ſeu naturæ, ſunt etiam diuerſæ actiones. Nec ſequitur, ideo plura fieri ſuppoſita, Sed ſicut idem ſuppoſitum eſt ſubiectum diuerſarum proprietatum, propter diuerſa principia cauſantia illas proprietates, Ita in vna perſona Chriſti, duæ ſunt naturales actiones, diuina & humana. Hæc ſunt Scholaſticorum verba.

Damaſcenus lib. 3. cap. 15. Vocabulis, hoc eruditè diſtinguit, ἐνεργεία, eſt ſubſtantialis & efficax naturæ motus, ἐνεργητικὸν eſt natura, à qua actio procedit, ἐνέργων eſt hypoſtaſis vtens operatione, ἐνέργημα eſt effectus actionis. Eandem rationem & differentiam habent & hæc vocabula, θέλησις, vel θέλημα, θελητικὸν, θέλων, θέλητον.

Ad 2. Monotheletarum argumentum facilis eſt reſponſio, Non enim pugnantes vel contrariæ ſunt, duæ illæ naturales voluntates & actiones, in Chriſto, Sed vna operatur, cum communione alterius, ſicut dictum eſt, & humana ſubijcitur ac ſubordinatur diuinæ.

Humana enim Christi voluntas ea vult, quæ diuina voluntas vult eam velle, sicut inquit Damascenus Cap. 28. Nam in Christo animæ quidem est, ἡγεμονικὴ carnis, sed tamen ἡγεμονευομένη à Verbi Deitate, Ita Damascenus.

Tertium argumentum est Apollinaris, Organon & quod mouet organon, vnam solent perficere operationem. Duplex autem est ad hoc Argumentum responsio: Prima est Damasceni, Vnum est ἀποτέλεσμα mundatio leprosi. Item: Redemptio generis humani, Sed ad hoc ἀποτέλεσμα efficiendum, concurrunt vtriusq; naturæ in Christo actiones, sicut supra ostensum est. Altera responsio est scholasticorum, Actio organi, quod mouetur ab alio duplex est, vna, quam habet secundum propriam formam, altera quam habet secundum quod mouetur ab alio, vt quando faber vtitur igne, calefactio est propria actio ignis, qua faber vtitur ad calefaciendum ferrum, Vbi igitur mouens & motum habent diuersas formas operatrices, ibi oportet, quòd alia sit operatio mouentis, alia propria moti, licet vtrumque agat cum communione alterius, Quia igitur Christus assumpsit humanam naturam, non tanquam Organon inanime & brutum, oportet igitur ei tribuere propriam naturalem operationem.

Hæc quæ præcipua esse iudico de controuersia Monotheletarum, ex actis 6. Synodi, & ex Damasceno, quia ad declarationem eius, quod nunc tractamus, & vtilia & necessaria videbantur, paucis annotare volui. Reliqua enim Monotheletarum argumenta de Deificatione humanæ naturæ in Christo, sicut Veteres loquuntur, in sequenti tertio genere explicabuntur. In hoc verò secundo genere, de naturalibus vtriusq; naturæ operationibus loquimur. Nequaquam autem veteris Ecclesiæ sententia fuit, humanam naturam in officijs à Christo, eatenus tantum cooperari, quantum naturales eius potentiæ & vires ferunt. Mox enim in Tertio genere ostendemus, Humanam naturam in Christo, præter naturales seu essentiales proprietates in ipsa vnione saluas manentes, Innumera ὑπερφυσικὰ ex personali cum Diuinitate vnione accepisse, Ac Christum per

huma-

humanam naturam libera voluntate agere, vel ſecundum phyſica Idiomata, vel ſecundum axiomata hyperphyſica.

Nec verò ocioſa eſt diſputatio de duabus voluntatibus & duabus naturalibus operationib. in Chriſto, Sed præter ea, quæ diximus, habet & hunc vſum, Filius Dei naturam noſtram ideo aſſumpſit, Vt eam quia in Adamo ſpoliata & deprauata erat, in ſe primo & per ſeipſum ad priſtinam pulchritudinem reſtitueret, ſicut inquit Cyrillus, in Ioh. lib. 11. cap. 25. Aſſumpſit igitur non partem humanæ naturæ, quæ eſſet ſine mente, ſine voluntate, & ſine operatione humana, ſed aſſumpſit omnia, quæ in natura à Deo plantata fuerant, ſicut Damaſcenus loquitur, hoc eſt, aſſumpſit integram humanam naturam, habentem omnes vires & facultates humanæ naturæ proprias & ordinatas, vt vires quæ per peccatum in noſtra natura amiſſæ ſunt, recuperaret, & quæ per peccatum deprauatæ ſunt, in ſe primo repararet & reſtitueret. Atq; illam recuperationem & reparationem, per ſeipſum noſtro generi immitteret, quod in hac vita inchoatur, in futura vita conſummatum erit. Quod enim de humana natura à Filio Dei non eſt aſſumptum, non eſt curatum, iuxta Nazianzeni dictum. Ita Damaſcenus lib. 3. cap. 14. citat hanc antiquitatis ſententiam. χρισὸν τὸ ἡμέτερον ἐν ἑαυτῷ τυπῶσαι δέλημα, hoc eſt, Chriſtus in ſe ipſo delineauit, ſeu præformauit noſtram voluntatem, qualis ſcilicet fuerit in natura integra ante peccatum, & qualis ſit, quæ in reſtitutione in hac vita inchoatur, & in futura vita perfecta erit.

Ad huius conſiderationis declarationem facit, quod Scholaſtici tres gradus ponunt humanæ naturæ. Naturam ſcilicet inſtitutam, in Adamo ante lapſum, Deſtitutam in Adamo lapſo, & liberis eius, Reſtitutam in Chriſto, & per Chriſtum in renatis. Hæc omnium optima ratio eſt, tales diſputationes referre ad certum & verum pietatis vſum.

CAPVT XIX.

De Tertio gradu, seu Tertio genere, aut Tertio generali capite, eorum, quæ ex Hypostatica vnione in Christo oriuntur & consequuntur, quod scilicet, licet diuinæ naturæ in Christo, in sese ex illa vnione nihil vel accesserit, vel decesserit, humanæ tamen eius naturæ, præter & vltra naturales proprietates, innumera ὑπερφυσικὰ καὶ παραφυσικὰ, communem humanæ naturæ conditionem excedentia, ex hypostatica cum Deitate vnione, donata & communicata sint.

HOc verò est Caput illud, de quo nostra tempestate magnis contentionibus controuertitur, In cuius explicatione multæ, magnæ, & inexplicabiles sunt difficultates, Propterea, quia humana natura in Christo, exaltata est non tantum supra omnes consortes, beatos scilicet homines, atq; adeò super ipsos etiam Angelos, sed super omne deniq; nomen, quod nominatur, non tantum in hoc seculo, verumetiam in futuro. Ephes. 1. Cumq; in monte Maiestas illa hominis Christi, radios quosdam emitteret, Discipuli fulgorem illum contemplari non potuerunt, Sed timore perterriti, in faciem prociderunt. Matth. 17. Paulus etiam Actor. 9. & 22. videns fulgorem Maiestatis Filij hominis, per triduum apertis oculis nihil videre potuit. Tantus scilicet est fulgor & splendor Maiestatis illius, ad cuius dextram humana natura in Christo eleuata est, vt humanæ fragilitati in hac vita, non tantum non explicabilis, sed ne tollerabilis quidem sit, sicut inquit Cassianus de Incarnatione lib. 3. Et tamen mediocris

diocris aliqua huius etiam doctrinæ cognitio, quantum quidem de ea in Verbo Dei patefactum est, vtilis & necessaria est, ad veram & salutarem agnitionem, & personæ & officij Saluatoris nostri Iesu Christi. Ac sumuntur inde multæ suauissimæ consolationes. Sunt etiam controuersiæ non paucæ, quæ sine vera doctrinæ huius cognitione, rectè expediri non possunt.

Quæ igitur in scripturæ sententijs de hac parte mysterij Incarnationis, expressè & perspicuè patefacta sunt, modestè tractabimus, & reuerenter in timore Domini considerabimus. Neqꝫ hoc agemus, vt vel nostris sensibus illa comprehendamus, vel ad rationis nostræ normam & examen illa inflectamus & accommodemus, Sed Spiritu Dei nos illuminante & gubernante, rationem nostram captiuabimus in obsequium fidei, & simplici obedientia fidei, illis, quæ habent expressa scripturæ testimonia, firmiter assentiemus, licet modum non intelligamus. Rectè enim veteres de huiusmodi mysterijs dixerunt: Non intelligendum esse, vt credamus, sed credendum esse, vt intelligamus. De quibus verò non extant certa, firma, & perspicua scripturæ testimonia, in illis, vel negando, vel asseuerando, vel exquirendo, non laborabimus, sed illa reijciemus ad æternam illam Scholam, vbi non amplius ex parte, per speculum in ænigmate cognoscemus, sed facie ad faciem, Christum nostrum videbimus, sicuti est, 1. Cor. 13. 1. Ioh. 3.

Ne verò vel noua dogmata fingere, vel peregrinam sententiam scripturæ testimonijs affingere videamur, neue in difficillima hac controuersia, incauti à regia veritatis via, in diuersas partes deflectamus, illam rationem, quæ omnium & simplicissima & tutissima est, sequemur, vt scililet ante omnia expressa & perspicua scripturæ testimonia nobis proponamus, deinde vetustissimos & probatissimos primitiuæ Ecclesiæ scriptores, in consilium adhibeamus, vt illi significatione sui iudicij nos erudiant & confirment, quomodo scilicet ipsi veram & sanam de hac parte doctrinæ sententiã, veteri Ecclesiæ, ex verbo Deo tradiderint & explicarint. A quibus etiam erroribus, à quibus phanaticis & falsis opinionibus, veram sententiam in hac parte doctri-

doctrinæ ſegregarint. Ingrediantur itaq; in labores veterum, & ſcripturæ atque veterum verbis doctrinæ huius explicationem recitabimus. Illos enim cum ſummis donis præditi eſſent, & certaminibus grauiſsimis exercerentur, diligentius ſcripturæ teſtimonia conſideraſſe, & accuratius de his myſterijs locutos eſſe, non eſt dubium, cum quidem aures illorum, Apoſtolicæ antiquitatis teſtimonijs adhuc quaſi perſonarent. Explicationem verò, vt eo ſit ſimplicior, planior, & expeditior, in capita aliquot diſtribuemus.

Hactenus igitur diximus de duabus naturis in Chriſto, de hypoſtatica earum vnione, de perſona Chriſti, de differentia naturarum & idiomatum naturalium ſeu eſſentialium, ſalua manente in ipſa vnione. Et quomodo ſingularum naturarum idiomata communicentur toti perſonæ. Item: quomodo vtraq; natura agat cum communione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt. Intra hoſce verò terminos Idiomatum eſſentialium ſeu proprietatum naturalium, quidã totam hanc doctrinam coërcent & coarctant, nec vlterius vel ipſi progrediuntur, vel alios progredi patiuntur, Sed quod rectè ac verè dicitur, hypoſtaticam diuinæ & humanæ naturæ vnionem in Chriſto factam eſſe, ſalua differentia naturarum, ſaluis etiam manentibus eſſentialibus, ſeu naturalibus cuiuſq; naturæ proprietatibus. Hoc quidam prauè ita accipiunt, ac ſiniſtrè vrgent, vt in humana Chriſti natura, eſſentialia tantum & phyſica idiomata agnoſci velint, nec quicquam de ea, ne quidem ſcriptura diſertè tradente & affirmante, doceri aut credi velint, quod ſit ſupra, præter, vltra, aut contra naturales conditiones humanæ naturæ, qualis eſt, ſi ſecundum phyſica ſua principia συσατικὰ, per ſe, vel in ſeſe, ſiue extra illam vnionem, ſiue in vnione, conſideretur.

Tanta autem eſt doctrinæ huius ex ſcriptura euidentia, vt qui ita, ſicut iam dixi, diu acriter contenderunt, iam cogantur agnoſcere & fateri, humanæ naturæ in Chriſto, non tantum eſſentialia idiomata, & naturales conditiones tribuendas, Verum etiam præterea ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione, habere ipſam innumera ὑπερφυσικὰ & ἄφατα (quæ tamen poſtea

postea ad sola dona creata restringunt, sicut mox notabimus.) Si enim inhabitatio Dei in sanctis, per gratiam, præter & vltra naturales dotes, multa gratuita diuina dona confert, ac multa miranda in ipsis operatur, Quæ impietas esset, in illa massa humanæ naturæ, in qua tota plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter, tantum dotes physicas velle agnoscere, ac nihil de ea, quod naturales conditiones humanæ naturæ, per se, vel in se, extra hypostaticam vnionem consideratæ superet, & excedat, etiamsi scriptura hoc tradat & affirmet, velle credere?

Quia verò duæ sunt naturæ in Christo, diuina & humana, λόγ῾ enim assumsit humanam naturam. Quod igitur ad τὸν λόγον attinet, aliud est, quando consideratur vt persona, quæ ab æterno à Patre genita subsistit, & aliud est, quando diuina eius natura, Vt in sese perfectissima consideratur, Quod ad personam τ῾ῦ λόγ῾υ attinet, cum ea in tempore assumserit humanam naturam, in personæ suæ vnitatem, Verum est quod Augustinus dicit, hominem accessisse Deo, hoc est, per hypostaticam illam vnionem, personæ τ῾ῦ λόγ῾υ aliquid accessit, Ita vt quæ prius ab æterno erat hypostasis simplex, constans vna tantum natura diuina, scilicet, iam per assumptionem carnis facta sit ὑπόσασις σώθετ῾ος persona composita constans duabus naturis, vel subsistens in duabus naturis, sicut ex Nazianzeno Damascenus loquitur. Quod verò ad ipsam diuinam naturam τ῾ῦ λόγ῾υ attinet, certum est, ipsam ex hypostatica cum carne vnione, in sua essentia nihil vel amisisse, vel noui aliquid, siue maius, siue amplius, quam ab æterno habuit, accepisse. Quia enim diuina natura est excelsa, sicut Dauid inquit, in nouissimis suis verbis: Aspiciet me in forma hominis, qui est in excelsis Deus. Et Isa. 2. Quiescite ab illo homine, quoniam בַּמֶּה excelsitas reputatus est ipse, Ergo in sese non potest altius euehi, aut sublimius exaltari. Eadem etiam est perfectissima, vnde vocatur שַׁדַּי omni sufficiens, nihil itaq; ipsi, qua maior, amplior aut perfectior reddatur, potest donari, aut aliquid, quo augeatur, addi. At quia simpliciter immutabilis & inuariabilis est, Psal. 102. Omnia mutantur, tu autem permanes, & idem

ipſe es. Malach. 3. Ego Dominus & non mutor. Iacobi 1. Apud Deum non eſt mutatio, aut viciſsitudinis obumbratio. Ergo ratione hypoſtaticæ vnionis, nec diminutionem, nec augmentum in ſeſe ſuſtinuit diuina verbi natura, ſed qualis ab æterno fuit, ante vnionem, ita manſit in vnione, eſt, & erit ita poſt vnionem, ſicut Apoc. 1. Vocatur, qui erat, qui eſt, & qui erit.

De aſſumpta verò humana natura in Chriſto, Scriptura teſtatur, quod in vnione, non tantum habeat & retineat eſſentialia ſua Idiomata, ſed quod ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione, & per eam exaltata ſit ſuper omne nomen. Epheſ. 1. collocata ad dexteram Maieſtatis & virtutis Dei. Ebr. 1. & Luc. 22. Quod data ſit ipſi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Matth. 28. Omnia ſub pedibus eius ſubiecta. Epheſ. 1. Quod acceperit poteſtatem; diuitias, ſapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, benedictionem. Apocal. 2. & 5. Vnctus præ conſortibus. Pſal. 45. Vnctus ſpiritu & virtute. Acto. 10. Caro eius facta viuifica. Ioh 5. & 6. Per hominem reſurrectio mortuorum. 1. Corinth. 15. Ac in ſequentibus quidem plura teſtimonia addemus. Hoc loco verò in geuere ſufficit oſtendiſſe, Diuinam quidem naturam Chriſti, in ſeſe ex hypoſtatica illa vnione, nihic accepiſſe, humanam verò ipſius naturam, præter, vltra & ſupra, ſaluas ac manentes eſſentiales ſuas proprietates, ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione, innumera accepiſſe & habere ὑπερφυσικὰ καὶ παραφυσικὰ, quæ ſint ſupra omne nomen, ſicut in ſequentibus explicabimus.

In hanc etiam ſententiam, quod diuinæ naturæ Chriſti ex hypoſtatica vnione nihil, humanæ verò eius naturæ innumera axiomata acceſſerint, multa extant apud veteres piè dicta. Euſebius lib. 4. demonſtrationis Euangelicæ cap. 13. λόγος quidem ex ſeipſo quædam communicabat homini, non autem viciſsim à mortali ipſe aliquid accipiebat, Et mortali quidem virtutem diuinam ſuppeditabat, non autem viciſsim à mortali, ipſe in conſortium mortalitatis adductus eſt, ita vt à mortali aliquid ſecundum eſſentiam pateretur, aut detrimenti aliquid ex corporis affectionibus traheret: Sed ſicut radij ſolares illuminant

minant quidem lutum & cœnum, & quodcunq; attingunt, Nemo tamen dixerit, ſolem ipſum fœdari, dum lumine ſuo corporibus miſcetur.

Athanaſius in Epiſt. ad Epictetum: οὐδ' ἐ γαὰρ λόγ☉ σὰρξ ἐγένετο διὰ πρoδιήκων θεότητ☉, οὐδ' ἐ ἵνα βελτιώθη λόγ☉, Non enim verbum caro factum eſt, vt aliqua acceſsio fieret Deitati, neq; vt verbum in meliorem ſtatum reduceretur, magis verò humanæ naturæ magna acceſsio facta eſt, &c. Idem de Decretis Nicenis: λόγ☉ non diminuebatur amictu corporis aſſumpti, ſed potius Deificabat illud.

De aſſumptione hominis: Neq; enim Deitas in homine aſſumpto, augmentum aut detrimentum vllum ſuſtinuit.

Baſilius de Natiuitate Chriſti: Verbum corporea debilitate non eſt impletum, ſed ſicut ignis ferri proprietates non tranſſumit, nigrum eſt ferrum & frigidum, ſed tamen ignitum ignis formam induit, & ipſum illuſtratur & calefit, non nigrefaciens ignem, & ipſum inflammatur, non frigefaciens flammam. Sic etiam humana Domini caro, ipſa particeps facta eſt Deitatis, non ſuam propriam rradidit Deitati imbecillitatem.

Emiſſenus in Homilia de Incarnatione: Diuiniora quidem aſſumptæ naturæ dedit, eorum verò, quæ humanitatis ſunt, nihil aſſumpſit.

Auguſtinus contra Felicianum, cap. 10. Iniuria ſui corporis affectam non fateor Deitatem, ſicut maieſtate Deitatis glorificatam nouimus carnem.

Idem Epiſt. 3. Diuinitas totum hominem in melius mutandum, nullo modo ipſa in deterius mutata, cooptauit.

Cyrillus lib. 9. Theſauri, cap. 3. Hominem aſſumpſit, non vt liberam Deitatis naturam, in formam ſerui ſubmergeret, neque vt Deitatis dignitate ſuppreſſa, in proprietate noſtra teneretur, &c. Item de incarnatione vnigeniti, cap. 11. Humana natura ſubleuata magis eſt vltra naturam, quam deiecit infra naturam, inuertibilem Deum.

In Iohan. lib. 4. cap. 23. Non enim caro ad corruptibilem ſuam naturam, iunctum Dei verbum detraxit, ſed ipſa ad melioris virtutem eleuata eſt.

Leo Epiſt. 10. Natiuitas temporalis, illi diuinæ & ſempiternæ natiuitati, nihil minuit, nihil contulit, ſed totam ſe reparando homini, qui erat deceptus, impendit.

Epiſt. 11. Natura Deitatis incommutabilis, nec damnum ſui recipiens, nec augmentum. Ibidem: Aſſumti non aſſumentis prouectio eſt.

Damaſcenus lib. 3. cap. 7. Diuina quidem natura proprias glorificationes carni tribuit, Ipſa verò expers manet paſsionum carnis.

Certum igitur & manifeſtum eſt id, quod ex ſequentibus etiam clarius euadet, doctrinam hanc non eſſe integram & perfectam, ſi tantum de phyſicis & eſſentialibus naturarum proprietatibus in Chriſto diſputetur, Nec κοινωνίας doctrinam integram & perfectam eſſe, ſi tantum doceatur in primo gradu, idiomata naturarum tribui, ſeu communicari perſonæ. Et in ſecundo genere, vtramq; in Chriſto naturam agere cum communione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt. Sed præter hæc duo genera, etiam explicandum eſſe, quod humana natura in Chriſto, præter manentes eſſentiales ſuas proprietates, ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione, innumera ὑποθφυσικὰ acceperit, & quænam illa ſint, & quomodo naturæ aſſumtæ communicata ſint, hoc eſt, præter duos priores gradus, alium adhuc ponendum eſſe Tertium gradum, ſeu genus eorum, quæ ex hypoſtatica illa vnione oriuntur & conſequuntur. Manifeſtum etiam eſt, hunc gradum, rectè diſtingui à prioribus, In primo enim genere, tantum de eſſentialibus cuiuſq; naturæ proprietatibus agitur, & quæ in hoc genere prædicantur, perſonæ tribuuntur, non alteri naturæ, vt eſſe ab æterno, pati, mori. Et eſt mutua ac reciproca, in hoc primo genere, alternatio ſeu communicatio, qua tam Deo, quæ ſunt hominis, quam homini quæ Dei ſunt tribuuntur. In tertio verò hoc gradu, agitur de hyperphyſicis, quæ non perſonæ tantum, ſed ipſi aſſumptæ naturæ, vel perſonæ ſecundum aſſumtam naturam, donata vel communicata ſunt, Et illa communicatio non eſt mutua ſeu reciproca, ſed humanitati tantum communicantur à Diuinitate, non econtrà, Quæ differentia manifeſta eſt. Ita in ſecundo gradu ſeu

du ſeu genere, eſt communio actionum, quæ cuiq; naturæ propriæ & naturales ſunt. In Tertio verò hoc gradu, humana natura in officijs Chriſti communicat diuinæ, ſeu cooperatur cum illa, non naturalibus tantum ſuis viribus & operationibus, ſicut in ſecundo genere, ſed ex hyperphyſicis illis, quæ ex hypoſtatica vnione accepit, & communicata habet. Manifeſtum igitur eſt, ponendum eſſe etiam Tertium hunc peculiarem gradum, eorum, quæ ex vnione hypoſtatica oriuntur & conſequuntur, quodq; hic gradus à prioribus differat, Vt autem explicatio expeditior & planior ſit, Tertium hunc gradum ita diſtribuemus, Quædam enim ὑπερφυσικὰ, quæ humanæ naturæ in Chriſto, ex hypoſtatica vnione communicantur, ſunt creata & finita dona, qualitates ſeu habitus, formaliter, habitualiter, ſeu ſubiectiuè, ipſi humanitati ſecundum ſe inhærentes,

Quædam verò ſunt attributa ipſius Diuinitatis, quæ non formaliter, per phyſicam effuſionem, ſeu eſſentialem confuſionem, ſed per diſpenſationem vnionis, humanitati communicata ſunt, ſicut potentiæ animæ naturales & animales corpori, vis lucendi & vrendi ferro ignito, communicantur, ſicut ordine hæc explicabimus.

CAPVT XX.

De donis Hyperphyſicis Humanæ naturæ in Chriſto, ex hypoſtatica cum diuina natura τῷ λόγῳ vnione, collatis.

EX Verbo Dei certum eſt, quando Deus ſiue tota Trinitas in credentibus & ſanctis per gratiam inhabitat, quod nõ ocioſus, aut per eſſentiam tantum ἄνευ ἐνεργείας, ſine efficacia ipſis adſit, relinquens eos in puris ſeu meris naturalibus, Sed quod diuina ſua ἐνεργείᾳ operatione ſeu efficacitate in credentibus operetur, &

efficiat multa ac varia ſupernaturalia, aut præternaturalia, ſicut Scholaſtici loquuntur, gratuita, ſpiritualia, cœleſtia, & diuina dona, quæ vſitatè appellantur vel qualitates, vel habitus, vel virtutes, vel ſicut vulgo dicitur, Spiritum ſanctum efficere in credentibus tales motus, qualis ipſe eſt. Atq; ideò illam inhabitationem per gratiam in Sanctis, ſcriptura vocat κοινωνίαν Spiritus Sancti, 1. Cor. 13. Et credentes ideò dicuntur θείας φύσεως κοινωνοὶ, Vt qui communionem habeant cum diuina natura, 2. Pet. 1. Illa verò dona ſanctis per inhabitationis gratiam collata, non ſunt ipſa eſſentialia, increata & infinita Diuinitatis Idiomata, ſed ſunt gratuita dona & finita, ac quaſi effectu Deitatis, quæ Sanctis ita conferuntur, vt formaliter, habitualiter, & ſubiectiuè ipſis inhæreant, Atq; hoc modo, toto genere differunt & diſtincta ſunt ab ipſis eſſentialibus diuinæ naturæ Idiomatis. Et dona illa, pro bona Dei voluntate inter ſanctos ita diſtribuuntur, quod non omnibus omnia, ſed quod præter illa dona, quæ omnibus credentibus communia ſunt, ſicut Paulus Tit. 1. vocat fidem communem, ſingulis peculiaria diſtribuit, prout expedit, 1. Cor. 12. Habent enim dona, iuxta gratiam ipſis collatam differentia, ſicut Deus cuiquam diſtribuit menſuram fidei, Rom. 12. Alij enim talia dona habent plura, alij paucioca, alij minora, alij maiora. Cum igitur Diuina natura τὸ λόγος, non tantum per inhabitationis gratiam, ſed tota plenitudine perſonaliter inhabitet in aſſumpta ſua humana natura, quam Hypoſtatica vnione ſibi propriam fecit, impium profecto & blaſphemum foret cogitare, Humanam naturam Chriſti, in hypoſtatica illa vnione, in puris ſeu meris naturalibus relictam, & ex perſonali illa vnione nihil accepiſſe aut habere, præter eſſentialia ſua idiomata, nihil vltra phyſicas ſuas vires, facultates & conditiones, & nihil ſupra naturales ſuas operationes, ſed rectè ac ſecundum ſcripturam, à Scholaſticis ſcriptoribus ſtatuitur, cum Chriſtus ſecundum aſſumptam naturam vnctus ſit, vltra conſortes, non homines tantum, ſed & angelos, Ideò Diuinam naturam τὸ λόγος, in aſſumptam humanam ſuam naturam, cui ὑποστατικῶς

vnita

vnita est, Diuina sua ἐνεργείᾳ, contulisse & effudisse spiritualia, cœlestia, ac diuina dona, non tantum particularia quædam, certa mensura definito numero, & dimensis gradibus, sicut in sanctis limitata, sed omnia diuina dona, tota plenitudine, superabundanti copia, summa & absolutissima perfectione, quæ substantiæ creatæ in sese conferri possunt, vltra omne nomen, numerum & mensuram. Si enim Diuinitas in sanctis per gratiam inhabitans, tanquam lumen verum virtutum suarum radios spargit & diffundit in sanctos, Et tanquam vinus fons, bonorum suorum riuos influit, & effundit in credentes. Multò plenius & longe perfectius, illa in ea carne fieri statuendum est, in qua tota plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter. Illa verò dona infusa, non sunt ipsa essentialia idiomata Diuinitatis, sed sunt effecta eius extra Diuinitatem in humanam Christi naturam, ita infusa, vt in ea formaliter, habitualiter, & subiectiuè, sicut Scholæ loquuntur, inhæreant, quibus ipsa ἀνθρωπότης Christi in se, & secundum se, informatur & perficitur, possit esse organon habile, idoneum, ac sufficienter dispositum, per quod, & cum cuius communione ac cooperatione Diuina potentia λόγου, Diuinæ maiestatis suæ operationes exercere ac perficere possit. Et hæc dona, sicut ipsa substantia humanæ naturæ, cui formalter inhærent, in se creata & finita sunt.

Inter ὑποστατικὰ igitur & ἀνυποστατικὰ, quæ Scholastici vocant supernaturalia & præternaturalia, quæ assumptæ humanæ naturæ Christi, ex hypostatica cum Diuinitate vnione, donata & communicata sunt, primo loco ponemus dona illa gratuita, seu infusa, sicut dictum est, Idq; ideò, Hactenus enim in hac controuersia, inter partes de hisce donis iam conuenit, vt ita eò commodius tandem peruenire possimus ad summum gradum. Dona enim illa, quantacunque copia excellentia, & perfectione, in Christi humanitate ponantur, non tamen assequuntur maiestatem illam, quæ Christo in tempore donata scribitur, vt quod caro eius sit viuifica, de quibus postea dicemus.

Adijcienda autem ſunt quædam ſcripturæ teſtimonia, quæ doctrinam de donis illis infuſis, & formaliter inhærentibus, ac de earum præeminentia confirment, & aliquo modo oſtendant, quænam aut qualia dona illa ſint, licet enim excellentiam illorum donorum nec lingua explicare, nec mentis noſtræ acumine aſſequi poſſumus, aliquid tamen de illis cogitandum eſt, Id quod omnium rectiſsimè fit, prælucente verbo Dei, ſi in ſcripturæ teſtimonijs, tanquam in ſpeculo & ænigmate, doctrinam illlam conſideremus, ac intra terminos diuinæ patefactionis nos contineamus.

Veteres igitur in huius doctrinæ tractatione, præcipuè vſi ſunt illis teſtimonijs, quæ extant Luc. 2. Puer creſcebat & confortabatur Spiritu, & implebatur ſapientia, ac gratia Dei erat per ipſum. Item: Ieſus proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines. Quæ teſtimonia Ambroſius ita explicat: Profectus ætatis, & profectus ſapientiæ, non diuinæ, ſed humanæ naturæ eſt, Quomodo enim Dei ſapientia proficeret? Ideò ætatem commemorauit, vt ſecundum hominem crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis ſed corporis eſt, Ergo ſi proficiebat ætate hominis, proficiebat & ſapientia hominis, Quis ergo ſenſus profecit? Si diuinus, ergo mutatus fuit per profectum, Quod enim proficit, mutatur in melius, ſed quod diuinum eſt, non mutatur, quod ergo mutatur, non eſt diuinum, Senſus ergo profecit humanus. Non poterat confortari virtus Dei, nec creſcere Deus, nec altitudo ſapientiæ Dei impleri, Quæ ergo implebatur, non erat Dei, ſed noſtra ſapientia. Hæc Ambroſius de incarnatione.

Porrò, quia humana natura conſtat corpore & anima, & in anima præcipuæ partes ſunt: Pars intelligens, & pars appetens, vel mens & voluntas. Scholaſtici igitur ex illis ſententijs Lucæ, eruditè & non malè colligunt diſtributionem quandam donorum illorum, quæ humanæ naturæ in Chriſto, præter dotes naturales collata ſunt. Vocabulum enim Spiritus, quo puellus corroborabatur, indicat, non intelligendas facultates eſſentiales, ſeu dotes Phyſicas, quæ progreſſu ætatis creuerint, ſed dona ὑπερφυσικὰ, ſpiritualia, cœleſtia & diuina intelligēda eſſe.

Per

Per gratiam intelligunt, omnia dona & omnes virtutes, quæ ad voluntatis perfectionem pertinent. Sapientiæ nomine intelligunt, lucem diuinam, qua notitia seu cognitio, intellectus & sapientia mentis, perfectissimè (salua exinanitionis dispensatione) illustrata est. ἡλικία, hoc est, ætas & statura, (vtrumq; enim significat) corporis dona complectitur. Hæc distributio ex ipsis scripturæ fundamentis desumpta, facem nobis præfert, illustrantem totam hanc doctrinam.

Longobardus de gratia seu de donis gratiæ, humanæ naturæ in Christo collatis, interpretatur illud Isa. 11. Requiescet super florem Isai Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilij & roboris seu potentiæ, Spiritus scientiæ & timoris Domini, &c. Habitat quidem in Christo personaliter tota plenitudo Deitatis, quæ est Spiritus sapientiæ, fortitudinis, sicut in sequenti summo gradu dicemus. Non tamen cogitandum est, humanam in Christo naturam in se, & secundum se vacuam esse illis donis, quæ Isaias enumerat, Cum quidem timor Domini humanæ naturæ propriè competat. Et Propheta ipse, quasi intento digito, descriptiones habituum inhærentium ponit, cum subiungit: & faciet eum spirare timore Domini, vt iudicet cum Iusticia, & erit Iusticia lumborum eius, & fides cinctorium renum eius iuxta hanc Isaiæ interpretationẽ, reliqua etiam dicta, vbi Messias describitur, vnctus præ consortibus, Psal. 45. Vnctus Spiritu. Isa. 61. Donatus spiritu. Ioh. 3. rectè intelliguntur, & de ipsa totâ plenitudine Deitatis, ac totius ἐνεργείας ipsius, sicut in sequenti gradu, qui summus est, dicemus, & de ipsis etiam virtutibus, habitibus seu donis, naturæ humanæ in Christo collatis, vt Psal. 45. Specioſus forma præ filijs hominum, effusa est gratia in labia tua, eò quod Dominus benedixit tibi. Accingere gladio tuo, decore tuo, & magnificentia tua, Dilexisti iusticiam & odisti iniquitatem, eò quod Deus vnxit te. Isaias etiam cap. 61. effectus vnctionis ita describit: vt mederer afflictis corde, vt prædicem indulgentiam, consoler lugentes, &c.

Illa verò dona spiritualia, cœlestia & diuina tota plenitudine, omnia, & in summo ac perfectissimo gradu humanæ naturæ

in Christo collata esse, inde certum est, Christus .n. in omnibus primatum tenet, Col. 1. Vnctus est vltra consortes, speciosus forma præ filijs hominũ. Ps. 45. Plenus gratia & veritate, Ioh. 1. Cumq; reliquis sanctis dona cõferãtur, prout cuiq; Deus distribuit mensuram fidei, Rom. 12. Soli Christo Spiritus nõ ad mensuram datus est, Ioh. 3. Exaltatus enim est super omne nomen, Eph. 1. Hæc siquidem dicta etiam ad superabundantiam & perfectionem donorum in Christo, rectè accommodantur, licet ea summam illam celsitudinem, in istis scripturæ testimonijs propositã, non assequantur, sicut in sequenti capite ostendemus.

Porrò, quia hæc infusio seu collatio donorũ in assumta natura Christi, intelligenda est, salua, in tempore humiliationis, susceptione infirmitatum humanarum absq; peccato, & salua ratione exinanitionis, Vnde quædam ignorauit, didicit, profecit sapientia, voluntas petijt transferri calicem corporis, virtus exaruit, sanguis per sudorẽ effluxit, &c. Scholastici igitur Doctores lib. 3. dist. 13. Quia omnium illorum donorũ & perfectionis eorum causa est hypostatica vnio, quæ nec maior, nec intentior facta est progressu temporis, sed à primo initio vnionis fuit perfectissima, sentiunt, dona illa habitualia fuisse in Christo homine, copia, numero, & gradibus, à primo statim momento vnionis, absoluta & perfecta. Quod verò dicitur, profeciisse sapientia, hoc exponunt, quod non in se, sed in alijs profecerit, quibus subinde magis ac magis dona sua manifestauit. Alij dicunr dona illa creuisse, non intensiuè, sed extensiuè, q; scilicet subinde ad alia noua ac plura obiecta, se conuerterunt. Alij dicunt, dona infusa, cum ab initio fuerint perfectissima, non potuisse crescere, sed exempli gratia, scientiam experimentalẽ, seu acquisitam profeciisse. Distinguunt etiam quidam, inter habitum, & inter vsum seu actum eius. Sed quia Lucas scribit, Iesum profeciisse sapientia & gratia, non tantũ apud homines, per manifestationem, sed & apud Deum in rei veritate, Ideò quidam nostro tempore disputant, dona illa humanitati Christi infusa, & habitus supernaturales inhærentes, non fuisse statim, copia, gradibus & numeris, ante glorificationem absolutos & perfectos, sed in eadem parte animæ fuisse simul, & infirmitates physicas absq;

peccа-

peccato, & habitus ſpirituales in gradib. remiſsis incoatos, qui ſubinde creuerint & aucti ſint. Damaſcenus verò ex Patrum ſententia tradit, hypoſtaticam vnionem non effeciſſe ἕπεσθαι excidentiam naturalium proprietatum, ſed diuinam naturam verbi, quando voluit, tempore exinanitionis conceſsiſſe, vt aſſumpta ſua humanitas, aliquid ageret aut pateretur, vel ſecundum naturales proprietates, vel ſecundum aſſumtas infirmitates abſq; peccato, Diuinam verò ſapientiam, quæ tota plenitudine perſonaliter in aſſumpta humanitate habitabat, quando voluit & prout voluit, ſubinde magis magiſq; per carnem ſe manifeſtaſſe. Et hoc Lucam velle, quando dicit: Profecit ſapientia. In eandem fermè ſententiam & Lutherus dictum illud Lucæ exponit, Quod ſcilicet Spiritus ſeu Diuina natura Verbi, quæ tota plenitudine ab initio conceptionis perſonaliter erat in aſſumpta humanitate, non ſemper quoſuis virtutum motus ſeu actus, tempore exinanitionis in ipſa effecerit, ſed nunc hos nunc illos, quodq; progreſſu ætatis, ſubinde efficacius, maiores ac illuſtriores motus ſeu actus in ea effecerit, Vt Anno 12. maiores quam in Infantia, & Anno 30. illuſtriores quam Anno 12. Vt ita tempore exinanitionis habitu inuentus ſit, vt alius homo, atq; ita in rei veritate, non coram hominibus tantum, ſed & coram Deo profecerit ſapientia & gratia. Omnes verò in eo conſentiunt, quod finita exinanitione & depoſitis infirmitatibus, in glorificatione, dona illa humanæ naturæ Chriſti ex hypoſtatica vnione infuſa ſeu collata, copia, numero & gradibus, tam habitu quam actu, iam ſint ſumma, maxima & perfectiſsima, Quod ſcilicet in ſe, & ſecundum ſe, humanitas Chriſti, formaliter ſeu habitualiter aucta & ornata ſit, ſuper omnes creaturas, ineffabili & incomprehenſibili luce, ſapientia, potentia, robore, fortitudine, gloria, honore, immortalitate, impaſsibilitate, claritate, felicitate, beatitudine, ac reliquis dotibus glorificationis. Et in ſumma, tota plenitudine omnium ſpiritualium, cœleſtium & diuinorum donorum, in ſummo gradu, ſuper omne nomen. De hiſce ergo donis, in hac controuerſia, inter partes iam conuenit. Conuenit & de eo, quod dona illa, cum ſint effectiuè à diuina natura in humanitate producta, ac

sint qualitates seu habitus, formaliter & subiectiuè ipsi humanitati, in se aut secundum se inhærentes, informantes, seu perficientes humanitatem, secundum se, quod scilicet non sint ipsa æterna & infinita Idiomata diuinæ naturæ, sed eius effecta, dona, creata, & qualitates finitæ, sicut ipsa substantia humanitatis, cui inhærent, proprietate naturæ finita est & manet in ipsa vnione, Quod verò creata & finita illa dona, non assequantur excellentiam & præeminentiam eorum, quæ scriptura, & Patres ex scriptura docent, assumptæ humanæ Christi naturæ ex hypostatica cum Diuinitate vnione, data, donata, seu communicata, in sequentibus ostendemus.

Porrò vetus, acris, difficilis ac subtilis est disceptatio, ante Longobardi etiam tempora mota, An Spiritus Sanctus in credentibus, & diuina natura τῦ λόγυ in anima assumpta, motus seu actus virtutum immediatè, an verò mediantibus donis creatis, seu habitibus virtutum infusis, efficiat & excitet. Ac in sanctis quidem, Scholastici rectè ponunt, dona virtutum à Spiritu renouationis creata, seu habitus infusos, vnde oriantur motus seu actus virtutum. In assumptam etiam Christi humanitatem, talia dona collata, seu tales habitus infusos in summa perfectione seu eminentia, salua exinanitionis ratione ponere: nihil à veritate ac pietate alienum habet. Ac quia velim controuersias non cumulari, sed minui, nolim veterem illam disceptationem contra dona habitualia, in Ecclesiam, quæ aliàs sub nimis magna certaminum mole fatiscit, reuocari. Concedamus igitur, & in eo consentiamus, humanã naturam in Christo, præter & vltra physica seu essentialia sua idiomata, ex hypostatica vnione, innumeris donis, seu potius tota plenitudine omnium spiritualium, cœlestium ac diuinorum donorum, summa perfectione, salua ratione temporis exinanitionis, donatam, ornatam, auctam informatam & perfectam esse: modo non sub titulo & prætextu donorum formalium seu habitualium, negetur, vel abijciatur, summus ille, gradus, quo diuina natura τῦ λόγυ, totam diuinam suam vim, & potentiam & operationem, exerit & exercet, per assumptam humanam naturam, sicut mox in sequentibus ostendemus.

Conside-

Consideranda aũt sunt dona illa, humanæ naturæ ex hypostatica cum Diuinitate vnione collata, non absoluta tantum (vt ita dicam) ratione, Quod scilicet humanitas illis, secundum se tantum ornata sit, sed ꝙ acceperit talia ὑπερφυσικὰ dona, vt posset esse organon, sufficienter & idoneè dispositum, cum quo, & per quod, Diuinitas verbi, operationes suas exerceat & perficiat. Est .n. assumta humanitas Christi, organon diuinitatis assumentis, sicut in sequentib. clarissimis veteris Ecclesiæ testimonijs ostẽdemus. Non aũt est organon exanime, sicut securis, nec brutũ, Vt asina Bileam loquens, nec ocioſum seu ἀνενέργητον, vt quando Sol splendet per vitrum, sed est organon animatum, viuum, intelligẽs seu rationale, quod viui & intelligentis organi modo cooperatur, quãdo diuinitas per illud, diuinas suas operationes vult efficere, sicut inquit Athanasius Serm. 4. contra Arrianos: Caro suo ministerio Diuinitatis operib. inseruiebat. Et Cyrillus in Iohannem lib. 4. cap. 14. Carnem suam in edendis miraculis quasi cooperatricem adhibebat, &c. Non autem essentialibus tantum facultatibus, aut physicis tantum suis operationibus, cooperatur: Sed ex hypostatica cum Diuinitate vnione, Ideò accepit innumeras dotes ὑπερφυσικὰς, spirituales, cœlestes & diuinas, quibus ita informetur, disponatur, habilis & idonea reddatur, vt possit esse operationum Diuinitatis verbi organon, εὔχρηστον, vsibus verbi accommodatum, habens suam operationem seu efficaciam, ad quæcunq; & quandocunq; diuina potentia τοῦ λόγου, organo illo, pro bona ac liberrima sua voluntate, vti voluerit, conscia scilicet mente humana & conformi humana eius voluntate: Licet obtusa mentis nostræ acie, quomodo illud fiat, non semper intelligamus. Si enim Deus in Sanctis per gratiam inhabitans, quando ipsorum opera & ministerio in Ecclesia vti vult, vt per illos tanquam organa, suæ potentiæ & bonitatis opera exerceat, manifestet & dispenset, donis spiritualibus cœlestibus ac diuinis, ita ipsos instruit, vt donis illis possint, Deo per ipsas efficaciter operanti, inseruire, & Dei συνεργοι esse. 1. Cor. 3. Quid existimamus assumptæ Christi naturæ factum esse, quæ in vnitatem personæ verbi, ita assumpta est, vt diuina natura τοῦ λόγου, actiones suas, non ne-

 cessi-

ceſsitate quadam aut indigentia, ſed liberrimo beneplacito, cum communione aſſumtæ naturæ exerceat & efficiat? Supra enim totius antiquitatis ſententijs ſecundum ſcripturam oſtenſum eſt, Naturas in Chriſto non habere ſeparatas actiones, ſed vtramq; in Chriſto naturam, operari cum communione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt, Et quidem humanitatem Chriſti eſſe organon Diuinitatis ipſius, ita vt diuina eius actio non ſit expers humanæ, nec humana diuinæ, ſicut Damaſcenus inquit: Non poſſet autem humana natura in Chriſto, tale Organon cooperans eſſe, ſi nulla alia dona, præter vires ſuas eſſentiales, & ſupra efficaciam naturalem haberet. Nam & anima vnita corpori, potentias & operationes ſuas, per organa corporis exercens, Organa illa, vnione & efficacia ſua ita informat, diſponit, habilia & idonea reddit, Vt per illa, hoc eſt, ipſorum adminiculo ac miniſterio, potentias & operationes ſuas, quam diu eſt in corpore, exercere & perficere poſsit, ſicut ex diſpoſitione organorum in corpore, vitiata, læſa aut deſtructa, manifeſtum eſt.

Addo autem propter cauillantium calumnias, me non intelligere Neſtorij organon, qui finxit hominem Chriſtum, per ſe ac ſeorſim ſubſiſtentem, excellentiſsimis donis ornatum & inſtructum fuiſſe, ac λόγον ſeu Filium Dei, per illum hominem, tanquam per organon, ſicut per reliquos ſanctos, magna & mira edidiſſe opera, Sed cum tota veteri Eccleſia, humanam Chriſti naturam, quæ non in ſeſe ſeorſim, ſed in perſona verbi, per vnionem hypoſtaticam ſubſiſtit, Intelligo & appello Organon Diuinitatis λόγȣ, proprium, coniunctum, imò vnitum, atq; ideò perſonaliter aſſumtum, & per illud, & cum eis communione Diuina natura τȣ̃ λόγȣ, operationes ſuas, pro libero ſuo beneplacito, exerat & efficiat.

In hanc ſententiam, ſicut de donis humanæ naturæ in Chriſto collatis, hactenus diximus, maximè illuſtre extat teſtimonium Origenis, De principijs lib. 4. λόγ☉ ſuſcepit animam, noſtrarum quidem animarum ſimilem per naturam, propoſito

posito verò & virtute talem, quali omnes voluntates & dispensationes Verbi possent impleri.

Athanasius contra Arrianos, Serm. 4. Deificationem humanitatis Christi ita explicat, quia facta sit organon, per quod λόγῳ suam ἐνέργειαν exerceat.

Epiphanius contra Dimæritas dicit: λόγον esse & πλήρωτὸν & τελεώτὸν assumptæ naturæ, vbi distinctè duo hæc ponit. Primò, quòd essentia Diuinitatis assumtam naturam impleuit, quod ad summum gradum communionis, de quo mox dicemus, pertinet. Secundò, quod eam ita perfecit, vt sit σκεῦῳ ἁγιοσύνης τὰ πάντα τελείως ἔχον, Instrumentum sanctificatum, habens omnia perfectè, Ita enim loquitur in compendaria doctrina de fide, vbi disertè addit, Hac clarificatione non tolli veritatem humanæ naturæ.

Leo dicit: Animam Christi excellere non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis.

Ac paulò post plures veterum sententias adscribemus, quæ tradunt, Diuinitatem λόγῳ vti assumpta humana natura, tanquam organo, ad operationes Diuinitatis exercendas.

Vnam verò adhuc sententiam abscribam, vt illam Lector consideret. Est autem Gersonis, in sermone de 4. domibus, vbi disputat contra Durandum de sancto Portiano, qui in 3. libro sententiarum, Dist. 14. opinatur: Christum habuisse quidem multa dona supernaturalia, perficientia humanam naturam, ad actus humanæ naturæ proprios, Ad actus autem supernaturales, nequaquam fuisse in humana natura Christi, virtutem, vt ita dicam, instrumentalem, operandi aliquid exterius, vltra modum humanum, sed Diuinitatem per assistentiam, operatam esse miracula per humanitatem Christi, sicut per sanctos. Gerson verò explicans historiam de restitutione Paralytici, inquit: En præclarissima humanitatis Christi dignitas, quæ tanto in opere Diuinitati subseruiuit. Vera enim probabilitate dici potest, quod in omnibus Christi miraculis, sua humanitas, propter ipsius ad verbum hypostaticam vnionem, tanquam

causa

cauſſa ſecunda principaliſsima communicauit. Et in hoc eminens eſt quædam ipſius, vt ita loquar, omnipotentia, & prærogatiua ſingularis, ſuper cæteros homines ſanctos, per quos tantummodo meritorie, ſine eorum cauſali concurſu, mirabilia patrata ſunt. Ita Gerſon.

Sed non opus eſt de donis humanæ naturæ in Chriſto, ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione collatis, prolixius diſputare. Plana enim hæc ſunt, de quibus etiam inter controuertentes conuenit. Progrediamur itaq; ad ſummum κοινωνίας gradum, in quo tota vis doctrinæ huius conſiſtit, ac de quo adhuc controuerſia eſt.

CAPVT XXI.

Quod præter dona illa habitualia, de quibus dictum eſt, alius ſummus gradus κοινωνίας ponendus ſit, quo propter hypoſtaticam cum Diuinitate vnionem, aſſumta humana natura in Chriſto, Communionem vnioni correſpondentem habet, cum attributis, quæ Diuinæ naturæ verbi propria ſunt.

QVæ igitur hactenus explicata ſunt, de duabus naturis in Chriſto, Quod duæ illæ naturæ ita vnitæ ſint, vt vnum conſtituant ὑφιστάμενον, Quod vtriuſq; naturæ eſſentialia idiomata diſtincta ſint & maneant, communicentur autem vni ac toti perſonæ, Quod vtraq; in Chriſto natura agat cum communione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt, Quodq; humana Chriſti natura, non tantum eſſentialia, ſeu phyſica ſua habeat & retineat idiomata, in ipſa vnione, ſed quod præter, vltra & ſupra illa, acceperit

perit & habeat ex hxpoſtatica cum Diuinitate vnione, innumera ὑπερφυσικὰ καὶ πνευματικὰ ſpiritualia, cœleſtia, & diuina dona, quæ Diuinæ naturæ ἐνεργείᾳ effecta, humanæ naturæ in Chriſto formaliter, habitualiter & ſubiectiuè, in ſe & ſecundum ſe, inhærent. Hæc inquam nihil admodum amplius habent controuerſiæ, ſicut nunc hiſce temporibus, hæc diſputatio controuertitur. Sed in his capitibus quantum exiſtimo omnes conſentiunt. Eos enim quos tenet inſanabile calumniandi cacoëthes, qui rectè vel ſaltem mediocriter ac tollerabiliter dicta, maledicendo exagitare, ac cauillando peruertere ſtudio ſibi habent, nec audiendos, nec curandos arbitror.

His verò de quibus conſenſio eſt, explicando ita ſepoſitis ac ſeparatis, ad ea iam progrediemur, de quibus controuertendo adhuc diſputatur, Vt hoc modo & ordine, ne tota, de qua in ſummo hoc κοινωνίας gradu, propriè agitur, In timore Domini, Verbo ipſius prælucente, ac Spiritu eius mentes noſtras illuſtrante ac gubernante, humiliter & diligenter remotis & peregrinis & cognatis materis, conſiderata, reliqua, quæ adhuc in controuerſia poſita diſputantur, commodius, rectius & facilius explicari & intelligi poſsint. De re magna enim agitur, De maieſtate ſcilicet Chriſti Domini & Saluatoris noſtri, ac de vera & ſalutari ipſius agnitione, in qua & Iuſticia & vita æterna conſiſtit, Iſa. 53. Ioh. 17. Qui propter nominis ſui gloriam, gratia ac benedictione ſua largiri ac efficere velit, Vt quod ſupereſt adhuc controuerſiæ in hac doctrina, ipſo nos docente, ad veram, ſolidam, piam & ſalutarem conſenſionem, deducatur. Afferamus autem non diſſentiendi libidinem, non contradicendi petulantiam, non cauillandi proteruiam, non ſtudium vincendi, non oſtentandi ingenij ſtulticiam: ſed mentem veritatis cupidam, animum humilem, ac cor timens Deum, vt tanquam in conſpectu Domini, ab ore ipſius verbo ſuo nobis præeunte, toti pendeamus, ac quæ ab ipſo patefacta in ſcriptura traduntur, non ad rationis noſtræ normam & trutinam exigamus, ſed ſimplice fidei obedientia, humiliter ac firmiter amplectamur.

Ac quia ex parte in hac vita prophetamus & cognoſcimus, non conemur omnes myſterij huius profunditates expiſcari, &

quasi ad viuum resecare, sed memores eius, quod scriptum est, Scrutator Maiestatis opprimetur à gloria, mediocri cognitione eorum, quæ perspicua & certa habent Scripturæ testimonia contenti, Reliqua quam plurima differamus & reijciamus ad alteram cœlestem & æternam scholam, vbi Domini ac Saluatoris nostri gloriam ac maiestatem, qualis & quanta est, facie ad faciem videbimus, Nec argutis consequentijs, aut ociosis disputationibus, in hac doctrina ludamus, sed ad vsum & consolationem, in veris fidei exercitijs, omnia referamus, quæstionibus curiosis & inutilibus præcisis, Nec captandis voculis, aut exagitandis vocabulis, λογομαχίας, aut bellum quod dicitur grammaticale, exerceamus, sed in res ipsas potissimum intenti, de ijs ante omnia certi aliquid ex scriptura constituamus, postea de vocabulis seu modis loquendi inter eos, qui simul & veritatis & concordiæ studiosi sunt, facile conueniet, vbi si alius alio magis propriè, aptè & commodè, Scripturæ sententiam reddere & exprimere potest, elaborandum sanè in eo est viris eruditis, fieri autem illud & potest & debet absq; dissensione & acerbitate, qua in parte tutissimum est, Spiritus sancti linguam, & modos loquendi veteri Ecclesiæ vsitatos, imitari, & à gignendis præter necessitatem nouis phrasibus abstinere. His ita præmissis ad rem ipsam Deo bene iuuante progrediamur.

Sumamus igitur fundamentum & principium, q̃ simplex, certum, firmum, & immotum est, fidem scilicet & confessionem nostrã, Christo, respectu assumtæ humanæ naturæ, vel secundũ humanam naturam, vel humanæ naturæ in Christo, aut carni Christi, aut Christo, quatenus & in quantum homo est, propter hypostaticam cum Diuinitate vnionem (hisce enim phrasibus seu modis loquendi, vetus Ecclesia, sicut ostendemus, vtitur in hoc genere) ea rectè tribuere posse, ac necessario etiam tribuere debere, quæ scriptura ipsi tribuit, ac data seu donata prædicat. Sed infusa illa, creata & finita, spiritualia, cœlestia & diuina dona, de quibus in proximo Capite diximus, nullo modo assequuntur aut exprimunt, excellentiam, præeminentiam, & maiestatem omnium eorum, quæ scriptura tradit, & ex scriptura vetus Ecclesia asseuerat, Christo secundum humanam naturã,

in tem-

in tempore, ex hypostatica cum Diuinitate vnione, data seu donata esse, vel humanam in Christo naturam ex vnione illa accepisse, Sunt enim, sicut ostendemus, non creata, finita aut habitualia dona; sed Idiomata, seu attributa ipsius diuinæ naturæ τῦ λόγυ propria. Ergo eorum, quæ humanæ naturæ in Christo ex hypostatica cum Diuinitate vnione, donata sunt, præter dona creata & qualitates finitas, alius summus dōationis seu κοινωνίας gradus ponendus est, quo assumta humana natura in Christo, cum ipsis diuinæ naturæ verbi attributis seu idiomatis, ratione hypostaticæ vnionis communionem talem habeat, sicut vis lucendi & vrendi, quæ essentialis proprietas ignis est & manet, ratione vnionis, absq; confusione cōmunicatur ferro ignito, sicut postea plenius declarabimus. Quod vt eo simplicius, facilius, & planius, monstrari, explicari & intelligi possit, sumemus quædam ex scriptura & ex Patribus testimonia, quæ affirmant, Christo in tempore, non quidem secundum diuinam, sed secundum humanam naturam, ea data esse, quæ non possunt de qualitatibus creatis, seu donis habitualib. intelligi, sed quæ necessario & non aliter, quam de attributis diuinæ naturæ τῦ λόγυ proprijs intelligi possunt. Et de modo quidē communicationis seu donationis, absq; confusione, conuersione & exæquatione naturarum, & essentialium cuiusq; proprietatum, postea dicemus.

Nunc prius duo hæc demonstranda sunt. Primum, illa quæ in hoc summo gradu, Christo secundum humanam naturam donata esse scriptura prædicat, non esse dona creata, sed esse attributa ipsius Diuinitatis propria. Secundum, illa donata esse Christo, non secundum diuinam, sed secundum assumptam humanam naturam, sine respectu humanæ naturæ Christo, illa donata esse. His enim duobus capitibus comprobatis, explicatio reliquorum postea plana erit.

Dicit itaq; scriptura, Christo datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra. Matth. 28. qua, excepto solo Deo, omnia potestati suæ subiecta habet. Eph. 1. Ebr. 2. Et omnibus potenter dominatur. 1. Cor. 25. Certum autem est, in Christo παντοκρατορίαν illam, sicut scriptura loquitur, seu παντοκρατίαν, quia omnia in manu sua habet, Ioh. 13. & pedibus suis subiecta habet,

bet, Epheſ. 1. non eſſe qualitatem aliquam creatam & finitam, ſed eſſe attributum ſoli diuinæ naturæ proprium. Et Athanaſius Oratione contra Arrianos 2. & 4. Item de ſuſcepta humanitate, multis oſtendit & probat, ea, quæ ſcriptura affirmat Chriſto in tempore data, donata ſeu tradita, non de ſubſtantia λόγȣ, quaſi illi aliquid acceſſerit, cum ab æterno habeat omnia, ſed reſpectu carnis, ob corpus, & de carne ipſius, illa dici & intelligenda eſſe. Hæc enim ſunt Athanaſij verba.

Item apud Theodoretum dialog. 1. citatur hæc regula Athanaſij: Quæcunq; ſcriptura Chriſtum in tempore dicit accepiſſe, propter humanitatem dicit, non propter diuinitatem. Ita & Leo dicit Epiſtola 81. ad Palæſtinos. Quicquid in tempore accepit Chriſtus, ſecundum hominem accepit, cui, quæ non habuit conferuntur.

Et Origenes in 13. cap. Iohannis: Gloria quæ Chriſto data eſt ob mortem pro hominibus, non pertinet ad Vnigenitum, ſed ad hominem, Verbum enim quod erat in principio apud Deum, non ἐπέχεται capit, vel poteſt exaltari.

Eodem modo ſcriptura affirmat, Chriſto datam eſſe vitam viuificantem, & poteſtatem iudicium faciendi, Ioh. 5. & 6. Certum autem eſt, Vitam, quæ alios viuificat, non eſſe qualitatem creatam, ſeu attributum ſolius Diuinitatis proprium, Ita & iudicium vniuerſorum Deo tribuitur, Pſal. 7. Dominus iudicat populos, & Pſal 9. & 18. Dominus iudicabit orbem terræ. Pſal. 75. Quoniam Deus Iudex eſt. Ebri 12. Iudex vniuerſorum Deus eſt. Prædicat autem ſcriptura vitam viuificantem & poteſtatem faciendi iudicium Chriſto datam in tempore, non quatenus Deus eſt, ſed quia Filius hominis eſt, Ioh. 5. Inde Athanaſius apud Theodoretum dialogo 1. inquit: Quando Chriſtus dicit, Pater dedit Filio vitam, intelligendum eſt, carni datam vitam. Cyrillus lib. 4. Theſau. cap. 13. Filius accipere vitam à Patre dicitur, non in quantum verbum, ſed in quantum homo factus eſt. Addit enim, quia Filius eſt, Ita tota Trinitas vitam Filio, vt homini præſtat. Idem in Ioh. lib. 2. cap. 114. Cum dixiſſet datam vitam, addit, quia Filius hominis eſt, vt intelligamus,

omnia

omnia ſibi data fuiſſe vt homini, qui cum creatura ſit, nihil habet à ſe ipſo, Vnigenitus verò Filius, non vitæ particeps, ſed vita naturaliter vt Pater eſt. Intelligit autem Cyrillus, datam carni Chriſti vitam, non ſimpliciter viuentem, ſed viuificantem alios, in Ioh. lib. 4. cap. 14. 15. 18. 22. &c.

Ioh. 17. inquit Chriſtus: Glorifica me Pater apud te ipſum ea gloria, quam habui apud te, priuſquam mundus fieret. Illam gloriam non eſſe creatam ſeu finitam, certum eſt, Et illa gloria in tempore glorificatum eſſe Chriſtum, non ſecundum diuinam naturam, ſed carnem ſeu humanam eius naturam, glorificationem illam accepiſſe, Athanaſius multis probat Oratione 4. contra Arrianos. Item, de Arriana & Catholica confeſsione. Et Baſilius contra Eunomium lib. 1. ſcribit: Iuxta humanitatis diſpenſationem illud de glorificatione Ioh. 17. dictum eſſe. Cyrillus lib. 10. Theſau. cap. 2. explicans dictum illud, Ioh. 17. inquit: Naturæ noſtræ petitio, vt in ipſo glorificaretur, facta eſt. Et cap. 10. inquit: Non ſibi à Patre gloriam petebat, qua ſicut natura Deus non indigebat, ſed paternam gloriam in hominem, quem aſſumpſit, petendo vt homo traducit. Idem in Ioh. lib. 11. cap. 17. Gloriam ſuam, quam ſemper habet vt Deus, vt homo petijt, Nec quia gloriæ vnquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicuntur, ſed quia in gloriam, quæ ſibi ſemper adeſt, vt Deo, proprium templum ſudducere volebat.

Ita mundare ſeu delere peccata, Dei proprium eſt, Iſa. 43. Sed illud non tantum perſonæ Chriſti Incarnati iuxta Diuinitatem, ſed diſertè etiam ſanguini ipſius, hoc eſt, ſecundum humanitatem etiam ipſi ſcriptura tribuit. Et ne de ſola meriti ratione, quando in Cruce ſanguis ille effuſus eſt, ſed & de efficacia & applicatione hoc intelligatur, Scriptura in ipſa Iuſtificatione ſeu reconciliatione peccatoris cum Deo, ſanguini hoc tribuit. Nam quod 1. Ioh. 1. de perſona dicitur, fidelis & iuſtus eſt, vt emundet nos ab omni iniquitate, Hoc ibidem ita repetitur, Si in luce ambulemus, ſocietatem habemus mutuam, & ſanguis Ieſu Chriſti Filij Dei, emundat nos ab omni peccato. Ebr. 9. Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam ab operibus

mortuis, Rom. 5. In sanguine eius iustificati sumus. Et Ephesini Patres, in ipso vsu Cœnæ dominicæ definiunt: Carnem Christi esse cibum viuificum, & sanguinem eius potum viuificantem.

Col. 2. Paulus dicit in Christo inhabitare omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter. Certum autem est, Omnem illam plenitudinem Deitatis, non esse qualitatem aliquam creatam, aut donum finitum, Nec dici potest, omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare in diuina natura Christi, ideò de corpore, siue de humana ipsius natura, rectè hoc intelligitur, sicut aduerbium (corporaliter) Augustinus cum alijs Patribus ita interpretatur, Epist. 57.

Et Origenes de principijs lib. 2. cap 6. inquit: Ad omnes sanctos calor aliquis λόγου putandus est peruenisse, In Christi autem anima, ipse ignis diuinus substantialiter requieuisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit.

Theodoretus etiam in capite de Antichristo illam Pauli sententiam ita interpretatur, λόγος homo factus οὐ μερικῶς non particularem gratiam contulit assumtæ naturæ, sed totam plenitudinem diuinitatis complacuit in ipso inhabitare.

Et Athanasius in Epistola ad Epictetum dicit: Corpus Christi plenum esse Diuinitatis, atq; ideò Christum vocari Immanuelem. Reliqua scripturæ testimonia postea annotabimus, ac veteris etiam Ecclesiæ sententias postea adscribemus, nunc vnam atque alteram tantum adferamus, qua monstretur, non creata tantum dona aut habitus finitos, sed ipsa etiam Deitatis attributa, per vnionem accepisse Christum secundum humanitatem, seu humanam naturam in Christo.

Athanasius de Arriano & Catholica confessione: Deus non est mutatus in humanam carnem vel substantiam, sed in se ipso quam assumpsit, glorificabat naturam, vt humana, infirma & mortalis caro atq; natura, diuinam profecerit in gloriam, Ita vt omnem potestatem in cœlo & in terra habeat, quam antequam à verbo assumeretur non habebat.

Augusti-

Augustinus contra Felicianum cap. 10. Maiestate Diuinitatis, glorificatam nouimus carnem Christi.

Theophylactus ex Chrysostomo in 28. cap. Matthæi, Ego prius damnata natura, nunc absq; naturarum confusione, accepi omnem potestatem.

Cyrillus 6. Dialog. Christus glorificatur à Patre, non quia Deus, sed quoniam erat homo, quasi propriæ naturæ fructum non habens potentiam operandi efficaciter diuinè, accipit quodammodo illam per vnionem Dei verbi cum humanitate.

Item de Incarnatione vnigeniti cap. 11. Verbum in id, quod non erat, se immisit, vt & hominis natura, id quod non erat fieret, diuinæ scilicet maiestatis dignitatibus nitescens.

Item in Ioh. lib. 4. cap. 23. Caro Christi totam verbi operationem susceptit. Et cap. 24. totam eius vim hausit, & ad virtutem eius per coniunctionem conscendit.

Et lib. 4. in Ioh. cap. 14. & 23. Saluatoris caro, quoniam cum viuificante verbo coniuncta est, tota est effecta viuifica. Item, Viuifica verbi natura, dedit homini in quo habitat viuificandi virtutem, Cap. 24. Caro cum Diuinitate coniuncta, totam viuificandi vim hausit, ita vt indigentia vitæ possit viuificare, cap 15. & de recta fide ad Theodosium viuificare dicitur propter ineffabilem natiuitatem vt Deus, At tamen est videre, vbi propriæ carni tribuitur diuinæ efficacia gloriæ.

Ex hisce pauciş scripturæ testimonijs, & antiquitatis sententijs, ea, quæ probanda suscepimus, satis manifestè & perspicuè demonstrata sunt, Humanæ scilicet naturæ in Christo, præter & supra essentiales seu physicas proprietates, ex hypostatica cum λόγῳ vnione, non tantum dona creata, seu qualitates finitas, sed præterea multa talia esse data, quæ non possunt de creatis, siue donis, siue qualitatibus intelligi, sed necessariò de attributis, quæ diuinæ naturæ propria sunt, intelligenda sunt. Et illa Christo in tempore data prædicari, non simpliciter secundum diuinam eius naturam, sed ratione & respectu assumptæ humanæ naturæ, vel secundum humanam naturam, nec tantum personæ in genere, per vocabula concreta personam

nam designantia, sed expressè carni seu humanæ naturæ in Christo data prædicari. Hæc certè, ex allegatis testimonijs ita manifesta sunt, vt quomodo quis ea negare possit non videam, nisi in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes incredulorum.

Rectè igitur ac necessario, secundum scripturam, vltra ac supra dona illa diuina, in humana natura Christi, ex hypostatica vnione effecta seu creata, & formaliter ipsi secundum se inhærentia, alius summus ponendus est gradus eorum, quæ Christo secundum humanitatem, ex hypostatica cum Diuinitate vnione, donata seu communicata sunt, ipsa scilicet attributa Diuinæ naturæ λόγȣ, cum quibus assumpta Christi natura, talem, ratione vnionis, habet communionem, sicut ignis, & essentiam suam, & vim lucendi ac vrendi, ferro ignito, per vnionem absq; confusione, communicat, Ita & ferrum ignitum, illa per vnionem communione, luceat & vrat, sicut postea pluribus explicabimus. Christus igitur secundum humanam suam naturam, quatenus illa personaliter vnita est λόγῳ, differt à reliquis sanctis, non tantum ratione donorum, comparatè, superans reliquos numero & gradibus donorum: Verumetiam ratione vnionis, toto genere in sanctis differt. In nulla enim alia natura diuina gloria vnigeniti ita lucet, per nullam aliam ita se exerit, sicut in assumpta humana natura. Et donorum quidem, vel accessio vel augmentum fieri potuit in glorificatione, Diuina verò natura λόγȣ, cum tota sua plenitudine se vniuit, & communicauit assumtæ naturæ absq; confusione, ab ipso initio hypostaticæ vnionis, neq; enim in glorificatione, vel maior, vel arctior, vel perfectior facta est naturarum vnio, Sed quia tempore exinanitionis, non semper gloria Vnigeniti, tota plenitudine se exeruit, per assumptam carnem, Ideò deposita exinanitione, dicitur Christus, secundum humanam naturam exaltatus, & in gloriam suam ingressus, sicut in capite de exinanitione explicabimus.

Rectè itaq; dicimus, ex hypostatica cum Diuinitate vnione, assumptæ naturæ illa, de quibus nunc agimus, tradita, & eam propter hypostaticam vnionem, illa habere.

Est au-

Est autem res tota & in scriptura & in veteris Ecclesiæ confessionibus plana, nisi quod humana ratio, ea, quæ non capit, non admittit, iuxta Philosophorum axioma, Quæ non veniunt in sensum, non veniunt in intellectum, & quæ non veniunt in intellectum, non veniunt in fidem. Ac Scholastici disputatores, cùm de habitibus infusis & inhærentibus, nimium philosopharentur, non tantum dona spiritualia creata, sed in genere omnia, quæcunq; ex hypostatica vnione assumptæ naturæ in Christo data scribuntur, ad habitus suos restrinxerunt, Ita vt quando ea, quæ scriptura docet Christo in tempore data, non possunt ad habitum aliquem creatum & inhærentem referre simpliciter ea adimant humanæ naturæ, & alio modo interpretentur, Sed hac ratione, philosophando solum de habitibus infusis & inhærentium, & à lingua, & à mente, tùm scripturæ, tùm veteris Ecclesiæ, discesserunt scholastici Doctores, sicut postea ex annotatione testimoniorum veteris Ecclesiæ manifestum erit.

Debuissent autem cogitare Sententiarij, quod Deus etiam per sanctos, multa miranda opera efficit, non mediantibus in ipsis inhærentibus habitibus, Nam ἔξουσία καὶ δύναμις exuscitandi mortuos, expellendi dæmonia, sanandi morbos lætales &c. data Apostolis Luc. 9. non fuit vel habitus infusus, vel qualitas creata, & formaliter inhærens in Apostolis: sed diuina virtute seu potentia, ipsis ac ministerio ipsorum assistente, vsi fuerunt Apostoli ad talia miracula edenda, vel quod magis propriè dicitur, Diuina potestas Apostolis vt legatis assistens, per ipsos talia edidit miracula, non mediantibus creatis in ipsis habitibus, sicut de restitutione claudi Actor. 3. Petrus dicit: se non propria virtute seu potentia & pietate sua hoc effeciisse, sed nomen Christi super claudum istum fide inuocatum, dedisse ipsi sanitatem. Et talem quidem virtutem assistentem, ex liberalitate quadam, etiam humanæ naturæ Christi, in miraculis Durandus concedit lib. 3. dist. 14. Sed diuina natura τῦ λόγυ, non per assistentiam, sicut sanctis, adest assumptæ humanæ naturæ, sed tota plenitudine potentiæ & maiestatis suæ, personali vnione in ea inhabitat, lucens in ea ac operationes su-

as exerens per eam, ſicut ignis per ferrum, anima per corpus. Hæc veteris Eccleſiæ ſententia, ſicut poſtea oſtendemus, non debuit intempeſtiua, de nudis & ſolis habitibus formaliter inhærentibus, philoſophatione, á Scholaſticis doctoribus turbari & conuelli. Licet enim ſpirituales creatos habitu, in humana natura Chriſti inhærentes, negare non velim, Non tamen ſimpliciter, & omnino verum eſt, Filium Dei per aſſumtam ſuam humanam naturam, nullas diuinas operationes, niſi mediantibus creatis habitibus inhærentibus, efficere, Suſcepit enim illa per hypoſtaticam vnionem, totam vim & operationem verbi, & ea mortuos viuificat, ac diuina potentia λόγȣ, per carnem ſuam, vitam largitur mortalibus, ſicut Cyrillus loquitur. Nec in ferro ignito intermedia qualitas requiritur, vt ignis per ferrum lucere & vrere, ac ferrum ignitum, virtute ignis vniti, lucere & vrere poſsit, Nec propterea negamus, ferrum ignitum, ignis virtute lucere & vrere, quia vis lucendi & vrendi, non ſit qualitas, propriè aut ſeparatim, ferro inhærens. Et Damaſcenus lib. 3. cap. 22. dicit: eos qui docent carnem Chriſti tantum κατὰ χάριν πρὸς τὸ λόγȣ μετέχȣσαν, ſecundum gratiam eorum, quæ verbi ſunt participem factam, vel tantum per participationis gratiam, ſeu participatiuè habere ea, quæ verbi ſunt, non poſſe rectè docere de hypoſtatica vnione, ſed ſicut de ſolis participationis habitibus diſputant, ita etiam reuera ipſos tradere cum Neſtorio vnionem σχετικὴν habitualem ſeu habitudinariam, ſicut in ſanctis Deus inhabitat. Quia verò caro Chriſti perſonaliter vnita eſt verbo, Imò in verbo ſubſiſtit, Ideo & inde dicit Damaſcenus eam ratione vnionis locupletatam eſſe omni Diuina ſapientia & gratia, ac omnium diuinorum bonorum plenitudine corporaliter ſeu perſonaliter inhabitante, quæ inde vt ex capite, in membra diffundatur, Aliter enim Sol eſt lucidus per ſplendorem vnitæ lucis, iuxta Iuſtinum, & aliter aër eſt lucidus, vel Luna participatione ſplendoris.

Hæc propterea hoc loco commemorare volui, quia Scholaſticorum diſputata, in hac parte doctrinæ, nobis opponuntur,

Sed

Sed quæ vel poteſt, vel debet ipſorum eſſe autoritas in Eccleſia, in eo, vbi à clariſsimis ſcripturæ teſtimonijs, & veteris Eccleſiæ confeſsionibus, propter ſuas de ſolis habitibus philoſophationes diſcedunt, cum in reliquis fermè omnibus, doctrinæ cœleſtis capitibus, doctrinæ ſinceritatem, philoſophicis ſuis diſputationibus depraũarint. Ad legem igitur & ad teſtimonium, ac poſtea ad veteris orthodoxæ Eccleſiæ confeſsiones, ex Philoſophico ſcholaſticorum luto, doctrinam de ſummo hoc gradu κοινωνίας reuocemus. Non autem hoc loco, de vocabulis ſen appellationibus ſummi huius gradus diſputabo, Video enim prauum ac ſophiſticum multorum artificium, qui prætermiſsis rebus, mota & arrepta de vocabulis lite, altercationum λογομαχικῶν clamoribus, homines ab ipſarum rerum conſideratione, abducere moliuntur, Prius igitur de rebus ipſis, ex ſcriptura, & ex pia antiquitate, veram ſententiam conſtituemus. Poſtea conſtitutis rebus, ex ſcripturæ & antiquitatis teſtimonijs, vocabula ſeu appellationes colligemus. Hoc enim modo, multas ſophiſticas nebulas, quibus doctrina hæc inuoluitur, diſpelli poſſe exiſtimo. Interea in titulis appellabo Communicationem Maieſtatis. Ac ſtatim quidem ſubiungendum iam eſſet, quomodo ſummus hic gradus eorum, quæ ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione aſſumtæ naturæ Chriſti, donata ſeu communicata ſunt, ex ſcriptura probetur, & ex veteris Eccleſiæ confeſsionibus confirmetur: Sed & hîc, mox ad factam ſeu auditam mentionem donationis, ſeu communicationis eorum, quæ diuinæ naturæ propria ſunt & manent, exoritur clamorq; virum, clangorq; tubarum, fieri ſcilicet confuſionem, conuerſionem aut exæquationem naturarum in Chriſto, ac tolli differentiam eſſentialium Idiomatum cuiuſq; naturæ, quam omnino ſaluam retinendam, ac nullo modo confundendam eſſe, antea docuimus. Ac ſanè ſi hypoſtatica communicatio Maieſtatis, humanam naturam in Chriſto, vel deſtrueret, vel in diuinam conuerteret, aut ipſi exæquaret, quia in ipſa fundamenta fidei, quæ hactenus expoſita ſunt, impingeret, eſſet meritò ab omnibus pijs reijcienda. Et hiſce clamoribus, quorundam animi ita ſunt præoccupati, vt nec audire, nec conſiderare

doctrinam hanc ſuſtineant. Vt igitur progreſſus explicationis huius doctrinæ planior & expeditior ſit, remouebimus prius & hoc offendiculum ſeu obſtaculum è via, & oſtendemus, hac doctrina naturas in Chriſto non confundi, non aboleri, non conuerti aut exæquari. Poſtea progreſſu viæ ita complanato, annotabimus ſcripturæ teſtimonia, & veteris Eccleſiæ confeſsiones.

CAPVT XXII.

In quo, à communicatione Maieſtatis remouetur confuſio, conuerſio, abolitio, & exæquatio naturarum, Remouentur & aliæ opiniones, quaſi Diuinæ naturæ τῦ λόγυ, in tempore aliquid datum eſſet.

PAulus rectè monet Rom. 12. Omnem prophetiam, hoc eſt, omnem doctrinam & ſcripturæ interpretationem in Eccleſia, referendam & exigendam eſſe ad analogiam fidei. Hoc eſt, vt fundamentis ſeu primarijs fidei capitibus, quæ expreſſa, euidentia, certa & firma in ſcriptura teſtimonia habent, omnis doctrina & interpretatio conſentanea ſit, nec cum primarijs illis fundamentis pugnet. Quia ita q̃ hactenus ex manifeſtis ſcripturæ teſtimonijs oſtendimus, & ex perpetuo orthodoxæ Eccleſiæ conſenſu, ac probatorum conciliorum definitionibus, confirmauimus, ſubſtantialem differentiam naturarum, & eſſentialium cuiuſq̃ naturæ idiomatum, in perſona Chriſti, in ipſa hypoſtatica vnione, ſaluam manere, & in docendo etiam retinendam, nec vllo modo, vel faciendam, vel admittendam confuſionem, conuerſionem, aut exæquationem, ſiue naturarum, ſiue eſſentialium cu-

um cuiuſq; naturæ proprietatum, in Chriſto, Meritò ergo piorum animi mouentur, quando audiunt, doctrinam aliquam accuſari, quod introducat naturarum in Chriſto, vel confuſionem, vel conuerſionem, vel exæquationem. Et ſanè quæcunq; opiniones, tale quid verè vel ſonant, vel docent, ſicut olim iudicio orthodoxæ Eccleſiæ, rectè damnatæ ſunt, Ita & nunc meritò damnandæ, & ex veræ Eccleſiæ finibus eliminandæ ſunt. Sed in iudicijs Eccleſiaſticis ſemper cogitandum eſt, quod Tertullianus ſcribit: Si accuſaſſe ſufficiet, quis innocens erit? Videndum igitur & conſiderandum eſt, an vera ſit accuſatio. Sed excipiunt accuſatores, Si Chriſto ſecundum humanam naturam, attributa, quæ diuinæ naturæ propria ſunt, communicare dicantur, vel aſſumptam naturam cum illis communionem habere, non poſſe aliter hoc fieri, quam per naturarum, aut eſſentialium ipſarum proprietatum, vel confuſionem, vel conuerſionem, aut exæquationem. Atqui ſcriptura ipſa, quæ nullo modo docet confuſionem, tradit Chriſto datam vitam viuificantem, & poteſtatem faciendi iudicium, quatenus Filius hominis eſt, Iohan. 5. Epheſinum Concilium definit: Carnem Chriſti eſſe viuificatricem, Sangninem ipſius emundare conſcientias à peccato, dicit Epiſtola ad Ebr. 9. Quæ ſanè ſunt attributa Diuinitatis propria. Cumq; ſcriptura ipſa, prædicet illa data humanæ naturæ, quæ λόγῳ perſonaliter vnita eſt, Certum igitur eſt, Inde non ſimpliciter ſequi, naturarum confuſionem, ſi donatio & traditio illa ſecundum ſcripturam intelligatur. Hoc verò non tantum libenter concedo, ſed iudico commonefactionem illam omnino neceſſariam eſſe, Ne doctrina illa de attributis diuinæ naturæ, per vnionem, & ratione hypoſtaticæ vnionis, datis aut communicatis aſſumptæ humanæ naturæ, ſicut virtus lucendi & vrendi, communicatur ferro ignito, Ita tradatur, accipiatur, intelligatur, aut vrgeatur, Vt inde confuſio, conuerſio aut exæquatio, ſiue naturarum, ſiue eſſentialium idiomatum conſtituatur. Hoc enim cum analogia fidei, de differentia naturarum & eſſentialium idiomatum, in ipſa vnione ſalua manente, ſicut hactenus expoſita eſt, pugnat. Et verum eſt, quod Caſsianus ſcribit lib. 1. Quod de Chriſto non

ita dicitur, vt est, etiamsi honor videatur, iniuria est. Huic verò commonefactioni addenda est & altera non minus necessaria, Ne scilicet prætextu vitandæ confusionis, ea, qnæ scriptura Christo respectu humanæ naturæ, vel secundum humanam naturam, in tempore data prædicat, vel negando ipsi detrahamus, vel siniſtra interpretatione aliò detorqueamus. Nam & pueris in scholis notum est, Non valere argumentum à dicto secundū quid ad dictum simpliciter, Nam sicut Nazianzenus loquitur, aliud est πῆ aliud ἁπλῶς, Non fit hoc modo, ergo nullo modo fieri potest, vt cum quidam ita argumentantur, Attributa diuinæ naturæ propria, non communicantur assumtæ naturæ per confusionem, conuersionem, aut exæquationem, siue naturarum, siue Idiomatum essentialium, Ergo nullo modo ei communicantur. Imò, quia & scriptura & tota vetus Ecclesia assumtæ naturæ hæc data, donata, seu communicata prædicant, Ergo necesse est hæc ipsi alio modo, quam per confusionem communicata esse, sicut mox modum, qui absq; omni confusione est, ostendemus.

Si itaq; aduersarij seriò id, quod de vitanda confusione prætendunt, agunt, agedum simul & vtrinq;, omnes prauas opiniones, de naturarum & essentialium Idiomatum confusione, conuersione, & exæquatione, improbemus, abijciamus & damnemus, vt explicando sepositis illis, quæ vtrinq; reijciuntur, eò expeditior sit explicatio. Vtq; eò rectius ad verum modum, quo attributa diuinæ naturæ propria, assumtæ naturæ, ratione vnionis absque confusione, iuxta scripturam data & communicata sint, peruenire possimus, instituemus remotionem aliorum modorum, qui doctrinam hanc vel deprauant, vel non satis rectè explicant.

Ac primo de vitanda confusione dicemus, Illa enim simpliciter contra ipsam analogiam fidei in hac doctrina pugnat, De qua nō obiter, sed explicatione aliquanto pleniore dicemus, ne quis existimet sub generalitatibus aliquid occultari, & propter hanc etiam causam, quia facilis & procliuis est lapsus, in hac parte doctrinæ, nisi diligens & sollicita adhibeatur cautio, sicut multorum lapsuum exempla, in antiquitatis historia testantur.

Quæ

Quæ igitur in præcedentibus prolixè exposita sunt, de substantiali differentia naturarum, & Idiomatum essentialium, in hypostatica vnione, non sublata aut confusa, sed salua manente ac retinenda, hûc referri ac pro repetitis habere volo, Similiter & ea, quæ dicta sunt contra confusionem, immixtionem, conuersionem, abolitionem, & exæquationem naturarum & Idiomatũ essentialium. Quod verò attinet ad attributa diuinæ naturæ λόγȣ propria, quod illa Christo, etiam secundum assumtam naturam, in scripturæ & veteris Ecclesiæ testimonijs, ratione vnionis data tribuantur, disertè dicimus, ac sonora voce in nostris Ecclesijs profitemur, eorum communicationem, nec essentialem, nec physicam esse, hoc est, nec essentialiter, nec physicè ea assumptæ naturæ communicari. Et essentialem quidem communicationem intelligimus, sicut Pater gignendo, seu per generationem, communicauit Filio totam suam essentiam, & omnia Diuinitatis essentialia idiomata, quæ sunt ipsa essentia, Quæ Pater communicando non amisit, sed per illam communicationem, omnia quæ essentialiter Pater habet, Filius etiam essentialiter, seu per essentiam habet, Iohan. 16. Licet enim Filius non à se, sed ex Patre illa habeat, per se tamen, in se, & secundum se, essentialiter illa habet communia cum Patre, & Spiritu sancto, Vnde Patri ὁμοούσιȣ & æqualis est, Iohan. 5. Phil. 2. Imò sicut inquit: Ego & Pater vnum sumus, Iohan. 10. Hoc itaque modo attributa Diuinitatis propria, nequaquam communicata sunt assumtæ humanæ naturæ, vt essentialiter seu per essentiam, ὡ ἑαυτῇ καὶ καθ' ἑαυτὸ, in se, & secundum se, illa habeat, formaliter, subiectiuè aut habitualiter inhærentia, vt ita communia sint diuinæ & humanæ naturæ, & sicut propria sunt diuinæ naturæ, ita propria facta sint per communicationem etiam assumtæ naturæ. Sequeretur enim ὁμοουσία & exæquatio naturarum in Christo, quod pugnat contra hanc fidei analogiam. Æqualis Patri secundum Diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Item consubstantialis Patri secundum Diuinitatem, Nobis verò fratribus consubstantialis, secundum humanitatem. Cumq; Diuinitatis Idiomata, non sint accidentia in subiecto, sed simpliciter sint ipsa Dei essentia, cum

qua

qua conuertuntur, quia cum ea vnum & idem sunt, vt λόγος non est sapiens sapientia tanquam qualitate aliqua, nec est potens potentia aliqua tanquam accidente vel qualitate hærente in diuina essentia, sed potentia, sapientia λόγου, est ipsa eius essentia, Idiomata igitur Diuinitatis, non possunt essentialiter alicui communicari, nisi simul, ipsa essentia Diuinitatis communicetur, sicut Pater Filio communicauit. Si ergo attributa Deitatis propria, humanitati essentialiter communicarentur, Naturæ non amplius essent in persona Christi distinctæ & diuersæ, sicut creator & creatura. Sequeretur etiam ἀπότης Diuinæ essentiæ, vnius, quæ Patris & Filij & Spiritus est, & alterius, quæ ex humanitate, per essentialem communicationem Idiomatum Diuinitatis, facta esset diuina essentia, Quæ monstra opinionum, vna cum hypothesi, vnde sequuntur, seriò damnamus, atq; adeo execramur, Ac retinemus regulas illas, Quod vnius naturæ proprietas in Christo, nunquam fieri potest alterius etiam naturæ proprietas. Si enim proprietas communis euadat etiam alteri diuersæ & disparatæ naturæ, vt eius etiam sit propria, iam desinit esse proprietas, quia sicut Damascenus inquit: ἰδιότης est ἀκίνητος. Item propria non egrediuntur sua subiecta, Quia enim naturæ per Idiomata distinguuntur, fieret confusio naturarum.

Nec verò diuina natura λόγου, Idiomata sua à se separauit, aut illis se exuit, atque ea in assumptam naturam essentialiter transfudit, sicut aqua ex vno vase in aliud, vel tota vel ex parte transfunditur. Ita enim facta esset, vel abolitio, vel imminutio diuinæ naturæ, & conuersio humanitatis in Diuinitatem. Et quia idiomata Diuinitatis sunt ipsa essentia diuina, separari ab ea non possunt. Hac ergo ratione, essentialis communicatio attributorum Deitatis, satis diserte reijcitur.

Physicam verò communicationem reijciendo intelligimus, quasi diuina natuta τοῦ λόγου, in vnione, aut per vnionem, sua operatione, effecerit & effuderit, extra se in assumptam naturam, idiomata seu attributa similia, paria & æqualia, essentialibus attributis diuinæ naturæ, quæ à Diuinitate separata & distincta,

distincta, humanitati formaliter & secundum se ita inhæreant, sicut calor ab igne transfusus inhæret aquæ calefactæ, vel sicut dona habitualia subiectiuè inhærent humanæ naturæ, Vt ita facta sit exæquatio seu æqualitas proprietatum, conditionum & attributorum, vtriusq; naturæ, diuinæ & humanæ in Christo. Talem physicam communionem & exæquationem, quia cum fundamentis, de substantiali differentia naturarum & essentialium idiomatum, in præcedentibus expositis, pugnat, improbamus & reijcimus in nostris Ecclesijs. Nequaquam enim duplicem ponimus Diuinitatem in Christo incarnato, non duas omnipotentias, non duas vitas viuificantes, non duas omniscientias, non duas virtutes, & operationes diuinas, quarum altera diuinæ naturæ sit essentialis ac naturaliter propria, Altera verò à Diuinitate separata, & extra ipsam transfusa, ac humanæ naturæ per accidentariam aut aduentitiam communicationem, propria, formalis, & subiectiuè inhærens facta, quæ inter se habeant exæquationem seu æqualitatem: Sed vna est Diuinitas in Christo, vna Omnipotentia, Vna vita viuificans, vna virtus & operatio Diuina, quæ solius diuinæ naturæ propria & essentialis est ac manet, Quomodo verò personaliter humanitati per vnionem communicetur, postea indicabimus. Cumq; iuxta Nazianzenum nihil sibi ipsi sit, aut dicatur, vel æquale, vel inæquale, sed ad æqualitatem seu exæquationem, duæ distinctæ res, fundamentum & terminus requirantur, manifestum est, in vera communicatione maiestatis, cuius modum postea exponemus, exæquationem, seu æqualitatem propriè locum non habere, Sicut de ferro ignito non rectè diceretur, esse in eo duas æquales aut exæquatas vires lucendi & vrendi, cum virtus ea vnica sit, & solius ignis propria, quæ per vnionem ferro ignito communicatur.

Hoc modo satis perspicuè, vt arbitror, confusio, conuersio, & exæquatio, tùm naturarum, tùm essentialium idiomatum, cauetur, vitatur, reijcitur, damnatur, & à donatione seu communicatione attributorum Diuinitatis, quam scriptura tradit, manifestis limitibus separatur, Quæ omnia breui com-

pendio comprehenduntur, quando dicimus, communicationem illam, nec essentialem, nec physicam esse.

Vt autem res tota planior fiat,& fundamenta refutationum, quare hæ opiniones sint fugiendæ, rectius intelligantur, breuiter ex antiquitatis historia quædam repetemus, quàm periculosè olim à multis in hac parte doctrinæ erratum fuerit, dum ea, quæ in scriptura, de attributis diuinæ naturæ proprijs, assumptæ naturæ per vnionem communicationis, legerunt, ad confusionem, conuersionem, vel exæquationem naturarum & essentialium idiomatum, traxerunt. Quæ commemoratio ad hoc proderit, vt & sensum & linguam, in hac parte doctrinæ ita moderemur, ne incidamus in antiquos illos errores, qui eo quod perpetuæ scripturæ sententiæ & analogiæ fidei repugnent, recto & vero iudicio, ab orthodoxa Ecclesia damnati & explosi sunt. Habebit & illum vsum hæc recitatio, vt testimonium sit, non gignere nos noua paradoxa, sed pium veteris orthodoxæ Ecclesiæ consensum, religiosè nos amplecti ac tueri, & ab omnibus monstrosis opinionibus, antiquitus damnatis, seriò nos abhorrere.

Prauæ igitur illæ opiniones in certamine Nestoriano, de exæquatione. In Eutychiano, de confusione, conuersione, & abolitione naturarum, sicut supra indicatum est, præcipuè quidem agitatæ sunt, sed omnibus temporibus extiterunt, qui seminaria talium opinionum sparserunt, Veteres enim fermè omnes, etiã ante Nestoriana & Eutychiana certamina, tales opiniones & recitant & refutant. Videntur autem plærique ad has opiniones deflexisse, eò quod scriptura, humanam naturam in Christo extollat in summam sublimitatem, super omnes creaturas, atq; adeo super omne nomen, ad dexteram ipsius Throni maiestatis Diuinæ. Sed considerabimus Antithesin in veterum sententijs, vt eo facilius & rectius, in hac disputatione, ab erroneis opinionibus, nobis cauere possimus.

Iustinus igitur in expositione fidei, refutat illos, qui suo tempore ἀποθέωσιν humanæ naturæ in Christo finxerunt factam esse μεταβολὴν, hoc est, mutatione seu conuersione carnis in Diuinita-

unitatem. Et addit: Aliquando dicunt, λόγον εἰς σαρκὰ τετρᾴφθαι. Diuinitatem Verbi in carnem conuersam esse. Aliquando verò dicunt, σαρκὰ εἰς λόγον οὐσιωθῆναι, hoc est, carnem transijsse in substantiam diuinitatis Verbi. Ipse verò Iustinus, opponit illam regulam, ἔμεινεν ὃ ἦν καὶ γέγονε ὃ οὐκ ἦν, Id quod erat, permansit, & quod non erat, factus est. Item: Corpus manet corpus, non enim corpus est Deus, μετείληφε δὲ θείας ἀξίας, οὐ φύσεως, εὐδοκίᾳ τοῦ λόγου, hoc est, sicut Perionius conuertit: Cum corpore diuina dignitas seu maiestas, non natura seu essentia diuina communicata est, verbi benignitate se beneplacito.

Origenes de principijs, lib. 4. dicit, quosdam illud Phil. 2. Cum in forma Dei esset, & æqualis Deo, &c. exposuisse de anima Christi, quando corpus assumpsit. Theophilus verò Alexandrinus in libris Paschalibus, qui interprete Hieronymo extant, illam opinionem ipsi Origeni tribuit, & acriter eam refutat.

Et Theophili illa refutatio, extat in 1. libro Paschali, & Græcè citatur in 2. Dialogo Theodoreti, pagina 45. Dicit autem, Origenem docuisse, Animam Saluatoris, esse in forma Dei, & æqualem Deo. Item: Sicut Pater & Filius vnum sunt, ita etiam animam, quam Filius assumpsit, & ipsum λόγον vnum esse.

Hanc verò opinionem, Theophilus refutat per hæc axiomata, Pater & Filius vnum sunt, διὰ τὴν μίαν οὐσίαν ἢ φύσιν καὶ τὴν αὐτὴν θεότητα καὶ ἐπειδὴ μὴ διάφοροι ποιότητες. Hoc est, Vnum sunt Pater & Filius, quia vna est essentia, seu natura, & eadem Diuinitas, nec diuersæ sunt qualitates Patris & Filij. In Christo verò incarnato, duæ sunt distinctæ & diuersæ naturæ, diuina scilicet & humana, quæ etiam qualitatibus differunt. Ergò non ita vnum sunt, Anima Christi & λόγος, sicut Pater & Filius vnum sunt.

Item: λόγος est in forma Dei, & æqualis Deo, atq; ita præstantior & melior natura assumpta. Ergò anima vtpote minor, non est æqualis λόγῳ præstantiori. Hæc Theophilus.

Athanasius in Epistola ad Epictetum, narrat, quosdam exaltationem humanæ naturæ in Christo, ita exaggerasse, vt carnem, quam λόγ@ assumsit, dicerent esse, τῆς οὐσίας τῆς τριάδ@ος, essentiæ Trinitatis, & ὁμοούσιον diuinitati Verbi, atq; ideò non ex Maria, sed ex Essentia diuinitatis assumtam. Alij dixerunt, λόγον conuersum in carnem, ossa, crines, &c.

Narrat etiam, fuisse quosdam, qui concesserint quidem, humanitatem Christi assumtam esse ex Maria, Sed illos dicit errasse, συνεξισάντας τὸ ποίημα τῷ ποιητῇ, eò quod coexæquarint facturam factori, vt assumpta natura προσθήκῃ, accessionem fecerit ipsi Diuinitati, & pro Trinitate iam sit quaternitas.

Istas opiniones Athanasius tanta vehementia abijcit, Vt dicat ipsum Infernum talia portenta eructasse. Ipse verò opponit duo hæc axiomata.

1. Quod Christus sit ὁμοούσι@ Patri, secundum Diuinitatem, & consubstantialis Matri, secundum humanitatem.

2. Quod sit æqualis Patri secundum Diuinitatem, & minor Patre secundum humanitatem.

Idem Athanasius in Compendio de Spiritu Sancto, Niceni patres vocarunt Filium coessentialem Patri, Satis enim perspiciebant, creatam substantiam nunquam sibi posse arrogare hoc dictum: Omnia quæ habet mea sunt. Item: Natura creaticia neutiquam capax esse potest eorum, quæ propria sunt Dei.

Ambrosius exponens secundum caput ad Philip. ostendit, quosdam donationem nominis, quod est super omne nomen ita intellexisse, quasi assumta natura, facta sit id, quod Deus est, Ipse verò inquit: Corpori non est donatum Dei nomen. Caro enim non potest hoc efficere, quod est Deus.

Hieronymus in explicatione symboli ad Damasum: Illorum quoque execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis, omnia quæ erant Deitatis, in hominem demigrasse, & rursus quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa, vt quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, hac confusione, vtraque exinanita substantia, Deitatis sci-

tis ſcilicet & humanitatis, & à proprio ſtatu in aliud dicatur eſſe mutata.

Auguſtinus de Trinitate lib. 1, cap. 8. dicit, quoſdam locum 1. Cor. 15. Tunc & Filius ſubijcietur Patri, interpretatos eſſe, de commutatione humanæ naturæ in Diuinam ſubſtantiam, quæ futura ſit poſt extremum diem, Ipſe verò inquit: ideò dictum eſſe, Filius ſubijcietur Patri, Ne quis putaret, humanitatem Chriſti conuerſum iri poſtea, in ipſam Deitatem, quæ non eſt creatura.

De Eccleſiaſt. Dogmatib. cap. 2. Deus hominem aſſumſit, homo in Deum tranſiuit, non naturæ verſibilitate, ſicut Apollinariſtæ dicunt, ſed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam ſubſtantiam aſſumendo hominem, nec homo mutaretur in diuinam ſubſtantiam, glorificatus in Deum, quia mutatio vel verſibilitas naturæ, & diminutionem & abolitionem ſubſtantiæ facit.

Cyrillus de recta fide ad Theodoſium: Quidam erubeſcunt, quod videantur hominem adorare, & terrenam carnem ſumma gloria celebrare, Adulterina igitur & peruerſa quadam reuerentia dicunt, verbum conuerſum, in oſsium carnis & neruorum naturam.

Idem de Incarnatione vnigeniti cap. 28. Neſtorianiſmum ita deſcribit: Hominem ſeorſim & ſeparatim ponentes, Deinde ei modum gloriæ tribuentes, adunatum fuiſſe dicunt verbo Patris, Et rationem adunationis exponentes, donatum eſſe ipſi dicunt à Deo, æqualitatem dignitatis ſiue autoritatis, vtq; ſimili appellatione, & Chriſtus & Filius dicatur & Dominus. Item: Hominem illum dicunt coniunctum eſſe Deo, æqualitate dignitatis, Solum hunc hominem, paria omnia cum verbo ſortitum fuiſſe contendunt, & honoratum æqualitate dignitatis, & maieſtate diuinæ eminentiæ.

Idem in Epiſtola ſynodica. Et Anathematiſmo 3. dicit: Neſtorium ſtatuere coniunctionem diuinæ, & humanæ naturæ, quæ conſiſtat in vnitate ſeu æqualitate dignitatis, autoritatis & poteſtatis, verbi & carnis.

Noſtris etiam temporibus, Schuuenckfeldius per multos annos, ſparſis varijs chartis, veteres illos antiquitus damnatos errores renouauit, quos noſtri Anno 1540. in conuentu Schmalcaldico, publicè reiecerunt, Humanam ſcilicet naturam in Chriſto, in gloria iam, non amplius eſſe creaturam, Omnia enim quæcunque legit in ſcriptura Chriſto tribui, non perſonæ, ſed vtriq; naturæ ſimul & ex æquo tribuit. Ita dicit Chriſtum paſſum & mortuum eſſe, ſecundum vtramq; naturam, tàm diuinam quàm humanam, Et ſubſtantiam quidem humanæ naturæ non abſorbet aut abolet cum Eutyche, Sed docet illam manere in Chriſto, Concedit etiam tempore exinanitionis, non fuiſſe æqualitatem naturarum & conditionum, ſed humanam minorem fuiſſe diuina, Sed poſt glorificationem, ſiue iam in gloria propter dicta de exaltatione humanæ naturæ contendit, & eſſentiam & Idiomata diuinitatis vtriq; naturæ eſſe communia, Atq; ita Chriſtum etiam ſecundum humanitatem, eſſe vnigenitum Filium Dei, conſubſtantialem & æqualem Patri. Humanitatem enim Chriſti per gloriam peruenisſe ad perfectam æqualitatem, & vnitatem eſſentiæ & Maieſtatis diuinitatis, Atq; ita ipſam etiam humanitatem Chriſti, quaſi partē eſſe eſſentiæ ipſius Trinitatis, in qua nihil eſt maius & minus. Et ita exponit Athanaſij ſententiam: Hominem aſſumtum & exaltatum eſſe in Deum, Quod ſcilicet omnia idiomata, omnis maieſtas & operatio diuina, quæ verbo natura conueniunt, iam per glorificationem communia ſint, etiam humanitati; vt ipſius etiam, in ſe & ſecundum ſe, propria ſint, Cárnem enim Chriſti, maieſtate, gloria & potentia, prorſus & per omnia æqualem eſſe verbo. Nullam igitur iam in gloria eſſe diuerſitatem aut inæqualitatem naturarum in Chriſto, niſi quod Diuinitas illa habeat naturaliter, humanitas verò ea à Diuinitate acceperit, Sed & Filius ſecundum Diuinitatem non à ſe, ſed à Patre habet omnia, quæ Pater habet, Et tamen æqualis & conſubſtantialis eſt Patri. Ac breuiter talem Schuuenckfeldius fingit naturarum adæquationem, vt humanitas Chriſti in gloria, in ſe, & ſecundum ſe, prorſus & per omnia æqualis ſit conditionis, ſtatus, cenſus, æſtimationis, virtutis, poteſtatis, maieſtatis, in vno gradu

gloriæ

gloriæ, cum ipsa Diuinitate seu Trinitate. Hæc sunt Schwenckfeldij verba.

Quæ opinio eadem est cum ea, quam Epiphanius contra Dimœritas ex Athanasio refutat, Ideò scilicet corpus Christi ponendum ὁμοούσιον Diuinitati, cum λόγῳ, qui vnus est in Trinitate, vel ex Trinitate, sicut Veteres loquuntur, sit vna persona cum assumpta carne, ne aliena substantia in ipsam Trinitatem introducatur, atq; ita non maneat τριάς Trinitas, sed fiat τέτρας quaternitas, Sed quia humanitas Christi non per se est subsistens persona in Trinitate, sed subsistentiam suam habet in persona verbi, quæ est secunda persona Trinitatis, Pertinet igitur, sicut Veteres docent, personaliter ad Trinitatem, non essentialiter, Nec facta est quaternitas, alia enim est essentia Trinitatis, & alia humanitatis, quæ verbo personaliter vnita est.

Inter nouos etiam nostri seculi Antitrinitarios, quidam Christo non tribuunt veram diuinam naturam, sed finguntvocari Deum & Filium Dei, quod naturæ ipsius humanæ, in se, & secundum se collata & communicata sit, omnipotentia & maiestas diuina. Atq; hæc est etiam Anabaptistarum quorundam opinio.

Ex hac commemoratione prauarum opinionum, quæ & in veteri Ecclesia recto iudicio damnatæ sunt, & nunc etiam merito damnantur, liquido colligitur, qui scopuli vitandi & cauendi sint, Quando de communicatione maiestatis disputatur.

Et fundamenta refutationum obseruentur, Pater enim in scriptura appellatur non tantum Pater, verum etiam Deus Christi, Ioh. 20. 2. Cor. 11. Eph. 1. Col. 1. Esse autem Deum alicuius, includit respectum maioris & minoris, seu superioris & inferioris. Est igitur Christus etiam in gloria minor seu inferior Patre, Non autem secundum Diuinitatem, ergo secundum humanitatem, 1. Cor. 11. Caput mulieris est vir, omnis autem Viri caput est Christus, Imo omnium angelorum, Eph. 1. Caput autem Christi Deus, Sed secundum diuinitatem, Pater non est caput Christi, Ita enim est æqualis Deo, Phil. 2. Ostendit igitur Paulus humanam naturam in Christo, euectam esse supra omnes creaturas, sed tamen esse sub Deo seu infra Deum,

sicut

ſicut Lutherus ex illo Pauli loco erudite colligit. Et Ambroſius de fide lib. 4. capite 2, eodem modo hunc Pauli locum explicat.

Paulus etiam, 1. Cor. 15. tradit, humanam naturam in Chriſto, eſſe ſub Deo, & minorem ſeu inferiorem Deo, non tantum quando in ſtatu exinanitionis dicit, Pater maior me eſt: Nec tantum, quando poſt reſurrectionem dicit, Aſcendo ad Deum meum, & Deum veſtrum, verumetiam poſt extremum diem, quando tradiderit regnum Deo & Patri. Ita enim inquit: Cum omnia ſubiecta fuerint Filio, tunc & ipſe Filius ſubijcietur ei, qui ipſi ſubiecit omnia. Hoc enim ideo dictum eſt, inquit Auguſtinus de Trinit. lib. 1. cap. 8. Ne quiſquam putaret habitum Chriſti, qui ex humana creatura ſuſceptus eſt, conuerſum iri poſtea in ipſam diuinitatem. Et Ambroſius de fide lib. 5. cap. 6. Tradet regnum, vt & Filius hominis ſubiectionem, vtiq; per conditionem carnis, non per maieſtatem Diuinitatis, agnoſceret.

Hûc pertinent illa omnia, quæ ſupra dicta ſunt, quod facta ſit hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto vnio, ſalua ſubſtantia & ſaluis proprietatibus vtriuſq; naturæ.

Et Veteres, ex æqualitate & identitate virtutis, poteſtatis, maieſtatis, & reliquorum attributorum, probant & confirmant ὁμοουσίαν, hoc eſt, vnam & eandem eſſe ſubſtantiam Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Ita Athanaſius Tomo 2. in libro de ſynodis, Defendens, rectè poſitum eſſe in Niceno ſymbolo, Filium ὁμοούσιον eſſe Patri, hoc eſt, eiuſdem ſubſtantiæ, inquit: Cauendum eſt, ne inducamus diuerſam aliquam ſubſtantiam, quam tamen velimus capacem eſſe proprietatum primæ ſubſtantiæ, Scriptum eſt enim, Gloriam meam alteri non dabo.

Hilarius de Trinitate lib. 6. inquit: Poteſtas exæquata, ſecretum cognitionis æquale, Patris & Filij.

Lib. 7. Per hoc & Filius & Deus eſſe creditur, quod opera Patris efficiat. Et mox addit rationem. Non exæquatur & ſimilis eſt Deo creatura. Si aliquid reperiri poteſt virtutis eiuſdem, erit eiuſdem etiam ſubſtantiæ &c. Et lib. 9. Virtus naturæ res eſt,

res est, operatio est virtutis potestas, & per virtutis potestatem, paternæ naturæ in Filio vnitas noscitur.

In 6. Synodo citatur hæc sententia Ambrosij ex 2. libro ad Gratianum. Non potest vna potestas & operatio esse, vbi diuersa substantia est.

Allegatur ibidem & Nysseni sententia, Per operationem introducimur ad naturæ indagationem, Diuersas igitur esse operatrices naturas, ex diuersitate operationum animaduertimus.

Cyrillus in Iohannem lib. 2. cap. 135. Similiter operantur, quæ omnino eiusdem naturæ sunt, Quæ autem diuersas essendi habent rationes, in ijs idem operationis modus esse non potest, Christus igitur identitate operationis, æqualem se Patri ostendit, ac substantiæ Patris hæredem.

Ibidem cap. 141. Si Arriani non consubstantialem Patri Filium dicunt, & tamen omnia Deitatis axiomata illi substantialiter inesse tradunt, attendant quo impietatis recidant. Nihil enim firmum & stabile, nihil perpetuum Deo attribuitur, si creatura quoq; ea substantialiter & per naturam suscipere poterit, quæ in Deo substantialiter sunt. Et quis non perhorrescet, tantam dogmatum veritatis perturbationem audiens, Omnia enim sursum deorsum euertuntur, Deitatis natura ad creaturam deducitur, & creaturarum substantia, per insaniam, ad supremæ naturæ locum scandere creditur.

Idem, lib. 6. dial. explicans dictum illud: Gloriam meam alteri non dabo, inquit, Neq; enim permittet vllis rebus alijs, quam sibi, iuxta substantialem dignitatem, veræ Deitatis sublimitatibus magnificari, Quomodo enim natura creata, ad huius dignitatis conditionem perueniret, vt nihil nobilitatis supra se relinquat.

Idem ad Successum epist. 1. Caro caro est, & non Deitas, licet Dei facta sit caro. Item, Impossibile est, in Deitatis essentiam vel naturam, aliquid creaturarum posse conuerti. Est autem creatura etiam Christi caro. Ideoq; diuinum quidem dicimus corpus Christi, quia corpus est Dei, & ineffabili gloria

illustratum, incorruptibile, & iam sanctum atq; viuificum confitemur. Quod autem in naturam Deitatis sit commutatum, neq; sanctorum Patrum quisquam sensit aut docuit, neque nos ita sentimus.

Idem in Ioh. lib. 11. cap. 21. Nulla res, quæ propria Dei opera sunt, facere potest, nisi substantialiter Deus sit.

In 2. Epist. ad Successum, habet hanc sententiam, quam citat etiam Damascenus: οὐ ταυτὸν ἐν ποιότητι φυσικῇ, θεότης ἢ ἀνθρωπότης. Non idem est in qualitate naturali, seu conditione essentiali, Diuinitas & humanitas. Idem in Epistola synodica, Christus sub Deo factus est, secundum legem humanitatis.

In 6. Synodo allegatur hæc Cyrilli sententia: Neq; enim vnam naturalem operationem dabimus Deo & creaturæ, vt neq; id, quod creatum est, ad diuinam deducamus essentiam, neq; id, quod est diuinæ naturæ, ad locum, qui creaturis congruit, deponamus. Quorum igitur operatio & virtus indifferenter vna est, his necesse est speciei vnitatem seruari.

Non nudis igitur verbis, per generalitates tantum protestamur, vbi protestatio potest esse contraria facto, sed quasi iusta explicatione serio ostendimus, nos in nostris Ecclesijs nequaquam docere, admittere aut probare, talem communicationem Maiestatis, quæ efficiat, secum trahat, introducat aut constituat, naturarum aut essentialium Idiomatum, confusionem, conuersionem, aut exæquationem in Christo.

Deinde, huic quod hactenus diximus, de cauenda & vitanda confusione, transmutatione & exæquatione, affine est, quod Damascenus monet de cauenda abolitione, libro 3. cap. 17. Caro Domini locupletata est diuinis ἐνεργείαις operationibus, seu efficacitatibus propter hypostaticam vnionem, non passa ἕκτωσιν excidentiam Idiomatum naturalium, nec ἔκπτωσιν excessit à propria sua natura, nec à proprietatibus suis naturalibus. Eutychæum enim est fingere, humanam in Christo naturam absorptam aut commutatam in diuinam. Et in Sexta generali Synodo, commemorantur quidam finxisse, per communicatio-

nicationem maiestatis, amissa, abolita, expulsa, & destructa naturalia & essentialia assumtæ humanæ naturæ Idiomata, & eorum loco, diuinæ naturæ attributa, facta esse exaltatæ humanæ naturæ essentiales proprietates, in se & secundū se, & subiectiuè aut formaliter ipsi inhærentes, Hæc opinio rectè fuit damnata, Naturæ enim in Christo, etiam in vnione, & post vnionem, manserunt, & essentiales suas proprietates retinuerunt saluas, & sine confusione distinctas. Et Gerson eleganter inquit, Gloria humanitatem non tollit, sed extollit, non interficit, sed perficit. Manet igitur humana natura in Christo, & habet ac retinet essentiales suas proprietates, Ac Christus quando vult, iuxta illas, agit, Sed Communicationem Maiestatis appellamus, quod præter & supra manentes essentiales illas humanitatis proprietates, diuina potentia λόγȣ operatur, cum assumta humanitate, & per eam, quæcunqȝ, & quandocunqȝ vult, quæ non sunt essentiæ carnis, vel essentialium eius proprietatum, sicut mox pluribus explicabimus.

Huc ergo per remotionem pertinent opiniones in 6. generali Synodo damnatæ, Qualis est Nestorij sententia, Duarum naturarum in Christo, vnam voluntatem, vnam operationem & dominationem, dignitatis qualitate ostensas.

Ibidem inquit Theodosius hæreticus: Vnam & eandem esse, sapientiam & scientiam Dei Verbi, & animæ intellectualis, qua animata est sancta eius caro.

Item: Vnam esse virtutem & operationem τȣ̃ λόγȣ & assumptæ naturæ, sicut Patris & Filij vna est virtus & operatio.

Ibidem Seuerus hæreticus inquit: Si Verbum transformauit eam, quam sibi secundum subsistentiam vniuit humanitatem, non ergo illa, in propria natura mansit, hoc quod erat, sed quæ carnis erant propria, facta sunt in gloriam & operationem verbi. Petrus etiam quidam hæreticus, ibi dicit: Caro Christi intellectualiter animata, ex hypostatica cum Diuinitate vnione illis, quæ diuina sunt locupletata ipsam voluntatem Diuinam, essentialiter scilicet propriam factam possidebat.

Ita ergo hactenus, à communicatione Maiestatis disertè remouimus, confusionem, conuersionem, exæquationem, & abolitionem naturarum, & essentialium idiomatum in Christo, hoc est, Docuimus, vitam viuificantem, emundationem conscientiarum à peccato, & alia attributa diuinæ naturæ λόγου propria, quæ scriptura de carne & sanguine Christi, hoc est, de Christo secundum humanam naturam prædicat, non ita ei esse tribuenda, vt efficiatur, constituatur, seu introducatur, naturarum & essentialium proprietatum confusio, conuersio, exæquatio, aut abolitio. Talem enim modum communicationis, veterem Ecclesiam, recto & vero iudicio damnasse, multis ostendimus, Quæ omnia in nostris & purioribus Ecclesijs seriò damnari, disertè profitemur.

Porrò ex altera etiam parte, illi, qui dimicant, Maiestatem illam de qua nunc agimus, nullo modo datam aut communicatam assumptæ humanæ naturæ, vel humanitatem Christi, in hypostatica vnione nullam prorsus habere communionem, cum illis Diuinitatis attributis, quæ Scriptura Christo, secundum humanam naturam attribuit, vt quod caro eius sit viuifica, Ita varia diuerticula ac mirificas ambages disputando se proripiunt, dum Christo secundum assumptam naturam, seu quatenus Filius hominis est, vel carni & sanguini eius, sicut Scriptura loquitur, maiestatem illam, non tribuere, sed adimere & detrahere disputando nituntur. Erunt itaq; & illorum opiniones remouendæ, priusquam ad veram κοινωνίας rationem, quam vetus orthodoxa Ecclesia, ex Scripturæ fundamentis monstrauit, perueniamus, Vt ita omnibus diuerticulis, quæ à medio vel ad dexteram, vel ad sinistram declinant, remotis, regiam verbi Dei viam, facilius inuenire & rectius tenere possimus.

Primò igitur quidam contendunt, attributa illa Diuinitatis propria, quæ Scriptura prædicat Christo in tempore data, tradita seu donata, nihil pertinere ad assumptam humanam naturam, sed personæ tantum, vt Christo homini, Filio hominis, Filio Mariæ, per vocabula concreta ea tribui, ita vt titulus quidem communis sit toti personæ, reuera autem, sola diuina natura

tura in persona Christi illa habeat, Ita vt assumpta & personaliter vnita humana natura, nullam prorsus cum illis communionem seu participationem habeat, vt eadem sit ratio propositionum de exaltatione Christi, sicut cum in primo genere dicitur, Filium hominis descendisse de cœlis, ac fuisse ante incarnationem, Quod personæ quidem tribuitur, sed conuenit ei non secundum humanitatem, sed tantum secundum Deitatem, vel scripturam communicationem illam tribuere carni & sanguini Christi, non quod reuera illa acceperit aut habeat, sed verbaliter tantum, seu modo quodam loquendi, μόνον τὸ κοινὸν ὄνομα ἔχων, sicut apud Athanasiũ diak 5. loquuntur phanatici, propterea, quod humana natura vnita sit Diuinitati, & in ea subsistat, cui soli ea conueniunt, Ita, vt humanitas cum illis, nullam prorsus habeat communionem, Vt si pes hominis dicatur intelligens, auris videns, oculus audiens, eò quòd pars sit naturæ intelligentis, hoc enim absurdo exemplo quidam vti non verentur, & tq; ideo contendunt, tantum in concreto, hoc est tantum per vocabula ipsam personam significantia loquendum, nec nominandam assumptam Christi naturam, quod ipsa aliquid acceperit & habeat ex vnione illa.

Illi igitur, κοινωνίαν attributorum Diuinitatis, assumptæ naturæ simpliciter prorsus adimunt & detrahunt, ac ad solam diuinam naturam ita restringunt, Vt assumta & λόγῳ vnita humana natura nullam prorsus communionem cum illis habeat. Sed grauissima sunt argumenta, quæ opinionem hanc non admittunt. Dicta enim illa Scripturæ, de quibus agimus, non docent, quid Filius Dei ab æterno habeat, vel, quid nascendo per generationem ab æterno acceperit, Sed quid in tempore Incarnationis, ipsi datum, traditum, & donatum, seu communicatum sit. Vbi certè fingi nec potest nec debet, ipsi diuinæ naturæ, quæ ab æterno perfectissima & שַׁדַּי omnisufficiens, nec vllius indiga est, aliquid in se in tempore esse datum, vt scilicet esset viuifica, vt posset conscientias emundare, omnibus dominari, omnem potestatem super omnia habere &c. Et scriptura, quando de ijs, quæ Christo in tempore data sunt, loquitur, non perso-

nam tantum in genere, sed Christum secundum assumptam naturam, & quidem carnem ac sanguinem eius disertè nominat, vt ita ostendat, secundum quam naturam intelligendus sit Christus, ea in tempore accepisse, vt Ioh. 5. Dedit ipsi vitam, & potestatem iudicium faciendi, quia seu quatenus, (sicut Cyrillus exponit) Filius hominis est, Ita caro eius est viuifica. Sanguis eius emundat conscientias ab omni peccato. Et tota orthodoxa antiquitas, vno ore, ac consentiendi confessione, ea quæ Christo in tempore data & donata scribuntur, intelligit secundum assumptam eius humanam naturam, sicut in præcedenti capite ostendimus, ac paulo post plura testimonia addemus. Illos etiam qui contendebant, ea, quæ scriptura Christo in tempore data docet, non de assumpta humana natura, sed de altera eius natura, quæ ante incarnationem fuit, intelligenda esse, tanquam hæreticos damnarunt, Sicut inquit Leo, Epistola 22. Dicant aduersarij veritatis, quando omnipotens Pater, vel secundum quam naturam, Filium suum super vniuersa prouexerit, vel cui substantiæ cuncta subiecerit. Deitati enim semper omnia subiecta fuerunt. Huic si addita potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat prouehente. In quam sententiam, plura veterum testimonia lector Cap. 25. inueniet. Tota enim antiquitas acerrimè digladiatur contra Arrianos, Eunomianos, & alios, qui sententias scripturæ, de datis, seu donatis Christo in tempore, ad diuinam eius naturam detorquebant, Viderunt enim inde consequi, non verè ὁμοούσιον esse Filium Patri, si secundum Diuinam naturam, in tempore incarnationis, ipsi data fuit Vita viuificans, omnis potestas, dominium super omnia, summa sublimitas, &c. Nec sine contumelia aut blasphemia cogitari potest, quando scriptura dicit: Carnem Christi viuificare, Sanguinem eius conscientias emundare: tam absurdè & monstrosè hoc dictum esse, ac si pes hominis dicatur intelligens, hoc est, ac si quis diceret, hominem pedibus intelligere, capite incedere, manibus audire, naribus videre, Sed intelligimus scripturam sicut verba sonant, Carnem Christi verè esse cibum viuificantem.

Secun-

Secundò alij dicunt, ea quæ Christo in tempore data leguntur, diuinæ eius naturæ, non tunc quidem primum collata, sed ea, quæ ab æterno Diuinitas eius habuit, ipsi in exaltatione data, hoc est reddita seu restituta, quæ ratione exinanitionis amisisse, & quasi non habuisse visa fuerat, Sed scriptura explicat secundum quam naturam, illa Christo in tempore data sint, vel disertè nominat, Carnem & sanguinem, vel addit, data hæc Christo, quia Filius hominis est, Ioh. 5. Vel talem apponit notationem seu descriptionem passionis, mortis, resuscitationis, vnde intelligitur, secundum assumptam naturam illa Christo tribui, vt Eph. 1. & 4. Ebr. 2. Ac tota orthodoxa antiquitas, donationem illam non diuinæ, sed assumptæ humanæ naturæ factam intellexit. Et exinanitio non fuit absentia, priuatio, carentia, amissio, despoliatio, depositio, aut exuitio, attributorum Diuinitatis in natura diuina λόγϖ, quasi illa tunc vel non habuerit, vel in se illa non vsurparit, vt Diuinitati ea reddenda vel restituenda fuerint, dicit enim imminente passione, in summa exinanitione, Omnia quæcunque Pater habet, mea sunt. Ioh. 16. & Ioh. 5. Pater meus vsq; modo operatur & ego operor. Sed dicitur se exinanijsse, quia maiestatem suam diuinam, per assumtam carnem, tempore humiliationis non semper exeruit. In exaltatione igitur, post depositam exinanitionem, datum fuit Christo, vt in carne, cum carne, & per carnem assumtam, plena vsurpatione luceret ac se exereret Diuinitatis maiestas. Non ergo diuinæ naturæ in se reddita, sed humanæ eo modo data fuit, illa gloria & exaltatio.

Præterea non post exaltationem tantum, sed in ipsa summa exinanitione, tempore passionis, Scriptura dicit. Ioh. 15. Sciens Iesus, Patrem sibi omnia dedisse in manus, & Ioh. 5. Dedit Filio vitam & iudicij potestatem, quia Filius hominis est. Et quod Paulus dicit, de tota plenitudine Deitatis inhabitante in Christo corporaliter, & de omnibus thesauris scientiæ & sapientiæ in ipso absconditis, Non post depositam exinanitionem demum cœpit, sed à principio hypostaticæ vnionis, in assumpta natura personaliter hæc inhabitarunt. Donatio igitur illa

illa Christo in tempore iuxta Scripturam facta, non propriè ad ipsam diuinam Christi naturam, ratione exinanitionis, tanquam redditio aut restitutio, sed ad assumtam eius humanam naturam, tanquam donatio seu communicatio, propriè pertinet. Caro enim Christi facta est ex hypostatica vnione viuifica. Patres quidem, ex illa maiestate, quæ Christo legitur in tempore data, sæpe probant, personam Christi non nudum esse hominem, sed simul etiam verum Deum. Non quod senserint essentiæ Diuinitatis verbi, in tempore aliquid datum, quod ab æterno non habuerit, Sed quia assumta humana natura, non ex se, nec aliunde ab extra, sed ex personali vnione cùm diuina natura, maiestatem illam, de qua scriptura loquitur, accepit & habet. Non enim in tantam sublimitatem potuisset extolli humana natura, nisi personaliter vnitam sibi haberet Diuinitatem, hoc est, nisi persona esset verus Deus, ipse enim ignis diuinus, sicut Origenes loquitur, substantialiter seu personaliter habitans in assumta natura, in ea ita lucet, cum ea ita operatur, per eam gloriam suam ita exerit, vt efficaciter inde demonstretur, personam illam non hominem tantum esse, sed simul etiam verum Deum. Ita pontifex Matth. 26. & Paulus Ebr. 2. ex sessione Filij hominis ad dexteram Dei, probat personam esse verum Deum, nulla enim nuda creatura potuisset ad tantam excellentiam euehi, nisi persona esset Deus, Inde ergo non sequitur, ea, quæ Christo in tempore data sunt, diuinæ eius naturæ accessisse. Sed firma manet Leonis regula, Quicquid in tempore accepit Christus, secundum humanam naturam accepit, cui, quæ non habuit, collata sunt.

Eodem etiam modo, Veteres dicta quædam de datis Christo in tempore, ita interpretantur, quod post depositam exinanitionem, maiestatem & potentiam suam diuinam Christus manifestârit, ne quis cogitaret, ratione exinanitionis aliquid decessisse diuinæ suæ potentiæ & maiestati. Non tamen dicunt ipsi diuinæ naturæ aliquid in tempore datum, sed semper addunt mentionem Carnis seu assumtæ naturæ. Et de manifestatione diuinæ maiestatis non absolutè loquuntur, sed quod eam in

carne,

carne, cum carne, & per assumptam carnem exerat. Et hoc ipsum est, quod nos vocamus Communicationem maiestatis, sicut in sequenti capite ostendemus.

Ita Cyrillus inquit in Iohannem lib. 2. cap. 73. Non ita dat Pater, vt initium potestatis Filio præbeat, sed ita, vt cum carne Filius ad potestatem, quam absq; carne, semper naturaliter habet, recurrat. Item factus homo, vt homo incipit dominari, quia cum carne ad id, quod semper est, homo factus ascendit. Libro 9. cap. 20. ita exponit locum Phil. 2. Qui homo nudus ab omnibus putabatur, sic exaltatus est, vt verus Deus esse demonstretur. Nec in nouam quandam dignitatem ascendit, qui natura Deus erat, sed factus homo, quoniam ad dignitatem pristinam cum humanitate redijt, glorificationem accepisse dicitur. Lib. 11. cap. 17. Non quia gloriæ vnquam propriæ expers fuit, dicit, Glorifica me ea gloria, &c. Sed quia in gloriam, quæ sibi semper vt Deo adest, proprium templum reducere volebat, Imo verò ipse cum propria carne, propter quam nonnihil in hac vita dedecoris accidisse videbatur, in gloriam suam redijt.

Lib. 10. Thesauri cap. 9. δόξασον me exponit, Largiaris talem opinionem & fidem de me, vt non pro verme, sed pro Deo me agnoscant.

Has sententias ideo adscripsi, Quia à quibusdam ad perturbandam hanc doctrinam afferri solent, quasi ea, quæ humanæ naturæ conditionem excedentia, Christus in tempore accepisse scribitur, nihil prorsus ad ipsius humanitatem pertineant.

Tertiò, quidam omnia illa, quæ Christo in tempore data leguntur, de donis habitualibus, ac de qualitatibus finitis ac creatis conantur interpretari, Sed in præcedenti capite ostendimus, ac per se manifestum est, viuificationem, emundationem conscientiarum, potestatem Iudicij, παντοκρατορίαν, gloriam ante mundi constitutionem, &c. quæ Christo in tempore data scribuntur, non esse dona infusa, habitus creatos aut qualitates finitas.

Quartò fuerunt etiam, qui hoc Sophiſmate voluerunt elabi, & doctrinam hanc non tam explicare quam eludere, Nec Diuinæ ſcilicet, nec humanæ naturæ in Chriſto, ea in tempore data, de quibus ſcriptura loquitur, ſed perſonæ, Quaſi ſcilicet in Chriſto, perſona ſit res aliqua, extra vel præter naturas vnitas exiſtens, vt perſona aliquid habeat, quod nec ad Diuinam, nec ad humanam, nec ad vtramq; naturam pertineat. Chriſti enim perſona conſtat duabus naturis, quæ in vnica illa perſona Chriſti ſubſiſtunt.

Et Damaſcenus lib. 3. cap. 19. inquit: Duæ naturæ vnitæ ſunt, vna perſona Chriſti incarnati, & Chriſtus incarnatus duæ illæ naturæ perſonaliter vnitæ ſunt, ſicut Nazianzenus arguta breuitate inquit: ἅ ἓν ὢν, ἔν αἷς, καὶ ἄπορ. Et Scriptura ipſa, non tantum in concreto de perſona loquitur, ſed diſertè nominat carnem & ſanguinem, Et addit, ὅτι, quia ſeu quatenus Filius hominis eſt. Ita tota antiquitas affirmat, Chriſto ſecundum aſſumptam naturam, illa in tempore data, vel humanæ naturæ in Chriſto data.

Tandem exorti ſunt recens noui diſputatores, qui ſparſis pagellis contendunt, Chriſtum ſecundum vtramq; naturam, hoc eſt, non ſecundum humanam tantum, ſed ſimul etiam ſecundum diuinam naturam, vel in ipſa etiam ſua diuina eſſentia, accepiſſe ea, quæ ſcriptura docet Chriſto in tempore data; Non autem intelligunt datum ipſi mandatum, aut delegationem officij redemptionis & ſaluationis, vt illud ſecundum vtramq; naturam adminiſtraret & perficeret, quanquam & hoc ante tempora ſecularia, priuſquam iacerentur fundamenta terræ factum eſſe, Paulus docet Epheſ. 1. & 2. Tim. 1. Sed intelligunt omnẽ poteſtatem ac maieſtatem, quæ ad officium Chriſti Saluatoris exequendum requiritur, datam Chriſto in tempore, tàm ſecundum diuinam, quàm ſecundum humanam naturam, Et eam poteſtatem ac maieſtatem, aduentitiam, creatam, finitam ac limitatam eſſe, ipſi multis diſputant. Non autem operoſam hoc loco, noui huius commenti refutationem inſtituam, ſed tantum commemorando, paradoxa ſeu monſtra opinionum,

quæ

quæ nouum hoc commentum in Ecclesiam inuehere conatur, recitabo. De quibus etiam Catechumenorum aures, quæ primis fidei rudimentis imbutæ sunt, iudicare poterunt. Primo enim, si omnis potestas in cœlo & in terra, si vita viuificans, si dominium super omnia, si omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, si exaltatio super omne nomen, & reliqua, quæ Christo in tempore data legimus, simul & ex æquo, tàm secundum Diuinam, quàm secundum humanam naturam, in tempore Christus accepit. Ergo Diuinâ essentia τῦ λόγυ, ab æterno non habuit omnia, Quomodo igitur verus Deus erit, si non ab æterno habuit vitam viuificantem, dominium super omnia? Veræ enim Deitatis omnium piorum confessione proprium est, quod in se sit שַׁדַּי αὐτοτελὴς, se ipsa perfecta, sufficiens, nullius indiga, quæ nec augeri nec minui, cui nihil vel addi vel detrahi potest. Secundò, Omnes Arriani semper disputarunt, vitam, gloriam, Maiestatem diuinam, omnem potestatem, exaltationem super omne nomen, & reliqua data Christo in tempore, secundum illam naturam, quæ fuit ante Incarnationem. Videbant enim inde consequi, non esse verè diuinam naturam, æterno Patri consubstantialem, si non omnia ab æterno habuit, sed quædam in tempore ipsi danda ac conferenda fuerunt, Atq; ideò tota orthodoxa Ecclesia, contra Arrianos semper acerrimè dimicauit, Illa, quæ scriptura tradit Christo in tempore data, non de diuina, sed de humana eius natura intelligenda. Tertiò, Quale quæso monstrum est, infinitam diuinam naturam τῦ λόγυ, in tempore in se suscepisse, creatam, finitam, & limitatam potentiam, gloriam, maiestatem, &c. Quartò, Sequetur hinc, diuinam naturam τῦ λόγυ, non habuisse in se ab æterno, vitam viuificantem. Item: vim & potentiam, contra omnes portas inferorum, sed illam in tempore Christo dandam fuisse, etiam secundum diuinam naturam. Quintò, Sequetur etiam ex nouo hoc commento, potentiam illam, qua Filius Dei mediator, regnum suum constituit, administrat & conseruat, qua ex potestate tenebrarum erepti sumus, qua conuertimur, illuminamur, iustificamur, viuificamur, sanctificamur, qua contra

mundi & diabolorum tyrannidem defendimur, ex periculis eripimur, qua ad ſalutem conſeruamur, &c. Illam inquam potentiam non eſſe diuinam, infinitam & æternam omnipotentiam, ſed eſſe aduentitiam, creatam, finitam & limitatam potentiam, datam Chriſto in tempore, ſecundum vtramq; naturam, atq; ita etiam ſecundum diuinam naturam. Cum hactenus rectè ac merito, vnica & ſumma, in tanta carnis noſtræ prauitate, mundi inſidijs, & diaboli truculentia, conſolatio habita fuerit, quod non humanis conſilijs aut viribus, ſed diuina, æterna & infinita ſapientia & potentia, Eccleſia colligatur, regatur & conſeruetur, Miſerrimi profectò iam erimus, ſi patiemur per nouum hoc commentum, collectionem, gubernationem & conſeruationem Eccleſiæ, ad adminiſtrationem officij ac regni Chriſti Saluatoris, ad creatitiam, aduentitiam, finitam & limitatam potentiam, quæ Chriſto in tempore ſecundum vtramq; naturam data ſit, detrudi? Qualis verò Eccleſiæ, qualis ſalus, & qualis tandem fides erit, ſi patiemur, Diuinam æternam & infinitam omnipotentiam, in officijs Chriſti Saluatoris, regis, Pontificis, & capitis noſtri, nobis eripi? Feliciores igitur erunt reliquæ creaturæ, extra Eccleſiam, quæ tamen diuina, æterna & infinita omnipotentia Dei gubernantur & ſuſtentãtur. Verum quidem eſt, mandatum ſeu delegationem officij Mediatoris, Chriſto datam & commiſſam ſecundum vtramq; naturam, Verum etiam eſt, officia Chriſti Saluatoris competere perſonæ ſecundum vtramq; naturam, Sed inde non ſequitur, poteſtatem, virtutem, vim, ſeu potentiam adminiſtrandi, exequendi & perficiendi officij, Chriſto ſecundum vtramq; naturam in tempore datam. Delecta enim fuit ad officium Saluatoris perſona τ῀ λόγ῀, quæ ab æterno habuit omnipotentiam, contra omnes inferorum portas, quæq; ab æterno fuit, ipſa vita viuificans. Alia verò eſt ratio aſſumtæ humanæ naturæ, cui omnis poteſtas, quam naturaliter non habuit, in tempore per vnionem danda & communicanda fuit, vt in officijs illis Chriſti omnibus, poſſet efficaciter cooperari. Sed non inſtitui nunc iuſtam noui huius commenti refutationem, tantum commemorando monſtra opinionum ex commento hoc emergentia,

oſten-

oſtendere volui, vt obſeruetur, quorſum tandem euaſuræ ſint iſtæ diſputationes, quæ maieſtatem Chriſto in tempore datam ſeu communicatam, aſſumtæ eius naturæ detrahere, & ad diuinam eius naturam, contra ſcripturæ & totius antiquitatis ſententiam, detorquere conantur. Atq; ita hactenus ab vtraq; parte, à communicatione Maieſtatis, oſtenſis bonis, certis & firmis rationibus, remouimus ſiniſtras, prauas & falſas opiniones, Et iam rectior, expeditior & facilior erit tranſitus, ad verum huius κοινωνίας modum, ipſi vnioni conſentaneum, & correſpondentem.

CAPVT XXIII.

De vero modo Communicationis Maieſtatis, vnioni correſpondente, ſicut ſcilicet vis lucendi & vrendi, per vnionem communicatur ferro ignito.

OStendimus igitur, ſatis certo, manifeſtè & firmiter, attributa Diuinitatis propria, quæ ſcriptura docet Chriſto in tempore data, ſeu communicata, non intelligenda eſſe, Diuinæ eius naturæ in tempore donata, ſed perſonæ ſecundum aſſumptam eius humanam naturam.

1. Quia Diuinitas ab æterno in æternum in ſe perfecta & immutabilis eſt, cui nihil in ſe dari aut accedere, vel neceſſe, vel poſsibile eſt.

2. Quia Scriptura ipſa addit declarationem, Ioh. 5. Data Chriſto eſt vita & poteſtas iudicij, quia Filius hominis eſt.

3. Quia expreſſè ſcriptura aliquando ipſam humanam naturam nominat, vt caro Chriſti viuificat, Ioh. 6, Sanguis eius emundat conſcientiam à peccato.

4. Quia ſcriptura ſæpe addit talem notationem, quod intelligat Chriſtum ſecundum eam naturam, in qua paſſus, mortuus, & ſuſcitatus eſt, vt Epheſ. 1. & 4. Ebr. 2. &c.

5. Quia tota vetus Eccleſia vnanimi conſenſu credidit & confeſſa eſt, Ea, quæ ſcriptura Chriſto tradit in tempore data, de aſſumpta humana eius natura intelligenda.

6. Quia hæreticorum proprium fuit, omnibus temporibus, ad diuinam Chriſti naturam referre, quæ ſcriptura prædicat Chriſto in tempore data.

Addidimus autem commonefactionem, ac iuſta explicatione eam communiuimus, Communicationem illam non ita eſſe intelligendam, accipiendam, docendam, aut vrgendam, vt inde conſtituatur aut introducatur naturarum in Chriſto, vel eſſentialium illarum Idiomatum, vel confuſio, vel conuerſio, vel exæquatio, vel abolitio, Subſtantialem enim earum differentiam ſaluam manere, in vnione, ac poſt vnionem, multis hactenus oſtendimus. Supereſt igitur, vt porrò iam oſtendamus, quo modo abſq; Confuſione & exæquatione, Communicatio illa fieri intelligenda ſit. Quod verò quidam dicunt, ſe non poſſe videre aut intelligere, quod vlla ratione, attributa Diuinitatis propria, poſsint aſſumptæ humanæ naturæ, vel perſonæ ſecundum humanam naturam communicari, abſque confuſione, conuerſione, exæquatione, aut abolitione naturarum, & eſſentialium earum Idiomatum, Hæc certè non eſt ſatis vel magna vel ſufficiens cauſſa, vt propterea, quia modum, quomodo illud fiat, videre & capere non poſſumus, ea quæ ſcriptura tradit Chriſto in tempore ſecundum aſſumptam naturam data aut communicata, negando & contradicendo, carni eius adimamus & detrahamus. Quia enim ſcriptura, ſicut oſtendimus, prohibet faciendam aut admittendam confuſionem, conuerſionem, abolitionem, aut exæquationem, Et tamen ſimul tradit ea, de quibus Scripturæ teſtimonia habemus, Chriſto ſecundum humanitatem donata ſeu communicata,

nicata, ſicut monſtratum eſt, Quare non potius Deo gloriam damus? Simplici fidei obœdientia credentes, quæ Scriptura tradit, etiamſi modum, quomodo abſque confuſione & exæquatione illud fieri poſsit, non intelligamus aut capiamus. Nam & vnionis modum, vnde communicatio illa oritur & dependet, quis ſatis explicare & intelligere poteſt? Angelus Saræ & Mariæ de modo ſciſcitantibus, reſpondet, Apud Deum nec impoſsibile nec difficile eſt omne verbum, Gen. 18. Luc. 1. At ſicet non ignotus mihi ſit Ebraiſmus ille, quo Dabar omne verbum pro omni re vſurpatur, plurimum tamen hoc loco mihi placet illa emphaſis, vt intelligatur, Omne verbum, hoc eſt, quicquid Deus in verbo patefecit, & tradidit, illud & poteſt, & quidem facile poteſt efficere, etiamſi modum & rationem, quomodo illud fieri poſsit, nos percipere, aut explicare non poſsimus. Cumq; Paulus diſertè dicat, myſterium eſſe, & magnum myſterium, & ὁμολογουμένως extra omnem controuerſiam, aut piorum omnium confeſsione magnum eſſe myſterium, quod Deus manifeſtatus eſt in carne. 1. Timoth. 3. Et cum exaltatio humanæ naturæ in Chriſto, ſit ſupra omne nomen, quod nominatur non tantum in hoc, verum etiam in futuro ſeculo. Epheſ. 1. Quare non potius piam Cyrilli modeſtiam imitamur, qui in Iohan. lib. 4. cap. 15. inquit: Ineffabiliter & vltra quam poſsit mens humana intelligere, verbum humanitati coniunctum, fecit eam viuificam. Et Capite 24. Diuina natura, per ſe ipſam viuificat, ad cuius virtutem caro per coniunctionem conſcendit. Quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere poſſumus, ſed ſilentio ac firma fide ſuſcipimus.

Et Iuſtinus in expoſitione fidei grauiter inquit: μὴ μέ τις τῆς ἑνώσεως διερωτάτω τὸν τρόπον, ἃ γὰρ αἰδεσθήσομαι τὴν ἄγνοιαν ὁμολογῶν, τοσαυτὸν δὲ μᾶλλον καυχήσωμαι τοῖς ἀπορρήτοις πιστεύων, καὶ μύσης τάττων ὑπάρχων, ὧν καὶ λόγος, καὶ νοῦς, ἀτονῶ τὴν κατάληψιν, hoc eſt, Nec vero quiſquam à me vnio-

nis

nis modum & rationem ſciſcitetur aut requirat. Non enim me pudebit ignorationem profiteri, ſed econtrà magis gloriabor, quod abſtruſa, quæ explicari nò poſſunt, credam, quodq; ſacerdos ſeu interpres ſim eorum, ad quorũ perceptionem ſeu comprehenſionem, & mens & ſermo, attonita languent & ſuccumbunt. Item: ὅταν ζητῶν ἐπαπορήσω, τότε τὸ μυστηρίον τῶν Χριστιανῶν ἀνακράζω τὸ θαῦμα, ὅτι ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ καταλῆψιν τῆς κτιστῆς φύσεως, τὰ ἡμέτερα. ὅταν δὲ σοὶ τὰ τοιαῦτα ζητοῦντι, ἀπορία τις ἐπέλθῃ, πρόφερε τοῖς ζητουμένοις ἑτοίμως λύσιν, τὴν πίστιν, hoc eſt, Quando quæreus hæſito, tunc exclamo de miraculo myſterij Chriſtianorum, ſupra mentem, ſupra ſermonem, ſupra comprehenſionem creatæ naturæ, ſunt noſtra myſteria. Cùm igitur quærenti tibi talia, dubitatio quædam inciderit, oppone ijs quæ quæruntur, paratam expeditamq; explicationem ſeu ſolutionem, ipſam fidem.

Item: σαφὴς ἔλεγχος ἀπιστίας τὸ πῶς περὶ θεοῦ λέγειν, Manifeſtum argumentum incredulitatis eſt, de Deo quærere, Quomodo?

Hæc ſimplici obedientiæ fidei ſufficerent, etiamſi nihil amplius aut plenius de modo communicationis dicere poſſemus, Sicut enim Veteres eleganter & verè dicunt, Si non poſſumus de Deo dicere id, quod eſt, caueamus tamen de eo ſentire aut dicere id, quod non eſt. Ita hoc loco, cũm certum ſit, factam talem donationem ſeu communicationem aſſumptæ humanæ naturæ, ſi non poſſemus exponere aut intelligere, qualis ſit hæc communicatio, aut quomodo fiat, ſufficeret nobis dicere, non eſſe phyſicam aut eſſentialem, qua extra diuinam naturam, attributa Deitatis propria, effuſa, humanæ naturæ Chriſti, in ſe, aut ſecundum ſe, eſſentialiter ſeu per eſſentiam, formaliter, habitualiter, aut ſubiectiuè inhæreant, Ita enim fieret, confuſio, conuerſio, abolitio, aut exæquatio naturarum & proprietatum eſſentialium.

Sed propius accedamus ad verum modum communicationis. Quantumcunq; enim excuſemus & negemus confuſionem, conuerſionem, abolitionem & exæquationem, ſemper tamen aduer-

aduersarij vociferando opponunt, fieri implicationem contradictionis, esse oppositum in adiecto, & protestationem contrariam facto, si confusionem seu exæquationem, verbo quidem negemus, & tamen asseramus, attributa diuinæ naturæ, ratione hypostaticæ vnionis, verè & realiter communicata assumtæ naturæ. Hoc enim clamitant impossibile esse fieri absq; confusione aut exæquatione. Atqui ipsa natura, in rebus suis physicis, vel potius Deus in natura proponit & ostendit nobis illustre exemplum, vbi non tantum intelligere, sed ad oculum quasi videre imò sentire possumus, in vnione duarum substantiarum fieri posse, & renera fieri, veram & realem communicationem idiomatum alterius substantiæ, sine confusione & exæquatione. In ferro enim ignito (quo exemplo tota vetus Ecclesia, hypostaticam duarum naturarum in persona Christi vnionem, declarauit) fit arctissima vnio duarum naturarum, ignis & ferri, per περιχώρησιν. Et ignis quidem proprietates ferri non assumit, vt fiat vel niger, vel frigidus, Nec fit abolitio proprietatum ferri, manet enim corpus solidum, quodq; in illa vnione, & communicatione, ferrum etiam naturalem suam nigredinem & frigidatem, (licet in ignitione non appareant) essentialiter retineat, nec per abolitionem amittat, ostendit separatio ignis à ferro ignito, tunc enim non de nouo ab extra nigredo & frigiditas in ferrum introducuntur, sed ferrum ab igne separatum tunc ostendit, se physicas suas proprietates, in ipsa ignitione retinuisse, & adhuc saluas habere. Nec ignis qualitatem tantum aliquam caloris efficit, & extra se in ferrum ignitum transfundit, sicut fit in aqua bulliente, vel si ignis in vase ferreo portetur, Sed ipsam essentiam suam, & essentiales suas proprietates, splendorem scilicet, vim lucendi & vrendi, ignis per vnionem communicat ferro ignito. Et modus communicationis fit & est, pro ratione vnionis, vt scilicet ignis, iam non seorsim aut absolutè se solo luceat & vrat, sicut extra πύρωσιν, sed iam in ferro ignito, cum ferro, & per ferrum illud, splendeat, luceat & vrat. Et ipsum etiam ferrum, ex hac vnione, igne illo per περιχώρησιν accensum, iam splendeat, candeat & vrat, non sua aliqua propria, vel naturali, vel aduentitia essen-

tiali virtute, ſed ipſa ſubſtantiali virtute ignis, candeat & vrat, quæ virtus ſolius ignis propria, naturalis & eſſentialis eſt, ac manet, Sed per vnionem & ratione vnionis, ferrum ſicut ipſam ignis eſſentiam, ita & virtutem eius lucendi & vrendi, ſiue confuſione, habet & vſurpat, vt illa ſplendeat, candeat & vrat. Græci compendio hæc eloqui poſſunt, ſcilicet quod ferrum οὐ καθ' ἑαυτὸν, hoc eſt, non ſecundum ſe, ex propria ſeu naturali ſua virtute candeat & vrat, ſed κατ' ἄλλο, Hæc enim phraſis ſignificat & indicat cauſſam, vnde ferrum ignitum candeat & vrat, quia ſcilicet ignem, cuius virtus propria eſt ſplendere & vrere, arctiſsimè ſibi per περιχώρησιν vnitum habet, vnde & ignis in ferro, & per ferrum illud ignitum, ſplendet & vrit, Ac ipſum ferrum ignitum, vniti ignis virtute, candet & vrit. Eſt enim etiam in ſcholis regula, Quando ad vnum aliquod ἀποτέλεσμα, duo agentia concurrunt, Vnum principale, alterum ſecundarium organicum ſeu inſtrumentale, quod actio ſeu ἀποτέλεσμα, non tantum principali agenti, ſed & ſecundario ſeu organico rectè tribuatur, Ita enim & anima dicitur videre per oculum, & oculus etiam rectè dicitur videre virtute animæ. Dicimus & fabrum ſecare, & ſerram ſecare.

Et tamen in ferro ignito, illa communicatione non fit, nec ſubſtantiarum nec eſſentialium proprietatum ignis & ferri, vel confuſio, vel conuerſio, vel abolitio, vel exæquatio. Communicatio enim illa non fit per eſſentialem aut phyſicam transfuſionem, ſubſtantialium proprietatum ignis, extra ſe, in aliud ſubiectum, ſcilicet in ferrum, vt illæ ab igne ſeparatæ & diſtinctæ, ſeorſim, formaliter, vel ſubiectiuè ferro inhæreant, nec vt ferrum, ignis proprietates formaliter, & ſubiectiuè ſecundum ſe, vt proprias & eſſentiales factas, habeat & poſsideat: Sed per vnionem, ac ratione vnionis, qua ignis, non per πρόσασιν aut πρόθεσιν, ferro coniungitur, vt ſi in vaſe ferreo portetur, vel ſi aquam calefaciendam attingat, ſed per περιχώρησιν ferrum vndiq; ſua eſſentia circumplectitur ac penetrat, ac ſine confuſione, ipſi miſcetur, vt nulla pars ferri, expers ſit ignis, Ita vt ignis iam ferro vnitus, ſuam vim, operationem & proprietatem exerat & exerceat, non ſeorſim, vel ſeparatim, ſed in illo, cum illo,

& per

& per illud ferrum ſibi vnitum. Ac ferrum ignitum, virtute illa ignis ſibi vniti, ita vtatur, vt ea ſplendeat, candet & vrat.

Neq; duæ diſtinctæ, vel eædem, vel æquales ſunt lucendi & vrendi virtutes ſeu facultates in ferro ignito, quarum alia ignis ſit eſſentialis & propria, alia ferri per transfuſionem propria & eſſentialis facta, Sed vna eſt virtus candens & vrens in ferro ignito, quæ eſt & manet propria & eſſentialis virtus ignis, per vnionem verò, ita ſicut dictum eſt, ferro communicatur ſine confuſione, conuerſione, abolitione, aut exæquatione, vel ſubſtantiarum vel proprietatum ſubſtantialiam, ignis & ferri.

Non autem verbalis tantum eſt illa Communicatio per phraſin, ſeu modum loquendi, ſed & oculi vident, & tactus ſentit, veram & realem eſſe illam communicationem, qua ferrum ignitum candet ac vrit. Manifeſtum etiam eſt, veram vnionem ignis cum ferro, ſeu veram σύζωσιν, talem κοινωνοίαν ſecum trahere, adferre & habere, ita vt non ſit vera vnio ignis & ferri, niſi inde ſequatur & fiat talis communio, vt ferrum ignitum candeat & vrat.

Cum itaq; in vnione ignis & ferri, talem communicationem proprietatum ignis, abſq; confuſione & exæquatione fieri, & videamus & ſentiamus, Qua conſcientia, pia mens, coram Deo dicere auderet, in ſumma & ineffabili illa hypoſtatica diuinæ & humanæ naturæ vnione in Chriſto, illud abſq; confuſione & exæquatione fieri non poſſe, Cum ſcripturam habeamus autorem, & totam antiquitatem teſtem, Chriſto in tempore ſecundum aſſumptam humanam naturam, data eſſe talia, quæ non ſunt creata dona, aut finitæ qualitates, ſed ipſius diuinæ naturæ attributa ſeu Idiomata, ſicut & antea diximus, & in ſequentibus capitibus plenius oſtendemus. Hac ſimilitudine ferri igniti, tota Antiquitas ad declarandam & illuſtrandam doctrinam huius myſterij vſa eſt, & ad illam etiam ipſa ſcriptura nos deducit, quando in rubo ardente, & in ære candenti, Filius Dei, Moſi & Iohanni ſe oſtendit, Exod. 3. Apoc. 10. Et eſt omnium maximè illuſtris, ac ad conſiderationem huius myſterij faciliorem & planiorem, valdè commoda, & quaſi ad oculum

lum expoſita. Ac de mea ſimplicitate fateor, Quando de attributis Diuinitatis, quæ ſcriptura Chriſto in tempore, ſecundum humanam naturam data eſſe prædicat, vel dicendum, vel cogitandum mihi eſt, tunc mentem & cogitationes, ſimpliciter ad hanc ſimilitudinem refero, ac in illa ſimplicitate tutiſsima acquieſco, Ita enim & aſſumptæ naturæ in Chriſto, illa, quæ ſcriptura ipſi data eſſe prædicat, non detraho, ſed tribuo, Et ex altera parte, in fundatiſsimam doctrinam de ſalua differentia naturarum & proprietatum eſſentialium, non pecco.

Ita ergò, poſt remotas varias Communicationis opiniones, peruenimus tandem ad verum modum, quo attributa diuinæ naturæ communicata ſunt, in vnione, per vnionem, & ratione vnionis aſſumtæ humanæ naturæ, ſcilicet, non per eſſentialem aut phyſicam transfuſionem idiomatum Diuinitatis in humanitatem, nec per exæquationem eſſentialium attributorum vtriuſq; naturæ, Sed ſicut Athanaſius loquitur: τῆς ἑνώσεως οἰκονομία diſpenſatione ſeu diſpoſitione vnionis, Vel ſicut Cyrillus lib. 6. dialog. inquit: Caro Chriſti habet poteſtatem illam non proprietate naturæ, ſed vnitione perſonæ. Et lib. 5. dialog. dicit. Humanam Chriſti naturam illa accepiſſe, per vnionem & ineffabilem concurſum λόγυ cum humanitate.

Athanaſius ad Epictetum inquit: ἐκ τῆς τοῦ λόγυ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον κοινωνίας καὶ ἑνώσεως, Ex verbi ad humanam naturam communione & vnione.

Nyſſenus dicit: διὰ τῆς ἑνώσεως per vnionem.

Cyrillus de recta fide ad Theodoſium: λόγ☉ vitam ſuam immiſit carni, ipſa per vnionem diſpenſatione.

Ibidem: Caro Chriſti viuificat, non ſecundum propriam naturam, ſed ſecundum vnionem cum viuente verbo, hoc eſt, non καθ' ἑαυτὴν, ſed κατ' ἄλλο, Caro Chriſti viuificat. Idem de Incarnatione cap. 11. Humana natura in Chriſto, Diuinæ maieſtatis dignitatibus niteſcit, per adunationem.

Damaſcenus verò lib. 3. hæc declarat per ſignificantiſsimum vocabulum περιχωρήσεως, de quo ſupra diximus.

Illam

Illam verò dispensationē vnionis Veteres ita declararunt, sicut habet Nazianzeni regula, quæ apud Theodoretum dial. 1. citatur, Qualis est vnio, talis est etiam κοινωνία, Communio seu Communicatio, scilicet, non per confusionem, conuersionem, abolitionem, aut exæquationē, Nec etiam per nudam πρόσθεσιν aut πρόθεσιν, ac si duæ laminæ conglutinentur, aut duo asseres compingantur, Ita vt naturæ in Christo, nullam prorsus inter se, aut ad se inuicem habeant communionem. Ideò enim Samosatenus olim damnatus fuit, quod finxit, Naturas in Christo vnitas quidem, sed esse πανταπάσι ἀκοινωνήτως πρὸς ἑαυτὰς, Sed per περιχώρησιν, sicut ignis in ferro ignito, & vnio & communio seu communicatio in Christo facta est. Verum igitur est, & rectè dicitur, si modo rectè explicetur, & intelligatur: Sicut ipsa essentia Diuina communicata est assumtæ naturæ, eodem etiam modo attributa diuinæ naturæ communicata esse humanæ, per vnionem scilicet hypostaticam. Tota enim plenitudo Deitatis per vnionem personaliter inhabitat in assumta natura, non simplici, nuda aut generali tantum præsentia, vel sicut in sanctis & angelis inhabitat, Sed ita, vt tota in assumpta natura luceat, & humanitas quasi accensa eo lumine, vnita sit λόγῳ, sicut ex Origene & Augustino Philippus vnionem describit. Et sicut assumta natura totam plenitudinem Deitatis personaliter in se habet inhabitantem: Ita etiam totam eius maiestatem, virtutem & operationem personaliter per vnionem sibi vnitam & inhabitantem accepit & habet, Non vt absoluta aut nuda tantum præsentia, in assumpta natura illa inhabitent, aut seorsim operentur, sed ita, vt in assumpta natura luceant, cum illa, & per illam se exerant, Vtq; assumpta natura virtute personaliter vniti λόγῳ, viuificet, & omnibus potenter dominetur, Atq; hæc est vera illa, & absq; confusione, communicatio attributorum Diuinitatis, sicut ignis virtutem suam lucendi & vrendi communicat ferro ignito, Quod scilicet Diuina maiestas & potentia τοῦ λόγου, operationes suas, quas ante Incarnationem se sola perfecit, & nunc etiam posset, quod inquam iam post vnionem, non ex necessitate, sed ex libero beneplacito velit operationes suas, præsertim, quæ ad officium Messiæ pertinent

 exerere,

exerere, exercere, perficere, absoluere ac manifestare, in assumpta & per assumptam humanam naturam. Et ingens ac toto genere differens est ac manet discrimen inter Diuinam & humanam Christi naturã. Diuina enim natura τοῦ λόγου essentialiter, seu per essentiam, in se ipsa, & secundum se, per se ipsam, naturaliter, τὸ εἶναι, est viuifica, omnipotens, omniscia, &c. Imò est ipsa vita & omnipotentia, Assumpta vero humana natura in Christo, nequaquam essentialiter seu per essentiam in se ipsa, aut per se ipsam, naturaliter aut formaliter, τὸ εἶναι est viuifica aut omnipotens, sed τὸ ἔχειν, Quia scilicet personaliter vnitam sibi habet diuinam maiestatem ac potentiam τοῦ λόγου, & illa vniti verbi virtute, viuificat omnia, scit & potest, sicut ferrum ignitum virtute vniti ignis candet & vrit. Sed malo hæc veterum sententijs, quam meis verbis exponere. Irenæus igitur lib. 4. cap. 37. inquit: In carnem Domini occurrit paterna lux, vt à carne eius rutila veniat ad nos, & sic homo deueniat in corruptelam.

Iustinus in expositione Fidei, Templum quod proprium factum est verbi, oculo purissimo, totius Diuini luminis splendorem capit, &c.

Origenes de principijs, 2. cap. 6. Anima Christi tota totum λόγον recipiens, atq; in eius lucem splendoremq; cedens, hac mediante verbum caro factum est.

Athanasius Serm. 4. contra Arrianos: Quæ sunt propria verbi, ea quoq; corporis ministerio peragebantur, Caro suo ministerio Diuinitatis operibus inseruiebat. Opera Diuinitatis in carne fiebant. Et mox, Cum faceret opera Patris, non erat seorsim à carne, sed in ipso suo corpore hæc opera faciebat. Item: Nisi opera Diuinitatis per corpus patrata essent, nunquam homo deificatus esset. Si quid Diuinitus per organon corporis sui egit, sciamus Deum esse, qui operatur.

Ibidem: In corpore profecit exhibitio Deitatis, coram videntibus. Humanitas igitur in sapientia profecit, transcendens paulatim humanam naturam, Deificata & organon sapientiæ facta, vt per illud suam ἐνέργειαν exerceret, sapientiaq; inde eluceret.

Idem

Idem in Oratione de Dicto: Deus ex Deo, Missio vocatur vnitio, qua inuisibilis redditus visibilis, operatione Deitatis, per humanum corpus. Ibidem, De humanitate verbi: Assumptam naturam vocat σκεῦος; Instrumentum seu organon Filij Dei, cui vt domicilio inhabitarit. Et postea inquit: Ex operibus, quæ faciebat per corpus, Filium Dei se manifestabat. Item, Opera Christi corpore designata, non hominis sunt, sed Dei omnipotentis.

Tomo 3. de Incarnatione: Ita veniet ad Iudicium, vt reluceat gloria inenarrabilis ex corpore eius sancto.

Origenes de Principijs, lib. 2. cap. 6. Si massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusq; venis, ignem recipiens, si neq; ignis ab ea cesset aliquando, neq; ipsa ab igne seperetur, non aliud in ea, nisi ignis cernitur. Sed, & si quis contingere atq; tractare tentauerit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergò modo, etiam illa Anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo posita est, &c. Et mox: Ad omnes deniq; sanctos, calor aliquis verbi Dei putandus est peruenisse, In hac autem Anima, ipse ignis diuinus, substantialiter requieuisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit.

De hac similitudine ferri igniti, quod valde sit luculenta, appositissimè illustrans hanc doctrinā de modo communicationis, paulò ante diximus, Ideò toti antiquitati visitata fuit in declaratione huius mysterij. Illa enim sententia Origenis ad verbum descripta est in librum 2. Augustini de Incarnatione. Et Basilius in homilia de Natiuitate Christi, inquit: Deitas est in carne Christi, sicut ignis in ferro, communicans ipsi propriam suam facultatem, ac totum ferrum implens seipso. Item, sicut ignis ferri proprietates non transumit, sed ferrum ignitum splendidum fit, non nigrefaciens ignem, & ipsum inflammatur non frigefaciens flammam. Sic sane etiam humana Domini caro, ipsa particeps facta est Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem, An forsan non concedes, Deitatem hoc posse efficere, & præstare in propria assumpta carne, quod ignis hic mortalis potest in ferro? Hæc Basilius.

Et Cy-

Et Cyrillus, de Incarnatione vnigeniti. Cap. 8. inquit: Sicut ignis carboni affixus, in illum penetrans, comprehendit ipsum, & quamuis iguis esse non desinat, vim tamen suam speciemq; transmittit omnem in lignum, & cum ipso iam quasi vnum æstimatur, idem intellige & de Christo, Adunatus enim inæstimabiliter humanitati Deus, seruauit quidem ipsam in eo, quod fuerat, & ipse permansit, quod erat, semel tamen adunatus, quasi vnus iam cum ipsa putatur, & quæ sunt illius, sua faciens, conferens autem ei & ipse naturæ suæ operationem. Eandem similitudinem repetit lib. 2. in Ioh. cap. 15. Et lib. 4. cap. 15. inquit: Si scintilla ignis occultetur in fœno aut palea, totum inde ignitum fit, Sic λόγος Dei in naturam nostram immissus, totam inflammauit, atq; ad vitam reduxit.

Damascenus lib. 3. cap. 15. Ex veteribus similitudinem hanc ponit, ἐπὶ πεπυρακτωμένης μαχαίρας, In gladio ignito, vbi est καῦσις τετμημένη ἡ δὲ τομὴ κεκαυμένη, vstulatio incidens, & incisio vstulata, ita, vt nec vstulatio fiat sine incisione, nec incisio sine vstulatione. Et Capite 17. Similitudinem hanc ita explicat, Ferrum ignitum vrit, non quod physica ratione κεκτημένος possideat vstricem energiam, sed quia ex vnione ad ignem τοῦτο κεκτημένος illud possideat, acquirat seu obtineat, Ita Caro Domini, non secundum propriam ἐνέργειαν, sed propter arctissimam cum verbo vnionem, seu propter λόγον ipsi vnitum, Diuinis operationibus locupletata est, & Diuina operabatur, verbo propriam suam operationem, per carnem ἐνδεικνυμένου manifestante seu exerente. Est ergo caro Domini mortalis per se, & viuifica propter vnionem cum verbo. Atq; iterum hoc loco obseruentur Græcæ Ecclesiæ phrases: Caro Christi, non καθ' ἑαυτὸν, vel δι' ἑαυτὸν, sed κατ' ἄλλο & δι' ἄλλο, viuificat. Causam enim hæ phrases significant & indicant, quomodo, & vnde Caro Christi sit viuifica, & Diuina operetur.

Origenes præterea & Augustinus 2. de Incarnatione, alia similitudine sententiam hanc declarant: Aliter Christi anima oleo, hoc est, verbo Dei & sapientia vngitur, aliter participes eius sancti. Illi enim in odore vngentorum eius cucurrisse dicuntur,

cuntur, iſta anima vaſculum ipſius vngenti fuit, ex cuius fragrantia Prophetæ fiebant & Apoſtoli. Sicut igitur aliud eſt vnguenti odor, & alia vnguenti ſubſtantia: Ita aliud eſt Chriſtus, aliud participes ſui. Item oleo lætitiæ anima Chriſti vngitur, cum verbo Dei immaculata fœderatione coniuncta eſt, & per hoc ſola omnium animarum peccati incapax fuit, quia Filij Dei bene & plene capax fuit.

Eandem ſimilitudinem repetit & approbat Cyrillus de Incarnatione cap. 9. Sicut odor eſt res incorporea, habet autem quaſi proprium corpus, id, in quo ineſt, ita etiam de Chriſto intelligimus, diuinitatis naturam, quæ ſuam excellentiſsimam maieſtatem, vt odorem ſuauiſsimum, mundo diſpergat, tanquam in ſubiecto eſſe, in corpore humano, In eo enim diuina ſigna operatus eſt.

Athanaſius vero, duabus alijs ſimilitudinibus, de Vnione animæ & corporis in homine, & de vnione lucis & corporis ſolaris, de quibus ſupra in deſcriptione hypoſtaticæ vnionis dictum eſt, Doctrinam hanc de communicatione operationum diuinarum explicat & illuſtrat, vt dialogo de Trinitate 5. pagina 184. ſicut τὸ λογικὸν Anima rationalis, ſuas ipſius potentias, ſeu operationes, τελεῖ edit, exerit & perficit, ἐν τῷ ζώῳ in corpore humano: Ita Deus λόγος vnitus homini, edit miracula, non ſeorſim aut ſeparatim à natura humana, ἀλλ' αὐτῆς, καὶ ἐν αὐτῇ, καὶ μετ' αὐτῆς, εὐδοκήσας τὴν ἑαυτοῦ θείαν δύναμιν ἐνεργεῖν, hoc eſt, Sed quod ei, pro ſua bonitate placuerit, per eam, & in ea, & cum ea aſſumpta humana natura, propriam ſuam Diuinam potentiam, per operationes exerete. Et hæc ſimilitudo animæ & corporis, valdè vſitata ac illuſtris eſt. In homine enim abſq; confuſione, conuerſione, abolitione, & exæquatione, manet ſalua differentia & eſſentiarum & proprietatum eſſentialium, tùm corporis, tùm animæ, in ipſa vnione, & poſt vnionem animæ & corporis. Et tamen anima ſuas potentias communicat corpori, non per eſſentialem effuſionem, ſed hoc modo, quod anima quando vnita eſt corpori, licet per ſe, aut ſe ſola, poſſet potentias, operationes, ſeu actiones ſuas exerere & expe-

 dire,

dire, ſicut facit quando à corpore ſeparata eſt: tamen ratione vnionis,& propter vnionẽ cum corpore, quamdiu eſt in corpore, potentias & operationes ſuas, non expedit ſine corpore, ſed habet eas communes cum corpore, Ita, quod illas exerit, exercet, expedit, & perficit, in corpore, cum corpore, & per corpus, vel corporis adminiculo. Et corpus accipit ab anima virtutem, ſeu potentiam, vt ſit organon potentiarum & operationum animæ. Ita anima per oculos corporis videt, auribus audit, lingua loquitur, Ad intelligentiam & memoriam vtitur miniſterio capitis, cerebri, ſenſuum, aut ſicut ſcriptura loquitur, cordis. Et viciſsim oculi vident, aures audiunt, caput intelligit, non proprietate naturali, aut conditione aliqua ſua eſſentiali, ſed virtute ſeu potentia animæ vnitæ, Separata enim anima, organa corporis nihil tale vel poſſunt, vel operantur. Et læſis illis corporis organis aut deſtructis, anima quidem in ſeſe, eſt ac manet rationalis, ſed potẽtias & operationes ſuas, in homine tunc non exerit, aut certè non rectè eas expedit. Et organa quidem corporis, ſuam certam habent diſpoſitionem, vt ſint organa ad miniſteria animæ idonea, Non tamen duæ ſunt in homine potentiæ ſentiendi, videndi, audiendi, intelligendi, quarum altera animæ ſit eſſentialis, altera verò per communicationem extra animam effuſa, & ab ea ſeparata ſeorſim corpori, ſecundum ſe, formaliter & ſubiectiuè inhærens, Sed vna eſt potentia ſentiendi & intelligendi, quæ ſolius animæ eſſentialiter, ſeu naturaliter propria eſt ac manet. Communicatur autem corpori, & organa corporis cum illa communionẽ habent, non per eſſentialem effuſionẽ, ſed per modum vnionis, quia ſcilicet anima, illas ſuas potentias exerit, & operationes ſuas expedit, per certa organa corporis. Ac viciſsim oculi vident, aures audiunt, caput ſeu cor intelligit, non peculiari naturali aliqua facultate, ſed potentia & virtute animæ vnitæ, inter quæ tamen magnum eſt diſcrimen, Anima enim propria, eſſentiali aut naturali ſua virtute, per oculum videt, per aures audit, miniſterio ſeu adminiculo cerebri intelligit. Oculus autem videt, auris audit, caput ſeu cor intelligit, non proprietate naturæ, aut peculiari aliqua virtute, formaliter aut ſubiectiuè corpori inhærente, ſed

te, ſed ſentit ac intelligit animæ vnitæ potentia ac virtute, quam per vnionem poſsidet, ſicut Damaſcenus loquitur, & ea vtitur, ſicut Cyrillus loquitur ad Theodoſium. Et hanc Communionem potentiarum animæ cum corpore, veram ac realem eſſe, & tamen fieri abſque confuſione, conuerſione, abolitione aut exæquatione, tùm ſubſtantiarum, tùm proprietatum eſſentialium animæ & corporis, certum & extra controuerſiam eſt. Imò certum eſt, non eſſe veram perſonalem vnionem animæ cum corpore, niſi talis ſequatur, fiat & ſit communicatio, ſicut dictum eſt. Hoc exemplum quam pulchrè & propriè, ad hanc de communicatione Maieſtatis, quam nunc tractamus, doctrinam conueniat, & quam plane illam illuſtret, manifeſtum eſt, ſicut de applicatione, paulò ante, in ſimilitudine de ferro ignito diximus. Quatuor autem potiſsimum, ſimilitudo hæc vnionis animæ cum corpore oſtendit. 1. Veram vnionem hypoſtaticam talem κοινωνίαν efficere, & ſecum adferre, nec veram eſſe vnionem, ſine tali κοινωνία, hoc eſt, ſi non ſequatur fiat, aut ſit, talis communio. 2. Oſtendit talem communicationem fieri, ſine confuſione, conuerſione, abolitione aut exæquatione, per modum vnionis aut ratione vnionis. 3. Communicationem illam non quidem eſſentialem aut phyſicam, ſed veram & realem eſſe. 4. Saluam nihilominus manere differentiam naturarum & Idiomatum eſſentialium. Atq; hoc modo, ſicut ſimilitudines ferri igniti, & corporis humani animati oſtendunt, in Eccleſijs noſtris intelligimus, attributa Deitatis propria, aſſumptæ naturæ in Chriſto in tempore data ſeu communicata.

Alteram ſimilitudinem Athanaſius pag. 185. ita proponit: Si quis ita cogitatione concedat, Solem magnum illud ſidus per lucernam, aut in lucerna aliqua, ſuam lucem emittere, οὐ δ' δύο φῶτα εἰσὶ non duæ diſtinctæ luces erunt, aut ſplendores, neq; enim lucerna, vt altera lux, ſeorſim aut ſeparatim à Sole lucebit, ſed ſplendebit (τὸν ἥλιον ἐν αὐτῷ καὶ δι' αὐτὸν φαίνοντα) Sole in ipſa, & per ipſam lucente ſeu ſplendente, & ipſi lucernæ dominante, eamq; ſibi (ἴδιον ποιησαμένου) vt propriam vendicante, Ita (inquit Athanaſius) Deus λόγος, ἐν λογικῷ in humana rationali natura, & per humanam naturam, propriam ſuam

vim ἐνεργῶν exerens ſeu operans (τὸ ἴδιον ὑπὲρ τὴν φύσιν τὴν ἰδίαν ἀποτελῇ) humanitatem illam ſuam, vltra & ſupra propriam ſuam naturam, pro beneplacito ſuo, perficit & perfectam facit, neq; tamen prohibet, quo minus ſit animal rationale, ſeu vera humana natura. Hæc Athanaſius.

Erit autem hæc Athanaſij ſimilitudo planior, ſi iuxta Iuſtinum proponatur, quod primæua lux vnita ſit corpori ſolari, per quod ſplendorem ſuum emittat, ac corpus ſolare luce illa repletum & accenſum, luceat ac radios emittat, ſicut ſupra in deſcriptione hypoſtaticæ vnionis expoſuimus, Quæ omnia oſtendunt, modum communionis verum & realem eſſe, & tamen fieri abſq; confuſione, conuerſione, abolitione, aut exæquatione. Sed addamus alias Veterum ſententias, quæ in eandem ſententiam, modum communicationis diuinæ maieſtatis, virtutis & operationis, ſine ſimilitudinibus ſimpliciter & apertè tradunt.

Apud Theodoretum, Hyppolytus inquit: Mortuum corpus Domini, profundit ſanguinem & aquam, vt ſciamus, quantum poſsit δύναμις, quæ in corpore illo inhabitat, vt etiam mortuum poſsit nobis profundere ea, quæ ſunt vitæ cauſſa. Ibidem Athanaſius inquit: Diuinitas Filij plenum hominem aſſumſit, vt impleret ipſum, vtq; ita cum ipſo mortuos viuificaret.

Probatur etiam ibi Apollinaris ſententia, qua corpus Chriſti vocat organon Diuinarum operationum, in hanc ſententiam, quod ſicut ferrum ignitum ea facit, quæ ſunt ignis, Ita etiam Chriſti Dei corpus, diuinas operationes præbeat.

In 2. dial. Flauianus inquit: Diuinitatem Filij operari per corpus. Et hoc eſt, quod ibidem Nazianzenus pag. 44. dicit: Chriſtus etiam nunc vt homo intercedit pro mea ſalute, quia eſt cum corpore illo, quod aſſumſit, vt me faciat Deum, τῇ δυνάμει τῆς ἐνανθρωπήσεως potentia ſuæ incarnationis.

Hilarius de Trinit. libro 9. loquens de Diuinis operibus Chriſti Incarnati, inquit: Deus per hominem agit. Item: In paſsione ac morte naturæ noſtræ rem peregit, res tamen ipſas omnes naturæ ſuæ virtute geſsit. Ibidem: Chriſtus homo, per habi-

habitantem in se corporaliter Diuinitatis plenitudinem, in Dei Patris gloria est confitendus.

Iustinus quæst. 117. Diuina potentia, in assumpta natura Christi, operatur ea, quæ sunt supra naturam. Cyprianus de passione Christi, tractans locum Iohan. 18. inquit: Latens in humanitate diuina omnipotentia, prosternit armatos, Et tamen illud facit per vocem corporalem.

Ambrosius de Spiritu Sancto, lib. 3. cap. 12. venustè dicit: In assumpta natura Christi, esse vestigia Diuinitatis, & vias Verbi cœlestis.

Augustinus de ciuitate Dei, lib. 10. cap. 24. inquit: Non ergo caro Christi per seipsam mundat credentes, sed per Verbum à quo suscepta est.

Eusebius Demonstrationis lib. 4. cap. 12. Cum opus ipsi esset organo humano, naturam nostram assumpsit, Deum per hominem ostendens, θεὸν δι' ἀνθρώπου φανερούμενον.

Ibidem: πλὴν ἔνθεον ἀνακιρνᾶς μεγαλουργίαν, ὑπὲρ ἄνθρωπον θαυματουργίας πρόσχων, Diuinam operationem miscuit incarnationi, supra hominem exhibens miracula.

Cap. 13. Sanauit nos per organon humanum. Ibidem: Assumptam naturam vocat ἀνθρώπινον σκεῦος, humanum instrumentum seu organon. Et mox addit: λόγος Diuinam potentiam subministrauit mortali naturæ. Quicquid igitur corpus illud tangit, hoc statim sanctificatur, illuminatur, &c.

Chrysostomus in 17. Matth. de Transfiguratione Christi, Fulgidior apparebat, Deitate radios suos declarante per corpus.

Theodoretus dialog. 2. Vocat corpus Domini, diuina gloria repletum, & emittens radios lucis, Hoc est, sicut Augustinus inquit: Diuinitas per carnem foras eluxit.

Oecumenius 1. Cor. 15. Christus qua homo intelligitur, habet ζωοποιὸν Spiritus, seu Deitatis, ita, vt non tantum viuat, sed viuificet.

Sed adijciemus iam Cyrilli sententias, Ille enim omnium clarissimè hanc doctrinam tradit & explicat. Sæpè quidem ita

loquitur: λόγον assumtam naturam, totam in se reduxisse, lib. 4. in Ioh. cap. 15. ad virtutem vitæ traduxisse, Lib. 10. cap. 13. Ad vitam reformasse, Lib. 4. cap. 12. Ad suam virtutem eleuasse, Lib. 4. cap. 23. In suam gloriam & operationem transformasse. De Incarnatione cap. 8. Sed quomodo hæc intelligi velit, multis in locis apertè declarat, Humanam scilicet naturam in Christo viuificare, & reliquis diuinis operibus ditatam esse, non quod duplex sit in Christo diuinitas, Vna æterna, & essentialis, altera creata & accidentaria, Sed quia ipsa essentialis virtus, potestas & operatio Diuinitatis τοῦ λόγου, tota plenitudine inhabitet in assumpta humana natura, non absolutè, sed ita, vt cum illa & per illam viuificet, & reliqua diuinæ suæ Maiestatis & potentiæ opera perficiat.

Ita inquit in Iohannem, lib. 3. cap. 37. Viuificat corpus Christi, quia ipsius vitæ corpus est, virtutem Incarnati Verbi κατέχον retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa viuunt & sunt.

Lib. 4. cap. 12. Dedit pro vita omnium, corpus suum, & per illud rursus vitam nobis immittit.

Cap. 14. Ideò in exuscitandis mortuis, carnem suam, quasi cooperatricem, adhibebat.

Cap. 18. Qui è naturali vita emanaui, homo factus corpus meum vita repleui, Ideò qui manducat me, viuet propter me.

Cap. 23. Natura carnis, vt caro est, viuificare nequit, sed facit hoc, quia totam verbi operationem suscepit. Idem lib. 11. cap. 22.

Cap. 24. Totum corpus suum, viuifica spiritus virtute plenum esse ostendit, Spiritus enim hic ipsam carnem nuncupauit, non quòd naturam carnis amiserit, & in Spiritum mutata sit, sed quia summè cum Spiritu coniuncta, totam viuificandi vim hausit, quando igitur Christus carnem suam viuificam appellat, non ita illi, vt proprio spiritui, Vim viuificandi attribuit, Nam propter seipsum Spiritus viuificat, ad cuius virtutem caro per coniunctionem conscendit, Quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio atq; firma fide id suscipimus.

Idem

Idem lib. 11. cap. 21. Ipſa caro Chriſti non à ſe ſumta fuit, ſed coniunctione verbi, ad verbi virtutem quodammodo reformata, ſalutis atq; ſanctificationis cauſſa eſt participantibus. Non ergo caro vt caro eſt, operationis diuinæ virtutem, ſed naturæ verbo attribuimus.

Et cap. 22. Hæc non ideo dicimus, quaſi Domini corpus non magni æſtimemus, ſed quia mirabiles hos effectus, gloriæ Deitatis attribuendos putamus, Nam ipſum etiam Domini corpus, coniuncti verbi virtute ſanctificatur, & ad benedictionem myſticam adeò ζωοποιικὸν actiuum fit, vt poſsit ſanctificatione ſuam nobis immittere.

De Incarnatione vnigeniti cap. 8. inquit: λόγος adunatus humanitati, confert ei naturæ ſuæ operationem, tali ſcilicet modo, ſicut in carbone ignito, ignis vim ſuam omnem tranſmittit in lignum, Hanc enim explicationem expreſſè ibi ponit Cyrillus.

Et cap. 7. inquit: λόγος communes facit tanquam cum ſua carne, Diuinæ ſuæ maieſtatis operationes, Vt poſsit etiam viuificare mortuos, & ſanare infirmos. Ita ſcilicet, ſicut mox cap. 9. declarat, quòd Diuinitatis maieſtas, ſit tanquam in ſubiecto, in corpore humanitatis, in quo diuina ſigna operatur.

Idem de recta fide ad Reginas, explicans ſanationem leproſi, Matt. 8. inquit: Admirabere in iſtis, Chriſtum operantem vt Deum, dum vult, ſimul & vt hominem corpore, dum extendit manum. Nam quamuis verbum caro factum eſt, operatur tamen vt Deus, cum ſua carne, quæ per illud habet virtutem. Et poſtea, Quia proprium factum eſt, viuentis verbi vnitum illi corpus, hac ratione & valdè meritò, tanquam habens ipſius viuificam operationem, accepiſſe dicitur vitam

Lib. 10. Theſauri cap. 7. Proficiebat ſapientia, Paulatim enim natura noſtra manifeſtabatur, ſicut inſtrumentum eſſe Deitatis, quæ habitauit in ipſa.

Lib. 5. dialog. Glorificatur à Patre, non quia Deus, ſed quoniam erat homo, quaſi propriæ naturæ fructum non habens, potentiam operandi efficaciter diuinè, accepit quodammodo illam per vnionem & ineffabilem concurſum, qui intelligitur, Dei eſſe verbi cum humanitate.

Ibidem:

Ibidem: Non quia factus est caro, propter hoc prævalet inimicis, sed quia humanitatis paruitas in excellentissimæ naturæ dignitatem peruenit, Illud verò mox declarat, cum inquit, vt cum carne, vnigenitus Dei verbum, dominetur omnibus. Non enim absq; carne, sed in carne, & cum carne, dominationis susceptit gloriam.

De recta fide ad Theodosium, Anima vnionem sortita ad verbum, descendit in Infernum, Diuina autem virtute & efficacia vtens, etiam Spiritibus, qui illic erant, apparuit, dicens compeditis, Egredimini.

Ibidem: λόγ@ facit Spiritum scaturire nobis ex Deo Patre, & ex sua natura. Communem autem quodammodo rem ponens in dispensatione cum carne, propter vnionem, & sicut homo inspirabat corporaliter Spiritum sanctum, Ioh. 20.

Ibidem: Creare diuino modo, non est humanum. Viuificat igitur nos Christus, vt Deus, veruntamen non in hoc solo, quod particeps est Spiritus, Sed & manducabilem apponens assumtam carnem, inquiens: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam, &c.

Ad Reginas lib. 1. Christus, vt Deus, viuificat per propriam carnem, tangens mortuos. Item, Deus erat in carne, suo sanguine nos purificans. Ibidem citatur sententia Athanasij: Efficacia Deitatis, humilitatem corporis extollebat.

Lib. 2. Illud. Col. 2. Plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter, ita interpretatur, non per participationem, hoc est, non concessione gratiæ, sed corporaliter, hoc est, substantialiter, &c.

Idem in explicatione Anathematismi 7. contra Theodoretum 3. refutat illam Nestorianam opinionem, quod Iesus tanquam homo habuerit à Deo Verbo peculiarem vim operandi diuina, ac gloriam vnigeniti, quasi duo essent Filij operantes. Huicverò Nestorianæ opinioni, Cyrillus opponit hanc orthodoxam sententiam, Si quid, quod dignè Deo tribuitur, operatus est Deus Verbum per proprium corpus, quod organi sibi ministerium exhibeat, nihilominus ipse est virtutum Dominus, qui

nus, qui operatus est, non qui alij posse operari dedit, sicut Apostolis dedit potestatem eijciendi dæmonia, curandi morbos &c. Item: Ipse vnus Christus Iesus, quasi per organon proprij corporis operatus est diuina signa, non autem ipsum, vt hominem operandi virtutem habuisse dicimus, secundum similitudinem sanctorum.

In explicatione anathematismi 11. dicit: Nestorium nolle viuificationem tribuere carni Christi, sed sententias Ioh. 6. Qui manducat me, &c. exponere de sola diuinitate, cum tamen minimè edatur Diuinitatis natura. Cyrillus verò huic Nestorianismo opponit veram sententiam. Corpus illud est proprium Verbi viuificantis omnia. Ergò, quia corpus vitæ est, viuificum est. Et quomodo illud intelligendum sit, ita explicat. Nam λόγ☞ per corpus suum, mortalibus nostris corporibus, vitam largitur, & mortis euacuat imperium. Ibidem allegat hanc Athanasij sententiam, Si videamus λόγον, quasi per instrumentum sui corporis diuino modo operantem vel dicentem, cognoscamus, quod Deus existens omnia operetur.

Leo Epist. 81. Sinceræ fidei contemplatione cernendum est, quid sit, quod caro sine verbo non agit, & quid sit, quod verbum sine carne non efficit. Ibidem: Forma serui in gloriam Diuinæ potestatis euecta est. Audi verò, quomodo Leo hoc explicet: In tantam inquit vnitatem, ab ipso conceptu virginis, Deitate & humanitate connexa, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana.

In 6. vniuersali Synodo citatur Nysseni sententia, Diuinitas λόγ☞, per corpus assumptum, verè operatur omnium salutem.

Ibidem inquit Euphemius Antiochenus: Ambulare pedum est operatio, sed super mare ambulare, hoc Deitatis erat per humanitatem operantis.

Sophronius Hierosolymitanus: Humana eius vltra naturam humanam effecta, vt egressus ex sepulchro per lapidem signatum, ingressus per ianuas clausas, &c. Diuinæ naturæ verbi profecto existebant indicia, etiam si per carnem agebantur, & non sine carne animata agebantur.

Ita etiam Lutherus scribit Isa. 53. Humanitatem Christi exaltatam, constitutam super omnia, adorandam, non in humanitate abstracta, aut seorsim posita, non in abstractione, sed in concretione, coniunctione, copulatione, aut vnitione vtriusq; naturæ. Item: Humanam naturam in Christo exaltatam esse, propter Diuinam & secundum humanam naturam.

Damasc. lib. 3. cap. 15. Diuinitas λόγῳ operabatur θεοσημίας diuina signa, sed non δίχα τῆς σαρκὸς sine carne. Non autem sicut Diuinitas verbi per carnem operabatur, ita & caro per Diuinitatem patiebatur, ὄργανον γὰρ σὰρξ θεότητος ἐγκεκράτησε, caro enim organon Diuinitatis constituta est. Intelligunt autem Veteres organon, non Nestorij modo, seorsim subsistens, sed personaliter vnitum. Ibidem: Non enim humano modo (ἀνθρωπίνως) operabatur humana, Non enim homo solum, sed & Deus, vnde & passiones eius viuificæ sunt & salutares. Nec θεϊκῶς diuino modo operabatur diuina, Non enim Deus solum, sed & homo, vnde per tactum & vocem operabatur diuina signa. Cap. 17. Caro Domini non secundum propriam operationem, sed propter vnitum sibi λόγον, diuina operabatur, verbo propriam suam operationem exercente per carnem. Cap. 19. Dicit carnem communicare Diuinitati verbi operanti, Modũ verò illius cõmunicationis ita explicat, διὰ δι' ὣς ὀργάνου σώματος ἐκτελεῖται θείας ἐνεργείας, hoc est, nuncupatur communicatio, propterea, quod diuinæ operationes tanquam per organon corporis perficiantur. Ibidẽ: humana eius actio nõ expers est (οὐκ ἄμοιρος) diuinæ eius operationis, nec Diuina humanæ.

Compluscula veterum hac de re sententias collegi, Primò ideò vt publicum sit testimonium, Nos in nostris Ecclesijs in explicatione huius doctrinæ non noua gignere paradoxa, nec nouas, monstrosas, pereginas, periculosas aut scandalosas phrases aut formas loquendi in Ecclesiam inuehere, Sed Veteris ac orthodoxæ Ecclesiæ sententiam, & linguam reuerenter & religiosè nos imitari, ac probati & veteribus vsitati modi loquendi, de hac cõmunicatione, ex hisce sententijs facilè possunt colligi & annotari, Quod lectoris industriæ commendo. Secundò ideo sententias illas Veterum, hoc loco annotaui, vt bonæ

mentes,

mentes, monſtratione iudicij veræ & purioris antiquitatis eru-diantur & confirmentur. Quomodo ſcilicet vetus Eccleſia, quæ in hac controuerſia, varijs hæreticorum certaminibus exercitata fuit, intellexerit ſcripturæ ſententias, de modo & ratione communicationis eorum, quæ humanæ naturæ in Chriſto, ex hypoſtatica cum Diuinitate vnione donata ſunt, & acceſſerunt, Quod ſcilicet diuina natura τὸ λόγος, non transfuderit extra ſe, in aſſumtum naturam, maieſtatem, virtutem, potentiam, & operationem eandem cum diuina, vel æqualem diuinæ maieſtati, virtuti, potentiæ, & operationi, quæ à Diuinitate ſeparata, propriè peculiariter & diſtinctim, formaliter, habitualiter, aut ſubiectiuè, humanitati ſecundum ſe inhæreant: Sed quod tota plenitudo Diuinitatis, in aſſumta natura perſonaliter ita habitet, vt diuina maieſtas, tota ſua plenitudine in natura aſſumta luceat, Vtq; Diuina virtus & potentia, maieſtatis & omnipotentiæ ſuæ opera, in aſſumta illa natura, cum illa, & per illam exerceat & perficiat, ſicut hæc ſententia pluribus veterum teſtimonijs iam declarata eſt. Non autem dico, diuinam naturam λόγος, non poſſe diuinas ſuas operationes, ſine adminiculo aſſumptæ humanitatis perficere. Potuit enim illud ante incarnationem, & adhuc idem poſſet, ſed ſingulari εὐδοκίᾳ, voluit aſſumptam noſtram naturam, in communionem diuinarum ſuarum operationum, præcipuè in officio Meſsiæ, tanquam organon aſſumere, vt certum pignus beatificationis noſtræ naturæ nobis in ſeipſo oſtenderet, Vtq; ſciamus nos aditum & communionẽ habere ad officia & beneficia Filij Dei, Regis, Pontificis, & capitis noſtri, quia ad effectionem & communionem illorum officiorum & beneficiorum, adhibet etiam aſſumtam humanam noſtram naturam, qui nobis conſubſtantialis, cognatus, Imò frater noſter eſt, Caro de carne noſtra, & nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit ac fouet eam, ſicut Dominus Eccleſiam, Epheſ. 5. Non igitur duplex eſt Diuinitas, in Chriſto incarnato, non duplex diuina maieſtas, non duplex diuina omnipotentia, non duplex diuina operatio, quarum altera ſit diuinæ naturæ propria, eſſentialis, & æterna, Altera humanæ naturæ formaliter & ſubiectiuè inhærens, aduentitia ſeu accidentaria, quæ attri-

buta sint distincta, æqualia seu exæquata, alia in Diuinitate, alia in humanitate Christi. Sicut enim vnica est Diuina & æterna essentia, ita etiam vna illa tantum essentia, proprietate naturæ aut per essentiam est omnipotens & immensa, sicut Athanasius rectè dixit, Non plures sunt immensi & omnipotentes, sed vnus, hoc est, vna essentia diuina est immensa & omnipotens, Et scriptura soli Deo, hoc est, soli æternæ & immensæ essentiæ, tribuit omnipotentiam, per essentiam seu essentialiter, Isa. 44. Psal. 70. & 136. 1. Tim. 6.

Æqualitas etiam diuinæ maiestatis, virtutis & potentiæ, solis personis Trinitatis, in vnica illa diuinitatis essentia tribuitur. Non igitur duplex est, sed vna est, Christi Domini nostri Diuinitas, vna Diuina maiestas, virtus & omnipotentia, æterna scilicet, essentialis & immensa, quæ propria & est & manet diuinæ naturæ. Communicatur autem assumtæ naturæ, non per separatam & exæquatam transfusionem, extra Diuinam essentiam, sed dispensatione seu ratione vnionis aut per modum vnionis: sicut ignis se totum, splendorem suum, vim, efficaciam & operationem suam, communicat ferro ignito, sicut dictum est.

Ita Cyrillus, qui hanc communicationem præ cæteris multum vrget, inquit lib. 11. in Iohannem, Ipsa caro Christi, non à se sancta fuit, sed coniunctione verbi, ad verbi virtutem quodammodo reformata, salutis atq; sanctificationis participantibus caussa est, Non ergo carni, vt caro est, operationis Diuinæ virtutem, sed naturæ verbi attribuimus. Et de recta fide ad Reginas, lib. 1. inquit: Viuificatio diuinæ naturæ propria possessio est. Et lib. 2. inquit: Viuificatio referenda est, non ipsi corporis naturæ, sed summæ virtuti & naturæ, Et tamen corpus, tanquam habens ipsius verbi viuificam operationem, accepisse dicitur vitam viuificantem.

Atq; hoc modo rectè intelligi, & dextrè exponi possunt, quæ Epiphanius in multis locis repetit & inculcat, Diuinitatem τὸν λόγον, vniuisse sibi assumptam humanam naturam, in vnam Deitatem, in vnam Maiestatem, in vnam virtutem, seu

potesta-

poteſtatem, Ita enim hæc explicat in Ancorato, Quia omnis plenitudo Deitatis habitet in Chriſto corporaliter, ita, vt Chriſtus ſit ὁλόχεον totius plenitudinis Diuinitatis, ſicut inquit in Compendaria doctrina de fide. Et Tom. 2. contra Dimæritas, dicit: λόγον aſſumpti corporis πληρώτην eſſe.

Hæc igitur quæ de modo Communicationis attributorum Diuinitatis, in veteri orthodoxa Eccleſia ita tradita & expoſita ſunt, Scripturæ ſunt conſentanea, ac plana etiam ſunt. Quod verò contra illam antiquitatis ſententiam, argutiæ quædam excogitantur, illis piæ mentes, quando vera ſententia ex certis ac firmis fundamentis ſcripturæ extructa eſt, moueri & turbari non debent. Rectè enim & prudenter ab Auguſtino dictum eſt, Multum adiuuat cor fidele noſſe quid credendum non ſit, etiamſi diſputandi facultate id refutare non poſsis, Pauca tamen quædam præmonitionis gratia de quibuſdam argutijs dicemus.

Et primò opponunt, Si vel hypoſtatica vnio definiatur communicatione eſſentialium attributorum Diuinitatis, vel ſi dicatur ex hypoſtatica vnione oriri ἐνέργειαν attributorum Deitatis in aſſumpta humanitate & per eam, Secuturum inde, quod non ſola Filij perſona, ſed tota Trinitas incarnata ſit, Eſſentialia enim Idiomata Deitatis communia ſunt toti Trinitati.

Reſpondeo autem, Nos in noſtris Eccleſijs hypoſtaticam vnionem, non definire communicatione, ſicut cap. 4. de vnionis deſcriptione expoſuimus, Sed illam oriri & ſequi ex vnione, eo modo, ſicut in hoc capite explicatum eſt. Quod verò eſſentialia attributa Deitatis communia ſunt toti Trinitati, Hoc non impedit, quo minus in hypoſtaſi Filij, illa aſſumptæ naturæ, eo quo iam dictum eſt modo, communicari poſsint. Aliâs enim eadem ratione ſequeretur, nec eſſentiam Diuinam, quia communis eſt tribus perſonis, potuiſſe in ſolius Filij perſona humanæ naturæ vniri, vt non ſimul tota Trinitas incarnaretur. Explicauimus autem illam quæſtionem in Tertio capite huius libelli. Ac ſumma eſt, ipſam eſſentiam diuinam, & eſſentialia diuinitatis Idiomata, conſiderari, vel abſolutè, ſicut toti Tri-

nitati cõmunia ſunt, vel relate, ſicut ſunt in vna aliqua hypoſtaſi, quæ hypoſtaticis & characteriſticis proprietatibus, à reliquis realiter diſtincta eſt. Natura igitur diuina non abſolutè, ſed in ſolius Filij hypoſtaſi aſſumſit humanam naturam, Ita etiam eſſentialia diuinitatis idiomata, per ſe, abſolutè quidem communia ſunt toti Trinitati, ſed addita hypoſtatica differentia, ad vnam aliquam perſonam limitantur, & determinantur. Ita in Patre eſt potentia ingenita, in Filio ſapientia genita, in Spiritu ſancto, vita procedens, & tamen eadem eſt potentia, ſapientia & vita. Sicut ergo natura diuina, in perſona ſolius Filij incarnata eſt, Ita etiam in Filij perſona, attributa Diuinitatis poſſunt communicari aſſumptæ naturæ, eo ſicut dictum eſt modo, Vt ideo non ſit opus, totam Trinitatem contra analogiam fidei, incarnari. Potentiam enim, ſapientiam, vitam & maieſtatem diuinam, non ſicut abſolutè communis eſt omnibus perſonis, ſed ſicut hypoſtatica differentia in ſolius Filij perſona limitata aut determinata eſt, genitam ſcilicet ſapientiam, potentiam, &c. dicimus Filio hominis communicari, eo modo, ſicut iam dictum eſt. Qua enim ratione tota plenitudo Deitatis in aſſumpta natura Chriſti inhabitat perſonaliter, ita, vt tamen, nec Pater, nec Spiritus Sanctus, ſed ſolus Filius ſit incarnatus. Non enim Deus abſolutè ſed Deus genitus eſt incarnatus, Eadem ratione etiam eſſentialia Deitatis idiomata, hypoſtatica differentia ad ſolius Filij perſonam determinata, ſcilicet potentia, ſapientia genita, &c. communicantur aſſumtæ naturæ, ſine perſonarum Trinitatis confuſione, ſicut in 3. capite plenius hæc explicata ſunt.

Ac tandem argutulis iſtis oppono, quod Auguſtinus ſcribit Sermone 4. de tempore: Suſcepit Filius carnem in proprietate perſonæ, ſed tamen Pater & Spiritus ſanctus non defuit maieſtate, Cum ergò vna ſit Deitas, impleuit quidem carnem Chriſti & Spiritus Sanctus, ſed maieſtate non ſuſceptione, Dicit enim, Non ſum ſolus, ſed Pater meus eſt. Item Ieſus plenus Spiritu.

Secundò

Secunda obiectio est, Cum essentialia Idiomata Deitatis idem sint cum essentia diuina, sequi igitur humanam naturam fieri Diuinam essentiam, si attributa Diuinitatis ipsi communicentur: Sed huius obiectionis explicationem iam tradidimus, scilicet non fieri essentialem aut physicam Communicationem idiomatum Deitatis, Sed sicut ipsa essentia Diuina per vnionem hypostaticam, ita etiam attributa eius communicari assumptæ naturæ, sicut prolixè iam explicatum est, dispensatione vniõnis.

Tertia argutia est, Cum essentialia Idiomata Deitatis idem sint cum essentia, Et essentia Diuina sit ἀμέρις & vel ἀδιαίρετος. Ergo vel simpliciter omnia, vel prorsus nulla idiomata diuina communicata esse assumtæ naturæ, sed non omnia, Caro enim Christi, non est facta æterna, infinita, & spiritualis substantia, Ergò nullum diuinum Idioma communicatum est. Vides argutatores illos, non ordiri à patefactine scripturæ, quid illa prædicet Christo in tempore secundum humanam naturam datum, Sed isti argutias suas opponunt patefacto verbo, vt cum ex verbo Ephesinum Concilium definierit, Carni Christi datam virtutem viuificandi, quæ diuina proprietas est, Ipsi propter excogitatas suas argutias, carni Christi hoc denegent. Primũ itaque argutias illas ψευδωνύμου γνώσεως, sicut Paulus eas appellat, piscatoria simplicitate retundam, & dicam, Quicquid de toto Incarnationis mysterio, & ita etiam de Communicatione maiestatis, mihi in hac vita sciendum & credendum est, Illud me ex sola scriptura discere & petere debere, Ac quæ ibi expressè patefacta sunt, quod in tempore data seu communicata sint assumtæ naturæ, de illis me rectè asseuerare, ac in ijs tutò me acquiescere, ac meritò illis me contentum esse. Reliqua verò, quæ vel quæri vel disputari possunt, & in verbo non habent expressam patefactionem, cum magni huius mysterij profunditatem in hac vita exhaurire & peruidere non possimus, itame differre & reijcere ad magnam illam cœlestem, æternam & illustrem scholam, vbi gloriã Christi Saluatoris & fratris nostri, facie ad faciem, sicut est, videbimus. Nec propter ea, quæ explicare non possum, ab illis, quæ expresso verbo patefacta sunt, discedere me debere.

Hæc

Hæc Reſponſio ſi videbitur rudior, ſimplicior & puerilior, non pugnabo, ſed ſcio veram, certam, firmam & omnium tutiſsimam eſſe, de Deo enim aliter, nec ſentiendum, nec loquendum eſt, quam ſicut in ſcriptura expreſſo verbo ſe patefecit. Rectè itaq; facio, Quod intra terminos diuinæ patefactionis, in hac de communicatione Maieſtatis diſputatione, humiliter me contineo. Certè tota Trinitas, cuius eſſentia eſt ἀμέρις@, habitat impartibiliter in Sanctis, Et tamen non omnia in omnibus operatur, nec in ijſdem omnibus temporibus eadem operatur, Si quæram quomodo hoc conſiſtat cum impartibilitate Diuinæ naturæ, cuius credentes redduntur participes, 2. Pet. 1. Reſpondet Paulus, Diſtribuit prout vult, 1. Cor. 10. Sed age propius aliquanto ad argutias diſſoluendas accedamus. Scholaſtici ſcriptores, & alij eruditi rectè dicunt: Idiomata eſſentialia in Diuinitate eſſe ſimpliciter ipſam abſolutam Dei eſſentiam, cum qua vnum & idem ſint. Et eſſentiam illam Dei in ſeſe conſideratam, eſſe ἀμέρισον indiuiduam, atq; ideò Idiomata etiam eſſentialia, abſolutè in ſeſe in Deo conſiderata, non eſſe à ſe inuicem diſtincta, non enim alia ſui parte Deus eſt ſapiens, alia potens, alia iuſtus, Nec alia tanquam qualitas in Deo eſt potentia, alia ſapientia, alia vita, ſed vnica indiuidua & ſimpliciſsima eſſentia diuina, eſt ipſa potentia, ſapientia, vita diuina, &c.

Sed quando indiuidua illa Diuinitatis eſſentia, ad creaturas refertur, atq; ita relatè ad extra conſideratur, quod ſcilicet in creaturis non eadem in omnibus, ſed in alijs alia efficiat, quædam Iuſticia ſua, quædam bonitate, quædam potentia ſua, &c. In ea relatione, ſeu conſideratione, aliquam quaſi diſtinctionem, inter eſſentiam & attributa eius docendi & diſcendi cauſſa cogitamus, Quæ ideò tunc commodius attributa, quam Idiomata vocari poſſe exiſtimant, Atq; ita docendi & diſcendi cauſſa vſitatè, diuinam eſſentiam in certa attributa, quaſi diſtinguimus, atq; tunc etiam in illa relatione aut conſideratione, attributa diuina, aliquam inter ſe diſtinctionem admittunt. Quædam enim ſunt, quibus diuina eſſentia quaſi extra ſe ἐνεργείᾳ quadam ad creaturas egreditur, vel, quæ in ἐνεργείαν aliquam

quam ad extra se proferunt, hoc est, quæ ex operatione quadam & ab effectibus, in creaturis cognoscenda se præbent, atq; inde tanquam actu secundo intelligi, describi & distingui possunt, qualis est iusticia, bonitas, potentia, maiestas seu gloria, sapientia, vita, &c. Illis enim attributis diuina essentia in creaturis, alia in alijs operatur & efficit, Aliæ enim sunt effectiones Iustitiæ, aliæ bonitatis, aliæ sapientiæ, aliæ potentiæ Diuinitatis in creaturis, Ac creaturæ etiam inde denominationes accipere possunt, vt dicantur sapientes, bonæ, iustæ, potentes, viuentes. Atq; hoc est quod Damascenus in libello de duabus operationibus inquit: Diuinitas ἐνεργείας suæ, non naturæ participes facit creaturas. Alia verò sunt Deitatis attributa, quæ quasi intra ipsam essentiam manent, nec peculiaribus ἐνεργείαις actionibus, operationibus aut effectis, in creaturis ad extra se proferunt, vel cognoscenda se præbent, vt illis tanquam actu secundo describi & intelligi possint, qualis est æternitas, immensitas, infinitas, quodq; est spiritualis essentia, &c. Nec creaturæ inde denominationes mutuantur, vt dicãtur æternæ, immensæ, &c. Cum igitur Communicatio illa maiestatis in Christo, de qua hoc loco agimus, definiatur ἐνέργεια, Quod Diuina potentia λόγου, non tantum qualitates quasdam, vt in reliquis creaturis efficiat, sed diuinas suas operationes in assumta natura, & per eam exerat, Manifestum est, in quam sententiam, quidam non malè dicant. Quædam idiomata seu attributa Diuinitatis, esse συγκοινώνητα communicabilia, Quædam ἀσυγκοινώνητα incommunicabilia, Qua relatione seu consideratione, nulla fit partitio seu distractio attributorum Diuinitatis in sese, sed relatione ad extra, in creaturis, distinctionem illam ita consideramus. Et tamen quia λόγος totam plenitudinem Deitatis suæ, personaliter hypostatica vnione communicauit assumptæ naturæ, nihil certè prætermisit incommunicatum, qui se totum & omnem plenitudinem Deitatis suæ, personaliter communicauit assumtæ naturæ, Præterea Idiomata seu attributa æternitatis, immensitatis, &c. inseparabili nexu cum reliquis attributis diuinis cohærent. Diuina enim potentia, quæ operationes suas, per humanitatem assumtam exerit, est æterna, immensa &

infinita potentia diuina. Eadem ratio eſt etiam æternitatis & infinitæ immenſitatis, in maieſtate, ſapientia, vita, &c. quæ humanæ naturæ in Chriſto communicata eſſe diximus, & mox plenius oſtendemus. Et in hanc ſententiam alij dicunt, totam eſſentiam & omnia attributa Diuinitatis, perſonaliter ratione vnionis communicata eſſe aſſumtæ naturæ. Quæ ſententiæ inter ſe non pugnant, ſed diſcrimen in modo communicationis oſtendunt. Æternitas enim & Immenſitas Deitatis λόγȣ, quia ad totam plenitudinem Deitatis pertinent, perſonaliter inhabitant, in aſſumpta Chriſti natura, ſed non peculiares pro ſe ἐνεργείας in aſſumta natura, & per eam proferunt & exerunt. Reliqua verò Deitatis verbi attributa, ita perſonaliter inhabitant in aſſumpta natura, vt ἐνεργείας ſuas in illa, & per illam exerant, ſicut dictum eſt, quibus tamen æternitas & immenſitas, indiuiduo nexu cohærent. Diuina enim potentia τȣ̃ λόγȣ, quæ operationes ſuas per aſſumptam naturam exerit, eſt æterna & immenſa potentia. Hæc amantibus veritatem plana ſunt. Et reliquæ quidem creaturæ ab ἐνεργείᾳ illorum attributorum Diuinitatis, qualitates quaſdam mutuantur, tanquam riuos ex fonte, & radios à lumine deductos. In Chriſti verò aſſumpta natura, ipſa diuina potentia verbi, non habitus aut qualitates tantùm efficit, ſed ipſas operationes ſuas diuinas per carnem aſſumptam exerit, eo modo ſicut dictum eſt. Atq; inde ſumitur denominatio, quod caro Chriſti prædicatur viuifica. Quod verò dicitur, Carnem Chriſti non factam eſſe ex vnione æternam, infinitam, immenſam & ſpiritualem eſſentiam, Ideò non totam plenitudinem Deitatis perſonaliter communicatam aſſumptæ humanæ naturæ, facilè ſoluitur. Neq; enim ex reliquorum etiam attributorum perſonali cõmunicatione, humanitas Chriſti in ſeipſa, aut ſecundum ſe, eſſentialiter, aut per eſſentiam, proprietate aut conditione aliqua naturæ, facta eſt omnipotens, omniſcia, viuifica, Sed quia aſſumpta humanitas, attributa illa Diuinitatis λόγȣ perſonaliter ſibi vnita habet, ita, vt in illa, & per illam operationes ſuas exerant, ſicut de ferro ignito dictum eſt, Ideò dicitur Communionem cum illis habere.

Et ani-

Et anima, quæ & ipſa eſt ἀμέρις Θ', non habens partem extra partem, cum ſit in toto corpore tota, & ſingulis partibus tota, potentias quidem ſuas communicat corpori, vt oculus videat, auris audiat, cor intelligat, non tamen corpus ideo aut inde fit ſubſtantia ſpiritualis & immortalis, ſicut eſt anima.

Ignis etiam ſe totum, & facultates ſuas communicat ferro ignito, non tamen ideò, aut inde ferrum ignitum fit ſubſtantia elementaris, leuis, ſurſum tendens, Nec ideò vera & realis communicatio ignis ad ferrum, infringitur, Sed ſatis ſit de illis argutijs, cum lucerna pedibus noſtris, & lux ſemitis noſtris ſit patefactum Verbum Dei, cuius facem prælucentem, in magni huius myſterij explicatione, ſolam meritò ac neceſſario ſequimur.

Poſtremò, de Appellationibus etiam magnis clamoribus certatur, Ac poſtea quidem cap. 25. & 26. oſtendam, Veterem Eccleſiam appellaſſe κοινωνίαν, illam donationem Maieſtatis, de qua nunc agimus. Nunc tantum hoc dicam, quoſdam falſo aſſerere, Eam eſſe vim vocabuli κοινωνίας Communionis ſeu communicationis, vt quicquid communicari dicatur, eo ipſo proprium, eſſentiale, formale, aut ſubiectiuè inhærens, fiat ei, cui communicari dicitur, Sed inhabitatio Spiritus Sancti in credentibus vocatur κοινωνία, 2. Cor. 13. Ac credentes dicuntur κοίνωνοι diuinæ naturæ 2 Pet. 1. Ac vſitatè & rectè dicitur, Ignem ſe totum ac facultates ſuas omnes communicare ferro ignito, & animam ſe ac potentias ſuas communicare corpori animato, Et λόγον eſſentiam ſuam per hypoſtaticam vnionem communicaſſe aſſumtæ naturæ, ipſi etiam aduerſarij, non verentur dicere. Nequaquam igitur Vocabulum κοινωνίας communionis aut communicationis, vi ſignificationis ſuæ confuſionem, conuerſionem, abolitionem, aut exæquationem includit, vel adfert. Quod ſi timetur, ne quis vocabulum Communicationis, vel praue vſurpet, vel ſiniſtre accipiat, addi poteſt ac debet, talis declaratio, qua omnes ſiniſtræ opiniones remoueantur, ſicut cap. 22. & 23. oſtendimus.

Præcipuè verò vocabulum (Reale) in hac parte doctrinæ, acerbè perstringitur. Etsi verò non libenter de vocabulis litigo, video tamen graues esse causas, quare vocabulum illud, in gratiam aduersariorum, non sit abijciendum.

Ac principio consideretur, qua occasione ac quibus de caussis, vsurpatio eius, in hac parte doctrinæ, cœperit, Quia enim multi concedunt communicationem earum, quæ scriptura Christo in tempore secundum assumtam naturam data prædicat, Sed communicationem illam sentiunt, & contendunt esse verbalem tantum κατὰ λέξιν secundum dici, titulotenus, aut per phrasin & modum loquendi, tantū ita, vt humana natura, excepto Titulo, nullam cum attributis illis veram communionem habeat, sed ad solam Diuinam naturam illa pertineant, Coacti fuerunt sinceri doctores, istis verbalitatibus opponere appellationem Realis communicationis, cum Lutherus etiam in 53. cap. Isaiæ, exaltationem humanæ naturæ in Christo, appellet personalem & realem, Quæ appellatio in communi etiam & vsitato sermone, nota & recepta est, Quod scilicet Verbale & Reale inter se opponuntur. Nec inanis λογομαχία est, sed hac appellatione, doctrina hæc, ab omnibus alijs insinceris opinionibus seiuncta, perspicuè potest proponi, & contra Sophisticos cothurnos præmuniri, ac qui sub generalitatibus, sinistras suas opiniones occultare & venditare conantur, hac ipsa appellatione Realis communicationis explorari, & in lucem protrahi possunt. Atq; ideò etiam huic appellationi adeò iniqui & infesti sunt, Sicut Sacramentarij concedunt, corpus Christi verè esse in Cœna, quia existimant sub illa voce, se posse opiniones suas occultare, Quando verò dicitur, Corpus Christi realiter in cœna Domini cum pane adesse, ibi clamores oriuntur, Quia scilicet vocem illam non tam facilè possunt eludere, Præterea, quia communicatio illa maiestatis, de qua nunc agimus, non est essentialis transfusio, vel physica confusio, aut exæquatio. Et quia omnino certis & significantibus vocabulis opus est, discriminis gratia rectè ac commodè vocatur Realis communicatio, vt quæ nec sit verbalis, nec essentialis, nec physica. Nec, verò ex vi & vsu vocabuli, Communio

realis

realis eadem est, cum essentiali aut physica. Dicimus enim personas Trinitatis distingui & differre, non quidem essentialiter, sed realiter. Quod verò dicitur, Nos sub appellatione realis communicationis essentialem transfusionem aut physicam confusionem & exæquationem occultare, calumnia est. Clara enim ac sonora voce publicè contestamur, Nos appellatione realis communicationis, nequaquam intelligere aut intelligi velle, essentialem aut physicam, sed ideò appellare realem, vt significetur, nec verbalem, nec essentialem, nec physicam, sed veram esse: In vulgari enim sermone vocamus reale, quòd Græci vocant ὄντως καὶ τῷ ὄντι, quod non est fictum, Imaginarium aut verbale, seu nudus & inanis titulus, sed quod verè est, ac reuera seu in rei veritate ità se habet, vt sicut Athanasius Dialog. 5. loquitur, οὐ κατὰ φαντασίαν, μόνον τὸ ὄνομα ἔχον, Cumq; talis sit κοινωνία, qualis est vnio, iuxta Nazianzeni regulam, Et vnio non sit verbalis, sed realis, Rectè igitur etiam communio seu cómunicatio vocatur realis, eo modo & in eam sententiam, sicut similitudine ferri igniti explicatum est. Nihil itaq; incommodi aut periculi habet appellatio realis communicationis, sed breuiter planè & perspicuè totam doctrinam proponit & explicat, ac ab alijs opinionibus de verbali, essentiali, aut physica communicatione eam seiungit. Rectè igitur Ecclesiæ nostræ iudicarunt, appellationem illam in hac doctrina retinendam, nec propter malicioſas aduersariorum calumnias & deprauationes, abijciendam. Repeto autem commonefactionem antea etiam traditam, In primo scilicet genere, sicut vsitatè appellamus, quando dicimus Deum crucifixum & mortuum, communicationem quidem esse realem, sed addimus eam fieri in persona, nõ in altera etiam diuina scilicet natura. In hoc Tertio verò genere, seu gradu, communicationem maiestatis realiter fieri, non in persona tantum, sed in assumpta, &c. natura, sicut ferro ignito communicatur vis lucendi & vrendi, & sine confusione, conuersione, & exæquatione, verè tamen & realiter communicatur.

CAPVT XXIIII.

Continens & explicans teſtimonia Scripturæ, De Communicatione Maieſtatis.

POſtquam igitur ſatis oſtenſum eſt, Communicationem maieſtatis, quæ Chriſto in tempore, ſecundum humanam naturam data eſt, non fieri vel per phyſicam effuſionem, vel per eſſentialem confuſionem, conuerſionem, abolitionem, aut exæquationem: ſed communicationem, vnioni à qua dependet & oritur reſpondere, Iam planior, expeditior & facilior erit ratio colligendi, & explicandi præcipuas ſcripturæ ſententias, de hac communicatione. Aliâs enim explicatio teſtimoniorum ſcripturæ turbatur, inuoluitur & obſcuratur varijs opinionibus & diſputationibus, de modo communicationis ſeu donationis, niſi prius ſiniſtræ opiniones remoueantur, & vera ratio communicationis oſtenſa ſit. Poſtquam verò hoc factum eſt, & fides noſtra non nititur, vel Patrum, vel Conciliorum autoritate & definitionibus, ſed extructa debet eſſe ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum Eph. 2. Videamus itaq; iam, quid ſcriptura tradat, & quomodo loquatur de illis, quæ Chriſto in tempore, reſpectu incarnationis ſecundum humanam naturam data ſunt.

Ac primum locum meritò obtinet illuſtre illud dictum, Pauli Coloſſ. 2. Quod in Chriſto inhabitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter, Cuius ſententiæ ſingula vocabula, quomodo hypoſtaticam vnionem deſcribant, ſupra capite 9. examinauimus & explicauimus. Et quia inde dependet ratio

eius

eius communicationis, de qua nunc agimus, facilis iam erit accommodatio eorum, quæ cap. 9. dicta sunt ad hanc doctrinæ partem. Paulus igitur Col. 1. cum corpori, carni, sanguini, cruci, morti Christi, tribuisset reconciliationem, pacificationem, &c. vt sciremus solida & efficacia esse illa beneficia, & ad nos fratres etiam, illam restaurationem, quæ in assumpta natura primogeniti facta est, pertinere, dicit Paulus complacitum esse, vt omnis plenitudo in ipso inhabitet. Ne vero de plenitudine donorum creatorum, vel de inhabitatione per gratiam, vt in sanctis hoc intelligatur, Addit cap. 2. totam plenitudinem Deitatis corporaliter inhabitare in Christo. Tota autem plenitudo Deitatis, significat & ipsam Deitatem τὸ λόγου totam, plenam ac perfectam, & quicquid in ea est, vel quicquid illa intra se habet, & ad eam pertinet, sicut plenitudinem terræ & maris scriptura ita nominat, hoc est, & totam plenam essentiam Deitatis Filij, & cum ea omnia etiam attributa eius intelligit Paulus, quando nominat omnem plenitudinem Deitatis. Illam verò dicit inhabitare in corpore seu assumpta humana natura Christi, sicut Athanasius, Augustinus & Theodoretus, aduerbium (corporaliter) exponunt, non per physicam effusionem, aut essentialem confusionem, sed hypostatica vnione, seu personaliter. Non autem sola aut nuda tantum præsentia inhabitat, sed ipse statim Paulus addit explicationem duobus modis. 1. Quia estis in ipso πεπληρωμένοι. 2. Quia ipse est caput, ᾧ qui apprehendit & tenet, is per subministrationem inde crescit, in augmentum Dei. Non opus itaque est, varias aut peregrinas accersere interpretationes, cum habeamus ipsum Paulum, locupletissimum & certissimum sui ipsius interpretem. Quid verò Paulus intelligat, quando dicit, Estis in ipso completi. Et ipse est caput, &c. Non opus est ex coniecturis diuinare, sed Paulus ipse & Colos. 2. & Ephes. 1. & 4. luculenter hoc declarat, Quod scilicet non tantum Christus pro sua, vt ita dicam, persona, in assumta sua humana natura personaliter habeat totam plenitudinẽ Deitatis, sed quod & nos, qui sumus membra eius, caro de carne eius, & primogeniti huius fratres, Omnia

quæ

quæ ad redemptionem, liberationem, & defensionem contra hostes, ad gratiam, reconciliationem, acceptationem, exauditionem, auxilium apud Deum, quæq; ad nostram conuersionem, illuminationem, iustificationem, sanctificationem, viuificationem, conseruationem, saluationem, &c. nobis necessaria sunt, quod inquam omnia illa bona, perfectissima & cumulatissima plenitudine, habeamus in Christo, pro nobis incarnato, crucifixo & resuscitato, Ita vt inde tanquam ex capite, in nos tanquam in membra, omnia illa bona, ex eius plenitudine deriuentur, influant, conferantur & subministrentur. Ac inde concludit Paulus, nullis alijs elementis mundi nobis opus esse ad salutem, cum totam eius plenitudinem habeamus in Christo, Ac vicissim, qui omnia alia corradat, salute carere, si Christum non habeat.

Tria autem significantissima vocabula habet Paulus, quibus hoc explicat & declarat, nempe ὑπηρεσίαν, ἐνέργειαν, καὶ πλήρωσιν, subministrationem, operationem, & impletionem.

Ne verò existimetur, subministrationem illam fieri ex plenitudine, vel physicarum proprietatum carnis, vel gratuitorum donorum habitualium, Ideo corpori, carni & sanguini Christi, quorum mentionem fecit cap. 1. adiungit personalem inhabitationem seu vnitionem totius plenitudinis Deitatis, vt hoc modo fiat subministratio, quod scilicet Diuina natura Filij Dei, omnia salutaria totius plenitudinis Deitatis suæ bona, membris suis subministret, non se sola, absolutè & seorsim, sed ex illa natura, cum illa, & per illam, qua caput & membra, cognata sunt & consubstantialia, & sicut scriptura loquitur, ex vno sunt. & qui sanctificat, & qui sanctificantur. Ideo enim Col. 1. diserte nominat corpus, carnem, sanguinem Christi, Et ideo cap. 2. Vbi totam plenitudinem Deitatis nominat, addit vocabulum corporaliter, vt ostendat coniunctionem & communionem vtriusq; naturæ Christi in hac subministratione, Quodq; omnes salutares suas operationes, Diuina natura Filij, tota plenitudine exerat, exerceat, expediat, & perficiat, in omnibus suis membris, non se sola, absolutè, seorsim, absq;

humana

humana ſua natura, ſed in illa, cum illa, & per illam naturam, qua caput & membra cognata ſunt, quã cap 1. Paulus nominat corpus, carnem & ſanguinem Chriſti, vt ita ex tota plenitudine Deitatis, per humanam Chriſti naturam, in qua illa perſonaliter inhabitat, impleamur omni plenitudine Dei, Epheſ. 3. Eſt enim Chriſtus caput noſtrum, non ſecundum diuinam tantum, verumetiam ſecundum aſſumptam ſuam humanam naturam. Atq; ideo in illa ſubminiſtratione, operatione, & impletione, diuina natura Filij Dei agit cum communione aſſumtæ naturæ, non ſicut aqua per fiſtulam fluit, ſed cum cooperatione aſſumptæ naturæ, quæ vt poſſet in illis officijs cooperari, non tantum naturalia ſua Idiomata habet, nec creata tantum dona, ſed ipſam totam plenitudinem Deitatis, non quidem per phyſicam effuſionem, ſed perſonaliter in ſe inhabitantem & ſibi vnitam habet, vt in aſſumta natura, ex ea, cum ea, & per eam, ſubminiſtratio, operatio, & impletio illa diuina, de qua Paulus loquitur, in nobis fiat, Atq; ita totus Chriſtus, ſecundum vtramq; naturam, omnia in omnibus in Eccleſia, & in regno ſuo, vt caput impleat, Epheſ. 1. Et obſeruetur, quomodo ſcriptura illam deriuationem, & quaſi influentiam diuinæ virtutis, ex plenitudine Deitatis per aſſumtam naturam, in miraculis deſcribat, Luc. 6. Omnis turba quærebat eum tangere, Quoniam δύναμις virtus, potentia exibat ab ipſo, & ſanabat omnes, Marc. 5. Cum mulier veſtimentum eius tetigiſſet, ſtatim in ſemetipſo cognoſcens, vim potentiam ex ſe exijſſe, Luc. 8. aliquis tetigit me, noui enim δύναμιν ex me exijſſe. Et hoc eſt, quod ſcriptum eſt, Iohan. 1. Plenum gratia & veritate, & ex plenitudine eius omnes nos accipimus, gratiam pro gratia. Atq; hinc Paulus concludit, Qui hoc caput, in illo ſcilicet obiecto naturæ humanæ, quam capite primo nominat corpus, carnem & ſanguinem Chriſti, apprehendit ac tenet illum, ſimul apprehendere, tenere & habere, omnem plenitudinem Deitatis, illa enim in aſſumta natura, nobis cognata & conſubſtantiali, perſonaliter vnita inhabitat, vt ibi ac ita velit quæri, inueniri, apprehendi, & teneri, quod in abſoluta Deitate aſſequi non poſſumus, quoniam per peccatum ab ea nimium abalienati & diſsiti ſimus,

Sed iam in carne nobis cognata, non quidem per physicam seu essentialem, vel effusionem, vel confusionem, sed per hypostaticam vnionem deposita est, Cumq; ad assumtam Christi naturam, propter cognationem imò consubstantialitatem, fide aditum & accessum habeamus, per illam, ad totam plenitudinem Deitatis τῦ λόγυ in ea habitantem, peruenimus, atq; inde propter ὁμοουσίαν Trinitatis, ad communionem non Filij tantum, sed & Patris & Spiritus Sancti deducimur. Possent hæc pluribus ex 1. & 2. capite ad Colos. explicari, sed quia non commentaria scribimus, sufficit breuis hæc commonefactio. Cumq; hoc ipsum, & nihil aliud sit, quod in nostris Ecclesijs de Communicatione Maiestatis docemus, manifestum est, quam pulchrè doctrina illa explicetur & confirmetur in illo dicto Pauli, de tota plenitudine Deitatis inhabitante corporaliter in Christo, ita, vt inde nos impleamur, per operationem & subministrationem, ex capite in membra, sicut Paulus explicat.

Secundò, De omni potestate data Christo in tempore, ita scribitur Matth. 28. Data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra Huius verò sententiæ veram explicationẽ, ex ipsis textus circumstantijs, & ex collatione aliorum scripturæ locorum inuestigabimus. Cum igitur in constituto illo monte Galilææ, plusquam quingentis fratribus, post resurrectionem, viuum & resuscitatum suum corpus ostenderet Iesus, Quidam ex ipsis dubitarunt, existimantes scilicet, ipsum & Filium Dei viui, verè quidem adesse, sed in assumpta alia externa specie, non in proprio illo suo corpore, quod cruci affixum, & sepultum fuerat. Propius igitur accedens ad ipsos, ac non à longè, sed propè se conspiciendum præbens, ac nota voce loquens, ostendit veri sui corporis resurrectionẽ. Et quia hoc ipsos offendebat, quod viderant corpus illud ex magna infirmitate crucifixum, ac omni genere crudelitatis & contumeliarum infra quorumuis infirmorũ sortem deiectũm, Huic infirmitati & deiectioni iam opponit quod dicit, Data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra, vt idem sit cum eo, quod scriptura est, 2. Cor. 13. Crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex potentia Dei. Non itaq;

hoc

hoc propriè dicit, quod Filius Dei viui, ab æterno habuerit omnem omnium poteſtatem, de eo enim, qui credebant, ipſum eſſe Filium Dei viui, non dubitabant, Sed de poteſtate in tempore Chriſto data loquitur, Nec vera eſt illorum deprauatio, qui ita exponunt, Omnis poteſtas data, hoc eſt, reddita ſeu reſtituta eſt, diuinæ naturæ Filij, Illa enim potentiam ſuam nunquam amiſit, vel depoſuit, Sed reſpectu eius naturæ, ex cuius infirmitate crucifixus fuerat, dicit, Data mihi eſt omnis poteſtas, Quoniam in illa, & per illam aſſumtam naturam, iam poſt depoſitam exinanitionem glorioſè exerturus erat diuinam ſuam potentiam, antea quaſi occultatam. De poteſtate igitur, quam in tempore, ſecundum humanã naturam accepit, loquitur, ſicut expreſſè Daniel hoc teſtatur cap. 7. Aſpiciebam, & ecce cum nubibus cœli, quaſi Filius hominis veniebat, & vſq; ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei poteſtatem, &c. Hanc poteſtatem Chriſtus vocat omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Daniel dicit: Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur. Paulus 2. Cor. 13. vocat virtutem ſeu potentiam Dei, Non ergò creatam aut finitam aliquam, ſed ipſam diuinam & æternam, omnem poteſtatem ſeu potentiam intelligit, Chriſto in tempore etiam ſecundum aſſumptam naturam datam, quam ſecundum diuinam ab æterno habuit. Atq; ita tota antiquitas hoc dictum Matthæi ſemper intellexit & expoſuit, ſicut capite ſequenti oſtendemus. Omnis enim poteſtas, vel omnis potentia in cœlo & in terra, non poteſt alia quam diuina eſſe. Quod verò non tantum omnis poteſtas nominatur, ſed additur in cœlo & in terra, Eſt illuſtris notatio diuinæ, infinitæ, & immenſæ poteſtatis, ſicut ſcriptum eſt Pſal. 135. Omnia quæcunq; vult facit in cœlo & in terra, Non quod illa, extra diuinam naturam effuſa, formaliter in humanitatem transfuſa ſit, Nec quod duæ ſint Omnipotentiæ in Chriſto, altera in diuina, altera in humana eius natura: Sed quod Diuina & æterna potentia, quæ ſolius diuinæ naturæ eſſentialis & propria eſt, quæ per vnionem perſonaliter inhabitauit, in aſſumpta natura, à principio vnionis, ſicut ante reſurrectionem etiam dixit, Omnia tradita ſunt mihi à Patre meo, Matth. 11. Item, Sciens Patrem omnia

sibi dediſſe in manus, Ioh. 13. Sed ratione exinanitionis eam non ſemper exeruit in aſſumta, & per aſſumtam naturam, Quod illa inquam potentia poſt depoſitas infirmitates, plenaria vſurpatione & omnimoda oſtenſione, in aſſumta natura, & per eam ſe exerat, atq; ita aſſumta natura in plenarium conſortium, & manifeſtariam communionem Diuinæ potentiæ euecta ſit, ſicut ferrum ignitum, per vnionem cum igne, ad communionem & vſurpationem virtutis lucendi & vrendi deducitur, quæ virtus rectè & verè dicitur ferro, hoc modo data ſeu communicata per vnionem, abſq; confuſione & exæquatione.

Videamus autem porrò, Quid omnis illa poteſtas in cœlo & in terra, Chriſto in tempore data complectatur? Chriſtus igitur daturus Apoſtolis mandatum & poteſtatem colligendi Eccleſiam, miniſterio Verbi & Sacramentorum per vniuerſum mundum, præmittit de plenaria & omnimoda poteſtate, ſibi data in cœlo & in terra. Scribit autem Paulus 2. Cor. 10. & 13, datam ſibi in miniſterio à Domino poteſtatem ad ædificationem non ad deſtructionem. Et illam poteſtatem ita explicat: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, quibus deſtruimns praua conſilia, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem in obſequium Chriſti, & in promtu habentes vindictam aduerſus omnem inobœdientiam, hoc eſt, Paulus affirmat, Miniſterio ſuo adeſſe diuinam efficaciam, 1. Contra omnem ſpiritualem diabolorum nequitiam & tyrannidem. 2. Contra omnem externam mundi machinationem, vim & potentiam, opponentem ſe miniſterio. 3. Contra omnes deprauatæ carnis cogitationes, & affectiones reluctantes verbo. 4. Ad efficiendam obœdientiam fidei per miniſterium. 5. In miraculoſis pœnis inobœdientium, & in reliquis miraculis.

Illa poteſtas in Miniſterio Apoſtolis data, & ad Miniſterium neceſſaria, non eſt, vel naturalis proprietas, vel qualitas creata, ſeu donum habituale, vel propria vjrtus in ipſis Apoſtolis, ſed eſt diuina virtus potentia & efficacia, aſsiſtens miniſterio

rio ipſorum, ac per illud efficaciter operans, iuxta dictum Marci 16. Ipſi prædicauerunt, Domino vbique cooperante, ac verbum confirmante. Item: Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Vt igitur Apoſtoli certi redderentur, ea, quæ in Miniſterio in terris, iuxta mandatum Chriſti agerent, non eſſe dubia, inualida, fruſtranea aut inania, ſed rata & efficacia, Ideo Chriſtus inſtituens Miniſterium & ablegaturus Apoſtolos aſſeuerat, ſibi, à quo Miniſterium Noui Teſtamenti, inſtitutionem, originem, mandatum, cauſſam & dependentiam ſuam habet, datam omnem poteſtatem in cœlo & in terra, Ac ſimul promittit, ſe omni illa ſua poteſtate, virtute, potentia & efficacia affuturum Miniſterio Apoſtolico, in Eccleſia, non in Apoſtolorum tantum perſona, ſed omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.

Iam Chriſti perſona conſtat diuina & humana natura, Et diuinæ quidem naturæ non potuit omnis illa poteſtas in tempore dari, eſt enim ab æterno eius propria & eſſentialis. Per hypoſtaticam igitur vnionem & manifeſtationem, ſicut dictum eſt, in tempore data, ſeu communicata eſt etiam aſſumptæ naturæ, vt per eam, & ex ea tanquam ex capite ad Eccleſiam & Apoſtolos, vt ad corpus & membra capitis, potenter & efficaciter deriuetur, atq; hoc modo Miniſterio & Eccleſiæ per aſſiſtentiam communicetur Eph. 4. Diuina enim natura Filij, illam ſuam eſſentialem omnem poteſtatem, virtutem, & efficaciam in Miniſterio & in Eccleſia, non abſolutè, vel ſeorſim, ſe ſola vult exercere, efficere, & expedire, ſed in aſſumta ſua humana natura, cum ea, & per eam, ſecundum quam frater noſter eſt, & nos caro de carne eius, quam non poteſt odio habere, vt eo minus de præſentia & efficacia eius in Eccleſia dubitemus. Atq; hoc modo omnis poteſtas etiam aſſumtæ naturæ in Chriſto data ſeu communicata eſt. Ita ergò ſi hæc ſententia Matthæi ex ipſis contextus circumſtantijs conſideretur, dulciſſimam affert conſolationem & docentibus & diſcentibus, ſeu auditoribus, hoc eſt, vniuerſæ Eccleſiæ, de Diuina potentia & efficacia, quæ & miniſterio & Eccleſiæ, in Chriſto, qui

ſecundum vtramq; naturam Eccleſiæ caput eſt, promittitur & adeſt, omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.

Omnis igitur illa poteſtas, quæ Matthæi 28. Chriſto data ſcribitur, principaliter reſpicit operationem, potentiam & efficaciam eius, quam in regno ſuo, & in Eccleſia ſua, ſecundum vtramq; & per vtramq; naturam præſtat, exhibet & oſtendit.

Sed hinc noui quidam diſputatores Theſibus recens ſparſis conantur inferre. Si omnis illa poteſtas Chriſto in tempore data, tantum regni Chriſti & Eccleſiæ adminiſtrationem complectitur, Non ergo diuinam & infinitam, ſed creatam, finitam & limitatam eſſe, omnem illam poteſtatē, quæ Chriſto in tempore data eſt, propterea ſcilicet, quia intra limites regni & pontificatus Chriſti coerceatur, nec terminos illos egrediatur, ſicut paterfamilias habet πᾶσαν ἐξουσίαν in domo ſua, & Princeps merũ ac mixtũ imperium intra ditionis ſuæ terminos & non vlterius.

Alij diſputant non idem eſſe ἐξουσίαν καὶ δύναμιν poteſtatē & potentiam, atq; ideo omnem quidem poteſtatem, non autem omnem potentiam Chriſto in tempore datam, Ex quib. quidam in expoſitione huius dicti ſceleratè & blaſphemè talē inſtituit comparationem, Sicut maritus frigidus & malè calceatus (vt vulgo loquimur) habet quidem poteſtatem in vxorem ſuam, ſed non habet potentiam. Increpet te Dominus, Satan, &c.

Sed nos audiamus ſcripturam, ſeipſam explicantem, illa enim declaratio, nec falli poteſt, nec fallere. Dicit igitur Paulus Eph. 1. Omnia ſubiecta eſſe pedibus Chriſti, ſed ὑπὲρ πάντα præcipuè ac peculiariter datam ipſi poteſtatem, vt ſit caput Eccleſiæ, implens omnia in omnibus. Vbi clarè audis omnem illam poteſtatem datam Chriſto, præcipuè pertinere ad Eccleſiam, ſiue ad officium regni & Pontificatus Chriſti: ſed tamen eam illis terminis & limitibus, non ita circumſcriptam, vt non ſimul etiam, omnia alia pedibus ſuis ſubiecta habeat, ſicut ex collatione ſimpliciſsimè hæc intelligi poſſunt. Apoſtolis data fuit poteſtas, iuxta menſuram regulæ, quam Deus partitus eſt, 2. Cor. 10. Ita vni datur poteſtas ſuper quinq;, alteri ſuper decē ciuitates, Luc. 19. Sicut Ierem. 27. Omnes ibi deſignatæ terræ dãtur in poteſtatē Nabuchodonoſoris vſq; ad tempus. Angelis

dat

dat Deus poteſtatem magnam Apoc. 18. qui ideo vocantur potentes virtute Pſal. 103. Sed Chriſto in tempore ſecundū humanam naturam data eſt, non multa, non magna, non latè patens tantum, ſed omnis poteſtas, eaq; in cœlo & in terra. Et accuratè conſideretur ac obſeruetur in ſequentibus ſcripturæ teſtimonis, quomodo Spiritus Sanctus ipſe hanc generalitatem de omni poteſtate in cœlo & in terra interpretetur, quam latè extendat, & quam immenſam faciat omnem illam poteſtatē, quæ Chriſto in cœlo & in terra data eſt. Data enim ipſi eſt poteſtas omnis carnis, vt det eis vitam æternam Ioh. 17. & Danielis 7. dedit ei poteſtatem, honorem & regnum, vt omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruiant. Pſ. 2. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Pſal. 110. Dominare in medio inimicorū. 1. Cor. 15. donec ponam inimicos, diabolum, mortem, infernum ſcabellum pedum tuorum. Col. 2. Poſuit eum caput omnis principatus & poteſtatis Eph. 1. Illum quem ex mortuis excitauit, conſtituit in cœleſtib. ſupra omnem poteſtatem, principatum, virtutem, dominationem, & ſupra omne nomen, quod nominatur, non tantum in hoc, verumetiam in futuro ſeculo, & omnia ſubiecit pedibus eius, Pſ. 8. Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti ipſum Dominum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, Oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, Ebr. 2. Non angelis ſubiecit orbem futuram, ſed ei, quem fecit pauliſper inferiorem angelis, ſubiecit omnia, & in eo quod omnia ei ſubiecit, nihil prætermiſit, non ſubiectum ei, ſed nondum videmus omnia ei ſubiecta, hoc eſt, non ratione aut ſenſu comprehendimus, ſed fide qua iam ambulamus, ex verbo diſcimus & credimus humanitati Chriſti omnia ſubiecta, quod palam fiet, & nos videbimus in nouiſsimo die. Et 1. Cor. 15. Cum dicit, omnia ei ſubiecta, intelligit ſine dubio omnia, præter eum, qui ſubiecit ipſi omnia. Rō. 14. Ideo mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, vt mortuis ac viuentib. dominetur. Ph. 2. hanc ſubiectionem agnoſcunt, ſentiunt ac fatentur, quæ in cœlis, quæ in terra ac ſub terra ſunt, Apoc. 5. Omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, quæ ſuperterram, & ſub terra, & in mari, & omnia quæ in eis

ſunt,

sunt, audiui dicentes sedenti in throno & agno, Benedictio, honor, gloria & potestas in secula seculorum. Item: dignus est agnus, qui occisus est accipere potentiam, diuitias, sapientiam, fortitudinem, gloriam, honorem & benedictionem, hoc est, dignus est, qui à Patre illa accepit, vel dignus est, vt à creaturis accipiat laudem & celebrationem, quòd illa acceperit. Diligenter autem obseruetur contra elusionem, ex discrimine inter potestatem & potentiam, quod ἐξουσίαν Matthæi 28. Angelus hoc loco interpretatur per tria Vocabula, quæ potentiam significant, δύναμιν, ἰσχὺν καὶ κράτος. Ac monstrat quomodo non tantum sancti in cœlo, sed omnes creaturæ vbique intelligant & agnoscant omnem illam potestatem, quæ in tempore Christo data est, in cœlo & in terra. Quod bene notetur, est enim omnium optima & certissima interpretatio, quæ in ipso facto ostenditur. Ita Actor. 2. Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis, fecit Dominum & Christum, seu Regem. Iohan. 13. Vocatis me Dominum, & sum etiam. Ac in præcedentibus exponit rationem, quare sit Dominus, Quia scilicet Pater omnia ipsi in manus dedit. Et hæc omnia prædicari de Christo respectu humanæ naturæ, secundum quam, vt agnus minoratus est, mortuus & resuscitatus, in singulis scripturæ dictis circumstantiæ ostendunt, vnde cognoscimus ad quantã potentiam, dignitatem & celsitudinem humana nostra naturæ, quæ in Adamo in infimam deiectionem prolapsa, & in potestatem tenebrarum redacta fuerat, in Christo rursus euecta & exaltata sit. Ex hisce igitur tam multis & clarissimis scripturæ dictis manifestum est, Omnem illam potestatẽ, quæ in cœlo & in terra Christo in tempore data est, nequaquam esse creatam, finitam, certis terminis limitatam ac circumscriptam, sed esse vniuersalem & supremam diuinam omnem potentiam, quæ potenter omnibus dominatur in cœlo & in terra, Psal. 133. Et hæc diuinæ quidem naturæ ab æterno propria & essentialis est ac mãnet. Datur autem seu communicatur assumptæ etiam naturæ Christi, non per essentialem seu physicam effusionem, sed sicut Paulus explicat Eph. 1. quia excellens magnitudo diuinæ δυνάμεως καὶ κράτος καὶ ἰσχύος, hoc est, Diuinæ potentiæ, virtutis & roboris,

seu

seu fortitudinis ἐνέργειαν, efficaciam & operationem suam exeruit, & exercuit in Christo, quando secundum humanam naturam ex mortuis ipsum suscitauit, & constituit eum ad dexteram suam Dominum super omnia. Et assumpta humana natura. cum diuina illa potentia personaliter sibi vnita, talem habet communionem, vt ea potenter, vnà cum diuina natura dominetur omnibus, ac omnia sibi subiecta habeat, sicut ferrum ignitum cum virtute lucendi & vrendi, quæ ignis propria & essentialis est ac manet, talem habet Communionem, vt virtute illa candeat & vrat, absq; confusione & exæquatione, sicut in præcedenti capite dictum est. Et iterum repeto, in scripturæ testimonijs diligenter obseruandum esse, omnem illam potestatem, quæ Christo in tempore Matth. 28. data est, à Spiritu Sancto in Scripturis explicari per δύναμιν, κράτος καὶ ἰσχὺν. Eph. 1. & Apoc. 5. Item per subiectionem rerum omnium, per potentem dominationem super omnia in cœlo & in terra, Omnia habere in manu, & sub pedibus subiecta, Omnia sibi data & tradita esse. Iam omnibus potenter dominari, omnia in manu ac potestate habere, Dei proprium est, 1. Par. 29. & Psal. 103. Dominatur autem sicut Scriptura tradit, Christus omnibus non tantum vt Deus secundum Diuinam, verumetiam vt homo, secundum humanam exaltatam suam naturam. Non autem peculiari aut separata aliqua potentia, sed quia assumpta humanitas diuinam potentiam & dominationem omnium personaliter sibi vnitam habet, quæ non se sola absolutè, aut seorsim, sed in assumpta, cum assumpta, & per assumptam naturam, omnibus potenter dominatur, & humana natura illa sibi personaliter vnita diuina potentia, omnia sibi subiecta habet, & potenter omnibus dominatur. Potest autem omnis illa potestas Christo in tempore secundum humanam naturam data, vno vocabulo appellari παντεξουσιότης ex Matthæo, vel παντοκρατορία, iuxta Græcos interpretes. Quod enim Latini vocant Omnipotentem, hoc Græci reddiderunt παντοκράτορα, à potenti vniuersali potestate, Imperio & dominatione super omnia in cœlo & in terra 2. Reg. 5. Oseæ 12. Syra. 41. & 50. Baruch. 3. Et in historia Machabæorum. Atq; ita in nouo etiam Testa-

mento vſurpatur 2. Cor. 6. & in Apoc. ſæpius. Sed in libro Sapientiæ cap. 7. 11. & 18. Omnipotens vocatur παντοδύναμος, quam appellationem Damaſcenus Chriſto etiam ſecundum humanam naturam tribuit, ſicut in ſequenti capite oſtendemus.

Tertiò, præcedentibus cognata & affinia ſunt Teſtimonia ſcripturæ de Seſsione Chriſti ad dexteram Dei. Vocatur autem dextera Diuinæ maieſtatis Ebr. 1. & virtutis ſeu potentiæ diuinæ Luc. 22. ad quam Chriſtus in tempore collocatus prædicatur. Et aliâs in ſcriptura, Dextera Dei ſignificat, non membrum aut partem Dei, non tantum locum quietis & gaudij, ſed Diuinam potentiam & operationem Diuinam, qua hoſtes retundit, ſuis adeſt, exauditione, gratia, benedictione, auxilio, liberatione, defenſione, conſeruatione, ſaluatione, in miraculis & in omnibus diuinis ac glorioſis operibus, vt Pſal. 20. Exaudiuit eum potentijs ſaluificis dexteræ ſuæ. Pſal. 21. Dextera tua inueniat hoſtes conſumens eos. Pſal. 17. Dextera tua ſaluas ſperantes in te, Pſal. 45. Dextera tua docebit te mirabilia, Pſal. 98. Mirabilia fecit, & ſaluauit ſibi dextera eius. Pſal. 118. Dextera Domini fecit virtutem, & exaltauit me, Pſal. 48. Iuſticia plena eſt dextera tua, Pſal. 18. Dextera tua ſuſcepit me, Pſal. 108. Saluum me fac dextera tua, &c. Chriſtus igitur ſecundum Diuinam naturam eſt ipſa dextera Dei, Pater enim per Filium omnes diuinæ maieſtatis & potentiæ operationes perficit, Humana verò natura in Chriſto in tempore, non ſanè facta eſt ipſa dextera Dei, non enim facta eſt naturarum confuſio, conuerſio, aut exæquatio, ſed naturarum differentia ſalua manet, etiam poſt vnionem, ſicut ſupra monſtratum eſt. Collocata autem eſt humana natura in Chriſto, & ſedet ad dexteram Dei, quia cum perſonaliter vnita ſit Diuinæ naturæ τοῦ λόγου, quæ eſt ipſa dextera Dei, Iam poſt depoſitam exinanitionem, in exaltatione ſeu glorificatione, in plenam & manifeſtam vſurpationem potentiæ dexteræ Dei collocata eſt, Ita vt iam dextera Maieſtatis & virtutis in perſona τοῦ λόγου, Diuinæ ſuæ maieſtatis & potentiæ operationes, in aſſumpta, cum aſſumpta, & per aſſumptam naturam exerat & exerceat, expediat &

per-

perficiat, & assumpta natura ad exequenda opera dexteræ Dei in persona τῦ λόγυ adhibeatur, cum qua talem habet communionem, sicut ferrum ignitum virtute vniti ignis candet & vrit, sine confusione & exæquatione: Vbi diligenter obseruandum est hoc discrimen, Pater omnia facit per Filium, & per dexteram suam, naturaliter & essentialiter propter ὁμοουσίαν, Deitas vero τῦ λόγυ agit per assumtam naturam non essentialiter, sed personaliter propter hypostaticam cum ea vnionem: Ac breuiter. Quid sit ad dexteram Dei sedere, exponitur & declaratur in præcedentibus Scripturæ testimonijs, de data Christo, secundum assumptam naturam, omni potestate in cœlo & in terra. Nam 1. Cor. 15. illud Psal. Sede ad dextris meis, ita explicatur: Oportet ipsum regnare seu dominari subiectis sibi omnibus, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. Sedere enim hoc loco, non significat incuruum corporis positum, aut certi loci occupationem, sed potentiam ac glorioſam administrationem officij, regni, & sacerdotij Messiæ, ac dominationem super omnia. Scriptura itaq; hoc modo de Sessione Christi ad dexteram Dei loquitur, vt manifestè ostendat, respectu humanæ naturæ, secundum quam crucifixus, mortuus, & resuscitatus est, Christum ad dexteram Maiestatis & virtutis Dei collocatum, vt Matth. 26. Cum specie infirmitatis offenderentur, inquit: Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis seu potentiæ, Eph. 1. Suscitauit Christum à mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem potestatem, & omnia subiecit pedibus eius. 1. Pet. 3. per Resurrectionem Christi à mortuis, qui est in dextera Dei profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus & virtutibus. Ebr. 1 Facta per semetipsum purgatione peccatorum nostrorum, consedit in dextera Maiestatis in excelsis, tanto præstantior factus angelis: ad quem enim angelorũ vnquam dixit, Sede à dextris meis. Ebr. 8. Talem habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram throni maiestatis in cœlis, sanctorum administrator ac veri tabernaculi. Ebr. 12. Christus proposito sibi gaudio, ignominia contemta, crucem pertulit, & in dextera throni Dei consedit, Marc. 16. Dominus assumptus est in cœ-

 lum,

lum, & consedit à Dextris Dei. Actor. 2. Hunc Iesum crucifixum suscitauit Deus, dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta à Patre, effudit hoc quod videtis & auditis, Sciat ergo domus Israël, quod Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Actorum 5. Hunc Ducem & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam Israëli pœnitentiam & remissionem peccatorum

Hæc Testimonia non tantum nominant Sessionem Christi ad dexteram Dei, sed quio ea sit, & complectatur, manifestè ostendunt, id quod in ipsis Spiritus Sancti verbis in veritatis scripturæ testimonijs diligenter considerandum, obseruandum & expendendum est.

Quod verò Sessioni illi adduntur vocabula, In cœlis, In cœlestibus, In excelsis, Non loco includunt dexteram Dei, nec volunt in vno tantum aliquo loco cœli, Christum secundum humanitatem, sedere ad dexteram Dei, sed vocabulis illis significatur, Maiestas & potentia, non creata, terrena, aut mundana, sed cœlestis summa ac diuina. Nam & de ipso Deo, qui nullo loco includitur, dicitur, Deus noster in cœlo, omnia quæcunq; voluit fecit. Vocatur Deus excelsus, Gloria Dei in excelsis, Excelsus super omnem terram, & super omnes Deos exaltatus. Et Christus quando de cœlo descendet, & in nubibus ad iudicium apparebit, nihilominus sedebit ad dexteram Dei, Matth. 26. Ac Paulus dicit Ephes. 4. Christum ascendisse super omnes cœlos. Ebræ. 7. Excelsior cœlis factus. Quibus phrasibus, non humana phantasia cœli empyrei, in quo thronus Christi hominis, loco editiori, quam reliquorum sanctorum positus sit, significatur, Sed summa ac Diuina sublimitas, & glorioſa manifestatio gloriæ, maiestatis & potentiæ Diuinæ, his Phrasibus in scripturis describitur, vt Psal. 56. Exaltare super cœlos Deus. Psal. 107. misericordia eius super cœlos, Psal. 8. & 112. Gloria eius super cœlos. Ita Iob describens Diuinam maiestatem, vocat Deum excelsiorem cœlis. Sed de communicatione gloriæ ac maiestatis Diuinæ, alia & plura iam adducemus testimonia.

Quartò

Quartò, de Communicatione gloriæ seu Maiestatis diuinæ, præter dicta de Dextera maiestatis, multa alia sunt scripturæ testimonia, quæ hoc loco annotabimus. Sed quidam audita tantum appellatione Diuinæ gloriæ & maiestatis, statim exclamant, Cum Diuina maiestas ipsam naturam Deitatis τὸ ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον consubstantialitatem & coæternitatem definiat, sicut Athanasij Symbolum inquit: Patris, Filij, & Spiritus Sancti vnam esse Deitatem, æqualem gloriam, & coæternam maiestatem, Ideo iliam nulli rei creatæ, quæ non sit natura Deus, atq; ita nec assumtæ naturæ, καθ' ἑαυτὸν καὶ ὡς ἑαυτῷ, in se, & secundum se, competere aut tribui posse. Aliam igitur maiestatem creaticiam, quæ diuina inferior, omnium tamen creaturarum superior sit intelligendam, quæ Christo in tempore secundum naturam humanam data scribitur. Sed nostræ etiam Ecclesiæ dicunt, Maiestatem diuinam non ità communicatam assumptæ naturæ, vt illa eam à Diuinitate separatam, essentialiter, formaliter, & subiectiuè, secundum se, & in seipsa inhærentem habeat, Quia enim natura humana in Christo, etiam in Vnione, & post vnionem, non est consubstantialis & coæterna Deitati, Ideò nequaquam dicimus esse æqualem gloriam, coæternam & parem maiestatem, Diuinæ & humanæ naturæ in Christo, sicut Patris, Filij, & Spiritus Sancti, propter essentiæ ταυτότητα, & personarum coæqualitatem & coæternitatem, maiestas par est & potestas, æqualis gloria, & coæterna maiestas, In vnione enim non est facta naturarum, vel confusio, vel conuersio, vel exæquatio, nec diuina maiestas facta est essentialis assumtæ naturæ conditio, vel essentialiter in eam transfusa. Concedimus etiam corpus Christi per ascensionem, in statum seu conditionem corporum glorificatorum translatum, ac in illo statu, primas inter omnes sanctos obtinere, Sed illa gloria non satisfacit scripturæ testimonijs, quæ sicut mox ostendemus, affirmant, Christum secundum assumtam naturam esse in gloria Dei, & collocatum ad dexteram maiestatis Dei, Non per confusionem, conuersionem, aut exæquationem, sed sicut ferrum ignitum, ratione vnionis, splendori ignis coniunctum, & ad splendorem ignis assumptum, positum est in splen-

dore ignis, lucente iam per ferrum, quod & ipsum splendore vniti ignis lucet, In assumpta natura, per vnionem est in ipsa diuinæ naturæ τῦ λόγυ maiestate personaliter posita, qua personaliter plena est, vt per assumptam naturam illa se exerat, ac assumpta natura, vnita illa sibi personaliter maiestate Diuina luceat, sicut Origenes & Augustinus similitudinem illam massæ ignitæ accommodant. Non igitur vel conuersio naturarum, vel exæquatio sequitur ex tali communione maiestatis.

Scripturæ ergò testimonia expressè ostendunt. Primò, gloriam & maiestatem illam, quæ Christo in tempore data scribitur, non secundum Diuinam, sed respectu assumptæ naturæ intelligendam esse, Nam in tempore, post factam peccatorum purgationem, ac post resurrectionem & ascensionem, illa Sessio ad dexteram facta scribitur, cum secundum Diuinam naturam, ab æterno maiestatem illam habeat. Et Luc. 9. Cum Apostoli viderent clarificationem carnis Christi, dicit Euangelista, ipsos vidisse maiestatem Christi, Ac 2. Petr. 1. scriptum est, Ipsum tunc accepisse gloriam & honorem.

Secundò, ostendunt Scripturæ testimonia, non creatitiam, sed Diuinam esse maiestatem ac gloriam, in cuius throno, & ad cuius dexteram, Christus secundum humanam suam naturam in tempore collocatus scribitur. Ebr. 1. vocatur dextera Maiestatis in excelsis. Et Marc. 16. vocatur Dextera Dei. Ebræor. 8. Sedet in dextera throni Maiestatis in cœlis, Sed Ebr. 12. vocatur Dextera throni ipsius Dei. Ac absurdissimum monstrum est fingere, Christum Regem & Pontificem nostrum, in cœlo duabus sellis sedere, secundum Diuinam scilicet naturam in sede Diuinæ maiestatis, secundum assumptam verò naturam, in alia inferiori sella creaticiæ maiestatis. Ita enim duo essent Christi. Cum verò ad thronum Christi, ad inueniendam misericordiam & auxilium oportunum, quotidie nobis accedendum sit. Ebr. 4. Ecclesiæ certè interest scire, in qua sede, vel in quo throno, Pontificem suum Christum

quæren-

quærere debeat, & inuenire posſit, Cumq; ſecundum eam naturam, qua tentatus eſt, noſtris infirmitatibus compati poſſit, quomodo gemitus noſtros audire, & auxiliari nobis poterit, ſi non in ſede Diuinæ maieſtatis, in officio Saluatoris, quod ad vtramque naturam pertinet, Chriſtus ſedere credendus eſt, id quod expreſſè traditur Ebr. 12. Certè Luc. 9. Moſes & Elias etiam apparent in gloria, Nominatur ibi etiam Angelorum gloria, Sed alia eſt Chriſti gloria, Matth. 19. & 25. Cum ſederit Filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ. Matth. 24. & Lucæ 21. Videbunt Filium hominis, venientem in nubibus cœli, cum poteſtate & maieſtate ſeu gloria magna, Et illa maieſtas vocatur Dei Patris Maieſtas, Matth. 16. Filius hominis veniet in gloria Patris ſui, Veniet autem ad Iudicium in viſibili forma humanitatis, & illa forma apparebit in gloria Dei ſeu Diuina maieſtate. Ita Actor. 7. Stephanus videt gloriam Dei, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei. Ac omnium maximè illuſtris eſt Chriſti ſententia Iohan. 17. Nunc Pater, glorifica me, apud teipſum, ea gloria, quam habui apud te, priuſquam mundus fieret. Petit ſe nunc, hoc eſt, in tempore glorificari, Sed ſecundum Diuinam naturam coæternam cum Patre, ſemper habuit gloriam, nec ea per priuationem, amiſsionem, depoſitionem, deſpoliationem, exuitionem, Diuina eius natura tempore exinanitionis caruit, aut in ſe expers eius fuit, Sed ratio exinanitionis fuit, quod diuina illa gloria, in carne aſſumpta, & per carnem, cui perſonaliter vnita aderat, non ſemper ſe manifeſtè, plenariè & glorioſè exeruit, Vnde nudus homo à multis exiſtimabatur. Petit igitur ita ſe glorificari, vt gloria illa in aſſumpta natura, & per eam ſe manifeſtet, & exerat, luceat, reſplendeat, ac videndam ſe præbeat, ſicut inquit, Iohan. 17. Volo, vt videant gloriam meam, quam dediſti mihi. Et hanc gloriam dicit eſſe Diuinam & æternam Maieſtatem, cùm nominat gloriam, quam habuit apud Patrem priuſquam mundus fieret. Et Iohan. 1. Vidimus gloriam eius (in miraculis, ſcilicet, quæ faciebat, cum carne, & per carnem, & in clarificatione corporis)

glori-

gloriam quasi vnigeniti à Patre, hoc est, non creatam gloriam, in ipso vidimus, humanam vel angelicam, sed verè diuinam. Est enim ibi particula ὡς Caph non similitudinis, sed veritatis, sicut Ebræi loquuntur, Et in illa sua diuina gloria, Christus apparuit Paulo in via Damascena, Actor. 9. Apparuit autem vt homo, visibiliter, in assumpta humana sua natura, Paulus enim inde probat resurrectionem corporis Christi 1. Cor. 15. Ac in sequenti capite ostendemus, Veterem orthodoxam Ecclesiam, vnanimiter docuisse, Carnem Christi, diuina maiestate glorificatam. Quomodo verò Communicatio illa, per œconomiam vnionis facta sit, absq; confusione, conuersione & exæquatione, iam indicatum est, & ex similitudine ferri igniti intelligi potest.

Et huc pertinet celebre illud dictum Phil. 2. De forma Dei, De forma serui, de similitudine hominum, ac de superexaltatione Christi. Ac forma Dei, omnium Veterum testimonio, est ipsa natura seu essentia Diuina, secundum quam Christus, non per rapinam, sicut Satan, & Adam tentarunt, sed per naturam est æqualis Deo. Appellatur autem μορφὴ, Quando natura seu essentia aliqua ita consideratur, sicut Idiomatis, attributis & conditionibus, vel diuinis vel humanis prædita, & quasi vestita ac ornata est, sicut Augustinus inquit, ad Petrum: Formam Dei oportet intelligere naturalem plenitudinem Dei Dicit autem Paulus, Christum non tantum fuisse ipsam formam Dei, secundum Diuinitatem, sed fuisse etiam in forma Dei, hoc est, in summa Diuinitatis gloria, maiestate ac potentia, vtpote verum Deum, æqualem Patri, sicut plærisq; Veterum interpretantur, vel sicut Ambrosius, Erasmus, & Lutherus interpretantur (quæ interpretationes eodem redeunt) Totam plenitudinem Deitatis inhabitasse in assumta natura personaliter, sicut per vnionem ferrum ignitum dicitur esse in igne, Ac illam formam Dei, absq; rapina (cum secundum eam Deo æqualis esset, nec opus fuisset, vt eam tanquam alienam raperet, quam natura vt Deus habebat) potuisse diuina sua maiestate, gloria & potentia, in assumpta natura, & per eam, ita magnificè se gerere,

& ita se exerere, vt omnes manifestè viderent & sentirent, verum ipsum esse Deum, vtq; omnes infirmitates, iniurias, contumelias & passiones à carne sua potenter propulsarent, Sed quia missus erat, vt infirmitatibus, passionibus, ac morte, fieret victima pro genere humano, Ideo non voluit contra vocationem, maiestatem suam in carne, ac per carnem, ostentare, & eius vsurpationem, contra Dei voluntatem & missionem, quasi per rapinam & vim arripere, sed sponte iure suo cessit, ac exinaniuit se, hoc est, vsurpationem & ostensionem diuinæ suæ gloriæ, & potentiæ, in carne, & per carnem occultauit, retraxit & quiescere fecit, ac in similitudine hominum factus, σχήματι, hoc est, proprietatibus, conditionibus, sensibus, affectibus, gestibus, ac tota conuersatione, vt quiuis alius vulgaris & nudus homo, absque peccato se gessit, Imò serui formam accipiens, omnes infirmitates humanas suscepit, & omnes pœnas peccatorum totius mundi in se deriuauit, Vt ita seruus noster fieret, hoc est, vt ministraret nobis, Matth. 10. Factus obœdiens Patri vsq; ad mortem crucis. Et vtitur Paulus Vocabulo rapinæ, Nemo enim absq; rapina potest Deo æqualis esse, nisi sit verus Deus per naturam seu essentiam, Christus igitur nequaquam secundum humanam naturam, propter effusam aliquam peculiarem in ea Diuinitatem, æqualis est Patri, Sed sicut Athanasius inquit: Æqualis est Patri secundum Diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Nominat præterea Paulus, & serui formam, & similitudinem hominis, Naturam enim humanam Christus, &c. in gloria adhuc habet, serui verò formam deposuit, sicut Lutherus inquit: Iam enim non amplius seruus est, sed Dominus omnium, omnia habens pedibus suis subiecta. Ideo enim propter præstitam illam summam obœdientiam, Deus ipsum non tantum exaltauit, sed ὑπερύψωσε, in summam sublimitatem extulit. Hoc tanta antiquitas intellexit de Christo non respectu, Diuinæ naturæ, quæ, vt altissima exaltari in se non potest, nec exaltationem suam ex meritò obœdientiæ habet, sed respectu humanæ naturæ, secundum quam humiliatus & mortuus est. Secundum illam igitur dedit ei in tempore Nomen, quod nomen Veteres inter-

pretantur: 1. Quod homo ille, seu Filius Mariæ vocatur Deus, & Filius altissimi. 2. Ratione redemtionis Mediatoris, Regis, Pontificis, &c. 3. Nomen interpretantur datam assumtæ naturæ gloriam, maiestatem seu potestatem, supra omne nomen, idq; non verbaliter, nudo titulo, aut solo nomine, Sed licet iam illud nondū videamus, sicut inquit Apostolus Ebr. 2. in extremo tamen potissimum die, plenariè ac manifestè, omnes, in cœlo & in terra, & sub terra, siue volentes, siue inimici, maiestatē ac dominationem eius agnoscent & sentient, ac omnium linguarum populi confitebuntur hunc Iesum, secundum Diuinam naturam esse Iehoua, ac secundum humanitatem, tradita ipsi omni potestate, factum esse Dominum & Christum, subiectis omnibus sub pedibus ipsius, eo modo sicut antea explicatum est. Quod verò Paulus addit, εἰς δόξαν in gloriam Patris, vel sensus est, quod illa exaltatio Christo cedat ad gloriam Patris, qui ipsum exaltauit, vel quod Christus sit Dominus ad gloriam Patris, vt ita Pater glorificetur, vel sicut Veteres legunt: In gloria Patris. Vsitata enim in Scriptura est Catachresis præpositionis εἰς pro ἐν, Et sensus erit, Assumptam & exaltatam humanam naturam in Christo, per vnionem & περιχώρησιν esse in gloria Diuina, lucente, splendente, ac se manifestante & exerente in ea, & per eam, sicut ferrum ignitum est in luce ac splendore vniti ignis, Atq; ita nec confusio, nec conuersio, nec exæquatio fit, vel naturarum, vel Idiomatum essentialium, Nec gloriam suam Deus alteri dat, non enim alter & alter, est Deus & homo in Christo, sed Diuina & humana natura, in vnam Christi incarnati personam vnitæ sunt, Nec aliunde siue ab extra, gloria illa infusa fuit in Christi humanitatem, sed quæ per hypostaticam vnionem, à principio incarnationis, cum tota plenitudine Deitatis personaliter inhabitabat in assumpta natura, iam post resurrectionem, deposita exinanitione, per plenariam vsurpationem, manifestationem & operationem, dicitur ei data esse, Et hoc est quod Paulus scribit 1. Tim. 3. assumptus est in gloria.

Quintò, Quando de vnctione Spiritus, vnde Christus nomen habet, Scriptura loquitur, intelligit vnctionem humanæ naturæ

naturæ in Christo. Diuina enim natura Christi, non est vncta Spiritu, sed est ipsa vnctio, est enim vna essentia, Filij & Spiritus Sancti, & à Patre ac Filio Spiritus procedit. Est autem secundum assumtam naturam Christus vnctus præ consortibus, Psal. 45. non tantum donis spiritualibus infusis, nec tantum inhabitatione Spiritus per gratiam, vt vel quasdam tantum, vel multas & magnas virtutes, in Christo operetur, Sed quia Diuina natura τῦ λόγυ, tota substantiali sua plenitudine, personaliter inhabitat in assumpta Christi natura. Et per consequens propter ὰμοσσίαν etiam Spiritus Domini ipsi datus est, non quod Spiritus sanctus, personaliter carnem assumpserit, sed propter indiuiduam Trinitatis essentiam, sicut Iohan. 14. Christus inquit: Pater in me manens facit opera, Ideò vocatur non vnio, sed vnctio Spiritus. Et vnio Diuinæ & humanæ in Christo, facta est per superuentum Spiritus, Luc. 1.

Et consideretur ad consolationem causa, qua Scriptura ita loquatur: Adam enim per lapsum amiserat Spiritum Sanctum, Et caro propter deprauationem non erat capax Spiritus Sancti, Sed in persona Christi, humana natura rursus vncta est Spiritu, non ad mensuram, sed vt omnes diuinas suas virtutes, in illa operetur, atq; per illam, Spiritus ipse cum donis suis effundatur super omnem carnem, Actor. 2. Ita Luc. 4. Spiritus Domini super me, eò, quod vnxit me. Isa. 11. Requiescet super eum Spiritus Domini. Actor. 10. Deus vnxit Iesum Spiritu Sancto, & virtute, qui obambulauit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, Ioh. 3. Quem Deus misit, huic dat Spiritum non ad mensuram. Cumq; nulla creatura possit dare Spiritum Sanctum, Christus ratione eius vnctionis, corporali suo flatu, dat Apostolis Spiritum Sanctum, Ioh. 20. Vnctus autem est Spiritu, non pro sua tantum (vt ita loquar) persona, sed vt nos etiam ex illa plenitudine accipiamus, sicut Actor. 2. Petrus inquit: Qui ex mortuis resuscitatus, & dextera exaltatus est, accepta promissione Spiritus, effundit in Apostolos Spiritum Sanctum, in corporali specie, ac visibilia eius dona. Ac plena est consolationis illa sententia, quod Christus primogenitus,

ſecundum aſſumtam naturam accipit à Patre dona pro hominibus Pſal. 68. Ille enim dignus eſt ea accipere, Apoc. 5. cum nos indigniſsimi ſimus, Illa verò accepta dona, non ſibi ſoli ſeruat, ſed quia ſecundum aſſumtam naturam, nos fratres eius ſumus, Ebr. 2. ac caro eius, Eph. 5. dat, communicat & diſtribuit ea fratribus, tanquam caput membris ſuis.

Sextò, De ſapientia & ſcientia Chriſti, certum eſt, quod ſecundum Diuinam naturam ſit ipſa ſapientia, & habeat omniſcientiam, ſecundum humanam verò naturam habuit naturalem, ſiue rationalem ſcientiam eligendi bonum, & reprobandi malum,, Iſa. 7. Habuit etiam habitus ſcientiæ infuſos quibus creuit, Luc. 2. Sed præter hæc Lucas dicit: Etiam tunc cum creſceret ſapientia, erat πληρώμα plenus ſapientia, quia ſcilicet tota plenitudo, ſicut Deitatis, ita etiam ſapientiæ & ſcientiæ Diuinæ, perſonaliter inhabitabat in aſſumta natura, in qua, & per quam, quantum diſpenſatio exinanitionis permittebat, ſubinde magis magisq; ſe manifeſtabat, Vnde tunc ratione exinanitionis, humana eius natura quædam ignorare poterat, & in ſapientia creſcere, Iam verò ſublata exinanitione, in clariſsima luce ſapientiæ Diuinæ, anima Chriſti perſonaliter poſita, ſicut ferrum in igne, quid non videret, intelligeret, & cognoſceret, illa anima, quæ totam plenitudinem Deitatis, & omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ perſonaliter in ſe inhabitantes & ſplendentes habet? Si enim ſancti, quando Deum facie ad faciem videbunt, non amplius ex parte in ænigmate, ſed plena ac perfecta viſione omnia cognoſcent, 1. Cor. 13. & 2. Cor. 5. Quæ impietas eſſet, Chriſti animæ, cui ipſa ſapientia Diuina perſonaliter vnita eſt, omniſcientiam detrahere? Et apud Nicephorum lib. 18. cap. 50. Agnoëtæ damnati ſunt, quod docuerunt, Chriſtum ſecundum humanam naturam non omnia iam in gloria ſcire, ſed multa ignorare. Et quomodo ſecundum aſſumptam naturam, noſtris infirmitatibus compati poſſet, Ebr. 2. ſi ſecundum eam miſerias noſtras videre, & gemitus noſtros intelligere non poſſet? qua ratione ſumma conſolatio nobis eriperetur, Non quod in ſe, aſſumpta natura ſubiectiuè, inhæren-

inhærentem habeat, infusam seu formalem omniscientiam, qua informetur, æqualem essentiali sapientiæ Dei. Ita enim creatura exæquaretur creatori, contra principia superius posita, & sæpius repetita, de differentia naturarum & Idiomatum, Sed sicut ipsi etiam Scholastici lib. 3. dist. 14. docent: Animam Christi non notitia simplicis intelligentiæ, sicut loquuntur, sed notitia visionis, in verbo, omnia intueri, intelligere, cognoscere ac videre, non participando sapientiam habitualiter seu formaliter, sed ipsam essentialem sapientiam Dei, singulariter seu personaliter possidendo, sicut ferrum ignitum possidet ac habet lucem ignis, Et addunt hac ratione animam Christi non æquari Diuinitati. Ponunt enim Scholastici talem distinctionem, Quod in Christo secundum Diuinam naturam, scientia seu sapientia idem sit, quod essentia diuina, secundum humanam verò naturam in Christo esse scientiam:

1. Secundum naturales humanitatis, quæ rationalis est proprietates.

2. Secundum gratiam habitualem, aut scientiam infusam.

3. Secundum notitiam visionis in verbo, per, & propter hypostaticam, cum ipsa essentiali Diuina sapientia vnionem, quam notitiam tali modo nulla alia creatura habet. Licet enim Elisæus domi existens, Spiritu prophetico, ex longo interuallo videt ministerium accipientem munera 4. Reg. 5. longè tamen alia & excellentior est notitia visionis in anima Christo, propter hypostaticam cum verbo vnionem.

Et hoc modo rectè dicunt Scholastici, ad vtramq; Christi naturam pertinere, quod scriptum est, Ioh. 1. Priusquam Philippus te vocaret, cum sub ficu esses, videbam te. Et Ioh. 2. Nouerat omnes, Ipse enim sciebat quid esset in homine. Ac Nathaniel Iohan. 1. rectè inde colligit, Ergo Filius Dei es, Anima enim Christi, non ex se, per se, in se, aut secundum se, seorsim aut separatim à verbo, omnia videt, scit ac nouit, sed quia personaliter vnita est, diuinæ naturæ verbi, quæ est ipsa sapientia, in illa, pro ratione vnionis, omnia intuetur, videt, scit, ac nouit. Rectè itaq; inde colligitur, personam esse Filium Dei, nulla

enim alia anima, quæ non est personaliter Diuinitati vnita, eo modo posset in verbo omnia videre, nosse ac scire. Paulus Col. 2. ita colligit, quia in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, Ergo credentes, quando Christum agnoscunt, habent omnes diuitias scientiæ & agnitionis. Quia verò ex parte in hac vita per ænigma cognoscimus, 1. Cor. 13. ac mundo sapientia illa Dei videtur esse stultitia, 1. Cor. 1. & 2. Ideò Paulus addit absconditos esse illos thesauros in Christo, non quod ipsi Christo, vel animæ eius iam post depositam exinanitionem, in gloria absconditi sint, sed quia mundo, cui apparet esse stulticia, & nobis, qui ex parte cognoscimus, apocryphi sunt, sicut & vita nostra abscondita est.

Septimò, de vita viuificante, Christus Iohan. 5. ita loquitur: quod Pater Filio dederit vitam habere in seipso, sicut Pater illam habet, vt Filius quos velit, viuificet, sicut Pater. Illud rectè secundum Diuinam naturam Christi principaliter intelligitur, secundum quam, per generationem, ab æterno essentialiter vitam viuificantem, & omnia, quæ Pater habet, à Patre accepit, atque ita æqualis est Patri, sicut Iohan. 5. capite coæqualitatem cum Patre inde probat, Quia verò per vocem suam, organis assumptæ humanitatis formatam, mortuos suscitat, ac dat vitam æternam, Ideo in progressu orationis dicit, sibi etiam datam vitam, ὅτι quia seu quatenus est Filius hominis. Et capite 6. expressè nominat carnem suam & sanguinem, & addit, Panis vitæ, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita, qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, Caro enim mea verè est cibus. Inde Ephesinum Concilium rectè definiuit: Carnem Christi factam viuificam, seu accepisse vim viuificandi, esse viuificam, & viuificare, contra Nestorium, qui hoc negabat. Non autem ita est viuifica, quasi sola, & quasi in abstracto cogitetur ex se, & per se sit viuifica, Nec etiam quasi in vnione, aut per vnionem essentialiter, aut per naturam, in se, aut secundum se, formaliter & subiectiuè facta sit viuifica, per essentialem effusionem vitæ viuificantis extra Diuinam naturam in carnem, sicut

cut ſpiraculum vitæ viuentis Adamo inſpiratum eſt, Nec ſicut Diuina natura eſt eſſentia viuifica, Imo vita ipſa, Sed ſicut Ioh. 6. exponitur: Chriſtus eſt panis vitæ ſeu viuificãs, quia deſcendit de cœlo, hoc eſt, ratione diuinæ naturæ, in qua eſt vita, Imò quæ eſt vita ipſa; Quia verò diuinitas verbi, non abſolutè ſe ſola, nõ ſeorſim aut ſeparatim à carne aſſumpta, vitam mundo reſtituit & impertit, ſed in aſſumpta natura, cum ea, & per eam, vel ſicut 1. Ioh. 1. ſcriptum eſt, Verbum vitæ, & vita æterna τὸ λόγος erat apud Patrem, & manifeſtata eſt nobis in aſſumta ſcilicet carne, & per carnem, Ea ratione dicitur & caro Chriſti viuificare, quia enim virtutem viuificandi, & vitam ipſam viuificantem, quæ τοῦ λόγος propria & eſſentialis eſt ac manet perſonaliter ſibi vnitam, & tota plenitudine in ſe inhabitantem habet, quæ operationem ſuam viuificandi, in illa carne, cum illa, ex illa, & per illam exerit, Rectè dicitur & ipſa diſpenſatione vnionis eſſe panis vitæ, habere vitam, & viuificare, ſicut ferrum ignitum ratione vnionis, & habet vim vrendi, & ea vrit, ſicut in præcedenti capite ex Cyrillo annotauimus.

Certius autem, firmius & iucundius eſt, in ipſa concione Chriſti Ioh. 6. hæc obſeruare. Viuificationem igitur carni ſuæ communicatam, ita explicat Chriſtus: Primò, quod Diuina natura τοῦ λόγος nõ ſe ſola, abſolutè aut ſeorſim, ſed traditione carnis ſuæ, quæ perſonaliter plena erat vitæ viuificantis, mortem deglutierit, ac mundo ex morte vitam ſpiritualem & æternam acquiſierit, & reſtituerit. Caro mea eſt, inquit, quam dabo pro mundi vita, Deinde, quod ad largiendam, dandam, conferendã, impertiendam, & applicandam vitam illam, non tantum Diuina ſua natura vtatur, ſed quod carnem etiam & ſanguinẽ ſuum adhibeat, hoc eſt, Caro Chriſti, non merito tantum, verumetiam efficacia, applicatione, & communicatione, credentes viuificat. Dupliciter enim caro Chriſti Iohan. 6. datur: Primò, quando vt victima in mortem pro mundi vita datur. Secundò, quando audientibus & credentibus datur, vt per eam, & in ea, vitam æternam habeant. Chriſtus enim ſui ipſius communicatione & coniunctione, beneficia ſua, & vitam æternam nobis impertit & largitur. Non autem ſolius Diuinæ ſuæ naturæ, verumetiam

rumetiam carnis ſuæ ac ſanguinis, (hæc enim Ioh. 6. expreſſè aliquoties nominantur) communione ac coniunctione hoc efficit, ac fides apprehendens, tenens & applicans ſibi Chriſtum, non tantum Diuinam eius naturam, ſed inprimis eam naturam, qua nobis cognatus & conſubſtàntialis eſt, in qua, & per quam opus redemptionis perfecit, apprehendit. Cum enim abalienati eſſemus à vita Dei, Eph. 4. Filius Dei eam prope quaſi depoſuit in carne ſua, nobis cognata & conſubſtantiali, vt in illa cognata nobis carne, (ad quam aditum & acceſſum habemus, quia ſecundum eam frater noſter eſt, & nos caro de carne eius) inueniamus & habeamus totam plenitudinem Deitatis, & ipſam vitam æternam perſonaliter in illa carne inhabitantem ſeu vnitam, Abſq; ea igitur, & extra eam, nec quærere debemus, nec inuenire aut habere poſſumus vitam æternam. Et hoc eſt, quod Chriſtus Iohan. 6. cum dixiſſet, Qui credit in me, habet vitam æternam, ſubiungit: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & ſanguinem eius biberitis, non habetis vitam æternam in vobis, Sed qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam, ac in me manet, & ego in ipſo. Viuificatio igitur carnis Chriſti, Ioh. 5. & 6. ita deſcribitur. 1. Quod diuina natura λόγος per carnis ſuæ traditionem in mortem, mundo vitam reſtituerit. 2. Quod per eam credentibus vitam æternam largiatur & impertiat. 3. Quia corporali ſua voce & contactu, mortuos in Euangelica hiſtoria ſuſcitauit. 4. Quia vniuerſalis reſurrectio mortuorum, fiet voce Filij hominis, Et per hominem reſurrectio mortuorum, 1. Corinth. 15.

Octauò, poteſtatem faciendi iudicij dicit Chriſtus Ioh. 5. ſibi datam, quatenus Filius hominis eſt, Chriſtus igitur non tantum ſecundum diuinam ſuam naturam, ſed & ſecundum aſſumptam humanam, in ea, cum ea, & per eam, iudicabit viuos & mortuos, Non autem ita, quod ſolum viſibili forma humanitas Chriſti, in iudicio apparitura, Ipſa verò opera vniuerſalis iudicij, Diuina natura ſe ſola effectura & executura ſit, ſicut in comœdijs introducuntur κῶφα πρόσωπα, Sed Actor. 17. Deus

iudica-

iudicaturus eſt orbem terrarum cum Iuſticia, per virum quem conſtituit, ſuſcitans eum à mortuis, Non autem ita ac ſi Iudex per arundinem, nihil cooperantem, pronunciet ſententiam, Sed ipſa poteſtas iudicij, & quæ ad poteſtatem iudicij faciendi pertinent, data ſunt Chriſto, etiam quatenus homo eſt, hoc eſt, aſſumptæ humanæ eius naturæ, vel ſecundum humanam naturam ipſi data eſt. Pertinent aũt ad poteſtatem iudicij. 1. Non tantum externa & ſenſibus expoſita, ſed præcipuè occulta hominum iudicare. Rom. 2. & 1. Cor. 4. Occulta tenebrarum in lucem producere, Et Eccleſ. 12. Quicquid occultum eſt, ſiue bonum, ſiue malum in iudicium adducere. 2. Rata ſententia, efficaciter, & cum potentia adiudicare, vel vitam, vel mortem æternam. 3. Sententiam iudicij cum potentia poſſe exequi, bonis retribuere gloriam, & refrigerium, malis verò pœnas æternas. Secundum vtramque igitur naturam Chriſtus habet poteſtatem faciendi iudicij, Et ſecundum diuinam habet illam potentiam, eſſentialiter, naturaliter, & ab æterno, Sed quatenus homo eſt, accepit illam in tempore, eo modo, ſicut omnem poteſtatem ei datam eſſe in cœlo & in terra, diximus. Et coram tribunali Chriſti omnes, illam poteſtatem iudicij, etiam in humana eius natura agnoſcent, ſentient & fatebuntur. Rom. 14. Phil. 2. Atq; hoc ipſum credentibus præbet vberrimam conſolationem. Pater enim non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio Mediatori, Filius verò, non nuda aut ſola Diuina ſua natura iudicabit, ſed in aſſumpta, cum aſſumta, & per aſſumtam humanam ſuam naturam, qua cognatus & frater noſter eſt, Imò in qua, & ſecundum quam crucifixus, paſſus, & mortuus, precium redemptionis pro nobis perſoluit, Ita enim in iudicio coram Filio hominis conſiſtere poterimus.

Nono, Corda & conſcientias mundare à peccato, nulli meræ creaturæ competit, Ebr. 9. & 10. Sed Dei propria eſt, Ezech. 36. Mundabo vos ab iniquitatibus veſtris. Pſal. 51. Cor mundum crea in me Deus. Actor. 15. Fide purificans corda eorum. Teſtatur autem ſcriptura, Chriſtum non ſola ſua Diuina natura mundare conſcientias à peccato, Sed ad illam munda-

tionem adhibere etiam assumtam humanam suam naturã. Primò in meritò Matth. 26. Sanguis effunditur in remissionem peccatorum. Ebr. 1. facta per semetipsum purgatione peccatorum. Secundò, etiam in applicatione, regeneratione, iustificatione & efficacia. Ebr. 9. Sicut in veteri Testamento inquinati, aspergebantur sanguine victimarum ad mundationem carnis, Ita sanguis Christi semel oblatus mundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis. Et 1. Iohan. 1, Vbi actus pœnitentiæ & iustificationis describitur, ita inquit: Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. Hoc verò in præcedentibus ita explicat, Sanguis Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato, Et quando in mortem ac resurrectionem Christi baptisamur, tunc Paulus Eph. 5. dicit: Christum eo lauacro mundare sibi Ecclesiam. Ita Matth. 9. Pharisæi dicunt, Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus, sicut scriptum est, Isaiæ 43. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, Sed tamen Christus ibi illustri miraculo confirmat, se etiam, vt Filium hominis, habere potestatem in terra remittendi peccata. Et Coloss. 2. Christus traditione corporis & effusione sanguinis sui deleuit Chirographum, nobis contrarium. Loquitur autem Scriptura & per concreta vocabula, Vt Christus mundat, Filius hominis remittit peccata, & per abstracta etiam vocabula, sicut in scholis loquuntur, quæ ipsam assumptam naturam in vnione cum λόγῳ significant, Vt sanguis Christi emundat, Non quod sanguis Christi ex se, & per se, aut solus, quasi in abstracto, vim mundandi peccata habeat, totius enim personæ, secundum vtramque naturam hoc officium est, Sed ideò expressè nominat sanguinem Christi, vt sciamus, assumptam naturam in Christo, ad officium illud etiam adhiberi, & non excludi. Et vnde sanguis Christi vim illam mundandi peccata habeat, ostendit Epistola ad Ebræos, capite 9. Quia scilicet per Spiritum æternum, hoc est, per æternam suam Diuinitatem corpus & sanguinem suum obtulit Deo, Ita Diuina potentia Christi redemit & lauit nos in sanguine suo. Apoc. 1.

Et

Et Actor. 20. Deus Ecclesiam sanguine suo acquisiuit, Et sanguis Christi, Diuina illa potentia τοῦ λόγου personaliter sibi inhabitante & vnita, emundat conscientias à peccato, Atq; ita non corruptibilibus seu caducis rebus redemti sumus, sed precioso sanguine Filij Dei, 1. Pet. Hinc Sancti stolas suas lauant & dealbant in sanguine agni, Apocal. 7. & 22. Et 1. Iohan. 5. Iesus Filius Dei applicaturus nobis sua beneficia, Venit ad nos per Spiritum, aquam & sanguinem, Et quando in Cœna Dominica, communicatur nobis corpus & sanguis Christi, Ephesinum Concilium rectè dicit: Nos tunc accipere cibum & potum viuificum, impartientem & adferentem vitam spiritualem & æternam, animabus & corporibus nostris.

Decimò, Officia Christi redemptoris, propiciatoris, Mediatoris, intercessoris, capitis, regis, Pontificis, Saluatoris, &c. competunt personæ, non secundum alteram tantum, sed secundum vtramq; natutã, ita vt in illis officijs, persona actiones seu operationes habeat, in vtraq;, & per vtramq; naturam, & diuina natura τοῦ λόγου, vt agens principale, in illis officijs agat cum communione assumtæ naturæ, tanquam organi immediati, proprij, & vniti cooperantis, sicut supra dictum est. Christus igitur Ecclesiam suam redimens, propicians, pacificans, vocans, colligens, docens, conuertens, iustificans, emundans, viuificans, sanctificans, gubernans, fouens, sustentans, custodiens, defendens conseruans, liberans, præsens Ecclesiæ, omnia intuens, considerans, implens, operans, exaudiens, præbens misericordiam, gratiam, auxilium, succurrens in necessitatibus, suppeditans necessaria, conculcans caput serpentis, frangens ac destruens regnum & potentiam Satanæ, hostes reprimens, arcens, vincens, puniens, pericula depellens & infringens, calamitates mitigans, à malis liberans, miranda opera efficiens, implens promissiones, resuscitans mortuos, dans vitam æternam, &c. quæ omnia possunt ad hæc capita redigi: 1. Ad opera gratiæ in Ecclesia. 2. Ad opera iudicij contra hostes & impios. 3. Ad opera potentiæ in creaturis omnibus: Illa inquam officia, Christus non solâ sua Diuina natura, seorsim, sine assumpta

natura administrat & perficit, sed eum communione assumptæ suæ humanæ naturæ, in qua, cum qua, & per quam, Diuina potentia verbi, officia illa administrat, expedit & perficit. Et ipsa quidem officia, toti personæ, secundum vtramq; naturam mandata & commissa sunt, in consilio Trinitatis. Potentiam verò, quæ ad exequenda illa officia requiritur, non necesse fuit Diuinæ eius naturæ in tempore dare, habet enim ab æterno omnẽ potentiam, Vt autem assumpta humana natura, in officijs illis cooperari possit, Ideò non tantum habet naturales suas proprietates, nec tantum infusa creata dono, sed ipsam Diuinam maiestatem & potentiam verbi, personaliter sibi vnitam habet, cum qua personalem habet communionem, vsurpans illa ad suas in officijs illis cooperationes, sicut ignis per ferrum ignitum operationes suas exercet, & ferrum ignitum vim ignis per vnionem habet & vsurpat, vt ea candeat & vrat, absq; substantiarum confusione, conuersione & exæquatione, sicut sæpius dictum est. Et hoc ipsum, summæ consolationis est, quod inde certus sum, beneficia Christi Saluatoris, ad me etiam miserum & indignum pertinere, ipsum saluificis suis officijs me etiam complecti, intueri, curare, me ad illa eius beneficia & officia aditum, accessum, & communionem habere, Non enim sola diuina sua natura officia illa Saluatoris administrat, sed ad expedienda & perficienda illa adhibet etiam assumptam suam naturam, in ea, cum ea, & per eam, qua frater meus est, & ego caro de carne eius, officia illa Saluatoris administrans & perficiens, Nec etiam sola humana sua natura illa operatur, aut humanis creatis viribus, sed diuina potentia operatur cum humana, & per humanã, & humanitas vnitam sibi personaliter habet diuinam potentiam & operationem, qua & ipsa in officijs illis efficax est, sicut fit in ferro ignito. Ac per alios quidẽ etiam sanctos, Deus multa, magna & miranda in Ecclesia operatur, & ministri verbi sunt σώεργοι cooperarij, vel administri Christi 1. Cor. 3. Ac Nestorius finxit, filiũ hominis tale otganon esse, filij Dei in Christo, qua ratione duas in Christo constituit personas, Sed longè alia ac toto genere diuersa ratione, quam per sanctos operatur, Diuina potentia τῦ λόγυ, officia Messiæ administrat

per

per assumtam humanam naturam, non vt per aliam personam tanquam per organon separatum, aut seorsim subsistens, sed per vnitam sibi, & in sua persona subsistentem humanam naturam, tanquam per organon vnitum, inseparabile & immediate proprium, quod ideo personaliter assumpsit, vt eius communione & cooperatione in officijs exequendis vtatur. Ita Ioh. 3. cum Baptistæ discipuli, magistrum suum, vt maiorem, superiorem & præstantiorem Christo præferrent, & Christo, quem inferiorem putabant, inuiderent, Respondet Baptista, ostendens discrimen: 1. Ratione personæ, se esse ex terra, Christum verò nõ tantum esse Filium hominis, sed & Filium Dei, qui desuper è cœlo venerit, & de ijs testetur, quæ & viderit & audierit. 2. Ratione humanæ naturæ, se multa quidem magna habere dona, sed ad mensuram, Christo verò datum esse Spiritum ipsum, non ad mensuram, Et omnia ipsi in manus tradita, Quæ de diuina natura Christi intelligi non possunt, ei enim Spiritus non datur, cum ab ea procedat, nec tunc primum omnia Diuinæ eius naturæ in manus data sunt, quando è cœlo descendit. 3. Ratione officij dicit se esse seruum & amicum, Christum verò esse sponsum suæ Ecclesiæ, vt det ei vitam æternam.

Atq; ita quomodo Christus sit Ecclesiæ suæ caput, secundum vtramq; naturam, describitur Eph. 1. & 4. Colos. Requiritur autem ad rationem capitis: 1. Vt caput sit cognatum & consubstantiale membris, Et ideò Christus carnem nostram assumpsit, ac frater noster factus est. 2. Vt habeat in se omnem plenitudinem eorum, quæ ad vitam, sensum, ac motum omnium membrorũ, necessaria sunt, Et illa plenitudo in Christo, est totius Deitatis τῦ λόγυ plenitudo, quæ personaliter inhabitat in assumta natura. 3. Requiritur, vt caput in subiecta sibi membra, influat vitam, sensum ac motum, Ita Diuina potentia Christi, cum assumpta natura, & per eam implet omnia in omnibus in Ecclesia, ex plenitudine sua suppeditans singulis membris, quæ cuiq; ad ædificationem necessaria sunt. 4. Requiritur vt caput non sit præcisum aut separatum à corpore, sed ei coniunctum, & membra etiam oportet capiti adhærere, per certas

iuncturas. Ita oportet Christum totum, secundum vtramq; naturam, vt caput membris suis præsentem adesse, ac membra sibi inserere. 5. Requiritur ad rationem capitis, vt membris præsit, ea gubernet, ipsis prospiciat, atq; ideo etiam assumtæ naturæ Christi, data est omnis potestas, ac omnes thesauri scientiæ & sapientiæ. Similiter quoq; officia regni Christi, ad quæ etiam humana natura in Christo exaltata est, hoc est, quæ Diuina potentia Christi, per assumptam humanam naturam exequitur, pulchrè describitur Psal. 72. Petit enim, vt Regi ac filio Regis, Deus det iudicium suum & iusticiam suam. Non autem opus est petere, vt Diuinæ naturæ Verbi iudicium & iusticia dentur, habet enim ab æterno, sed vt assumtæ humanitati, vt filio Dauidis, ea communicentur, Quando autem in scriptura coniunguntur, Iudicium & iusticia, tum prius, scilicet iudicium, significat vim à subditis depellere, hostes profligare, subditos tueri, liberare ab oppressione. Alterum verò vt Iusticia, significat subditos gubernare, felicitate, tranquillitate, pace, gloria ac salute beare, Ierem. 23. Dei autem iudicium & iusticiam petit Filio regis dari. Non enim humana sapientia aut potentia, Ecclesia gubernatur, ac defenditur, Nec alienis humeris imponit onus gubernationis, sed proprijs non tantum manibus, sed humeris Isa. 9. hoc est, propria, vniuersa & summa sua potentia diuina, regnum suum in Ecclesia, quæ sub cruce & infirmitate, in hac vita est, administrat, non absolutè aut seorsim, sed in humana, cum humana, & per humanam suam naturam. Et præcipuas partes Psalmus enumerat, Vindicabit, inquit, afflictos in populo; pauperes saluabit, violentum & calumniatorem contundet, Refrigerabit & fœcundabit suos, vt pluuia pratum, Abundantiam pacis & iusticiæ adferet, liberabit pauperem clamantem, Misericors erit in inopes, redimet animas eorum ab iniuria, Dominabitur à mari ad mare, benedicentur in ipso omnes tribus terræ. Et Psal. 2. Constitui regem meum super Zion. Multi opponent se regno Christi, sed in furore suo conturbabit eos, ac tanquam vasa figulina confringet, Beati verò omnes, qui sperant in eo, Dabo tibi possessiones terminos terræ,

Eodem

Eodem modo perpetuum ſacerdotium Chriſti, ad cuius adminiſtrationem, etiam humana natura in Chriſto exaltata eſt, deſcribitur, Et præcipua munera ſacerdotij perpetui Chriſti, ita enumerantur in ſcriptura Iohan. 17. Sanctifica me pro illis, Pſal. 110. Sceptrum potentiæ eius erit ex Zion, Dominatur in medio inimicorum. Populum facit ſpontaneum, potentia ſua, in ſplendore ſanctitatis, Naſcitur ipſi Eccleſia, vt ros ex aurora, Sedens ad dexteram Patris, eſt ſacerdos in æternum, intercedens pro nobis. Rom. 8. Aduocatus apud Patrem, quando peccamus 1. Iohan. 2. apparens vultui Dei pro nobis, Ebr. 9. potens perfectè ſaluare eos, qui per ipſum ad Deum accedunt, ſemper viuens, ad hoc vt intercedat pro nobis, Ebr. 7. per vitam ipſius, qua ex virtute Dei viuit ſeruamur ab ira, Roman. 5. Adducit multos filios in gloriam. Ebr. 12. Accepit dona pro hominibus, & diſtribuit ea hominibus, Pſal. 68. Mittit miniſtros Eccleſiæ, eſt per miniſterium efficax, ad ædificationem & ſalutem corporis ſui, Epheſ. 4. Eſt fidelis & miſericors pontifex in his, quæ apud Deum agenda ſunt, expians peccata populi, in eo enim, quo ipſe paſſus & tentatus eſt, poteſt & ijs qui tentantur auxiliari, Ebr. 2. Et Ebr. 4. Cum habeamus Pontificem, qui poteſt compati noſtris infirmitatibus, Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt conſequamur miſericordiam, & inueniamus gratiam ad auxilium oportunum. In hiſce omnibus officijs perpetui ſacerdotij Chriſti, non Diuinam tantum, ſed humanam etiam Chriſti naturam adhiberi teſtimonia ſcripturæ non obſcurè oſtendunt, quæ ſumma noſtra conſolatio eſt. Ratione Diuinitatis enim poteſt nos ſeruare, ratione humanitatis, qua paſſus & tentatus eſt, poteſt nobis compati, oſtendit vultui Dei, quæ ſtigmata pro redemptione noſtra, acceperit, amat & curat nos, quia tàm precioſè nos acquiſiuit, data anima ſua pro nobis. Et nemo carnem ſuam odio habet, &c.

Vndecimò, Eccleſia quando cultum diuinum Chriſto exhibet, hoc eſt, quando in Chriſtum vt redemtorem, caput, regem, Ponti-

Pontificem, Saluatorem, &c. credit, fiduciam & ſpem in ipſum collocat, ipſum adorat, inuocat, colit, timet, ſeruit, laudat, celebrat, &c. Non diuinam tantum eius naturam reſpicit, ſed intuetur & complectitur totam perſonam, atque ita etiam aſſumptam eius naturam, Nam officia Saluatoris competunt perſonæ ſecundum vtramq; naturam. Ita Rom. 10. Si corde crediderís, quod Deus Ieſum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris, Ro. 13. Iuſtificamur per fidem in ſanguine eius. Iſa. 53. Seruus meus, qui tergum præbuit percutientibus, & animam poſuit pro nobis, agnitione ſui iuſtificabit multos. Ioh. 6. Qui edit, hoc eſt, qui fide apprehendit carnẽ meam, & ſanguinem meum bibit, habet vitam æternam. Ita de Filio quem Pater pro nobis in mortem tradidit, Pſ. 2. inquit: Oſculamini Filium ne iraſcatur & pereatis. Cum exarſerit ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo. Seruite Domino in timore & exultate ei cũ tremore. Pſal. 72. Timebunt ſeu colent eum in generationẽ & generationẽ, adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei, coram ipſo procident, Adorabunt coram ipſo, tota die benedicent ei, Sit nomen eius benedictum in ſecula, omnes gentes magnificabunt eum, Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra, Amen, Amen. Ac quomodo vaticinium illud Pſalmi impleatur, prolixè deſcribitur Apocal. 5. vbi diſertè aliquoties humana natura in Chriſto exprimitur, Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. Ac vidi agnum ſtantem tanquam occiſum, Et ſeniores prociderunt coram agno, habentes phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, & cantabant canticum nouum dicentes, Dignus es accipere librum, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo, per ſanguinem tuum. Et audiui vocem angelorum multorum, ac millia millium dicentium voce magna, Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, ſapientiam, gloriam, benedictionem, & omnem creaturam in cœlo, in terra, ſiue terra in mari audiui dicentem, Sedenti in throno, & agno benedictio & honor & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen. Phil. 2. Dedit ei nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu flectatur omne genu. Ebr. 1. cum introducit primogenitum in

tum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei. Nec verò cultus & inuocatio noſtra, ita ſimul complectitur humanam etiam naturam in Chriſto, ſicut externa veneratio, quæ regibus exhibetur, etiam coram purpura eius qua indutus eſt, fit, ſicut Veteres quidam, ſimilitudine hac nimis profecto leui, tenui, & diluta vſi ſunt. Sed gratiam, miſericordiam & auxilium à Chriſto, ſecundum vtramq; naturam petimus. Ebr. 2. & 4. Ad thronum gratiæ Pontificis noſtri, qui paſſus, & tentatus eſt, ac compati poteſt infirmitatibus noſtris, adeamus cum fiducia, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus ad auxilium oportunum. Ita Stephanus Actor. 17. videns Filium hominis in forma humana, ſtantem à dextris Dei, inuocat ipſum, Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum.

In hæc, quaſi capita præcipua Scripturæ teſtimonia de Communicatione Maieſtatis, ordinis & perſpicuitatis gratia, colligere ac diſtribuere volui, vt mutua collatione, ſe ipſa inuicē explicarent & declararent ſcripturæ teſtimonia, quod genus interpretationis omnium eſt certiſsimum, firmiſsimum & tutiſſimum. Ac tria potiſsimū in teſtimonijs illis obſeruanda ſunt: 1. Chriſto, non ſecundum Diuinam naturam, quæ ab æterno omnia habet, omniſufficiens & perfecta eſt, ſed ſecundum aſſumptam humanam naturam, ea de quibus Scripturæ teſtimonia loquuntur, in tempore data & communicata. 2. Non tantum creata dona, aut finitas infuſas qualitates eſſe, quæ ſcriptura humanæ naturæ in Chriſto, vltra & ſupra eſſentiales proprietates data & communicata prædicat, ſed ipſa etiam attributa Deitatis propria. 3. Communicata illa eſſe, non per eſſentialem effuſionem, aut phyſicam ſeu formalem inhæſionem, per confuſionem, conuerſionem aut exæquationem, ſiue naturarum, ſiue proprietatum eſſentialium, ſed per œconomiam vnionis, ſicut ſimilitudo ferri igniti ſimpliciſsimè oſtendit.

De præſentia verò totius Chriſti apud ſuam Eccleſiam, poſtea in peculiari capite dicemus.

CAPVT XXV.

Proponens præcipua Veteris ac orthodoxæ Ecclesiæ testimonia, de Communicatione Maiestatis.

NE verò alienas interpretationes, testimonijs Scripturæ affingere, paradoxa comminiſci, peregrina dogmata excogitare, aut nouas phraſes Eccleſiæ obtrudere videamur, Annota præcipua quædam vetuſtiſsimorum & probatorum orthodoxæ Eccleſiæ Scriptorum teſtimonia, de hac, quam nunc explicamus, communicatione Maieſtatis. Et in præcedentibus quidem Capitibus, multas veteris Eccleſiæ ſententias adſcripſimus, De naturis ac de perſona Chriſti, De hypoſtatica Vnione duarum naturarum in Chriſto, De ſalua manente differentia naturarum & Idiomatum eſſentialium in ipſa vnione, & poſt vnionem, De vſitata communicatione Idiomatum, quæ ea, quæ vnius naturæ propria ſunt, tribuuntur perſonæ in concreto. Quomodo vna natura in Chriſto agat cum communicatione alterius, quod cuiuſq; proprium eſt, De excellentiſsimis donis creatis humanæ naturæ Chriſti, præter, vltra, & ſupra naturales eius proprietates, collatis ſeu infuſis. Hoc verò loco colligemus & annotabimus præcipuas, perſpicuas & illuſtres aliquot veteris & orthodoxæ Eccleſiæ ſententias, oſtendentes vnanimem veræ antiquitatis confeſsionem & ſententiam, quod humanæ naturæ in Chriſto, præter, vltra, & ſupra manentes naturales & eſſentiales proprietates, ex hypoſtatica, cum diuina natura λόγȣ, vnione, data ſint in tempore, talia etiam ὑποστατικὰ καὶ παραφυσικὰ, quæ non ſunt, vel creata dona, vel qualitates finitæ, formaliter & ſubiectiuè inhærentes, ſed ſunt attributa, quæ ſunt & manent Diuinæ naturæ Chriſti propria. Et quod illa data, donata, tradita ſeu communicata, in Scriptura prædicentur aſſumtæ naturæ, non per eſſentialem effuſionem, non per phyſicam aut formalem inhærentiam, conuerſionem, confuſionem,

nem, aut exæquationem, sed per œconomiam vnionis, sicut tota plenitudo Deitatis cum omnibus suis attributis inhabitat in assumpta natura personaliter, iuxta similitudinem ferri igniti, Quodq; Veteres, illa Scripturæ testimonia, disertè de humana natura in Christo, interpretentur: Et quod contra hæreticos, multis & acriter contendant, non posse illa nec debere, de Diuina, sed de humana Christi natura intelligi, Ac eos qui sentiunt, diuinæ naturæ in Christo, in tempore illa, de quibus scriptura in expositis testimonijs loquitur, data esse, acriter refutent, ac pro hæreticis habeant, Quodq; illa communicatione, non fiat confusio, conuersio aut exæquatio, nec etiam abolitio veritatis humanæ naturæ in Christo. Ac multa talia antiquitatis testimonia iam exposita sunt Cap. 22. & 23. quib. reliqua iam addemus. Eò libentius autem hæc testimonia antiquitatis, mediocri diligentia collegi, quia multa hanc ad disputationem pertinentia, vtiliter explicant, & illustrant, ac præter veram & probatam orthodoxæ Ecclesiæ, de hac parte doctrinæ sententiam, publicam etiam, communem, & inculpatam eruditæ antiquitatis, ὑποτύπωσιν sanorum verborum, ostendunt & præscribunt. Quod ipsum publicum & illustre testimonium est, Ecclesias nostras in hac parte doctrinæ, nec noua dogmata gignere, nec peregrinas & reprobas phrases, aut modos loquendi periculosos aut pernicioses, in Ecclesiã inuehere, sed veræ ac orthodoxæ antiquitatis sententiam, confessionem ac linguam, reuerenter nos amplecti, accuratè imitari, & diligenter retinere. Ita sequentia testimonia liquidò ostendent, quod à multis disputatur, Antiquitatem in hoc genere communicationis, non tantum per vocabula concreta loqui, quod Christus, Filius hominis, Homo illa acceperit, Sed vel addunt particulas distinctiuas, vt Christus secundum humanam naturam, vt homo, qua homo, quatenus homo, illa accepit, vel ipsam humanam assumtam naturam disertè nominant & exprimunt, quod humanæ naturæ Christi, vel quod carni eius illa data sint. Et tamen humanam naturam non in se, vel extra vnionem cogitatione abstractam, sed in hypostatica illa vnione intelligunt, ac personam in duabus illis naturis subsistentem complectuntur, Sicut lector & hæc & alia in recitatione testimoniorum, priuato studio obseruabit.

Vt igitur in hoc tanto mysterio, in quo, vel mens sinistrè sentiendo, vel lingua incommodè loquendo, facilè in errorum præcipitium abripi potest, eò rectius, præcipitia illa vitari, ac vera & regia via teneri & obseruari possit, Ideò quasi in tabella & σωφόρῳ, selecta Veterum testimonia hoc loco exponere volui, vt semper in conspectu sint, Nec singulis addemus peculiares declarationes, quomodo ad hanc, de Communicatione maiestatis doctrinam, referri possint ac debeant, sed accommodationem ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, peti volumus.

IVSTINVS.

Iustinus igitur in expositione fidei, Hypostaticam vnionem Diuinæ & humanæ naturæ in Christo, declarat similitudine vnitionis τῦ ἀρχεγόνυ φῶτος, primigeniæ lucis, creatæ primo die, cum corpore Solari, facto quarto die, Ac dicit, in Sole iam non duas luces, sed vnam esse lucem primigeniam, scilicet illam, sed ratione vnitionis, primigeniam illam lucem iam non seorsim, aut separatim, sed in corpore Solari, ex eo, cum eo, & per illud lucere, splendere, ac omnia illustrare (sicut etiam ratione illius vnitionis, Sol rectè dicitur splendere, & illustrare omnia, non peculiari aliqua luce, extra primigeniam lucem effusa, & formaliter corpori Solari separatim inhærente, sed vnita illa primigenia luce, dicitur Sol lucere & splendere.) Et affirmat Iustinus, inde non sequi naturarum confusionem, conuersionem, abolitionem, exæquationem, aut ταυτότητα, sed esse ac manere duas differentes naturas, aliam lucis, aliam corporis Solaris, sed iam vnitas. Et corpus Solare esse δεξάμενον seu δεκτικὸν susceptiuum vel receptaculum primigeniæ lucis, Lucem verò esse τὸ δεχθὲν, quod corpus solare per modum vnionis, accepit & habet. Addit etiam ἐνέργειαν lucendi & splendendi, iam non posse separari à corpore Solari, propter vnionem, sed tamen propter differentiam naturarum lucis & corporis solaris, propriam esse illam ἐνέργειαν, non corporis Solaris, sed primigeniæ lucis. Et hoc postea vocat μετάληψιν θείας ἀξίας, οὐ φύσεως, communicationem, participationem, seu acceptionem, Diuinæ dignitatis seu maiestatis, non autem naturæ

Diui-

Diuinæ, hoc est, sicut ipse Iustinus explicat: Corpus Christi post vnionem etiam in communione illa maiestatis, manere corpus, nec esse Deum, nec conuersum in Diuinam naturam. Ac sub finem Iustinus ostendit, Diuinam naturam aliter esse in Patre, ratione ὁμοουσίας, aliter esse in creaturis omnibus κατὰ οὐσίαν, aliter verò in templo assumptæ suæ humanæ naturæ, κατ' ἕξιν. Illud verò ita explicat, quod Diuina natura λόγος, omnibus quidem creaturis tota adsit, sed captus creaturarum in accipienda Diuina essentia deficiat, Nam corpus pollutum, radios Diuinitatis omnes non capit, sicut nec oculi lippientes solis radios. Proprium verò templum assumtæ naturæ, quia tota plenitudo Deitatis in ipso inhabitat, totius lucis Diuinæ splendorem capit, Ita scilicet, sicut corpus Solare, per vnionem primigeniæ lucis, totum eius splendorem capit, & eum emittit. Et huius totius similitudinis accommodatio, quæ plana est, simpliciter ostendit, exprimit & confirmat, communicationem maiestatis Diuinæ, absq; confusione & exæquatione, de qua nunc agimus.

Et in Quæstionibus, quæ Iustini nomine feruntur, quæstione 117. Quomodo corpus Christi παχυμερὲς, quod crassis constet partibus, clausis ostijs sit ingressum? Respondet: Sicut ambulauit in mari, non mutatione corporis in Spiritum, sed Diuina sua virtute: Ita ingressus, inquit: Palpate, & videte, &c. Vt ostenderet, se non mutatione corporis in Spiritum, ex monumento egressum, cum saxum monumento impositum esset, & ad Apostolos ianuis clausis ingressum, sed cum corpore παχυμερῆ, Diuina sua potentia, ποιητικῇ τῶν ὑπὲρ φύσιν, quæ ea, quæ præter & supra naturam sunt, facere & præstare potest. Et significat Iustinus, huiusmodi prærogatiuis non derogari veritati humanæ naturæ in Christo, nec de illis iudicandum esse ex Lege seu ordine naturæ. Inquit enim illustri sententia, Τὰ ὑπὲρ τὴν φύσιν, ἃ τῇ φύσει γιγνόμενα, κατὰ τὴν θείαν δύναμιν, ἀδύνατον, κατὰ τὸν λόγον τῆς φύσεως, ποιήσαντι τὸν παράσασιν. Hoc est, quæ vltra, præter, & supra naturam, in ipsa natura, secundum Diuinam potentiam fiunt, ea impossibile est, posse

Vt igitur in hoc tanto mysterio, in quo, vel mens sinistrè sentiendo, vel lingua incommodè loquendo, facilè in errorum præcipitium abripi potest, cò rectius, præcipitia illa vitari, ac vera & regia via teneri & obseruari possit, Ideò quasi in tabella & σωφόρῳ, selecta Veterum testimonia hoc loco exponere volui, vt semper in conspectu sint, Nec singulis addemus peculiares declarationes, quomodo ad hanc, de Communicatione maiestatis doctrinam, referri possint ac debeant, sed accommodationem ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, peti volumus.

IVSTINVS.

Iustinus igitur in expositione fidei, Hypostaticam vnionem Diuinæ & humanæ naturæ in Christo, declarat similitudine vnitionis τῦ ἀρχεγόνυ φῶτος, primigeniæ lucis, creatæ primo die, cum corpore Solari, facto quarto die, Ac dicit, in Sole iam non duas luces, sed vnam esse lucem primigeniam, scilicet illam, sed ratione vnitionis, primigeniam illam lucem iam non seorsim, aut separatim, sed in corpore Solari, ex eo, cum eo, & per illud lucere, splendere, ac omnia illustrare (sicut etiam ratione illius vnitionis, Sol rectè dicitur splendere, & illustrare omnia, non peculiari aliqua luce, extra primigeniam lucem effusa, & formaliter corpori Solari separatim inhærente, sed vnita illa primigenia luce, dicitur Sol lucere & splendere.) Et affirmat Iustinus, inde non sequi naturarum confusionem, conuersionem, abolitionem, exæquationem, aut ταυτότητα, sed esse ac manere duas differentes naturas, aliam lucis, aliam corporis Solaris, sed iam vnitas. Et corpus Solare esse δεξάμενον seu δεκτικὸν susceptiuum vel receptaculum primigeniæ lucis, Lucem verò esse τὸ δεχθὲν, quod corpus solare per modum vnionis, accepit & habet. Addit etiam ἐνέργειαν lucendi & splendendi, iam non posse separari à corpore Solari, propter vnionem, sed tamen propter differentiam naturarum lucis & corporis solaris, propriam esse illam ἐνέργειαν, non corporis Solaris, sed primigeniæ lucis. Et hoc postea vocat μετάληψιν θείας ἀξίας, οὐ φύσεως, communicationem, participationem, seu acceptionem, Diuinæ dignitatis seu maiestatis, non autem naturæ

Diui-

Diuinæ, hoc eſt, ſicut ipſe Iuſtinus explicat: Corpus Chriſti poſt vnionem etiam in communione illa maieſtatis, manere corpus, nec eſſe Deum, nec conuerſum in Diuinam naturam. Ac ſub finem Iuſtinus oſtendit, Diuinam naturam aliter eſſe in Patre, ratione ὁμοουσίας, aliter eſſe in creaturis omnibus κατὰ οὐσίαν, aliter verò in templo aſſumptæ ſuæ humanæ naturæ, κατ' ἄληψιν. Illud verò ita explicat, quod Diuina natura λόγος, omnibus quidem creaturis tota adſit, ſed captus creaturarum in accipienda Diuina eſſentia deficiat, Nam corpus pollutum, radios Diuinitatis omnes non capit, ſicut nec oculi lippientes ſolis radios. Proprium verò templum aſſumtæ naturæ, quia tota plenitudo Deitatis in ipſo inhabitat, totius lucis Diuinæ ſplendorem capit, Ita ſcilicet, ſicut corpus Solare, per vnionem primigeniæ lucis, totum eius ſplendorem capit, & eum emittit. Et huius totius ſimilitudinis accommodatio, quæ plana eſt, ſimpliciter oſtendit, exprimit & confirmat, communicationem maieſtatis Diuinæ, abſq; confuſione & exæquatione, de qua nunc agimus.

Et in Quæſtionibus, quæ Iuſtini nomine feruntur, quæſtione 117. Quomodo corpus Chriſti πανυμφεὲς, quod craſsis conſtet partibus, clauſis oſtijs ſit ingreſſum? Reſpondet: Sicut ambulauit in mari, non mutatione corporis in Spiritum, ſed Diuina ſua virtute: Ita ingreſſus, inquit: Palpate, & videte, &c. Vt oſtenderet, ſe non mutatione corporis in Spiritum, ex monumento egreſſum, cum ſaxum monumento impoſitum eſſet, & ad Apoſtolos ianuis clauſis ingreſſum, ſed cum corpore πανυμφεῖ, Diuina ſua potentia, ποιητικὴ τῶν ὑπὲρ φύσιν, quæ ea, quæ præter & ſupra naturam ſunt, facere & præſtare poteſt. Et ſignificat Iuſtinus, huiuſmodi prærogatiuis non derogari veritati humanæ naturæ in Chriſto, nec de illis iudicandum eſſe ex Lege ſeu ordine naturæ. Inquit enim illuſtri ſententia, τὰ ὑπὲρ τὴν φύσιν, ἐν τῇ φύσει γιγνόμενα, κατὰ τὴν θείαν δύναμιν, ἀδύνατον, κατὰ τὸν λόγον τῆς φύσεως, ποιήσαι τὴν παράσασιν. Hoc eſt, quæ vltra, præter, & ſupra naturam, in ipſa natura, ſecundum Diuinam potentiam fiunt, ea impoſsibile eſt, poſſe credi-

credibilia facere, & quasi ab oculos ponere, secundum rationem & modum ipsius naturæ.

TERTVLLIANVS.

Tertullianus de Trinit. Spiritus venit super Christúm, habitans in solo Christo, plenus ac totus, nec in aliqua mensura aut portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulatè admissus, vt ex illa delibationem quandam gratiarum cæteri consequi possent, totius Sancti Spiritus fonte in Christo remanente, vt ex illo donorum atq; operum venæ ducerentur.

Idem Tertullianus in libro de carne Christi: Non dicimus carnem Christi, vt peccatricem euacuatam in ipso, cum illam, & ad dexteram Patris in cœlis præsidere meminerimus, & venturam inde in suggestu paternæ claritatis, prædicemus.

ORIGENES.

Origenes de principijs lib. 2. cap. 6. Anima Christi tota, totum λόγον recipiens, atq; in eius lucem splendoremq; cedens, hac mediante, Verbum caro factum est.

Ibidem: Ad Planiorem rei explicationem, non videtur absurdum, si eriam similitudine aliqua vtamur. Licet in re tam ardua tamq; difficili, ne exemplis quidem commodis vti copia est. Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusq; venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, si neq; ignis ab ea cesset aliquando, neq; ipsa ab igne separetur, Dicimus, eam totam ignem effectam, quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur, Sed & si quis contingere tentauerit, non ferri sed ignis vim sentiet. Hoc ergò modo, etiã illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in verbo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est. Ad omnes denique sanctos, calor aliquis verbi Dei putandus est peruenisse. In hac autem anima, ipse ignis diuinus substantialiter requieuisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit.

Idem explicans illud Psalmi, Vnxit eum præ participibus, inquit, Gratia spiritus, non sicut Prophetis illi animæ data est, sed ipsius

ſed ipſius verbi in ea, ſubſtantialis inerat plenitudo. Aliter iſta anima oleo, hoc eſt, verbo Dei vngitur, aliter participes eius, Prophetæ, Apoſtoli. Illi enim in odore vngentotum eius cucurriſſe dicuntur, Iſta anima, vaſculum ipſius vngenti fuit, ex cuius fragrantia, Prophetæ fiebant & Apoſtoli.

Idem lib. 4. Non ita fuiſſe dicimus Filium Dei in illa anima, ſicut in anima Petri, Pauli, &c. Oleo enim lætitiæ vngitur, cum Verbo Dei immaculata fœderatione coniuncta, Filij Dei plenè capax fuit.

Ibidem: Suſcepit animam noſtrarum quidem animarum ſimilem per naturam, propoſito vero & virtute ſimilem ſibi, & talem, quaſi omnes voluntates & diſpenſationes Verbi, indeclinabiliter poſſent impleri. Hæc Origenes, qui & hoc addit: Ea, quæ humanæ naturæ per vnionem Verbi acceſſerunt, non tollere ſeu abolere ipſam naturam.

Idem Origenes Homil. 2. in diuerſos Ioh. 1. Non propter ſeipſum Verbum caro factum eſt, ſed propter nos, Qui non niſi per Verbi carnem potuiſſemus in Dei filios tranſmutari. Ibidem: Quod ſcriptum eſt, Plenum gratia & veritate, poteſt & de Diuinitate & de humanitate incarnati Verbi, accipi. Nam plenitudinem gratiæ ſecundum humanitatem accepit, Quia nō ſolum de Spiritu Sancto conceptus, verumetiam plenitudine donorum eius repletus eſt, ac velut in ſummitate myſtici Eccleſiæ candelabri, gratiarum lampades, in ipſo, & de ipſo fulſere.

EVSEBIVS.

Euſebius lib. 4. demonſtrationis Euangelicæ capite 13. Λόγος τὰ μὲν ἴδια αὐτοῦ μεταδιδοὺς τῷ ἀνθρώπῳ, τὰ δὲ ἐκ τοῦ ἀνθρωπίνου μὴ ἀντιλαμβάνων, οὐδὲ τῆς μὲν ἐνθέου δυνάμεως τῷ θνητῷ χορηγῶν, τῆς δὲ ἐκ τοῦ θνητοῦ μετουσίας οὐκ ἀντεπαγόμενος, Hoc eſt, Verbum ex ſeipſo quidem, ſua communicabat aſſumpto homini, non autem viciſsim ex mortali ea, quæ ipſius ſunt, in ſe recipiebat. Et diuinam quidem virtutem, ſeu potentiam, mortali ſubminiſtrabat, non autem viciſsim, ad conſortium mortalitatis, natura λόγου detracta eſt.

Idem

Idem Cap. 14. Λόγ@ τ᾽τον ἄνθρωπον ἐκῆ τῆς τε πας᾽ αὐτῷ ζωῆς ἀϊδίϛ, κ@ὶ τῆς ἐν τῇ θεότητι κ@ὶ μακαριότητι κοινωνίας ἀξιῶν, hoc eſt, Verbum hominem illum aſſumptum, in illa vnione dignum reddidit, cohoneſtauit, aut inſigniuit, Vita illa æterna, quam intra ſeipſum habet, & dignum illum reddidit communione, in Diuinitate & beatitudine, &c. Hæc verò κοινωνία, quomodo intelligenda ſit, ſupra Cap. 23. explicauimus. Talia enim vetuſtatis dicta, poſtea ab Eutychianis deprauata ſunt, præſertim illud, quod Euſebius in illo loco dicit: Totus homo à Diuinitate κατεπίνετο, abſorptus eſt.

ATHANASIVS.

Athanaſius de humanitate Verbi: Corpus Chriſti, præter conditionem ſuam, ob Verbi vnionem, non tabefiebat, ſed extra corruptionem ſeruabatur, & quidem tunc, cum totius generis humani mors, in illo corpore ſummam ſuam vim exereret. Item: Stipula naturaliter igni comburitur, Sed ſi veſtiatur aniantho, qui fertur igni reſiſtere, iam ſtipula ignem non metuit, Vtpote munita re, quæ comburi nequit, Ita corpus Chriſti veſtitum Verbo Dei, mortem non metuit.

In Epiſtola ad Epictetum: Non enim Verbum caro factum eſt, vt Deitati aliqua acceſsio fieret, neq; vt Verbum in meliorem ſtatum reduceretur, μᾶλλον γ@ὰρ αὐτῷ ἀνθρωπίνῳ πρ@οδήκη μεγάλη γέγονεν, ἐκ τῆς τ᾽ λόγ@ πρ@ὸς αὐτὸν κοινωνίας τε κ@ὶ ἑνώσεως, hoc eſt, Magis enim ipſi humanæ naturæ, acceſsio magna facta eſt, ex communicatione & vnione verbi ad humanam naturam. Ex mortali enim facta eſt immortalis, & animalis exiſtens, facta eſt ſpiritualis, & ex terra facta, cœleſtes partes penetrauit. Ibidem: Emanuel appellatur, veluti corpore Diuinitatis plene ac proinde Deificato. Item: Corpus Chriſti naturam habens mortalem, ὑπὲρ ſupra naturam ſuam reſurrexit, propter Verbum inhabitans.

Idem Athanaſius Oratione 2. contra Arrianos, diſputat de dictis illis Scripturæ, quibus Chriſtus prædicatur, in tempore exaltatus, datum ipſi nomen ſuper omne nomen, Vnctus eſſe Spiri-

Spiritu & ſanctificatus, per Spiritum Dei eieciſſe dæmonia, &c. Ex quibus Arriani conabantur probare, alteram naturam in Chriſto, quæ ante incarnationem fuit, non eſſe verè Diuinam, quia in tempore multa ipſi data ſcribantur, Sed Athanaſius multis & acriter contendit, dicta illa Scripturæ non intelligenda eſſe de verbo, ſiue de Diuina Chriſti natura. Illa enim, inquit, vtpote perfecta & abſoluta nullius rei indiga eſt, Quo igitur, & quomodo exaltabatur, qui priuſquam exaltaretur erat altiſsimus? Et quomodo accepit, quod ſemper habuit, priuſquam acciperet? Non enim Verbo propter carnem, ſed carni propter Verbum βελτίωσις acceſsit. Paulus igitur (inquit Athanaſius) non intelligit, ſubſtantiam verbi exaltatam, ſed ad humanitatem eius hoc ſpectat, Et propter carnem exaltari dicitur. Cum enim eius ſit corpus, neque λόγ@ ſit extra ſuum corpus, merito ipſe, vt homo ratione corporis, exaltatus eſſe memoratur. Nam verbum Patris, pro humanitatis ratione, à Patre accipit, & ab eo exaltatur. Item: ἀνθρωπίνως humanitus dicitur à ſeipſo accipere, quia aliunde non accipit, eò quod corpus illa recipiat, cuius natura accipiendæ gratiæ idonea & capax erat, Sed Verbum hoc ipſum ſemper poſsidebat, ſecundum ſuam ex Patre Deitatem & perfectionem. Item aſſumpta caro, ab eo, & in eo, inungitur & ſanctificatur. Item: Quando Chriſtus dicit, Se in Spiritu Dei eijcere dæmonia, illud ratione carnis dictum eſt, non enim idonea aut efficax erat humana natura, vt per ſe dæmonia eijceret, ſine præſidio Spiritus Sancti. Hæc omnia ſunt Athanaſij verba.

Ac qualis conſolatio ſit, quod humana natura in Chriſto talia acceperit, Athanaſius indicat, cum inquit: Propter nos, & pro nobis dicitur exaltatus, nã propter corporis illius cognationem, nos templum Dei, & filij Dei ſumus. Item aſſumta caro, ab eo, & in eo, inungitur & ſanctificatur, vt ſanctificatio, quæ in Dominum, vt in hominem infertur, in homines deinde ab eo dimanaret, Quia enim Chriſtus dicit: Ego gloriam meam, quam dediſti mihi, dedi & eis, oſtendit, ſe propter nos gloriam illam poſtulare. Dùm enim caro in illo primum ſanctificatur, & ipſe dicit, ſe vt hominem propter carnem gratiam Spiritus

ſuſcepiſſe, factum eſt, vt nos eam ex plenitudine illa dimanentē, accipiamus. Sicut .n. præuaricante Adamo, in omnes homines peccatum dimanauit, ita Domino iam homine facto, ac ſerpentem conculcante, in oēs homines vigor eiuſmodi tranſmeauit. Ibidem, vt homo accipere dicitur, quod vt Deus ſemper habuit, quo gratia iſta ſemel accepta, ad nos perueniret. Ita ergo Athanaſius dicta ſcripturæ, de ijs, quæ Chriſto in tempore data ſunt, contendit de aſſumta natura intelligenda, ac hæreticos proclamat, & Arrianos, qui illa de altera Chriſti natura interpretabātur. De alijs verò Scripturæ dictis, vt cū ſcribitur, Melior factus angelis, factus ſponſor præſtantior, & Mediator noui Teſtamenti melior, Athanaſius inquit: Non de ſubſtantia Verbi hæc pronunciata ſunt, ſed de functione ac miniſterio, quod in humano corpore impleuit, & ſcilicet aliorum legatorum Dei, atq; ipſorum adeo angelorum functionibus ac miniſterijs præſtantior ac ſuperior ſit, Chriſti Dei & hominis legatio, functio ac miniſterium. Nequaquā autem ſentit Athanaſius, diuinam naturam Chriſti, in illo ſuo officio, in ſe aliquid de nouo accepiſſe eorū, quæ Chriſto in tempore data ſcriptura prædicat. Licet enim mandatum ſeu commiſsio officij Saluatoris, ſecundū vtramq; naturam exequendi & perficiendi, in tempore Chriſto data & iuncta ſit, Nequaquam tamen ſentiendum eſt, vim, virtutem, ſeu potentiam, qua officium ſuum Chriſtus efficaciter & potenter adminiſtrat, eſſe ipſi ſecundum diuinam naturā in tempore datam, (ſicut quidam ſcioli nunc incipiunt diſputare) habuit enim illam potentiam, & ſemper habet ab æterno, Sed aſſumtæ naturæ hoc datum eſt in tempore, vt cum eius communione, Diuina potentia λόγου, operationes officij Saluatoris, in aſſumpta, cum aſſumpta, & per aſſumptam naturam expediat, exerceat, perficiat, & exequatur, ſicut Cap. 25. diximus.

Idem Oratione 4. contra Arrianos: Quod ſcriptum eſt, Data eſt mihi omnis poteſtas. Glorifica Filiū ea gloria, &c. Accepit gloriam, honorem, &c. Hoc intellectu inquit iſta omnia interpretamur, humanitus, ἀνθρωπίνως illum, ob corpus ſuum, iſta omnia loqui. Ipſe enim ſibi quaſi data confitetur, quæ humanitus acceperat, vt Domino accipiente, & in ipſo qui Dominus erāt,

rat. donatione istarũ rerum residente, gratia ipsa firma permaneret. Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest, vt Adamo. Dicit igitur se potestatẽ accepisse, vt hominem, quam semper habet vt Deus, Dicitq́, Glorifica me qui alios glorificat, vt ostenderet carnẽ se habere istarum rerum indigam. Ac proinde carne suæ humanitatis hanc glorificationem accipiente, ita loquitur, quasi ipse eam accepisset. Et in summa inquit, Id vbiq́ animaduertendum est. Nihil eorum, quæ dicit se accepisse, ita se accepisse, quasi nõ habuisset, habebat enim illa, vtpote semper & Deus & Verbum, Nunc autem dicit, humanitus se accepisse, vt carne eius in ipso accipiente, in posterũ ea, ex carne illius, in nos firmiter possidenda, traderentur. Item, Corporis erat proficere, quo proficiente, profecit in eo exhibitio Deitatis, corã illis, qui ipsum videbant, Quanto autem magis diuinitas reuelabatur, tanto plenius gratia crescebat. Item, Caro non est facta ipsa sapientia, sed sapientiæ corpus facta est caro, Ideo non sapientia ipsa diuina, quatenus sapientia est, progressus fecit, sed humanitas in sapientia profecit, transcendens paulatim humanã naturam. Deificata nimirum, & organon sapientiæ facta, vt illa per eam suam energian exerceret, sapientiaq́ inde eluceret. Ibidem, Quin & ea opera, quæ sunt propria Verbi, vt mortuos excitare, cæcos illuminare, ea quoque omninọ corporis ministerio peragebantur. Et sicut Verbum carnis infirmitates baiulabat, vt suas, erat enim ipsius caro, ita rursus cũ carne, suo ministerio diuinitatis operibus inseruiebat, Illa opera in carne fiebant, quia caro illa erat corpus Dei, Cum diuinitus designaret opera Patris, non erat seorsum à sua carne, sed in ipso suo corpore hæc opera patrabat, Nisi enim opera Deitatis Verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo Deificatus fuisset.

Idẽ Athanasius dial. 5. de Trin. pag. 184. Sicut τὸ λογικὸν anima rationalis, suas ipsius potentias seu operationes (τελε῀) edit, exerit & perficit, ἐν τῷ ζώῳ in corpore humano: Ita Deus λόγος, vnitus homini, edit miracula, non seorsim aut separatim à natura humana, sed pro sua bonitate placuit ipsi, per assumtam humanã naturam, in ea, & cum ea, propriam suam diuinam potentiam operando exerere, δι' αὐτῆς, & ἐν αὐτῇ, & μετ' αὐτῆς, εὐδοκήσας τὴν ἑαυτοῦ θείαν δύναμιν ἐνεργῆσαι.

Ibidem: Si quis ita cogitatione concedat, Solem, magnum illud ſidus, per lucernam, aut in lucerna aliqua, ſuam lucem emittere, οὐ δύο φῶτα εἰσι, non duæ diſtinctæ luces aut ſplendores erunt, Neq; enim lucerna, vt altera lux, ſeorſim aut ſeparatim à Sole lucebit, Sed (τὸν ἥλιόν φησιν αὐτῷ ἡμᾶς δι' αὐτοῦ φαίνοντος) ſplendebit Sole in ipſa, & per ipſam lucente, ſeu ſplendente, & ipſi lucernæ dominante, eamq; ſibi (ἰδιοποισαμένου) vt propriam vendicante. Ita Deus λόγος, ἐν λογικῷ in humana rationali natura, & per humanam naturam, propriam ſuam vim, (ἐνεργῶν) operando exerens) τὸ ζῶον ὑπὲρ τὴν φύσιν τὴν ἰδίαν ἀποτελεῖ) humanitatem illam ſuam, vltra & ſupra propriam ſuam naturam perficit, aut perfectam reddit, quo beneplacito ſuo, neq; tamen prohibet, quo minus ſit animal rationale, ſeu vera humana natura.

Idem Oratione quarta contra Arrianos: Si Verbum caro factum, ergo carni ſua qualitas, diuerſæq; à Verbo affectiones ſunt, Rurſus ſi caro in Verbo Deum geſtat, gratiam inde commodaq; percipit.

Oratione 5. Quomodo corpus Domini non eſſet adorabile, cum verbum manum ſuam corporalem extendens, ſanauerit febricitantem, vocem humanam edens, excitauerit Lazarum, manibus in cruce protenſis, principem aëris proſtrauerit.

De Arriana ac Catholica Confeſsione, Deus non eſt mutatus in humanam carnem vel ſubſtantiam, ſed in ſe ipſe, quam aſſumpſit, glorificabat naturam, vt humana, infirma & mortalis caro atq; natura, diuinam profecerit in gloriam, Ita, vt omnem poteſtatem in Cœlo & in terra habeat, quam antequam à verbo aſſumeretur, non habebat.

Athanaſius Oratione 4. contra Arrianos dictum Iohan. 5. Dedit ipſi vitam habere in ſeipſo, vt ſicut Pater viuificat, &c. interpretatur de verbo, Ea enim, quæ ſemper habet, dicit ſe accepiſſe, quia à Patre habet. Et Pater quidem à nemine, Filius verò à Patre habet. Quoniam verò additur, Quia Filius hominis eſt, Ideò idem Athanaſius, De ſuſcepta humanitate, contra Apollinarium, diſputans de loco illo, Iohannis 5. inquit: Intel-

ligere

ligere oportet carni datam vitam, Et, ſicut Pater per Verbum omnia facit, ita & carni per eum vitam dedit. Ibidem tractans locum Phil. 2. inquit: De templo loquitur, quod eſt corpus ſuum, Non enim qui altiſsimus eſt, ſed caro eius exaltatur, & carni ſuæ dedit nomen illud. Et addit: Quando ſcriptura loquitur de glorificatione Chriſti, de carne loquitur, quæ percepit gloriam. Item: Quæcunq; Scriptura dicit accepiſſe Filium, ſiue quod glorificatus ſit Filius, ratione humanitatis illius, non Deitatis loquitur, vt cum dicit Apoſtolus, quod in Chriſto habitet omnis plenitudo corporaliter, plenitudinem illam habitare in carne Chriſti, intelligendum eſt. Ibidem: Cum Petrus dicit, Chriſtum à Deo factum Dominum ac Chriſtum, non de Diuinitate eius loquitur, ſed de humanitate. λόγ@ enim ſemper erat Dominus, neque poſt crucem primùm factus eſt Dominus, ſed humanitatem eius, Diuinitas fecit Dominum & Chriſtum.

Idem, De ſalutari aduentu Chriſti: Sede à dextris. Item, præſtantior factus angelis, &c. Non loquitur de Verbo, qui creator eſt angelorum, ſed vt formam ſerui in ſe aſſumptam, præſtantiorem Angelis & omnibus rebus creatis, oſtenderet. Ibidem: Natura humana in Chriſto, erat ſupra homines, ac Deificata.

Idem, de Paſsione in Oliueto: Diabolus non credidit, carnem Chriſti Verbi virtute roboratam.

Idem Athanaſius apud Theodoretum Dialog. 2. Sede à dextris meis, de corpore Dominico dicta ſunt, Si enim omnia implet Deus, in qua nam ſede ſedet? Corpus ergo eſt, cui dicit Dominus, Sede à dextris meis.

Ibidem citatur regula Athanaſij: Quæcunq; ſcriptura dicit accepiſſe Filium in tempore, propter humanitatem dicit, non propter Diuinitatem.

Idem Athanaſius apud Theodoretum dial. 3. Lazarus infirmatus mortuus eſt. Dominicus verò homo (κυριακὸς ἄνθρωπ@) non infirmatus, nec inuitus, ſed volens venit ad mortis diſpenſationem, ςθρεπτοιδόμν@ ſolidè confirmatus à Verbo in

ipso habitante. Diuinitas igitur Filij est, quæ ponit & rursus accipit animam hominis, quem ferebat. Plenum enim hominem assumsit, ἵνα καὶ πλήρωσῃ αὐτὸν, vt & impleret ipsum, & cum ipso mortuos viuificaret.

Idem in eodem dialogo: Corpus Christi communem habens substantiam, κατὰ ἀκολουθίαν similium moritur, propter vnionem verò cum Verbo, iam non corrumpitur iuxta propriam suam naturam, sed λόγῳ inhabitans, prohibuit à suo corpore corruptionem τῷ κατὰ φύσιν, quæ naturalis seu secundum naturam erat.

EVSTATHIVS.

Qui in Nicena Synodo præcipuæ autoritatis fuit, inquit: Apud Theodoretum dialog. 1. Qui vnxit natura Deus est, ex Deo natus, Qui verò vnctus est, ἐπίκτητον δ' ὥαμιν aduentitiam, donatitiam, acquisiticiam accepit potentiam, exquisito templi opificio ornatus, ex inhabitante in ea Diuinitate.

Idem dialog. 2. apud Theodoretum: Humanam Christi naturam vocat σώθρονον eiusdem throni consessorem, cum diuinissimo Spiritu, propter Deum inhabitantem in ipsa inseparabiliter.

Idem in 3. Theodoreti dial. λόγῳ Dei, Deus existens, non recipit δόξαν ἐπίκτητον, gloriam aduentitiam, sed homo ex mortuis resuscitatus exaltatur & glorificatur. Et vocabulum ἐπίκτητον, Nazianzenus Oratione 1. de Filio ita explicat, Quo ad diuinam naturam οὐδὲν ἐπίκτητον, οὐδὲ ὕστερον τῷ υἱῷ προσγαιόμενον, Nihil est aduentitium, quod postea seu in tempore Filio accesserit. Intelligit igitur Eustathius per vocabulum ἐπίκτητον, quod diuina potentia & gloria, assumptæ Christi naturæ, non sit naturalis, essentialis aut formalis, sed quod ratione vnionis sit ipsi communicata, sicut vis lucendi & vrendi ferro ignito est ἐπίκτητος.

Idem Eustathius allegatur à Gelasio in Hæreseologia: Homo Christus, qui & sapientia & ætate, & gratia profecit, gubernationem gentium, populorum, & plebeium, & rerum vniuersarum imperium accepit.

Ibidem

Ibid. Cum Iohannes dicit: Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, Hominis potestatē declarat, qua æterna sumens sceptra imperij, omnium haberet commissum iudicium.

Ibid. Qui acquisititias susceptit δυνάμεις potentias, princeps est in omnibus, Deniq; triduanum ex sepulcro resurgens Verbi templum, ipso corpore quidem ad proprios venit Apostolos, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, quam potestatem accepit extrinsecus templum, & non Deus, qui templum illud præcipua pulchritudine ædificauit.

HIPPOLYTVS.

Apud Theodoretum dial. 3. Etiam mortuum existens corpus Domini, magnam in se habet ζωῆς δύναμιν vitæ potentiam. Ex eo enim profunduntur sanguis & aqua, quæ ex mortuorum corporibus effundi non solent, vt sciamus quantum δύναμις, virtus seu potentia illa, quæ in corpore illo inhabitat, possit ad vitam, vt ne mortuum quidem corpus alijs simile appareat, Nobis verò possit profundere τὰ ζωῆς αἴτια, ea, quæ vitæ causa sunt.

AMPHILOCHVS.

In 2. dialogo Theodoreti, Christus præbens Thomæ palpandum suum corpus, ostendit ὅτι τοῦτο quod idem seu illud ipsum corpus resurrexerit, quod verò ianuis clausis ingreditur, ostendit, ὅτι οὐκ τοιοῦτο, quod iam non sit tale, sicut antea resurrectionem fuerat.

CYPRIANVS.

De Symbolo: Sedere ad dexteram Patris, carnis assumptæ mysterium est, neq; enim incorporeæ illi naturæ, conuenienter ita absq; assumptione carnis adduntur; neq; sedis cœlestis profectum Diuina natura, sed humana acquirit.

In Tractatu de Idolis: Homo quem induit, quem à morte protexit: quem ad Patrem victor imposuit, venturus è cœlo, ad pœnam diaboli; & censuram generis humani, vltoris vigore, & iudicis potestate.

In Ser-

In Sermone de Aſcenſione: In Chriſto eſt omnis excellentiæ plenitudo & ſufficientia. Item: Beati & angeli venerabantur hominem, ſupra ſe ſublimatum, quem gloria & honore coronauerat Pater, ad dexteram ſuam collocatum, hoc dato ei priuilegio ſingulari, vt in nomine eius, omne genu flecteretur, & ſupra omne nomen, eius nomen excellentius coleretur.

Item: Inuiſibilis Deus viſibilem hominem ad dexteram ſuam recepit, & humilitatem carnis noſtræ, throno iudiciario honorauit.

Idem, de Reſurrectione: Transfiguratio, Matth. 17. Imaginem non ſpeciem, ſimilitudinem non ſubſtantiam, partem non plenitudinem gloriæ explicauit. Nec etiam reſurgens gloriam illam ilico oſtendit, ſed dilata eſt claritatis illius plenitudo.

HILARIVS.

De Trinitate lib. 3. Verbum caro factum orabat, Vt id, quod de tempore erat, gloriam eius claritatis, quæ ſine tempore eſt, acciperet, vt in Dei virtutem & Spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio, abſorberetur.

Lib. 9. de Trinitate: Vt ita homo Ieſus Chriſtus, maneret in gloria Dei Patris, ſi in Verbi gloriam caro eſſet vnita, & gloriam Verbi caro aſſumpta teneret.

Ibidem: Gloria non Verbo, ſed carni acquirebatur.

Lib. 10. Cum glorificari ſe rogat, non vtiq; naturæ Dei, ſed aſſumptioni humilitatis hoc proficit.

Ibidem: Virtus altiſsimi, virtutem corpori, quod ex conceptione Spiritus Virgo gignebat, admiſcuit.

Lib. 11. Vnctus eſt in ea natura, qua nos ſumus participes ſeu conſortes eius, Vnctus eſt autem cum priuilegio.

EVSEBIVS EMISSENVS.

In homilia quadam poſt dominicam Paſsionis: Iudæi Chriſtum neq; eſſe Deum, neq; Sancti Spiritus gratia vnctum credunt, Nos autem etiam ſecundum humanitatem, omni virtute & gratia plenum eſſe confitemur.

Item:

Item, Qui ſecundum Diuinitatem, ſemper ſimul cum Patre & Spiritu Sancto, omnium rerum poteſtatem habuit, Nunc etiam ſecundum humanitatem, omnium rerum poteſtatem accepit, vt homo ille, qui nuper paſſus eſt, cœlo & terræ dominetur.

DIDYMVS ALEXANDRINVS.

Lib. 3. de Spiritu Sancto: Deo Verbo exiſtenti Filio Dei, omnis creatura tanquam regi omnipotenti ſubdita eſt. Et quoniam Verbum hominem aſſumpſit, eumq; poſt mortem ſuſcitans, ſuper omnes principatus, poteſtates, virtutes, & dominationes eſſe conſtituit, Huic omnes angeli Dei, iuſſi eum adorare, ſubiecti ſunt ſcientes eum vniri Deo verbo, cum in dextera Diuinitatis ſit, & in nomine eius, non ſolum terrena & infera, ſed etiam cœleſtia genu flectant, & omnis lingua, ad gloriam Dei Patris, Ieſum Dominum eſſe confiteatur.

GREGORIVS NYSSENVS.

Contra Eunomium, ſicut citatur à Gelaſio, & in 2. dialogo Theodoreti: De dicto illo Petri, Dextera Dei exaltatus, &c. Quis verò exaltatus eſt, humilis ne an altiſsimus: Quid autem humile niſi humanum: Et quid aliud præter Diuinitatem altiſſimum? Sed Deus exaltari non indiget, cum ſit altiſsimus. Humanitatem igitur exaltatam, Petrus intelligit, Exaltatam autem per id, quod Dominus & Chriſtus factus eſt. Non autem per Verbum illud (fecit Dominum) προαιώνιον ὕπαξιν æternam eſſentiam deſignat Apoſtolus, ἀλλὰ τὴν τοῦ ταπεινοῦ πρὸς τὸ ὑψηλὸν μεταποίησιν, Sed deſignat prouectionem humilis naturæ, ad celſitudinem eam, quæ ad dexteram Dei facta eſt. Et Petrus dicens: Dextera Dei exaltatus, manifeſtè reuelat ineffabilem myſterij οἰκονομίαν, quod dextera Dei, quæ creatrix eſt omnium quæ ſunt, & quæ dextera eſt ipſe Dominus, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo nihil eorum quæ ſunt, ſubſiſtit, αὐτὴ τὸν ἑνωθέντα πρὸς αὐτὴν ἄνθρωπον, εἰς τὸ ἴδιον ἀνήγαγεν ὕψος, διὰ τῆς ἑνώσεως, Ipſa dextera, vnitum ſibi hominem, in propriam euexit celſitudinem vel ſublimitatem, per vnionem.

Idem lib. 2. De anima: Deus Verbum nunquam à communione illa, quæ est ad corpus & animam, alteratur, neq; particeps est imperfectionis illarum, sed tradens eis suæ Diuinitatis virtutem, manet idem quod erat & ante vnionem.

Et Oratione 1. de Resurrectione: explicans illud, Virtus altissimi obumbrabit tibi, inquit: Vtriq; parti, quibus humana natura constat, animæ & corpori Diuina potentia infusa, mortem inde, ὡς μιξίας τῆς ζωῆς, per admixtionem vitæ, expulit. Et Diuinitas, quæ vtriq; aderat, tùm per corpus, tùm per animam δημοσιεύεται, publicatur seu manifestatur. Per corpus enim mortem deleuit, per animam hominibus reditum in paradisum confecit, Diuinitate per vtraq; per corpus & animam bonum hoc conficiente. Et in præcedentibus inquit: Anima Christi, cum immixta sibi diuina virtute seu potentia, in corde terræ fuit. Intelligit autem vocabulo κράσεως καὶ ὡς μιξίας, non confusionem, sed vnionem hypostaticam & arctissimam, per διὰ χώρησιν, sicut ignis in ferro, sicut supra de vocabulis vnionis annotauimus.

Idem Oratione 2. de Resurrectione, tractans locum Matth. 28. inquit: Cum autoritate θεοπρεπῶς Deum docente dixit, Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Nam quæ naturaliter habebat, vt Deus, hæc dicitur accipere οἰκονομικῶς per œconomiam tanquam homo factus. Ideò etiam dicebat, Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, priusquam mundus fieret. Nisi enim hanc propriam haberet, vt Deus, fieri non posset, vt eam tanquam alienam acciperet. Scriptum enim est, Gloriam meam alteri non dabo.

BASILIVS MAGNVS.

In sanctam Christi natiuitatem: Deus iam in terra, non per ignem & caliginem homines perterrefaciens, sed per corpus humanum mansuetè ac blandè τοῖς ὁμογλώσσοις, his, qui eiusdem cum ipso sunt generis, colloquens, Deus in carne, οὐκ ἐκ διαλειμμάτων, non per interualla, vt in Prophetis operans, sed assumpta

ſumpta humanitate ſibi inſita, concreta ſeu coniuncta & vnita (vocat enim συμφυῆ) per carnem ſuam nobis cognatam, (συγγενῆ vocat) ad ſeipſum genus humanum (ἐπαναγει) rurſus euehit & reducit. Quomodo igitur per vnum in omnes venit, τὸ λαμπάδιον fax illa, lux ſeu ſplendor? Quomodo Deitas eſt in carne? Sicut ignis in ferro non tranſitiuè, ſed μεταδοτικῶς communicatiuè. Non enim ignis excurrit ad ferrum, ſed manens in loco, μεταδίδωσι αὐτῷ τῆς οἰκείας δυνάμεως communicat, ſeu impertit ferro, propriam ſuam facultatem, vim aut potentiam, nec Communicatione illa minor fit, (μὴ ὅλον πλήρει ἑαυτὸ τὸ μέτεχον) ſed ignis ſeipſo totum replet ferrum, quod per vnionẽ illam conſortium, ſeu communionem cum igne habet, (hoc enim vult vocabulum μέτεχον.) Ita & Verbum nec motum eſt ex ſeipſo, nec mutationem aliquam ſuſtinuit, quando caro factum eſt, nec imagineris Deitatem tranſire ex loco in locum, ſicut corpora, nec mutatam in carnem. Sed inquis, quomodo Verbum non eſt repletum corporis infirmitate? Reſpondemus, Sicut nec ignis proprietatum ferri particeps fit. Nigrum eſt ferrum & frigidum, ſed tamen ignitum ignis formam induit, & ipſum candefit, aut ſplendidum redditur, non nigrifaciens ignem, & ipſum inflammatur, non frigefaciens flammam. Sic ſanè & humana Domini caro, ipſa μέτεχε particeps facta eſt Deitatis, non autem propriam ſuam infirmitatem (μετέδωκε) communicauit ſeu tradidit Deitati. Cumq; videas ignem non conſumi à rubigine ferri, Num igitur contendes, Deitatem non poſſe idem in ſua carne efficere, quod corruptibilis ignis in ferro? Aut dubitas, quomodo corruptibilis natura humana, τῇ κοινωνίᾳ ex communione illa ad Deum, potuerit incorruptionem conſeruare? Diſce igitur myſterium, Propterea Deus in carne, vt mortem in carne latitantem occideret. Sicut enim pharmaca corpori applicata, venenum exuperant, & ſicut tenebræ inducta luce diſpelluntur, Ita mors in humana natura dominium habens, Deitatis θεότητος præſentia ſeu vnione diſſipata eſt.

Idem contra Eunomium lib. 2. Dominum ipſum & Chriſtum fecit hunc Ieſum, quem crucifixiſtis. Non eſt λόγος θεολογίας

λογίας, ἀλλ' οἰκονομίας, hoc est, Non de ipsa essentia Verbi, sed de Incarnatione loquitur, δεικτικῶς, voce demonstratiua, ἀνθρώπινον αὐτοῦ, humanitatem eius designans, atq; ipsi principatum ac dominium à Patre commissum dicit, cum inquit: Hunc Iesum, &c.

Ibidem lib. 4. Si λόγῳ post Incarnationem propter obœdientiam, accepit nomen super omne nomen, & quod omnium Dominus celebratur. Ergo ante Incarnationem hoc non habuit. Maior itaq; factus est post Incarnationem, quam ante fuerat, quod absurdum est. Tale est & hoc, Data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra. Item, Ego viuo propter Patrem. De Incarnatione igitur, & non de Deitate illa intelligere oportet, εἰς τὴν ἐνανθρώπησιν ἡχὶ οὐκ εἰς θεότητα ταῦτα νοεῖν δ'ᾧ, Ita illa intelligere oportet, vt non ad Deitatem, sed ad Incarnationem referantur. Item, Glorifica me, &c. Si gloriam, quam habuit priusquam mundus fieret, θεϊκῶς & οὐκ ἀνθρωπίνως secundū diuinam & non secundum humanam naturam petit. Ergo gloriam quam petit, amiserat, quod si gloriam amisit, ergo & Deitatem. Inseparabilis enim est gloria à Deitate, Apparet ergo, quod talia dicta sint, κατ' οἰκονομίαν ἀνθρωπότητος, secundum dispositionem humanitatis, non secundum defectum Deitatis. Item, non petit additionem gloriæ, sed τῆς οἰκονομίας φανέρωσιν manifestationem dispensationis, vt scilicet diuina gloria, in assumta carne, & per eam, absq; exinanitione aut occultatione se exerat.

NAZIANZENVS.

In Theophania. Christus ex duobus contrarijs carne & Spiritu constat, ὧν τὸ μὲν ἐθέωσε, τὸ δὲ ἐθεώθη. Hæc verò sententia in 2. dialogo Theodoreti ita allegatur, vel potius explicatur, ὧν τὸ μὲν εἰς θεὸν προσελήφθη, τὸ δὲ τὴν χάριν παρέχηκε τῆς θεότητος, quorum illud quidem in Deum assumtum est, hoc verò gratiam exhibuit Deitatis. Idem Oratione 2. de Filio: Quod Filius scribitur accipere vitam, iudicium, hæreditatem gentium, potestatem omnis carnis, gloriam, &c. Humanitatis hæc sunt. Si vero & Deo hæc tribues, non tribues ipsi ὡς ἐπίκτητα, tanquam

tanquam quæ in tempore ipsi accesserint, sed quasi, quæ ab initio συνυπάρχοντα ipsi coextiterint ratione naturæ, non gratiæ.

Idem Epistola 1. ad Cledonium: Si quis dixerit Deitatem λόγου, nudam esse à corpore, & non cum corpore quod assumsit, esse, ac rediturum, non videat gloriam aduentus eius.

Idem in Oratione in sanctum Pascha, Indumentum incorruptibilitatis perfectum est, non propter Diuinitatem tantum, qua nihil est perfectius, verumetiam διὰ τὴν πρόσληψιν propter assumtam humanam naturam, quia vncta à est Diuinitate.

Idem Oratione 2. de Filio pag. 217. πρεσβεύει intercedit etiam nunc vt homo pro mea salute, est enim (μετὰ) cum illo corpore quod assumsit, vt me faciat Deum, δυνάμει τῆς ἐνανθρωπήσεως per potentiam suæ incarnationis.

EPIPHANIVS.

Lib. 1. Tom. 1. de aduentu Christi in carne, pag. 27. Resurrexit cum sancto suo corpore, Ipsum verum corpus, ipsam carnem, ipsam animam, & non aliud, præter id quod assumsit, ἐνδυναμώσας potens efficiens, in vnam vnitatem, in vnam Deitatem, carnale, incorruptibile, corporale, spirituale, τὸ παχυμερὲς, λεπτομερὲς mortale, immortale. Et paulò post, Assumtus est in cœlum in ipso corpore, anima & mente, συνενώσας cooniens illud in vnam spiritualem hypostasin, & efficiens (ἔνθεον) Deo plenum, & quod diuina potentia agitatur, sedet in dextera Dei Patris.

Libro 2. Tom. 2. contra Arriamanitas, quod scriptum est Ebr. 3. Considerate Pontificem nostrum, qui fidelis est ei, qui fecit ipsum, Nec de Deitate loquitur, quasi illa sit factura, nec etiam de corporis formatione propriè loquitur, sed ὡς περὶ ἀξιώματος, tanquam de officij dignitate, vt si Rex aliquis de legitimo suo Filio dicat: Hodie feci ipsum regem, illud περὶ ἀξίας de dignitate dictum esse manifestum est. Factus igitur Christus est Pontifex, propterea, quod in corpore suo seipsum obtulit Patri pro genere humano, ipse Sacerdos, ipse victima. Ascendens autem spiritualiter & glorioſè, sedens in dextera Patris, factus est Pontifex in æternum.

Ibidem, Quod Petrus dicit: Fecit ipsum Dominum & Christum, Seipsum declarat. Quia enim addit: Hunc Iesum, quem crucifixistis, significat Domini incarnationem, & manifestum est, quod de carne dicit, quam crucifixerunt, non separans ab humanitate Deitatem, Quapropter Dominum & Christum Deus fecit, Id quod ex Maria conceptum, & Deitate vnitum est. Hæc igitur in aduentu in carne impleta sunt, nec ὁμοούσιος consubstantialis est caro supernæ Deitati: sed incarnatio eius counita. Est igitur vnus Dominus, vnus Christus, vnus Rex, in dextera Patris sedens, corporale & spirituale vna vnitio, vna Deitas spiritualis, vtraq; lucida & in gloria.

Ibidem, Humanitas non seorsim per se subsistit, à Deitate separata, sed counita Deitati, καὶ ἤδη ἐν αὐτῇ τὰ τελειότατα, ὡσαμλύη & iam in ipsa Deitate, quæ perfectissima sunt sciens, vtpote Deo vnita.

Item, Quia vnigenitus particeps factus est carnis & sanguinis, Ideò τὰ ἀνθρωποπαθῆ, προσληπτικὰ τῆς δόξης, Quæ humano affectu, vt recipiendæ gloriæ apta prædicantur, de ipso & de aduentu eius in carne dicuntur, sed non extra perfectam & gloriosam eius Deitatem, quæ nihil opus habet, vt gloriam assumat, quia est ipsa gloria & perfectio. Et ipsa Scriptura de duabus Christi partibus rationem reddit. Ac de recenti quidem parte, hoc est, de assumpta natura dicit, Glorifica me Pater illa gloria, quam habui apud te antequam mundus fieret: Pater vero, τῶν δύο φύσεων, duarum illarum partium inter se comparatarum gloriam, prædicans de priori, quæ est secundum Spiritum, dicit, Glorificaui, vt indefinitum ostendat, de recenti verò, propter aduentum in carne, dicit, Et rursus glorificabo.

Ibidem: Ipse Filius subijcietur ei, qui subiecit ipsi omnia, Ita dictum est, sicut angelus inquit: Quod nascetur ex te sanctum, Filius Dei vocabitur, vt carnale, quo ad potentiam, non sit amplius carnale, sed carnale counitum cum Deitate, in vnam vnionem, regnans cum Patre & Spititu Sancto.

Ibidem: Pater dat Filio, & Filius qui non minor est Patre, à Patre accipit, iuxta duos maximè modos. Primùm, vt contra mul-

multitudinem Deorum, ad vnam vnionem Deitatis, Patris, Filij & Spiritus Sancti, deducamur. Secundò verò etiam, vt deducamur ad transformationem gloriæ incarnationis, & ad vnionem cum Deitate. Nam in transformatione, facies eius in carne, simul existens in Deitate, fulgebat instar Solis, Caro videlicet, quæ ex Maria, & ex nostro genere erat, & transformabatur in gloriam, (ὑπερτιθεμένη) insuper (scilicet vltra naturales suas proprietates) acquirens gloriam Deitatis, & honorem & perfectionem, ac gloriam cœlestem, quam caro ab initio non habebat, sed ibi eam, in communione scilicet Dei verbi accepit. Ita intelligendum est, & quod scriptum est, Omne iudicium dedit Filio, Ac dedit ei potestatem, vt quos vult viuificet, vt primò vna Deitas Trinitatis indicetur, Deinde, quod incarnatio cum Deitate, assumat donatam ipsi à Patre & Filio dignitatis donationem, & potestatem, & perfectionem, & ad vnam spiritualem Deitatis counitionem.

Lib. 3. Tom. 2. contra Diomœritas, ex Epistola Athanasij: Cum λόγῳ in omnibus sanctis sit, solus Mariæ Filius, vocatur Immanuel, quod est nobiscum Deus, tanquam corpore pleno Deitatis.

Item, Dominus gloriæ erat in corpore quod crucifigebatur, configebatur, patiebatur. Cùm verò templum Verbi esset, plenum erat Deitate. Ideò Sol videns opificem suum, in assumpto corpore, illa sustinentem, radios suos contraxit. Ipsum verò corpus naturam habens mortalem, ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν supra suam naturam surrexit, propter Verbum in ipso.

Epiphanius ibidem: Christus quando voluit ostendere potentiam Deitatis suæ, transformatus, ostendit faciem suam veluti Solem, & vestimenta veluti niuem. Omnia enim possibilia sunt ei, qui potens est, ad ostendenda etiam ea, quæ præter omnem sunt expectationem, & inanimata etiam transmutare in gloriam.

Ibidem: Confitendum est, λόγον integram humanam naturam, cum propria sua Deitate, in seipso vnitam habere, & vnam Deitatem, totam perfectionem effecisse, ac sedere in cœlo, in dextera Patris, in throno maiestatis æternæ suæ dominationis.

Ibidem

Ibidem: Si Apostolus ex participatione gratiæ, non secundum propriam suam mentem viuebat, sed mente Christi, tanquam supernaturali ductu ornabatur, Quanto magis Deus verbum, habens in se totam perfectionem, existens ipsa perfectio, ipsa potentia, & lux ipsa, assumtæ mentis & totius sui corporis, πληρώτης ἐγένετο, μᾶλλον δὲ τελεώτης, hoc est, qui assumptam suam naturam impleret, Imò potius perficeret, & in omnibus per Incarnationem suam nobis salutem operatus est. Et paulò post, Descendens in Deitate cum anima ad infernum, & in fortitudine ac potentia soluens compedites, redimens Deus verbũ cum sancta anima, μεθ' ἧς, cum qua liberauerat captiuos, tertia die cum corpore & anima resurrexit.

In Compendiaria doctrina de fide: Accepit humanam naturam, veram & integram, nihil à nobis euarians, nisi tantum in gloria suæ sanctitatis & Deitatis, & quod est vas sanctificationis, & iusticiæ, citra peccatum, omnia perfectè habens.

Ibidem: Post resurrectionem, Organon humanitatis Christi, counitum est in Spiritum, ipsum videlicet corpus spirituale existens, quod aliquando tactui subiectum fuerat. Si enim nostra corpora seminantur animaliter in ignominia & infirmitate, resurgent autem spiritualiter in gloria & potentia, quanto magis corpus illud sanctum, ἀνεκδιήγητον, καὶ ἀσύγκριτον, καὶ ἀπερίφρητον, τῷ θεῷ σωλωθὲν, τὸ ἓν ὂν λοιπὸν μονογενὲς, Inenarrabile, incomparabile, clarum aut splendidum, vtpote Deo counitum, quod vnum de cætero est singulare, sicut Paulus inquit: Etiamsi cognouimus Christum secundum carnem, at nunc non amplius cognoscimus, non quod carnem separarit à Deitate, sed quod ipsa quidem maneat, & Deo counita sit, non autem amplius secundum carnem sit, sed secundum Spiritum.

In Ancorato: Euacuauit se ipsum forma serui sumpta, Non quod plenitudo sit imminuta, sed vt ostendat à cœlo non effusam, sed transeuacuatam plenitudinem, in humanam naturam.

Ibidem. Transformabit corpus humilitatis nostræ, vt fiat conforme gloriæ ipsius, iuxta efficaciam, qua & potest & subijcit sibi omnia, quoniam in ipso habitat omnis plenitudo Deitatis

tatis corporaliter, τὸ δοχεῖον, hoc eſt, receptaculum igitur ſapientiæ & Deitatis eſt Chriſtus.

Et poſtea, Reſurrexit ex mortuis, non amplius ſub tactum cadens, non amplius ἀπεκόμενος, clauſis ianuis ab ingreſſu prohibitus, ſed ingrediens foribus concluſis, contrectatus tamen à Thoma, ne phantaſia putetur, ſed veritas, Idem Deus, idem homo, qui non confuſionem fecit, ſed duo miſcuit in vnum, οὐκ εἰς ἀνυπαξίαν χωρήσας non per abolitionem humanitatis, in interitum cedens, ἀλλὰ σωδυναμώσας σῶμα γήϊνον τῇ θεότητι, ſed corpus terreum, vnà cum Deitate potens efficiens, in vnam potentiam vniuit, in vnam Deitatem σωγάγε reduxit, vnus exiſtens Dominus, vnus Chriſtus, non duo Chriſti, neq; duo Dei, in ipſo corpus ſpirituale, in ipſo Deitas incomprehenſibilis, & ſedet ad dexteram Patris, ſuper omnem principatum, poteſtatem, virtutem, & omne nomen quod nominatur.

AMBROSIVS.

De fide contra Arrianos capite 8. Filius Dei cum hominem induit, non ſtatum vertit, non ordinem perdidit, non ſubſtantiam immutauit, ſed illuuias eiuſdem corporis, æterno claritatis ſuæ lumine illuſtrauit, vt ad nos, per tramitem corporis eius lux Sancti Spiritus & æternæ vitæ gratia, redundaret.

Idem lib. 5. de fide cap. 6. Ne forte illud ad infirmitatem Filij referas, quod ſcriptum eſt, Quod ſubiecerit ei Deus omnia, diſce quod ſcriptum eſt de Filio, Phil. 3. ſecundum potentiam qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia. Didiciſti igitur, quod omnia poſsit ſibi ipſi, ipſe ſubijcere, ſecundum operationem vtiq; Diuinitatis. Diſce nunc, quod ſecundum carnem, omnia ſubiecta accipiat, ſicut ſcriptum eſt, Suſcitans eum à mortuis, & conſtituens eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, dominationem, & ſuper omne nomen, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Secundum carnem igitur omnia ipſi ſubiecta traduntur, ſecundum quam & à mortuis ſuſcitatus eſt.

Idem Ambroſius Heb. 1. Vnctus præ conſortibus, quoniam hanc benedictionem ſupra omne genus humanum agnoſcitur

acceꝑiſſe, Vt vnctus ſingulariter, cæteros vngat. In illo enim fons benedictionis, prout ipſi viſum fuerit, per vniuerſos electos competenter emanat. Sed hæc omnia carni conueniunt, cui Verbum vnitum eſt pro ſalute ſanctorum. Et hanc vocat Ambroſius humanitatis excellentiam.

Ibidem: Sede à dextris meis. Hæc pertinent ad humanitatis glorificationem. Victori enim Filio, & per ſanctam Incarnationem, totius mundi Triumphatori, poſt reſurrectionis gloriam, honorabilis conſeſſus paternæ Maieſtatis offertur, vt per hunc ſitum, ſuſceptæ humanitatis gloria declaretur, quæ nemini angelorum deferri debuit.

Ambroſius de fide lib. 2. cap. 4. Propter rationem corporis dicit: Sede à dextris meis, Aliud enim eſt, quærere de æterna Diuinitatis ſede.

Lib. 3. cap. 3. Diuinitas fecit, ne caro videret corruptionem, quæ vtiq; corruptelæ obnoxia erat, per naturam.

Cap. 5. Affirmat, ad humanitatem referri, quando ſcriptura dicit, excelſior cœlis & Angelis factus, idq; ex Textu probat.

Lib. 4. cap. 2. Chriſtus ſecundum aſſumptionem carnis, vnius eſt cum omnibus hominibus in carne ſubſtantiæ, ſalua tamen Incarnationis ſuæ gloria.

Cap. 5. Ad conditionem humanam deriuatur gratia largitatis, eo, quod viuificata eſt in Chriſto. Item: Excepto Dominicæ Incarnationis Priuilegio, fateor ſocietatem nobiſcum vitæ ſpiritualis in Filio eſſe, per humanæ vnitatem naturæ.

Lib. 5. cap. 2. Non eſt meum dare. Impoſsibile petebatur, homines ſedere cum Filio, Angeli aſtant in conſpectu, Luc. 1. Stant in circuitu ſedis, Apocal. 7. Militia cœleſtis ſtat circa eum, ad dexteram & ſiniſtram. 3. Reg. 22. Aliæ ſedes ſeniorũ. Apocal 4. Aliæ ſedes Apoſtolorum, Matth. 19. Non enim ſuæ ſedis Apoſtolis dat conſortium, Chriſto verò ſecundum humanitatem datur conſortium diuinæ ſedis.

Cap. 6. In Chriſto communis ſecundum carnem natura, prærogatiuam ſedis cœleſtis emeruit.

Idem

Idem de Sacramento Dominicæ incarnationis, capite 4. Suſcepit quod meum eſt, vt impartiret, quod ſuum eſt. Suſcepit, non vt confunderet, ſed vt impleret.

Cap. 5. Multa in eodem & ſecundum naturam inuenies, & vltra naturam, vt crederes, quia Deus erat, qui nouabat naturam.

Ambroſius de Spiritu Sancto lib. 3. cap. 12. Angeli adorant non tantum Diuinitatem eius, ſed etiam ſcabellum pedum eius, Aut ſi negant, quia in Chriſto etiam incarnationis adoranda myſteria ſint, in quibus velut veſtigia quædam Diuinitatis expreſſa, & vias quaſdam verbi cœleſtis aduertimus, legant, quia & Apoſtoli adorabant eum in carnis gloria reſurgentem.

Idem, in 24. Lucæ. Habuit admirandi cauſam Thomas, cum videret clauſis omnibus, per inuia corporibus ſepta, inoffenſa compage corpus inſertum. Et mox, Non ergo per incorpoream naturam, ſed per Reſurrectionis corporeæ qualitatem, imperuia vſu, Clauſa penetrauit.

HIERONYMVS.

In 2. caput ad Philippenſes, poſtquam recitauit: Quoſdam locum illum de Diuinitate intelligere, ſubiungit, Quia ſe aſſumtus homo humiliare dignatus eſt, Diuinitas quæ hnmiliari non poteſt, eum qui humiliatus fuerat exaltauit, ſed & illi donatum eſt nomen, quia antea non habuit, Vnde rectius locus hic, ſecundum humanam naturam intelligendus eſt, quam diuinam.

Idem in 1. caput ad Epheſios, ſuper illa verba Conſtituit illam ad dexteram ſuam, ſcribit: Hîc Dextera pro honore ponitur, ne Deus corporeus credatur.

Hieronymus ad Pamachiũ: Quod ab oculis repentè euanuit, virtus Dei eſt, non vmbræ aut phantaſmatis, alioquin & ante reſurrectionem in Nazareth tranſiuit per medios, id eſt, elapſus eſt de manibus ipſorum. Nunquid, iuxta Marcionem dicemus, natum in phantaſmate, quia contra naturam, qui tenebatur

elapſus eſt, Quod clauſis ingreſſus eſt oſtijs, eiuſdem virtutis eſt, cuius & ex oculis euaneſcere, Num Saluator, niſi oſtium aperuerit, Apoſtolos non videbit, Quid eſt maius, Terram appendere ſuper nihilum, an Deum tranſire per clauſam portam, & creaturam cedere creatori.

Idem in Epitaphio Paulæ: Quomodo clauſis ingreſſus eſt ianuis, contra naturam ſolidorum corporum? Reſpondet, Et contra naturam grauiorum corporum ante reſurrectionem ſuper mare ambulauit, Nec ideò Petri corpus fuit ſpirituale, quia ſuper aquas pendulo inceſsit gradu, Cum potentia magis & virtus oſtendatur Dei, quando fit aliquid contra naturam, Vtq; ſcias, non naturæ mutationem, ſed Dei omnipotentiam demonſtrari, Petrus cœpit mergi.

Idem in Ieremiam Cap. 17. Maledictus qui confidit in homine, ſed nos credimus in eo, qui dicit, Quæritis me interficere hominem, Reſpondemus illud Apoſtolicum, Nunc iam non nouimus Chriſtum ſecundum carnem, Si enim mors abſorpta eſt in victoria, quare non carnis humilitas, quæ propter humanam ſalutem aſſumta eſt, in Diuinitatis tranſierit maieſtatem, vt fecerit vtrumq; vnum, Vt non adoremus creaturam, ſed Creatorem.

Idem in 4. caput Mich. Homo quidem apparuit, formam ſerui accepit, humiliauit ſe, Sed exaltauit eum Pater, & ad comparationem eius vniuerſa vita hominum comparata, campi dicuntur & valles.

AVGVSTINVS.

Auguſtinus contra Maximinum, lib. 2. In qua ergo forma crucifixus eſt, ipſa exaltata eſt, ipſi donatum eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Item: Homini ergò iſta donauit, non Deo. Lib. 3. caput 16. Formam ſerui reſurrectione non conſumpſit, ſed potius in melius mutauit.

Serm. 30. de verbis Apoſtoli: Crede Chriſtum in carne veniſſe, accepiſſe quod non erat, non amiſiſſe quod erat, hominem in ſe mutaſſe, non in hominem fuiſſe mutatum.

Con-

Contra Felicianum, cap. 10. Scio ad inferos descendisse Deitatem proprietate carnis, scio ad Cœlos ascendisse carnem merito Deitatis. Sicut non est proprium carnis, quod super frementes vndas siccis pedibus ambulauit. Item, Glorificata est caro Maiestate, dum Maiestas humiliata docetur in carne. Ibidem cap. 11. Iniuria sui corporis affectam non fateor Deitatem, sicut maiestate Deitatis glorificatam nouimus carnem.

Idem de Ouibus, Diuinitas sine humanitate non est mediatrix, Humanitas sine Diuinitate non est mediatrix, Sed inter Diuinitatem solam, & humanitatem solam, Mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas.

De mirabilibus scripturæ cap. 10. loquens de transfiguratione, Diuinitas latens in corpore, luminis sui portiunculam foris videntibus, quantum poterant, concessit. Vnde verò vestimenta, candorem niuis habuerunt, dum neq; de carne, neq; de Diuinitate erant? Nisi forte, vt per carnem Diuinitas foris illuxit, sic & caro illuminata de Diuinitate, per vestimenta radiauit.

Idem in Psal. 109. Illud quod natum est ex semine Dauid, ita homo natum est, vt esset & Dominus Dauid. Quia igitur carnem accepit Christus, in carne mortuus est, resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei, In eadem ipsa carne sic honorata, sic glorificata, sic in cœlestem habitum commutata, & Filius est Dauid & Dominus Dauid. Secundum hanc enim dispensationem transitus Christi, etiam illud ab Apostolo dicitur, Exaltauit illum, & donauit ei nomen, quod est super omne nomen, Christo secundum humanitatem mortuo, Christo secundum carnem resurgenti, ascendenti, donauit nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, Vbi erit Dauid, vt non sit ei Dominus? in cœlo sit, in terra sit, in inferno sit, Dominus eius erit, Qui est Dominus cœlestium, terrestrium & inferorum.

Idem Epist. 3. Virtus diuina, totum hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata sibi cooptauit, ipsa virtus per inuiolatæ matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia, membra iuuenis introduxit.

xit. Hîc ſi ratio quæritur, non erit mirabile, ſi Exemplum poſcitur, non erit ſingulare, Demus, Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur, inueſtigare non poſſe. In talibus rebus, tota ratio facti, eſt potentia facientis.

Ibidem: Caro de virgine creata, ac á morte in æternam vitam ſuper cœlos leuata & exaltata, potentius fortaſſe opus eſt, quam mundus. Sed ideo á quibuſdam non creditur, quia nemo fecit, & competit Deo, ac per hoc quæ ſibi quiſq; facilia non factu, ſed captu putat, æquo animo accipit, ſupra ea, veluti ficta pro falſis ducit.

Epiſt. 57. Deus in ſe ipſo ſubſtantialiter vbiq; totus eſt, quia nulli parti rerum abſens eſt ne illis quidem, qui ipſum non habent, id eſt, in quibus non habitat, & in quibus habitat, non æqualiter habitat. Licet enim totus illis ſit præſens, non tamen ex toto illum capiunt, ſed pro ſuæ capacitatis diuerſitate, alij amplius, alij minus ipſum habent & capiunt. De capite vero noſtro Chriſto, Apoſtolus ait: In ipſo inhabitat tota plenitudo Diuinitatis corporaliter, Non quod corpus ſit Deus, Sed corporaliter, hoc eſt, non vmbratiliter, ſicut in templis manu factis. Aut certè corporaliter dictum eſt, quia & in Chriſti corpore, tanquam in templo, habitat Deus. Hoc verò intereſſe arbitramur, inter caput & membra cætera, quod in quolibet quamuis præcipuo membro, vt in aliquo magno Propheta, aut Apoſtolo, quamuis Diuinitas habitet, non tamen ſicut in Capite, quod eſt Chriſtus, omnis plenitudo Diuinitatis. Nam & in noſtro corpore ineſt ſenſus ſingulis membris, ſed nõ tantus, quantus in capite, vbi prorſus omnis eſt. An verò præter hoc eſt aliud, quod interſit inter illud caput, & cuiuslibet membri excellentiam? Eſt planè, quod ſingulari quadam ſuſceptione hominis illius, vna facta eſt perſona cum Verbo. Et hæc eſt ſingularis gratia, quam fas eſt prædicare, de qua nefas eſt, velle iudicare.

Epiſtola 146. Exemplo ignis in fornace Babylonica, oſtendens, corpus Chriſti, manente veritate ſubſtantiæ, eſſe incorruptibile, inquit: Valet ergò Diuina potentia, de iſta viſibili

atq;

atq; tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates. Item, Qui ista non credunt, nimium de diuina potestate diffidunt.

De fide ad Petrum cap. 2. Quibus verbis explicabitur illius carnis excellentia singularis, cuius diuina est ex ipsa sui conceptione persona?

De agone Christiano cap. 20. Non sic assumsit illum hominem, vt cæteros sanctos, sed multo excellentius, multoq; sublimius, quoniam ipsum solum assumi oportuit, In quo sapientia Dei hominibus appareret. Aliud est, sapientem fieri per sapientiam Dei, & aliud est, ipsam personam sustinere sapientiæ Dei. Quamuis enim eadem natura sit capitis & corporis Ecclesiæ, multum tamen distare inter caput & membra, quis non intelligat? Quomodo ergo anima totum corpus nostrum animat & viuificat, sed in capite omnes sensus sunt, & ideo capiti cuncta subiecta sunt ad operandum, Illud autem supra collocatum est, ad consulendum: Sic vniuerso populo Sanctorum, tanquam vni corpori, caput est Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Quapropter aliter sunt sapientes cæteri homines, & aliter ille homo, qui sapientiæ ipsius, per quam reliqui sapientes fiunt, non solum beneficium habet, sed etiam personam gerit.

Cap. 24. Nec nos moueat, quòd clausis ostijs, subito eum apparuisse Discipulis, scriptum est, Vt propterea negemus, illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam huius corporis, videmus illud per clausa ostia intrare. Omnia enim possibilia, sunt Deo. Nam & ambulare super aquas contra naturam huius corporis esse, manifestum est, & tamen non solum ipse Dominus ante passionem ambulauit, sed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergò post resurrectionem suam, de corpore suo fecit, quod voluit.

Idem sermo. 160. de ostijs clausis: Magnum miraculum, sed mirari desines, si Deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo fecisset. Refer ad Omnipotentiam, non ad phantasiam. Item, Sicut non est naturæ corporalis, per ianuam clausam intrare: Sic non est naturæ corporalis, super fluctus maris ambu-

ambulare. Intrauit per clauſa oſtia, Et dicis, Da mihi ſoliditatem carnis. Ambulauit & ſuper aquas maris, Da tu mihi pondus carnis. Vis noſſe hæc omnipotentiæ fuiſſe. Et Petro dedit, qui, quod voluit, dedit, quod proprium erat, ſibi ſeruauit.

Sermo. 156. Quid mirum, ſi ſubſtantiam corporis per clauſa oſtia transmiſit, cui etiam penetralia ſupernorum patuerunt.

158. Conſidera autorem, & tolle dubitationem.

159. Dicis igitur mihi, Si ſuper aquas firmis greſsibus ambulauit, Vbi eſt corporis pondus? Reſpondeo: Si per oſtia clauſa intrauit, Vbi eſt corporis modus? Recedant pauliſper modus & pondus. Ille hæc fecit, cui nihil impoſsibile eſt.

Idem de verbis Apoſtoli, Serm. 12. Petrus ad Chriſtum inquit: Scio, quod corpus humanum, naturæ lege non ſinitur, in fluctibus liquidis fixa habere veſtigia. Sed accedat donum gratiæ, & paululum ceſſet iſta lex naturæ. Si tu es, iube me ad te venire.

CHRYSOSTOMVS.

Chryſoſtomus in 3. Cap. Iohan. Spiritum non ad menſuram intelligit Baptiſta, omnem operationem Spiritus, in aſſumpta natura, Nihil autem de Verbo Dei loquitur.

Idem Ebr. 2. Magnum eſt ſtupore plenum, carnem noſtrum ſurſum ſedere & adorari ab angelis, archangelis, Hoc ſæpius in mente verſans exceſſum patior.

1. Cor. 15. Si æqualis Deo eſt, quomodo in ſummam hunc excellentiam extulit Deus? Si in forma Dei, quomodo donauit ei nomen? Nam qui donat aliquid, non habenti donat, & qui extollit, quod humile prius erat, extollit. Quod ſi carnis diſpenſationem adiungas, tunc nihil erit, quod erres.

Idem Epheſ. 1. Eum qui ex terra eſt, in cœleſtibus omni creata natura ſuperiorem fecit, ſupra omnem principatum & poteſtatem. Perpende quanta ſit inter diuinam & humanam naturam differentia. Et ab iſta noſtra vilitate, ad iſtum honorem illum euexit. Non ſimpliciter dicit ἄνω, ſed ὑπεράνω. Non enim vnum, alterum, aut tertium gradum tranſcendit, Supernis quippe potentijs ſublimior eſt Deus, Et illuc eum, qui ex nobis eſt, ſubuexit

ſubuexit in ſupremum principatum, vltra quem non eſt alius quiſpiam honor. Et hoc dicit de eo, qui ex mortuis eſt excitatus, id quod admiratione dignum eſt, de Verbo ſiquidem Dei nequaquam. Nec ſimpliciter ſuperiorem ipſum fecit per comparationem tanquam præ alio honorandum, Sed qui reliquis velut ſeruis, Dominus præfectus ſit. Dicit enim, Omnia ſubiecit ſub pedes eius. Homini ergo ſerua eſt vniuerſa creata poteſtas, propter inhabitationem Dei Verbi. Poteſt enim fieri, vt in ſublimi quis ſit, qui tamen neminem habeat ſubiectum, ſed ſimpliciter præ alijs in honore habeatur. Huic verò omnia non ſimpliciter ſubiecit, ſed extrema ſubiectione poſt quam non eſt inferior. Dicit enim: Sub pedes eius ſubiecit omnia.

Theophylactus ex Chryſoſtomo in caput Matth. 28. Quia humana natura prius condemnata, nunc verò vnita Deo verbo perſonaliter, ſedet in cœlo, & ab Angelis adoratur, meritò dicit: Mihi data omnis poteſtas. Etenim humana natura prius ſeruiebat, nunc in Chriſto imperat omnibus. Et mox: Ego prius damnata natura, nunc abſq; naturarum confuſione, accepi poteſtatem omnem.

Idem in 3. cap. Ioh. Omnia dedit in manum Filij, iuxta humanitatem.

Theophylactus Epheſ. 1. De hac natura Paulus loquitur, quæ & mortua & excitata eſt: Diuina enim nec mortua, nec excitata, nec exaltata eſt, quæ nunquam non omnem altitudinem excellit. Ibidem, Vniuerſæ angelicæ poteſtati humana præſidet natura.

Chryſoſt. in Epiſtola ad Cæſarium Monachum: Vnus Filius, vnus Dominus, Idem ipſe proculdubio vnitarum naturarum vnam dominationem, vnam poteſtatem poſsidens, etiam ſi naturæ non conſubſtantiales exiſtant, & vnaquæq; in commixta proprietatis conſeruat agnitionem, propter quod inconfuſa ſunt duo.

Oecumenius ex Chryſoſt. Heb. 1. Magnum hoc, & nedum humanam excedit naturam, verumetiam omnem excedit creaturam, Quatenus Deus eſt, æternum habet Thronum, Pſal. 45.

Sed quod, vt Deus habebat, accepit vt homo. Vt homo igitur audit, Sede à dextris meis, Vt enim Deus, æternum habet imperium.

Idem 1. Cor. 15. Spiritum viuificantem ita interpretatur, Christus qua homo est, intelligitur energiam habere Spiritus, & illum Spiritum dicit, non tantum viuere, sed viuificare.

Aretas in 5. caput Apocal. ex Chrysostomo: Quod, quasi per suffragium, diuitiæ, potestas, sapientia, & similia, ad excellentiam accipientis, quasi, qui ea non haberet, distributa sint, humanæ id naturæ, quam ille assumserat, contributum est, diuina quippe natura, vt quæ omnem excedat honorem, rebus huiusmodi non eget.

Oecumenius Ephes. 4. Ascendit super omnes cœlos, τῆς ἐκεῖσε λήξεως καὶ καθέδρας τὸ πρόσλημμα ἡμῶν ἀξιῶν, Hoc est, Hæreditate & cathedra quæ ibi super omnes cœlos est, dignam faciens naturam à nobis assumtam.

Chrysostomus de resurrectione: Est quod nos quoq; cum Thoma dubitemus, nisi facta respiciamus autoris. Sed si Deum esse, de quo loquimur, cogitemus, cui nihil inuium confitemur, cuius hoc idem corpus clausis ostijs, in ipsa statim salutatione conspicuum spectabatur Discipulis. Hæc si indubia fide credimus, ab omni quæstionis scrupulo liberamur. Hanc ergo fidem nobis afferat, hanc à nobis reposcat, hanc in nobis inueniat, hanc relinquat. Hæc Chrysostomus.

Idem: Homilia de Baptista: Qui intrauit per ostia clausa, non erat phantasma, non erat Spiritus, verè corpus erat, Dicit enim, Palpate & videte, &c. Sed quomodo clausis ostijs introiuerunt ossa & caro? Clausa sunt ostia, & intrat, quem intrantem non videmus, Vnde intrauit? Omnia clausa sunt, locus non est, per quem intret, & tamen intus est, qui intrauit. Nescis, quomodo factum sit. Des hoc potentiæ Dei.

Chrysost. Ebr. 1. Christum secundum carnem, Pater iussit à cunctis angelis adorari, Psal. 96.

CYRIL-

CYRILLVS.

Cyrillus 6. Dialog. Glorificatur à Patre, non quia Deus, ſed quoniam erat homo, quaſi propriæ naturæ fructum, non habens potentiam operandi efficaciter diuinè, accipit quodammodo illam, per vnionem & ineffabilem concurſum, qui intelligitur Dei eſſe Verbi cum humanitate.

Ibidem: Curuatur ei omne genu, &c. Accepit autem hæc ſecundum humanitatem. Igitur propria quidem Verbi omnia, ſecundum quod natum eſt ex Deo, & dominatur omnibus cum Patre, Accipit autem hæc ſecundum humanitatem, quando factus eſt ſicut nos, ſuper quibus regnet & imperet, potentia ei à Deo data eſt.

Item: Verbo non conuenit aduentitia gloria, nec imperiũ extrinſecus conceſſum. Sed incarnato & habitanti inter nos, conuenire dicimus aduentitiam potentiam, ſum ſiſſeq; videri regnum & dominium. Dominium enim & Chriſtum factum eſſe à Deo & Patre, dicit Petrus, non Verbum, ſed Ieſum crucifixum.

Ibidem: Diuina & ineffabilis natura, conquieſcens ad paſſionem, ſubſternit ſibi inimicos ſcabellum pedum. Hoc autem omne Saluatoris noſtri ſubijcitur pedibus, quod non humano more operatus eſt. Neque, quia factus eſt caro, propter hoc præualet inimicis, ſed quia humanitatis paruitas, in ſummæ & excellentiſsimæ naturæ dignitatem peruenit, & ipſam in dignitatis ſolio collocauit, & cum carne Verbum vnigenitus Dei dominatur omnibus, non abſq; Patre, Nam quod eſt à Patre, hoc omnino opus eſt Filij.

Lib. 3. Theſauri cap. 1. Ferrum cum ignitum fuerit, & ignis participatione dicitur.

Lib. 4. cap. 12. Filius, qui ſecundum naturam vita eſt, accipere vitam à Patre dicitur, non in quantum verbum, ſed in quantum homo factus eſt. Addit enim, quia Filius hominis eſt, Ita tota Trinitas vitam filio vt homini præſtat.

Lib. 8. cap. 1. Cui humilitas congruit, hic exaltari quoq; dicitur. Humana verò natura, res humilis eſt, ipſa ergo exaltari quoq; intelligitur.

Ibidem: Altiſsimus Dei Filius ſemper eſt, vt Deus, exaltatur, vt homo, Nullius rei indiget, vt Deus, & tamen multa, vt homo, accipit. Naturæ humanæ proprium eſt à Deo accipere. Vt homo igitur per gratiam à Deitate accipit, quæ vt Deus naturaliter habet. Quare à ſe quoq; ipſe, vt à Deo, ipſemet accipit, vt homo. Nam ſi omnia Pater per Filium facit, neceſſe eſt credere, quod ipſe ſibijpſi exaltationem dedit & gratiam Patris, Deificato aſſumpto templo. Gratia ergò ipſi vt homini, accidit, Et exaltari dicitur propter carnem.

Lib. 9. cap. 3. In poteſtatem dominandi, vt homo aſcendit, Hominem enim aſſumſit, non vt liberam Deitatis naturam in formam ſerui ſubmergeret, neq; vt Deitatis dignitate ſuppreſſa, in proprietate noſtra teneretur, ſed vt ſeruitutem noſtram in dominandi honorem extolleret, & dedecus noſtrum, ad nobilitatem ſuam traduceret.

Lib. 10. cap. 2. Vt homo petit & accipit à Patre, quæ naturaliter habet, Vt Deus. Et tractans illud, Iohan. 17. Glorifica me ea gloria, &c. inquit: Naturæ noſtræ petitio, Vt in ipſo glorificaretur, facta eſt. Et tandem concludit, Accipere igitur omnia, ipſi, vt homini, attribuendum eſt, quæ, vt Deus, naturaliter habet.

Lib. 10. cap. 9. Glorifica me ea gloria, &c. Non ſibi λόγῳ à Patre gloriam petebat, qua ſicut natura Deus non indigebat, ſed paternam gloriam, in hominem, quem aſſumpſit, petendo vt homo, traducit.

Lib. 12. cap. 15. Conditio quædam atque proprietas vel dignitas alia creaturæ, alia creatori ineſt, Sed creatura quoq; Domino ſuo coniuncta, à propria conditione liberatur, & in meliorem traducitur, Ita natura noſtra â Filio Dei aſſumpta, menſuram ſuam exceſsit, & in conditionem aſſumentis eam per gratiam translata eſt.

Idem in Iohannem lib. 1. cap. 15. Vt cum caro eius fieret, qui verè immortalis eſt, Immortalitati eius participaret, Indecens enim omnino eſſet, ſi ignis quidem qualitatem ſuam coniunctæ ſibi materiæ immittere poſſet, ac eo modo in ſe materiam

am transmutare, Verbum autem Dei, vitam coniunctæ sibi carni, non posset infundere.

Lib. 2. cap. 144. Dedit vitam & potestatem iudicium faciendi, &c. causam, quare hæc sibi à Patre data dixerit, subiecit, dicens, Quia Filius hominis est, Vt intelligamus, omnia sibi data fuisse, vt homini, qui cum creatura sit, nihil habet à se ipso, vnigenitus verò Filius, non vitæ particeps, sed vita naturaliter, vt Pater est.

Lib. 3. cap. 37. Viuificat corpus Christi, & ad incorruptionem participatione sui educit.

Lib. 4. cap. 14. Quoniam Saluatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est, quando iam comedimus, tunc vitam habemus, in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac de caussa in exuscitandis mortuis, non solummodo Verbo ac imperio, vt Deus vtebatur, verumetiam carnem suam quasi cooperantem nonnunquam adhibebat, vt reipsa ostenderet carnem quoq; suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse.

Cap. 15. Ineffabiliter, & vltra quam mens humana possit intelligere, verbum humanitati coniunctum, totam in seipsum ita reduxit, vt indigentia vitæ possit viuificare. Sic interitum à natura humana expulit, & mortem destruxit. Quare qui Christi carnem manducat, vitam habet æternam. Habet enim hæc caro Verbum Dei quod naturaliter vita est, Ideò dicit: Ego, hoc est corpus meum, quod comeditur, resuscitabo eum. Ego, inquit, qui homo factus sum, per meam carnem, in nouissimo die, comedentes, resuscitabo. Quemadmodum, si quis scintillam ignis, in fœno aut palea occultauerit, totum inde ignitum necessariò fiet. Sic verbum Dei, tanquam scintilla, in naturam nostram immissum, totam inde inflammauit, atq; ad vitam reduxit.

Cap. 18. Qui è naturali vita emanaui, & homo factus viuo, corpus meum vita repleui, Non aliter, qui carnem meam manducat, propter me viuet. Mortalem enim carnem assumpsi, sed quia naturaliter vita existens, habito in ipsa, totam ad vitam meam reformaui.

Cap. 22. Si putatis carnem meam vitam vobis afferre non posse, quomodo tanquam volucris in cœlum ascendet? Hoc enim similiter generi humano impossibile est. Quod si præter naturam caro mea in cœlum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam viuificet? Nam qui terrestre hoc corpus cœleste confecit, Is etiam viuificum reddidit, cum natura sua corruptibile fuerit.

Cap. 24. Verba, quæ Ego loquor spiritus & vita sunt, Totum corpus suum, viuifica Spiritus virtute plenum esse, ostendit. Spiritum enim hic ipsam carnem nuncupauit, non quod naturam carnis amiserit, & in spiritum mutata sit, sed quia cum spiritu coniuncta, totam viuificandi vim hausit. Nec turbari propter hoc decet. Nam qui Domino conglutinatur, vnus cum eo spiritus est, Quomodo igitur caro Christi vnum cum eo non appellabitur? Hoc igitur Christus vult dicere, Putatis quod dixerim, terrestre hoc corpus, natura sua viuificum esse, Sed ego de Spiritu, & de vita æterna locutus sum. Non enim natura carnis Spiritui dat virtutem viuificandi, sed virtus spiritus carnem facit viuificam. Sed quod modo diximus, id iterum repetere non erit inutile, Natura carnis ipsa per se viuificare non potest. Quid enim maius natura Deitatis haberet? Nec sola esse in Christo intelligitur, sed habet Filium Dei sibi coniunctum, qui substantialiter vita est. Quando igitur viuificam Christus carnem suam appellat, non ita illi, vt sibi, siue proprio Spiritui, vim viuificandi attribuit. Nam propter seipsum Spiritus viuificat, ad cuius virtutem per coniunctionem caro conscendit. Quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio ac firma fide id suscipimus.

Lib. 10. cap. 13. Caro vitæ facta vnigeniti caro, ad virtutem vitæ reducta est, propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit.

Lib. 11. cap. 15. Qui omnia possidet, vt Deus, omnia recipit vt homo, cui regnare aduentitium est, hoc est, non naturale. Creaturæ namq; rectè dicitur, Quid habes, quod non accepisti? Creatura autem etiam verè Christus est, in quantum homo.

Cap. 17.

Cap. 17. Gloriam ſuam, quam ſemper habet, vt Deus, vt homo petijt, Nec quia gloriæ vnquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicuntur, ſed quia in gloriam, quæ ſibi ſemper adeſt, vt Deo, proprium templum ſubducere volebat.

Lib. 12 cap. 53. Quia clauſis ianuis ingreſſus eſt, Quidam dixerunt, ipſum reſurrexiſſe, non cum ſuo corpore, ſed nudum corpore apparuiſſe. Cap. 57. Alij vmbra ad humanam figuram confictа, Alij corpore ſpirituali, hoc eſt, aëreo & alio præter carnem. Sed omnipotentia ſua, natura rerum ſuperata, clauſis foribus ingreſſus eſt. Nullus ergo quærat, quomodo clauſis ianuis corpus Domini penetrauit, cum intelligat, non de homine nudo, vt nos ſumus, ſed de Omnipotenti Filio Dei hæc ſcribi. Nam cum Deus verus ſit, rerum naturæ non ſubiacet, quod in cæteris quoq; miraculis patuit. Ita ſuper maria, quaſi ſuper aridam ambulauit. Quod ſi hanc operationem Chriſti percipere nequeas, Cur potius ingenij humani imbecillitatem non accuſas? &c.

Idem de recta fide ad Theodoſium: Vt terrenum hoc corpus, à ſubintroducta corruptione liberaret, Immiſit illi ſuam vitam, ipſa per vnionem diſpenſatione. Et animam propriam induens, quæ humana faciens, oſtenderet alteram ſuam immutabilem naturam, quaſi vellus, quod colore tingitur.

Ibidem: Non Diuinitas deſcendit, ſed anima vnionem ſortita ad Verbum, deſcendit in infernum, Diuina autem virtute & efficacia vtens, & Spiritibus, qui illic erant, apparuit, dicens compeditis, Egredimini.

Item: Viuificare dicitur, propter ineffabilem natiuitatem, ex viuente Patre, attamen eſt videre, vbi tribuitur propriæ carni, Diuinæ efficacia gloriæ. Viuificat igitur nos, vt Deus, Veruntamen non in ſolo hoc, quod particeps eſt Spiritus, ſed & manducabilem apponens carnem Filij hominis, Verbum verò non eſt eſibile. Item: Ocioſam confitebimur terrenam carnẽ, ad hoc, vt poſsit viuificare, quatenus pertinet ad propriam naturam, Quomodo igitur viuificat caro? Secundum vnionem cum viuente verbo, Quod & ſuæ naturæ bona, proprio corpori, communia ſolet facere.

Ibidem:

Ibidem : Non absq; carne, sed potius cum ipsa, & in ipsa, dominationis susceꝑit gloriam, qui lege carnis, & natura nobis simili, mortuus est, & resurrexit.

De recta fide ad Reginas lib. 1. Quando nominatur Christus Iesus, Verbum ex Deo Patre hominem factum, & incarnatum, intelligere oportet.

Ibidem: Citat hanc Athanasij sententiam, fastigium Deitatis occultans humili sensu incarnationis, humilitatem autem corporis, quod videbatur efficacia Deitatis, extollebat. Ne interrogeris, Quomodo? Vbi enim Deus vult, ibi naturæ vertitur ordo, Voluit enim, potuit, &c.

Lib. 2. Accepisse gloriam, potestatem ac regnum super omnia, referendum est ad conditiones humanitatis.

De Incarnatione vnigeniti cap. 7. Idem in eodem, Deus, simul & homo, Et sua quidem dicit Deus verbum ea, quæ sunt carnis propria, quia ipsius est corpus, & non alterius, Communes autem facit tanquam cum sua carne diuinæ suæ maiestatis operationes, vt possit etiam viuificare mortuos, sanare infirmos, &c.

Cap. 8. In carbone tanquam in imagine licet conspicere, adunatum quidem humanitati Deum Verbum, non tamen proiecisse quod fuerat, transformasse autem magis assumptam naturam in suam gloriam & operationem. Sicut enim ignis ligno affixus, & in id penetrans comprehendit quidem ipsum, & quamuis lignum esse non desinat, vim tamen suam speciemq; transmutat omnem, Ac ignis se confert in lignum, & cum ipso iam quasi vnum aliquid æstimatur. Idem intellige & de Christo, Adunatus enim inæstimabiliter humanitati Deus, seruauit quidem ipsam in eo quod fuerat, & ipse permansit, quod erat, Semel tamen adunatus, quasi vnus iam cum ipsa putatur, ea quæ sunt illius sua faciens, conferens autem ei etiam naturæ suæ operationem.

Cap. 9. Odor est res incorporea, habet autem quasi proprium corpus, id, in quo inest, Ita intelligimus Diuinitatis naturam, quæ suam excellentissimam maiestatem, vt odorem suauissi-

uiſsimum mundo diſpergat, tanquam in ſubiecto eſſe, in corpore humanitatis. Et poſtea addit, In eo enim diuina ſigna operatus eſt.

Cap. 11. Verbum, per quod omnia, volens ſeruare quod perierat, deſcendens ad nos, in id, quod non erat ſe immiſit, vt & hominis natura, id quod non erat fieret, Diuinæ maieſtatis dignitatibus per adunationem, niteſcens, quæ ſubleuata magis eſt vltra naturam, quam deiecit intra naturam, inuertibilem Deum.

Idem ad Succeſſum, Epiſtola 1. Poſt reſurrectionem erat ipſum corpus, quod paſſum fuerat, veruntamen iam non habens in ſe infirmitates humanas, ſed iam incorruptibile conſitemur, neq; hoc ſolum, ſed & viuificum, vitæ enim corpus eſt, glorificatum claritate Deo digniſsima. Idcirco ſi quis illud diuinum dicat, ſicut & hominis humanum, à decentiſsima ratione non deuiat. Vnde puto Paulum dicere, Etſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc non nouimus, Dei enim proprium corpus exiſtens, omnia humana tranſcendit.

Idem in Iohannem lib. 4. cap. 23. Non imperitè omnino viuificam carnem eſſe negatis, Nam ſi ſola intelligatur, nihil prorſus viuificare poteſt, quippe quæ viuificante indigeat, Cum verò incarnationis myſterium laudabili cura ſcrutati fueritis, & vitam habitantem in carne cognoueritis, quamuis nihil penitus caro per ſe ipſam poſsit, viuificam tamen eſſe factam credetis. Nam quoniam cum viuificante verbo caro coniuncta eſt, tota eſt effecta viuifica. Non enim ad corruptibilem ſuam naturam iunctum Dei verbum detraxit, ſed ipſa ad melioris virtutem eleuata eſt. Quamuis ergo natura carnis, vt caro eſt, viuificare nequeat: Facit tamen hoc, quia totam verbi operationem ſuſcepit. Corpus enim eſt non cuiuſuis hominis, cuius caro prodeſſe non poteſt, Non enim Pauli aut Petri aut cæterorum, Sed ipſius vitæ corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc poteſt. Nam ſi mel, cum naturaliter dulce ſit, ea dulcia facit, quibus immiſcetur, nónne ſtultum erit, viuificam verbi naturam, putare non dediſſe homini, in quo ha-

bitat, viuificandi virtutem? Quas ob res, caro cæterorum omnium nihil prodeſt, Chriſti autem caro, quia in ipſa vnigenitus Dei Filius habitat, ſola viuificare poteſt.

Idem in Epiſtola Synodica, In Cœna Dominica, non communem carnem accipimus, nec vt viri ſanctificati, ſed vt vere viuificatricem, & ipſius verbi propriam. Cùm enim vita ſit ſecundum naturam, vt Deus, quoniam vnum eſt cum carne ſua, viuificatricem eam eſſe oſtendit. Non igitur illam veluti hominis cuiuſdam ex nobis eſſe arbitramur (quomodo enim hominis caro ſecundum naturam ſuam viuifica erit.) Sed tanquam propria facta illius, qui propter nos Filius hominis & factus eſt & appellatus.

Anathematiſmo 11. Si quis non confitetur Carnem Domini eſſe viuificam, & ipſius verbi, quod ex Patre eſt propriam, ſed tanquam alterius cuiuſpiam præter ipſum, ſecundum Diuinitatem inhabitatione duntaxat cum ipſo coniunctam, & non magis viuificam, ſicut diximus, propterea quod propria facta eſt Verbi, quod omnia viuificat, Anathema ſit.

Atque iterum obſeruetur illa Cyrilli phraſis, quod caro Chriſti ſit viuifica, non καθ' ἑαυτὼν ſecundum ſeſe, vel ſecundum naturam ſuam, ſed κατ' ἄλλο καὶ δι' ἄλλο, ſecundum aliud, & propter aliud, ſcilicet καθ' ἕνωσιν cum verbo viuente, ſicut Cyrillus loquitur, vbi κατ' ἄλλο, non hoc vult, quod Diuinitas ſola ſeorſim viuificet, ſed indicat cauſſam, vnde caro Chriſti hoc habeat, quod & ipſa ſit viuifica, & quomodo viuificet.

PAVLVS EMISSENVS.

Apud Cyrillum homilia 3. Attende quid dicatur, Diuiniora quidem aſſumptæ naturæ dedit, eorum verò, quæ humanitatis ſunt, nihil in ſe recepit, Ambulauit ſupra mare, ſed cum proprio corpore, increpauit ventos, ſed per proprium corpus, Leproſo dixit, Volo, mundus eſto, Et tetigit eum, corpus videlicet Dominicum, & ceſsit morbus, Pauit quinq; millia, ſed per proprium corpus. Solius Dei eſt remittere peccata, Dicit autem, vt ſciatis poteſtatem habere Filium hominis remittendi peccata,

peccata, &c. Item dicit: Nemo aſcendit in cœlum, niſi, qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Vides eum, quæ diuiniora ſunt humanitati dediſſe. Cùm autem vides eum eſurientem, ſudantem, crucifixum, tùm cogita, quod Deus Verbum paſsionis quidem manſerit expers, verum hæc omnia proprio corpori facta, ſibi appropriârit, vt autem oſtenderet, ſe non paſsionis quidem tempore templo ſuo deeſſe, ſed patienti adfuiſſe, radios Solares tanquam Deus extinxit, petras rupit, mortuos excitauit.

Ibidem homilia 7. Non duos Filios dicimus, neq; nudum hominem Emanuelem, neq; gratia tanquam Prophetam aut iuſtum aliquem, plus alijs donatum. Sed placuit in illo habitare omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter, hoc eſt, tanquam in proprio corpore, noſtrum enim corpus proprium ſibi fecit. In hac fide fundata eſt Eccleſia Dei.

THEODORETVS.

Dialogo 2. Corpus Dominicum ſurrexit quidem à corruptione & interitu alienum, & impatibile & immortale, & diuina glorificatum gloria, & à cœleſtibus adoratur poteſtatibus, Corpus tamen eſt, & habet quam prius habuit circumſcriptionem.

Ibidem: Corpus Chriſti in gloria, non eſt mutatum in aliam naturam, ſed manſit quidem corpus, verum diuina gloria impletum, & lucis emittens radios. Et ſanctorum quidem corpora habebunt etiam gloriæ partem & communionem, In quantitate autem tanta eſt differentia, quantum differt Sol à ſtellis, vel potius quantum Dominus à ſeruis, & quod illuminatur ab eo quod illuminat. In qualitate ergo, non quantitate, Sanctorum corpora erunt corpori Domini conformia. Item: Corpus Domini vocamus Diuinum, viuificum, & Dominicum.

Idem in capite de Antichriſto: λόγ& Homo factus, οὐμοφυικὴν non particularem gratiam contulit aſſumtæ naturæ, ſed totam plenitudinem Deitatis complacuit in ipſo habitare.

Ibidem in Psal. 2. Constitui regem meum, &c. ἀνθρωπίνως humanitus hoc dixit, Vt enim Deus innatum habet regnum, Vt homo decreto accipit, ita cum altissimus nominatus sit, vt Deus, exaltatus est vt homo. Et humanam altitudinem Paulus docet, dicens, Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Item: Dabo tibi possessionem terminos terræ, &c. Cum natura Dominus sit, vt Deus, etiam vt homo vniuersorum imperium accipit.

Idem in Psal. 8. Cum Verbum nostram naturam assumsisset, post exinanitionem super omnem potestatem, & super omne nomen exaltatus est, & omnia sub pedibus suis subiecta habet, non solum oues & boues, sed omnem creaturam, Sola enim increata natura ab illa subiectione libera est. Hæc autem, quæ ab illa substantiam accepit, qualiscunq; sit, siue visibilis, siue inuisibilis, subdita est tanquam Deo & homini Domino Christo. Huiusmodi igitur honorem à Deo vniuersitatis, scilicet imperium, humana natura in Christo accepit.

In Psal. 110. Sede à Dextris meis, Magnum est hoc, & non modo omnem humanam naturam excedit: Verumetiam totam vniuersitatem. Atqui & hoc ἀνθρωπίνως dictum est, Vt enim Filius Deus sempiternum habet imperium, Sed vt homo accepit, quod vt Deus habebat, vt homo igitur audit, Sede à dextris meis, Nam vt Deus sempiternum habet imperium.

Idem in 1. caput ad Ephesios: Constituens eum supra omnem potestatem, &c. Clarum est, Paulum hæc omnia posuisse tanquam de homine, ea enim de causa etiam admiratione ductus est. Quod enim qui Deus est, vnà cum Deo sedeat, & qui est Filius, vnà cum Patre regnet, non est admirabile, Cum enim eadem sit natura, ei quoq; potestatis coniuncta est societas, quod vero assumta ex nobis natura, eiusdem honoris cum eo, qui assumsit, fit particeps, vt nulla videatur adorationis differentia, sed per naturam, quæ cernitur, adoretur quæ non cernitur Diuinitas, Hoc verò omne miraculum superat. Et ideò Apostolus quærit vocabula, quibus possit significare rem admirabi-

mirabilem, nominat enim insignem potentiæ magnitudinem. Deinde operationem potentiæ, virtutis, qua suscitauit eum à mortuis, hominem scilicet. Deinde sedere fecit, & ostendens honoris magnitudinem, addit, Ad dexteram eius, quinetiam regiam ostendit, in cœlestibus, Deinde & subiectos nominat, quorum nomina nota sunt, super omnem principatum & potestatem. Et adijcit, Super omne nomen, Quia non omnia, quæ in futuro seculo sunt, iam cognoscimus. Et propheta hæc posuit tanquam de homine, Quid est, inquit, Homo aut Filius hominis ?

Idem in 2. cap. ad Philip. Deus exaltauit eum, donauit ipsi nomen, &c. vel stultissimis clarum est, Diuinam naturam nullius egere, Sed cum humanam naturam suscepisset, qui erat humilis, exaltatus est, & qui erat altissimus, seipsum humiliauit. Non ergo ea accepit, quæ prius non habebat, sed accepit vt homo, quæ habebat vt Deus. Nomen autem quidam interpretati sunt gloriam, Sed ego ex Epistola ad Hebræos inuenio aliam dicti intelligentiam, quod scilicet vocatur Filius Dei.

Idem in Psal. 21. Si natura assumta, cum Diuinitate assumente est copulata, Et iam eiusdem gloriæ & honoris particeps, & consors facta est. Colos. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis, Christum nominat hoc loco Caput. Clarum est autem, quod quatenus homo, est caput nostrum. Hæc igitur tanquam de homine dicta sunt, qui tamen omnem in se continet Diuinitatem. Quod Paulus addit, Eam inhabitare corporaliter, idem est, tanquam in proprio corpore eam inhabitare, Non enim singularem aliquam seu particularem gratiam accipit. Est enim Deus & homo, Et id quod videtur, vnitam habet vnigeniti natura, vnde radij producuntur in vos, atq; ita in ipso repleti, Ebr. 1. Sedet ad dexteram: Humanitus hoc dictum est, Nam vt Deus erat vniuersorum Dominus, vt homo autem accepit gloriam quam habuit vt Deus. Et idem est, quod petit Iohan. 17. Glorifica me ea gloria, quam habui apud te ante mundum. Petijt autem, non vt acciperet, quod non habuit, sed vt ostenderentur quæ habebat.

Ibidem: Præstantius hæc nomen hæreditauit: Nam vt Deus factor est angelorum & Dominus, vt homo minor erat angelis propter mortis perpessionem, Postquam autem resurrexit & ascendit in cœlum, præstantior effectus est angelis, consedit enim super omnem principatum, &c. Ephes. 1.

Item, Omnium est opifex vt Deus, omnium hæres vt homo.

Ibidem: Christus semper accepit ab angelis cultum & adorationem, erat enim semper Deus, Iam autem adorant ipsum etiam vt hominem.

Item: Pater non tanquam Deo dicit, Sede â dextris meis, thronus enim eius æternus est, vt homo ergo huius honoris est particeps, Nam vt Deus habet æternam sedem.

Idem Ebr. 2. Confert angelos cum Christo, non vt cum Deo, sed vt cum homine, Et ostendit non angelos, sed ipsum occupasse dominium vniuersorum.

Ibidem: Non natura Diuinitatis fuit minor angelis, sed perpessione humanitatis, quæ & ipsa post resurrectionem diuinam gloriam est consecuta.

Item, Omnia opus habent humanæ susceptæ naturæ medicatione.

Idem Theodoretus dialog. 3. probat & laudat hanc Apollinarij sententiam: Si mixtio ignis cum ferro, quæ ferrum ostendit ignem, Ita vt etiam ea faciat, quæ sunt ignis, non mutat naturam ferri: Neq; igitur Dei cum corpore vnio, mutatio corporis est, Licet corpus diuinas operationes præbeat. Item, Diuinum axioma est cum Deo considere, quod corpori Christi tribuitur: Illud vocat Diuinarum operationum ὄργανον κλυδωνίου omnis maliciæ, ipsius mortis καθαιρετικὸν, & resurrectionis ἀρχηγὸν.

PRIMASIVS AVGVSTINI DISCIPVLVS.

In 1. cap. ad Ebræos: Postquam maiestatem Diuinæ æternitatis in Filio esse ostendit, iterum conuertit Apostolus sermonem ad glorificationem humilitatis eius. Nulli enim Archangelorum, dominationū, aut virtutum, seu principatuum, dixit:

Sede

Sede à dextris meis, hoc eſt, habita mecum, & quieſce in plenitudine maieſtatis meæ, Victori autem filio, & totius mundi per Incarnationis ſuæ diſpenſationem triumphatori, dicit, Laboraſti in paſsione, quieſce iam mecum in gloria.

Ibidem: Sedere hoc loco ponitur pro habitare & eſſe, ſicut & dextra pro honore, gloria & dignitate ſumma. Quid eſt ergo, Sedet ad dexteram Maieſtatis? Niſi vt dicatur, Habitat in plenitudine paternæ maieſtatis, Et cum dicit: In excelſis, Oſtendit illum hominem ſuper omnem creaturam, angelicam & humanam exaltatum eſſe.

Et poſtea, Præſtantior angelis, maioris dignitatis eſt præ angelis. Quoniam ille Creator (ſecundum Diuinitatem dico) illi creaturæ, Ipſe quoq; homo, in hoc eſt maior omnibus angelis, omnicq; creatura, quia poteſtas, quæ erat in Verbo ante omnia ſecula, requieuit in illo homine à Verbo aſſumto, ex tempore conceptionis. Quapropter angeli ſunt eius miniſtri & famuli, ſicut in eius natiuitate, tentatione, paſsione, reſurrectione, & aſcenſione declaratum eſt. Ille autem Filius proprius & hæres exiſtit.

In 8. cap. ad Ebr. Non pueriliter accipiendum eſt, quod Pater dexteram aut ſiniſtram habeat, qui Spiritus eſt omnia implens, Sed dexteram, & ſedem magnitudinis in cœlis, debemus accipere plenitudinem paternæ maieſtatis, ſummamq; gloriam beatitudinis, & proſperitatis.

Idem in 2. cap. ad Ebræos: Gloria coronatus eſt, cum poſt reſurrectionis triumphum, hæreditatem totius mundi, in hoc quod homo eſt accepit, honore coronatus eſt, in confeſsione æternæ Maieſtatis, hoc eſt, in eo, quod in plenitudine paternæ gloriæ habitat. Per hoc quod homo factus eſt, conſtitutus eſt à Deo Patre, ſuper omnia opera manuum eius, cœleſtia videlicet, terreſtria & inferna, qui ſecundum Diuinitatis potentiam, ſicut cum Deo Patre omnia creauerat, ita cum illo omnia poſsidebat. Sed & homini omnis creatura monſtratur eſſe ſubiecta, quia ſicut Verbo omnia creata ſunt, Ita ille homo aſſumptus à Verbo, cum Verbo poſsidet omnia.

In 7. cap. ad Ebræos; Factus est cœlis excelsior, quando quadragesimo die super omnes cœlos, & super omnes ordines cœlestium spirituum eleuatus est, ad consessum paternæ maiestatis, Vbi nunc sedet in plenitudine honoris & gloriæ.

Idem in 5. caput Apocal. Ipsa humana in Christo natura, angelis prælata, dominatur in Cœlo, prædicata hominibus, regnans dominatur in terra, quæ solutis gemitibus inferorum, præualens, dominata docetur, & sub terra.

LEO ROMANVS.

Cuius Epistolas Prosperi stilo delineatas esse, Gennadius existimat.

Leo Epist. 11. Assumti non assumentis prouectio est, quod Deus illum exaltauit, & dedit ei nomen, &c.

Ibidem: Natiuitas Domini, quamuis habeat quædam propria, quibus conditionis humanæ initia transcendat, non alterius tamen naturæ erat eius caro quam nostra, nec alia illi, quam cæteris hominibus, anima est inspirata, quæ excelleret, non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis.

Epist. 22. Tractans locum Ephes. 1. Dicant aduersarij veritatis, quando omnipotens Pater, vel secundum quam naturam, Filium suum super vniuersa prouexerit, vel cui substantiæ, cuncta subiecerit. Deitate enim semper per omnia fuerunt subiecta. Huic si addita potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat prouehente.

Ibidem: Assumsit nostram naturam, non vt minueret Diuina humanis, sed vt augeret humana diuinis.

Epist. 81. ad Palestinos, de loco Philip. 2. Quamuis vnus sit Dominus Iesus Christus, & veræ Deitatis, veræq; humanitatis, in ipso vna prorsus eademq; persona sit, Exaltationem tamen, qua illum exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod super omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei, æqualis erat Filius Patri, inter quos, nulla in essentia discretio, nulla in maiestate diuersitas, Nec per Incarnatio-

nationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod ei Patris munere redderetur, forma autem serui humana humilitas est, quæ in gloriam diuinæ potestatis euecta est, in tantam vnitatem ab ipso conceptu virginis, Deitate & humanitate connexa, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana.

Ibidem: Quicquid ergo in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit, cui, quæ non habuit, conferuntur. Nam secundum potentiam Verbi, indifferenter omnia, quæ habet Pater, etiam Filius habet. Et quæ in forma serui à Patre accepit, eadem in forma Dei etiam ipse donauit.

Epistola 95. citat Augustini sententiam, explicans illud, Gauderetis vtiq; quia vado ad Patrem: Humanæ naturæ gratulandum est, eò quod sic assumpta est à Verbo vnigenito, vt immortalis constitueretur in cœlo, atq; ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram Patris. Citat & Chrysostomi sententiam: Cognoscamus, quæ natura est, cui Pater dixit, Esto meæ particeps sedis, illa natura est, cui dictum est, Terra es, & in terram ibis. Item, Natura fragilis, natura contemta, omnia vicit, omnia superauit, & omnibus hodierna die meruit excelsior reperiri. Hodie Angeli & Archangeli, naturam nostram in sede Dominica, immortali fulgentem gloria, peruiderunt.

Leo sermone 10. de Incarnatione: Tota plenitudo Diuinitatis inhabitat in Christo corporaliter. Totum igitur corpus eius implet tota Diuinitas, & sicut nihil deest illius maiestatis, cuius habitatione repletur habitaculum, Sic nihil deest corpori, quod non suo habitatore sit plenum. Quod autem Paulus addit, Et estis repleti in illo, Nostra vtiq; significata est natura, ad quos illa repletio non pertineret, nisi Dei Verbum, nostri sibi generis & animam & corpus vniuisset.

Ibidem: Iustificandis hominibus hoc principaliter opitulatur, quod vnigenitus Dei, etiam hominis Filius esse dignatus est, vt ὁμοούσιος Patri Deus, hoc est, vnius substantiæ, idem homo verus, & secundum carnem matri consubstantialis existeret. Vtroq; gaudemus, quia non nisi vtroq; saluamur, in nul-

lo diuidentes visibilem ab inuisibili, corporeum quod ei Patris reo, palpabilem ab impalpabili, formam Dei à humilitas est, nis. Quia etsi vnum manet ab æternitate, aliud am vnitatem pore, quæ tamen in vnitatem conuenerunt, nec se connexa, vt possunt habere, nec finem, dum exaltans & exalt humana. cans & glorificatus, ita sibimet inhæserunt, vt siue Christus, se- tentia, siue in contumelia, nec diuina in Christo car conferuntur. nis, nec humana diuinis. Omnia, quæ ha-

Idem de Quadragesima serm. 8. Nolite cogita ri à Patre ac- Christo aut sola sit humanitas, aut sola Diuinitas, fideliter credite, vtrumq; humiliter adorate, vt in v plicans illud, & carnis, non sit vlla diuisio, Sed Verbo inuiola naturæ gratu- rato à carne passibili, particeps per omnia intelliga genito, vt im- tas carnis, & caro Deitatis. rra sublimis,

Idem Serm. 3. de passione: Hoc fides Catholic ris. Citat & exigit, vt in Redemptore nostro duas nouerimus c natura est, cui turas, & manentibus proprietatibus suis, tantam t, cui dictum tatem vtriusq; substantiæ, vt ab illo tempore, quo gilis, natura ginis vtero, Verbum caro factum est, nec Deum ilt ibus hodier- quod homo est, nec hominem sine hoc iceat co & Archangeli, Deus est. lgentem glo-

Item: Suscepit ergo totum hominem Deus, & ritudo Diuini- que illum sibi, misericordiæ & potestatis ratione c tate transiret. n igitur corpus ius maiestatis,

VIGILIVS.

Lib. 5. contra Eutychen: Diuina natura non in ni deest corpo- ribus sublimari, dignitatis profectibus augeri, pote autem Paulus & terræ, obœdientiæ merito accipere. Secundum a est natura, naturam exaltatus est, honoratus, coronatus, mel bum, nostri si- nis dignitatem adeptus, qui secundum naturam V paliter opitu- nihil eguit aliquando, vt scilicet potestatem cœli is esse digna- reditatem gentium, & subiectionem vniuersorum stantiæ, idem acciperet. Nunquid enim potestatem & dominiu stantialis ex- suæ conditor non habebat, vt nouissimis tempori amur, in nul-

lo di-

lo diuidentes visibilem ab inuisibili, corporeum ab incorporeo, palpabilem ab impalpabili, formam Dei à forma hominis. Quia etsi vnum manet ab æternitate, aliud cœpit in tempore, quæ tamen in vnitatem conuenerunt, nec separationem possunt habere, nec finem, dum exaltans & exaltatus, glorificans & glorificatus, ita sibimet inhæserunt, vt siue in omnipotentia, siue in contumelia, nec diuina in Christo careant humanis, nec humana diuinis.

Idem de Quadragesima serm. 8. Nolite cogitare, quasi in Christo aut sola sit humanitas, aut sola Diuinitas, sed vtrumq; fideliter credite, vtrumq; humiliter adorate, vt in vnitate verbi & carnis, non sit vlla diuisio, Sed Verbo inuiolabili non separato à carne passibili, particeps per omnia intelligatur, & Deitas carnis, & caro Deitatis.

Idem Serm. 3. de passione: Hoc fides Catholica tradit, hoc exigit, vt in Redemptore nostro duas nouerimus conuenisse naturas, & manentibus proprietatibus suis, tantam factam vnitatem vtriusq; substantiæ, vt ab illo tempore, quo in beatæ virginis vtero, Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc, quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est.

Item: Suscepit ergo totum hominem Deus, & ita se illi, atque illum sibi, misericordiæ & potestatis ratione conseruit, vt vtraq; natura alteri inesset, & neutra in alteram à sua proprietate transiret.

VIGILIVS.

Lib. 5. contra Eutychen: Diuina natura non indiget honoribus sublimari, dignitatis profectibus augeri, potestatem cœli & terræ, obœdientiæ merito accipere. Secundum carnis igitur naturam exaltatus est, honoratus, coronatus, melioris nominis dignitatem adeptus, qui secundum naturam Verbi, horum nihil eguit aliquando, vt scilicet potestatem cœli & terræ, hæreditatem gentium, & subiectionem vniuersorum, ex tempore acciperet. Nunquid enim potestatem & dominium creaturæ suæ conditor non habebat, vt nouissimis temporibus, muneris gra-

ris gratia his potiretur? Item, Diuina natura ne conferri quidem potest angelis, vt eorum collatione reperiatur excellentior. Quod igitur Scriptura dicit, Melior factus angelis, Item, Nomen excellentius accepit, &c. Secundum carnis naturam intelligendum est.

EX SEXTA GENERALI SYNODO.

In Sexta generali Synodo citantur hæ Athanasij sententiæ: Sublimatum ineffabiliter ostendit hominem, per vnitionem altissimi, & communionem naturæ ex veritate.

Item, Natura tota Verbi, in ostensione formæ ipsius humanæ carnis. Tentator accedens, & non inueniens in Christo, vetustatis nec suæ sationis indicium, verebatur confusus & victus dicens: Quis est hic, qui venit ex Edom? id est, ex hominis terra incedens cum potentia, Ideo Christus dicit: Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.

Citatur etiam ibi sententia Euphenij Antiocheni: In natura humana vltra naturam operabatur Christus Deus noster, non interemta humana sua carne.

Item: Christi anima, licet eiusdem naturæ cum reliquis hominibus, citra peccatum existens, superascendit omnem creaturam, visibilem & inuisibilem & adoratur à supernis virtutibus, vnita Deo omnium conditori, militia cœlorum circumfusa ei & deseruienti, vtpote animæ Dei.

Ibidem Sophronius Hierosolymitanus inquit: Humana eius sunt vltra hominem. Item: Quæ vltra naturam humanam effecta sunt, vt exitus ex sepulchro obsignato, Ingressus per ianuas clausas, corporalis ascensio in cœlum, &c. Diuinæ naturæ verbi, profecto existebant indicia, etsi per carnem agebantur & corpus, & non sine carne agebantur.

In 7. Synodo citatur hæc Athanasij sententia: Lana communis ouium fructus est. Verum postquam tinctura, quæ de mari accipitur, subdita fuerit, purpura dicitur, & appellatione mutata & vsu, propter excellentiam, Regibus tantummodo aptatur. Ita & lana est & non est. Eodem modo caro ex natura communi

assumpta, postquam facta fuerit Regis cœlorum tegumentum, eiusdem fit cum ipso Rege dignitatis, quanquam natura non fuerit talis.

Citatur etiam ibi Cyrilli sententia ex oratione contra libidinosos. Caro Christi non intelligitur in naturam Deitatis transmigrasse, Sed quia λόγ@ gloria propria illam illustrat, rectè intelligitur, Deum decentibus impleta dignitatibus.

DAMASCENVS.

Scriptor hic recentior est, qui circa Annum Domini 730. floruit, ac multa ex ætatis suæ fecibus, puritati doctrinæ cœlestis, in alijs articulis admiscuit. Sed in doctrina de Trinitate, ac præcipuè de persona Christi, ex præcipuis veteris Ecclesiæ doctoribus, & vniuersalibus Synodis, integras sententias, ijsdem fermè autorum vnde sumsit, verbis, descripsit. Atq; ideò sententias eius, sicut in præcedentibus, ita in hoc etiam capite eò libentius annotare volui.

Damascenus lib. 3. cap. 3. Christus nomen est personæ, vtriusq; naturæ significatiuum. Ipse enim seipsum vnxit, vt Deus quidem, Deitate sua vnxit corpus, Vnctus verò est vt homo, Deitas verò vnctio est humanitatis. Ne verò per confusionem illud factum cogitetur, aut formaliter, sed per vnionem, mox addit regulam, Quod vna natura non sit δεκτικὴ susceptiua contrariarum substantialium differentiarum.

Cap. 6. Apostolus inquit: Quod in Christo inhabitet tota plenitudo Deitatis corporaliter. Et aduerbium corporaliter ita exponit, τουτέστι ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, hoc est, in carne eius.

Cap. 7. Licet dicamus naturas Domini ἐν ἀλλήλαις περιχωρεῖν in se mutuo immeare, scimus tamen, quod ex Diuina natura ἡ περιχώρησις proueniat, Ipsa enim per omnia permeat, sicut vult, per ipsam autem nihil. Et ipsa quidem, τῶν οἰκείων αὐχημάτων τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι propriam suam excellentiam aut gloriam, carni communicat seu impertit, manens ipsa impassibilis, & ἀμέτοχ@ expers passionum carnis. Si enim Sol propri-

as suas

as ſuas operationes nobis communicans, manet expers eorum, quæ noſtra ſunt, quanto magis ſolis factor, & Dominus.

Cap. 15. Diuina ſigna operabatur diuinitas, ſed non ſine carne, & caro humilia, ſed non abſq; Deitate. Patienti enim carni counita erat Deitas, manens impaſsibilis, & paſsiones efficiens ſalutares, Ac operanti verbi Deitati, counita erat ſancta anima, intelligens & videns, quæ perficiebantur. Proprias igitur ſuas glorificationes Deitas corpori communicat, ſeu impertit, ipſa verò paſsionum carnis manet expers. Non enim ſicut Deitas Verbi per carnem operabatur, ita & caro eius per Deitatem patiebatur, Caro enim organon Deitatis conſtituta eſt.

Cap. 17. Caro Domini dicitur τεθεωμένη, Deificata, iuxta Nazianzenum, οὐ κατὰ μεταβολὴν φύσεως ἢ τροπὴν, ἢ ἀλλοίωσιν, ἢ σύγχυσιν, non ſecundum naturæ tranſmutationem, conuerſionem, alterationem, aut confuſionem, ſed ſecundum οἰκονομίαν, vnionem dico hypoſtaticam, ſecundum quam inſeparabiliter Deo Verbo vnitur, & ſecundum περιχώρησιν naturarum in ſe mutuam, ſicut dicimus & ferri ignitionem. Sicut enim incarnationem ſine tranſmutatione & conuerſione confitemur, ita & carnis θέωσιν Deificationem factam glorificamus. Neq; enim ideò, quia Verbum caro factum eſt, à terminis propriæ Deitatis exceſsit, vel ab ijs, quæ ipſi inſunt, Deum decentibus glorificationibus, Neq; Caro θεωθεῖσα, à propria ſua natura, aut à naturalibus ſuis proprietatibus verſa eſt. Manſerunt enim etiam poſt vnionem, naturæ ἀσύμφυρτοι inconfuſæ, & earum proprietates ἀλώβητοι Imminutæ, Caro autem Domini τὰς θείας ἐνεργείας ἐπλήρωσε, aucta & locupletata eſt Diuinis operationibus, propter perfectiſsimam & arctiſsimam eius ad verbum vnionem, quæ eſt hypoſtatica. Nequaquam paſſa ἔκπτωσιν excidentiam aut elapſionem eorum, quæ ſecundum naturam ipſi propria ſunt, Non enim ſecundum propriam ἐνέργειαν, ſed propter vnitum ſibi verbum diuina operabatur Caro Domini, Verbo per eam, propriam ſuam ἐνέργειαν oſtendente, ac manifeſtante (Et iterum obſeruetur phraſis, Caro Chriſti

non καθ' ἑαυτὸν, sed κατ' ἄλλο, & δι' ἄλλο viuificat, & diuina operatur, Et quomodo explicetur) Nam & ferrum ignitum vrit, οὐ φυσικῷ λόγῳ, non naturali ratione possidens vstricem operationem, sed κεκτημένως, quia acquisiuit, possidet & obtinet eam operationem, ex vnione ferri ad ignem. Ipsa igitur caro Domini mortalis erat, propter seipsam, & viuifica propter hypostaticam adverbum vnionem. Ita etiam voluntatis Deificationem dicimus, non quasi naturalis eius motio transmutata sit, sed quod vnita sit Diuinæ & omnipotenti voluntati verbi, vnde ostensurus veraciter sibi inesse infirmitatem voluntatis humanæ naturæ, latere voluit, & non potuit, Volens autem operatus est mundationem leprosi, propter vnionem ad diuinam voluntatem. Et hoc ipsum apertissimè demonstrat, duas naturas, & duas voluntates in Christo, sicut πύρωσις ignitio non transmutat naturam igniti in ignis naturam, sed ostendit aliam esse naturam, quæ ignita est, & aliam quæ igniuit.

Cap. 18. Diuina Christi voluntas erat æterna & παντεργὸς omni efficax, habens consequentem δύναμιν potentiam, Humana verò eius voluntas à tempore cœpit, & ipsa naturales & innoxias affectiones (πάθη) sustinuit. Et φυσικῶς naturaliter quidem non erat παντοδύναμος omnipotens (habens scilicet ex se, & in se potentiam omnia efficiendi quæ velit.) Vt autem verè & secundum naturam Dei Verbi voluntas est facta, καὶ παντοδύναμος & omnipotens facta est, Quod commentator Damasceni ita explicat, Diuina voluntas suapte natura efficacissima est, virtutem seu potentiam habens omnia efficiendi, quæ velit. Humana verò Christi voluntas, non hanc sua natura habet omni efficacem virtutem, sed vt Deo Verbo iuncta.

Cap. 19. Diuina natura κοινωνῷ communicat carni agenti, quia pro beneplacito diuinæ voluntatis permittebatur agere ac pati, quæ propria erant, & quod operatio carnis, omnino erat salutaris, Illud enim non humanæ, sed diuinæ operationis est. Caro vero operanti Deitati λόγῳ κοινωνῷ communicat, Ideò quod Diuinæ operationes per organon corporis perficiebantur, Et quia vnus erat agens diuinitus simul & humanitus,

Scien-

Sciendum enim eſt, quod ſancta eius mens, etiam naturales ſuas operationes operatur, intelligens & agnoſcens, quod ſit Dei mens, & quod ab omni creatura adoretur, ac recordans conuerſationis & paſsionum in terra. Communicat autem & Deitati Verbi operanti, diſponenti ac gubernanti, ipſa etiam intelligens, cognoſcens & διέπων diſponens ſeu adminiſtrans τὸ πᾶν totum vniuerſum, non vt nuda hominis mens, ſed vt Deo ſecundum hypoſtaſin counita, & Dei mens conſtituta. Humana igitur eius actio erat diuina, vtpote Deificata, & non expers diuinæ eius operationis, ſed vtraque cum altera conſpecta, Sicut dicimus, vnam inciſam vſtionem, & vnam vſtam inciſionem ferri igniti, aliam verò & alterius naturæ operationem dicimus inciſionem, aliam vſtionem.

Cap. 21. Si cogitatione in Chriſto ſepares creatum ab increato, Caro & ſerua & ignorans dicitur, ſed propter hypoſtaſis identitatem, & inſeparabilem vnionem, Domini anima locupletata eſt futurorum cognitione, ſicut & reliquis θεοσημείαις Diuinis prædicationibus. Quemadmodum enim hominum caro, ſecundum propriam naturam non eſt viuifica, & Domini caro vnita Verbo, à naturali ſua mortalitate non deſtitit, Viuifica autem facta eſt, propter hypoſtaticam ad Verbum vnionem, Et non poſſumus dicere, quod aliquando non fuerit viuifica, ſed eſt ſemper viuifica. Sic humana natura in Chriſto, eſſentialiter non κέκτηται poſsidet ſeu obtinet futurorum cognitionem. Domini verò anima, propter vnionem ad ipſum Deum Verbum, & propter perſonæ vnitatem, locupletata eſt cum reliquis diuinis prædictionibus etiam futurorum cognitione. Nos igitur dicimus, δεσπότην καὶ κύριον, Dominatorem & Dominum omnis creaturæ, vnum Chriſtum, eundemq; ſimul Deum & hominem, & omnia ſcire, In ipſo enim omnes Theſauri ſapientiæ abſconditi ſunt.

Cap. 22. Chriſtus dicitur profeciſſe ſapientia, quia pro ratione incrementi ætatis, ſapientiam πλὴν ἐνυπάρχουσαν αὐτῷ, quæ ipſi (per hypoſtaticam ſcilicet vnionem) inerat, in manifeſtationem

tionem

tionem produxit. Qui verò dicunt, ipsum profeciſſe ſapientia & gratia, ὡς προσδήκην τούτων δεχόμενον, vt acceſsionem ſeu additionem eorum ſuſcipientem, non rectè docent hypoſtaticam vnionem factam à prima carnis conceptione, ſed cum Neſtorio, χρηματικὴν habitualem vnionem & nudam inhabitationem fingunt. Nam ſi verè ab initio incarnationis, Caro Deo Verbo vnita eſt, aut potius in verbo ſubſtitit, & extitit, ac vnitatem hypoſtaſis ad ipſum habuit, Quomodo non perfectè locupletata eſt omni ſapientia & gratia. Non quidem ipſa vt nos, particeps facta eorum, ſecundum gratiam, participatiuè, ſed magis, quia propter hypoſtaticam vnionem, & humana & diuina, vnius Chriſti facta ſunt, gratiam & ſapientiam & omnium bonorum plenitudinem (πηγάζουσα) velut ex fonte caro Chriſti ſcaturit mundo.

Idem lib. 2. cap. 22. De Domini anima, propriè loquendo, non dicimus conſultationem, non enim habuit ignorantiam. Etſi enim erat naturæ ignorantis, attamen ſecundum hypoſtaſin vnita Deo Verbo, omnium cognitionem habuit, non ex gratia ſeu participatiuè, ſed propter hypoſtaticam vnionem. Et tamen quia naturæ differunt in Chriſto, differunt etiam ſcientiæ & voluntates, Diuinitatis ipſius & humanitatis.

Et lib. 4. cap. 19. τὸν προσγενόμενον τῇ σαρκὶ πλοῦτον, Diuitias quæ carni Chriſti, ex vnione & συμφυίας concretione carnis ad altiſsimum Deum Verbum, acceſſerunt inſinuantes, vocamus θέωσιν καὶ ὑπερύψωσιν Deificationem & ſuperexaltationem. Hæc ex Damaſceno ad hoc caput pertinentia, prolixius aliquanto hîc adſcripſi, vt inſtitui poſsit collatio, Quomodo ab hiſce vetuſtatis veſtigijs, à Damaſceno collectis & monſtratis, Scholaſtici doctores poſtea ſuis philoſophationibus, in hac parte doctrinæ diſceſſerint. Quæ collatio non eſt huius loci.

CASSIODORVS.

In Pſal. 33. Caro Chriſti licet ex humana ſit ſumta natura, non tamen eam, vt vnius hominis ex nobis, debemus æſtimare, ſed

re, sed adorabilem, salutiferam, viuificatricem, quæ peccata dimittit, & ad perpetua vitæ regna perducit.

SEDVLIVS.

In primum caput ad Ephesios: Omnia subiecit sub pedibus, hoc est, sub dominatione humanitatis eius, Omnia subiecit, pecora, volucres, pisces, &c.

NICEPHORVS.

Lib. 1. cap. 36. Christus sibi à Patre potestatem summam cœli & terræ, sibi scilicet iuxta humanitatem, traditam esse confirmat.

In Catena aurea, super Euangelistas, de dicto illo Christi, Matth. 28. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Citatur primo Hieronymus: Illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit. Rabanus, Non enim hæc de coæterna Patri diuinitate, sed de assumta loquitur humanitate, secundum quam minoratus fuerat paulo minus ab angelis. Seuerianus: Filius quippe Dei Filio virginis, Deus homini, diuinitas carni, contulit, quod semper ipse cum Patre possedit.

Idem Nicephorus lib. 18. cap. 15. Themistius philosophus sub Valente Agnoëtarum sectæ dux fuit: Hi dicunt τὸν λόγον omnia nosse, Humanitatem verò secundum substantiam ei vnitam permulta ignorare.

GREGORIVS MAGNVS.

1. Reg. 1. Filij Israël in sicco profundi alueo viam requirebant, quia humanitatis deprimebantur pondere, Sed qui infirma humanæ naturæ, in celsitudinem Diuinitatis assumsisse cognoscitur, super aquas virtute propria ferebatur.

Idem, Gregorius lib. Epist. 8. cap. 42. Incarnatus vnigenitus factusq; pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diem & horam iudicij, sed tamen hoc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa

nouit, Quia Deus existens & homo factus, diem & horam iudicij, non nisi per Diuinitatis suæ potentiam nouerat.

BERNHARDVS.

Sermone 74. in Cantica. Apostolus non dicit, Excelsior cœlis existens, vel manens, sed excelsior cœlis factus. Ne quis putet, de illa natura dictum, in qua est, qui est, Sed etiam in eo, quod in tempore factus est, omnem sibi eminentiam vendicat, super omnem principatum, & super omnem deniq; creaturam.

Sed non constitui sigillatim omnes omnium scriptorum, posteriorum præsertim & recentiorum sententias colligere, Iudico enim sufficere hasce, vt selectas, ex præcipuis eruditæ & orthodoxæ antiquitatis Doctoribus, qui in Ecclesia in magna autoritate fuerunt, vel primis post Apostolorum tempora annis, vel circa primorum quatuor Oecumeniorum Conciliorum tempora, quibus ex ipsis quidam, vel interfuerunt, vel præfuerunt, vt in Niceno Eustathius, Eusebius & Athanasius, In Constantinopolitano primo Nyssenus, In Ephesino Cyrillus, In Chalcedonensi Leo, Theodoretus, &c.

LVTHERI TESTIMONIA.

Adijciam tamen pauca quædam etiam Lutheri nostri testimonia, quæ ostendent, ipsum, de communicatione Maiestatis ex scriptura, cum veteri Ecclesia, & sensisse & locutum esse.

Lutherus in Postilla Ecclesiastica super Epistolam Ebr. 1. Quicquid de humiliatione & exaltatione Christi dicitur, homini tribuendum est, Diuina enim natura, nec humiliari, nec exaltari potest. Ibidem: Oportet nos credere, quod Christus constitutus sit super omnia, non tantum secundum Diuinitatem, verumetiam secundum humanitatem, ita quod Christo etiam homini, omnes creaturæ subditæ & subiectæ sunt.

Ibidem Epistola dicit, Christum positum hæredem omnium secundum humanitatem, Secundum Diuinitatem quidem, vna cum Patre creauit omnia, Sed quia iam homo & Filius est, hæreditate accipit omnia, ideo quia Filius est, & iam vnus Filius est in vtraq; natura.

Item,

Item, Verum eſt, quod Filius Dei ſedeat ad dexteram maieſtatis, licet hoc tantum ſecundum humanitatem fiat, nam ſecundum Diuinitatem ipſe eſt vnica illa Maieſtas cum Patre, ad cuius dexteram ſedet.

Ibidem ſuper Euangelium Ioh. 1. Si homo Chriſtus vacuus & ſine Deo eſſet, caro ipſius nihil prodeſſet, ſed quia inquit, mea ſeu Dei caro eſt, Ideò eſt verus cibus, Oportet enim Deum ipſum noſtram vitam, cibum, lucem & ſalutem eſſe, Ideò non nudæ humanitati tribuendum eſt, quod ipſa nos viuificet, ſed in λόγῳ eſt vita, quæ in aſſumta carne perſonaliter inhabitat, & per carnem nos viuificat.

Et mox: Iohannes vitam tribuit Chriſto, vt æterno Verbo, & non vt homini, Vnde manifeſtum eſt, quam pernicioſa ſit opinio Cerinthi, qui docuit, Chriſtum tantum eſſe hominem, ac non ſimul etiam verũ Deum. Humanitas enim nihil prodeſſet, ſi non in ea diuinitas perſonaliter ineſſet, Et tamen viciſsim, Deus nec vult, nec poteſt inueniri, niſi in hac humanitate, & per hanc humanitatem, quam vt certum vexillum, quo omnes filios ſuos ex mundo ad ſe colligit, erexit.

Ibidem ſuper illud Lucæ: Profecit ſapientia & gratia, &c. Simpliciter intelligantur hæc verba, de humana Chriſti natura, quæ fuit organon & habitatio vnitæ diuinæ naturæ. Quanquam igitur ſemper fuit plenus ſpiritu & gratia, Spiritus tamen non ſemper ipſum mouit, ſed iam ad hoc, iam ad illud ipſum excitauit, Ita licet Spiritus in ipſo fuerit ab initio ſuæ conceptionis, tamen ſicut ſtatura & ratio, naturali modo in ipſo, vt in reliquis hominibus creſcebant, Ita Spiritus magis magiſq; ſe in ipſum immiſit, mouendo ipſum ſubinde magis magiſq;.

Et ſuper Epiſtolam Ebr. 1. Humanitas Chriſti, ſicut & alij ſancti naturales homines, non ſemper omnia cogitauit, vidit, audiuit, ſenſit, dixit, voluit aut corde conſiderauit, ſicut quidam omnipotentem hominem ex ipſo faciunt, inprudenter confundentes duas naturas & earum opera, ſed ſicut Deus ipſam duxit, & ipſi aliquid tanquam obiectum propoſuit. Fuit plenus

gratia & ſapientia, ita quod omnia ſibi propoſita potuit iudicare & docere, Ideo, quia Deitas, quæ ſola omnia videt ac ſcit, perſonaliter in ipſo habitauit ac præſens fuit. Hæc Lutherus de ſtatu exinanitionis Chriſti, rectè diſputat contra Scholaſticos, qui de plenitudine & perfectione omnium habituum in humanitate Chriſti ab initio conceptionis, multa ſcripſerunt. Rectè etiam Lutherus illos reprehendit, qui omnem ſcientiam & potentiam, humanæ Chriſti naturæ, in ſeſe, & ſecundum ſe, per confuſionem naturarum & eſſentialium idiomatum, tribuunt. Et rectè docet, Omnia ſcire, videre ac poſſe, ſolius diuinæ naturæ eſſentialiter proprium eſſe, Humanam verò naturam Chriſti, non ex ſe, nec ſecundum ſe, omnia ſcire, videre ac poſſe, ſed ideò ac inde, quod Diuinitas, quæ omnia ſcit & poteſt, in ipſa perſonaliter inhabitet, Sicut ſententiam illam in præcedentibus, ex multis veteris Eccleſiæ teſtimonijs, expoſuimus & declarauimus. Et Lutherus ipſe ſententiam ſuam alibi hoc modo declarat.

Vt in Poſtilla ſuper 24. cap. Lucæ: Ratio & homines ſapientes, non capiunt mirabilia illa de Chriſto, quod hic verus naturalis homo, ſit æternus Dei Filius, & tamen mortuus ſit & reſuſcitatus, atq; etiam ſecundum humanam naturam, factus ſit Dominus in cœlo & in terra, quodq; diuina potentia dominetur ſuper omnes creaturas.

Idem, de vltimis verbis Dauidis, explicans ſententiam Danielis 7. quod Filio hominis data ſit æterna poteſtas, inquit: Chriſtus habet duas natiuitates, ſeu duas naturas, in vna inſeparabili perſona. Secundum priorem natiuitatem, non in tempore, ſed ab æterno à Deo patre accepit æternam illam potentiam ſeu Diuinitatem, Secundum alteram temporalem humanam natiuitatem, eſt ipſi etiam data æterna potentia Dei, ſed in tempore & non ab æterno. Humana enim natura Chriſti, non fuit ab æterno, ſicut Diuina, Sed ab eo temporis momento, quo Diuinitas vnita eſt humanitati in vnam perſonam, hic homo Mariæ Filius, eſt & vocatur Omnipotens æternus Deus, habens æternam potentiam, Creator & conſeruator omnium, per

commu-

communicationem Idiomatum, quia iam cum diuina natura vna persona, adeoq; verus Deus est. Hoc ipsum & Matthæi cap. 11. dicit: Omnia mihi data sunt à Patre. Et Matthæi vltimo: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Cui mihi? Mihi Iesu Nazareno, Mariæ Filio, & nato homini. Ab æterno habeo potestatem illam à Patre, priusquam humanam naturam assumsi, sed postquam homo esse cœpi, eandem potestatem etiam secundum humanam naturam in tempore accepi, sed eam occultè gessi, nec palam ostendi, vsq; ad resurrectionem & ascensionem, cum debuit patefieri & glorioſè clarificari, Iohan. 7.

Idem in 11. caput Matthæi: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, Qui dicit omnia nihil excipit, Ergo Deus est verus. Consonat Psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Rursus quod dicit, Tradita sunt, significat se verè esse hominem, qui acceperit à Patre. Neq; enim puro homini Deus omnia traderet, neq; purus Deus acciperet ab vllo, Quia neq; homo purus super omnia potest esse, neq; purus Deus sub Deo potest esse. Ergo conueniunt in hac vna persona verus Deus & homo.

Idem in 7. cap. Iohannis: Quidam Phanatici se, & alios seducunt, vrgentes illud, Caro non prodest quicquam, quasi spiritu tantum oporteat cum Deo agere, & quasi Christus ipse, secundum humanam naturam nihil profit. Et hoc est propriè Christum soluere, & carnem eius à Diuinitate diuellere. Quid enim aliud est, quam duas personas ex Christo facere? cum Deum extra carnem assumptam quærant. Licet enim concedant, carnem Christi ad hoc prodesse, quia carne pro nobis mortuus est, tamen postquam hoc consummatũ est, & Christus in cœlum ascendit, non volunt nos iam amplius carni ipsius adhærere, sed vt altius subuehamur, & spiritu ascendamus ad ipsum Patrem. Sed quia humanitatem ita inutilem iudicant, ab ipsa etiam Diuinitate aberrant. Qui enim iam post incarnationem, Deum quærit, & apprehendere seu inuenire vult, aliter quam in Christo incarnato, is Deum non inuenit. Pater enim ad Filium in carne & sanguine nos alligat, vt qui per Verbum

vocale se nobis patefacit, vt sciamus, vbi, & quomodo ipsum inuenire & apprehendere possimus.

In Psal. 110. Anno 18. Quia non dicit, Sede ad caput meum, vel ad sinistram, sed ad dexteram, exprimit, quod Christus secundum humanitatem non sit æqualis Deo, sed sub Deo, quanquam omnium rerum dominus & caput est, & nemini subiectus, nisi soli Deo.

In eundem Psalmum, Anno 39. Quod ad dexteram Dei Christus sedet, hoc firmiter probat, ipsum verum Deum esse. Ex humana enim sua natura non habet, quod ad dexteram Dei sedet, & Dominus est super omnes creaturas, Iuxta dictum, Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Talis potestas ipsi non daretur, nisi esset verus Deus. Quanquam autem talia dicta de homine Christo, dicuntur post resurrectionem, & ascensionem, hoc tamen propriè inde habet, quia natura ab æterno est verus Deus, Roman. 1. Cum igitur dicit: Sede à dextris meis, eo ipso non tradit ei Diuinitatem, sed clarificat ipsum, quod sit verus, æternus Deus cum Patre. Et iam etiam in assumta humana natura, ad gloriam illam exaltatus, vt credendum & confitendum sit, Christus homo sedet ad dexteram Patris, habet potestatem super angelos, & nihil est in cœlo & in terra, quod non sit sub ipso, Atque ita vocatur verus homo, & verus Deus, sedens ad dexteram Patris, Dominus super omnes creaturas, qui in Diuina maiestate, & tamen etiam in humana natura potenter nos gubernat. Inde verò habet omnem potestatem apud Patrem, quia natura Filius Dei est. Hæc pluribus ibi Lutherus, sed ego summam tantum excerpsi.

Idem in libro de verbis Cœnæ: Secundum Diuinitatem nihil in tempore ipsi traditum est, nec sub pedibus eius positum. Intelligendum igitur est, quod etiam vt homo est super omnia, Omnia sub se habet, & super omnia dominatur. Sedere enim ad dexteram, est dominari & potestatem habere super omnia.

Et in maiori Confessione de Cœna: Humanitas Christi, licet sit creatura, tamen quia sola & nulla alia ita adhæret Deo,

vt vna

vt vna sit persona cum Diuinitate, Oportet igitur eam altiorem, supra & extra omnes alias creaturas esse, tamen sub Deo solo, Ita humanitatem Christi consideramus, supra & extra omnes creaturas, simpliciter in Diuinitate vnita.

Idem in cap. 53. Isaiæ: Quomodo Christus Psal. 8. in tempore constitutus est rex super omnia? Respondet, Propter humanam naturam, quæ in eadem persona est cum diuina. Nam humana non fuit constituta super omnia ab æterno, nunc autem constituta est super omnia, propter diuinam, & cum diuina, quæ est ab æterno super omnia constituta.

Item, Secundum Diuinam naturam est gloria Patris æterna, ad tempus exinanitus, post vero exaltatus, sublimis, glorioſiſsimus, & propter hanc diuinam, & secundum humanam exaltatus est super omnia ad dexteram Patris, quia oportet hanc humanam naturam comitari diuinam, seu potius vniri cum ea, vt in vna persona, & non potest distrahi.

De præsentia verò totius Christi, postea cap. 30. dicemus. Et de modo quidem Communicationis Maiestatis secundum œconomiam hypostaticæ vnionis, absq; confusione, conuersione, & exæquatione in 23. Capite, antiquitatis sententias adscripsimus. Sicut in præcedentibus capitibus, de differentia naturarum & Idiomatum essentialium, ac de hypostatica vnione, Veterum testimonia annotauimus. In hoc verò Capite, de Maiestate assumtæ naturæ, per vnionem hypostaticam communicata, veteris Ecclesiæ testimonia collegimus, quæ ostendunt non recens nos commentum, de hac parte doctrinæ, in nostris Ecclesis spargere, sed perpetuam, consentientem & vnanimem, veræ ac orthodoxæ antiquitatis vocem ac sententiam, de hac parte doctrinæ, ijsdem verbis & phrasibus, quibus vetustas in explicatione huius mysterij vsa est, repetere ac defendere. Absurda enim paradoxa, de quibus à multis disputatur, à nobis reijci, satis ostendimus. Ac non dubito, post piam & accuratam sententiarum Scripturæ considerationem, bonas mentes, adhibitis, quasi in consilium præcipuis veræ antiquitatis

tatis Doctoribus, hac σωφρόνα confessionis totius Veteris & orthodoxæ Ecclesiæ, de hac parte doctrinæ, vtiliter & de vera sententia, & de forma sanorum verborum, erudiri & informari, ac ad cauendos, vitandos, & fugiendos, quarumcumq; aberrantium opinionum scopulos, præmuniri, atq; in vera sententia, contra quasuis argutias, multum confirmari hac inspectione consensus totius antiquitatis, quæ semper agnouit, professa est, & quidem contra varios hæreticos, & hostes Ecclesiæ, acriter defendit, hoc genus communicationis Maiestatis, in cuius explicatione nunc versamur.

Non volui autem singulis Veterum sententijs, peculiares vel explicationes, vel commonefactiones addere, ex ijs enim, quæ in præcedentibus capitibus explicata sunt, planum est, quorsum referenda sint hæc vetustatis testimonia, & quomodo ad hanc doctrinæ partem accommodanda sint. Et volui hanc Testimoniorum antiquitatis annotationem, adiunctis ijs, quæ in præcedentibus capitibus adscripta sunt, tanquam tabellam esse, in qua lector ipse quærere & inspicere possit, totius Veteris orthodoxæ Ecclesiæ sententiam, de ijs, quæ in hac parte doctrinæ disputantur. Quomodo verò absq; naturarum, & essentialium cuiusq; proprietatum confusione, conuersione, exæquatione & abolitione, communicatio illa Maiestatis fiat per œconomiam hypostaticæ vnionis, in 23. Capite explicatum est.

Sub finem verò huius capitis, per ἀνακεφαλαίωσιν, breuem enumerationem prærogatiuarum assumtæ humanæ naturæ in Christo, per generalia quædam capita, subijciemus, vt ita commodior, ad reliqua quæ supersunt, transitio fieri possit.

Δόξαι igitur, prærogatiuæ, excellentiæ, seu præeminentiæ naturæ humanæ in Christo, in genere ita possunt numerari, vt tota doctrina hactenus exposita, in illa enumeratione comprehendatur.

1. Quod non vsitato naturæ ordine, sed sine virili semine, de Spiritu Sancto, ex Mariæ Virginis carne & sanguine, concepta est humana Christi natura, non seorsim, sed ipsa conceptione

ceptione vnita verbo, ſine peccato, ſancta, innocens & impolluta.

2. Quod ſola hæc maſſa humanæ naturæ, Filio Dei hypoſtatica vnione, in vnitatem perſonæ inſeparabiliter coniuncta, & ipſius Filij Dei propria facta eſt, conſtituens cum diuina natura Filij Dei, vnum ὑφιςάμενον, ſicut in præcedentibus explicatum eſt.

3. Quod eſſentiales proprietates Diuinæ naturæ λόγȣ, tribuuntur Filio hominis in concreto, Et viciſsim humanæ naturæ proprietates, prædicantur de Filio Dei in concreto, propter hypoſtaticam vnionem & perſonæ vnitatem.

4. Quod in officijs Meſsiæ, Redemptoris, Mediatoris, Regis, Pontificis, Capitis, Saluatoris, &c. Diuina natura λόγȣ agat cum communione aſſumptæ naturæ, quæ ſocia & conſors eſt victoriæ, triumphi, regni, ſacerdotij. & totius officij Saluatoris. Et in hoc genere Communicationis, ad officium Chriſti, quæuis natura quod ſuum proprium eſt, confert, ſeruata, cuiuſque naturæ proprietate.

5. Quod donis omnibus ſpiritualibus, in ſe, & ſecundum ſe, in corpore & anima ornata ſit, plenitudine, numero & gradibus vltra omnes ſanctos, non homines tantum, ſed & angelos ac omnes creaturas, Maximè verò, quod poſt depoſitam exinanitionem, iam in gloria, omnibus dotibus glorificationis, præ reliquorum omnium glorificatorum corporibus & animabus, in infinitum & in immenſum excellat aſſumpta natura in Chriſto, vt ipſe primatum teneat in omnibus.

6. Quod non tantum eſſentialia ſua Idiomata, quibus fratribus ſimilis eſt per omnia, excepto peccato, in vnione Humanitas Chriſti habeat & retineat, nec tantum donis creatis, finitis, habitualibus, formalibus & inhærentibus ornata ſit, ſed quod præterea propter hypoſtaticam cum diuina natura λόγȣ vnionem, ſicut totam plenitudinem Deitatis perſonaliter in ſe inhabitantem habet, ita etiam eadem ratione donata & locupletata ſit, diuina virtute, potentia, operatione, ſapientia, ſcientia, gratia, vita viuificante, gloria, maieſtate diuina, vniuerſali do-

sali dominatione, quibus etiam suo modo, sicut explicatum est in officijs Messiæ cooperetur, Quæ sunt & manent attributa diuinitatis propria. Hactenus verò & Scripturæ sententijs, & totius antiquitatis testimonjs, ostendimus, illa in tempore data, tradita, donata seu communicata non diuinæ, sed assumtæ humanæ naturæ in Christo, nec tantum in concreto, hoc est, per vocabula concreta designantia personam, dici posse, Filio hominis illa data, sed & per vocabula ipsam humanam naturam Christi, λόγῳ personaliter vnitam denotantia, quæ in Scholis abstracta vocantur, rectè dici, Christo secundum humanitatem illa donata, vel humanam naturam in Christo illa accepisse. Non autem in abstracto illa accepit & habet, hoc est, si consideretur vel seorsim quasi extra vnionem, vel si in ipsa vnione ex se, per se, in se, aut secundum se, consideretur, sed per œconomiam hypostaticæ vnionis, sicut expositum est. Quod ideo addo, ne æquiuocatione vocabuli abstracti, doctrina turbetur, sicut in primo capite expositum est. Quomodo verò illa assumtæ naturæ, non per essentialem aut physicam effusionem, sed per dispensationem vnionis, sicut in ferro ignito, absq; naturarum & essentialium cuiusq; proprietatum confusione, conuersione, exæquatione aut abolitione communicentur, cap. 23. exposuimus.

7. Quod sola hæc assumta natura, ad dexteram Maiestatis & virtutis Dei, collocata & exaltata est.

8. Quod Christus vnà cum sua carne est vnus de Trinitate, non quidem quod caro sit pars consubstantialis essentiæ diuinæ, Sed quia personaliter pertinet ad hypostasin τοῦ λόγου, qui vnus est ex Trinitate, sicut Veteres loquuntur.

9. Quod humanitas vna adoratione simul cum Diuina natura λόγου adoratur.

10. Quod totus Christus, Deus & homo, vtraq; sua natura, diuina & humana, Ecclesiæ suæ vt caput membris adsit.

Et de reliquis quidem prærogatiuis, vera sententia in præcedentibus capitibus explicata & confirmata est. Quia verò de posterioribus prærogatiuis, videlicet, quod in consortium Trini-

Trinitatis humana natura in Christo assumta sit, quod sedeat ad dexteram Dei, quod sit adoranda, & de præsentia totius Christi in Ecclesia, varia à multis disputantur, Potuissent sanè illa in præcedenti etiã capite addi, sed ordinis gratia, & ne præcedens caput nimium excresceret, singula illa peculiari capite in sequentibus exponemus. Prius autem de vocabulis seu appellationibus huius Tertij generis, quædam annotabimus.

CAPVT XXVI.

De Vocabulis seu Appellationibus, quibus doctrinam Tertij huius generis Communicationis, Antiquitas notauit, nominauit seu appellauit.

PRima omnium cura esse debet, sicut superius indicauimus, vt res ipsa, seu vera sententia, ex fundamentis Scripturæ rectè & explicatè constituatur, & ab omnibus erroneis opinionibus seiungatur. Deinde de appellationibus facilè constitui aliquid potest. Et quando de rebus ipsis consensio est, de modis loquendi facilè conueniri potest, inter eos, qui simplici studio veritatem quærunt. Sed vt de alijs disputationibus iam non dicam, in hac certè controuersia, de vocabulis seu appellationibus, quibus & nominanda & explicanda sit hæc doctrina de Diuina potentia, vita, gloria, &c. quæ Christo in tempore secundum humanam naturam, data scribuntur, mirificæ sunt altercationes, dum pleriq; rebus ipsis oblique insidiantes, vocabula arrodunt, vt sub hoc prætextu vocabulorum seu appellationum, res ipsas subuertant. Nolui igitur initio de vocabulis seu appellationibus Tertij huius generis, litigare, sed ipsam rem & sententiam,

ſcripturæ ac antiquitatis teſtimonijs & verbis, expoſui. Quiâ verò tamen omnino opus eſt certis quibuſdam appellationibus, phraſibus, & modis loquendi, Apoſtolus enim monet ὑποτύπωσιν, & ſanæ doctrinæ & ſanorum verborum in Eccleſia obſeruandam eſſe, Atq; omnium tutiſsimum & rectiſsimum eſt, cum Scriptura loqui, & Spiritus Sancti linguam imitari, Sicut hanc hypotypoſin, in Cap. 24. indicauimus. Et quia præterea diligentia digna eſt piè eruditis, cum vera orthodoxa Eccleſia loqui, hoc eſt, phraſes, antiquis, optimis & puriſsimis Eccleſiæ temporibus vſitatas, & receptas, vſurpare ac retinere, Colligemus igitur hoc loco, ex ſententijs in præcedenti capite annotatis, non quidem omnes phraſes, quibus in tota explicatione huius doctrinæ vſi ſunt Veteres, Illæ enim in præcedenti capite propoſitæ ſunt: Sed tantum præcipuas appellationes, quibus Tertium hoc genus Antiquitas deſcripſit, notauit, nominauit, ſeu appellauit, hoc loco tanquam in tabella proponam, vt lector inde eligat, quas iudicârit commodiſsimas eſſe appellationes.

Vſitatiſsimum igitur fuit in tota veteri, Græca præſertim Eccleſia, vocabulum Deificationis. Iuſtinus vocat ἀποθέωσιν. Euſebius σωαποθέωσιν. Nazianzenus θέωσιν. Athanaſius θεοποίησιν, θεολόγωσιν. Epiphanius ἔνθεον. Damaſcenus λόγωσιν. Et Damaſcenus lib. 3. cap. 12. tradit explicationem, quod ſcilicet Veteres vocabulo Deificationis, nequaquam intellexerint, tranſmutationem, confuſionem, conuerſionem, abolitionem aut exæquationem naturarum, ſed quod primò œconomiam hypoſtaticæ vnionis, eo vocabulo notare voluerint. Sicut enim vnio illa, reſpectu aſſumtæ humanitatis vocatur σάρκωσις, ἐνανθρώπησις, Ita reſpectu vnitæ Deitatis, Veteres vocarunt θέωσιν, λόγωσιν. Secundò, quia propter hypoſtaticam illam vnionem, de homine Chriſto prædicatur, quod ſit Deus. Tertiò, dicit Damaſcenus, Veteres vocabulo Deificationis, περιχώρησιν naturarum voluiſſe indicare, ſicut πύρωσις ferri vocatur, quod per vnionem ignis ferro communicat, & ferrum inde habet vim lucendi & vrendi: Ita caro Deitatis operationibus per vnionem locupletata, ſicut ſuperius explicatum eſt, vocatur veteribus

teribus θεοθεῖσα Deificata. Damaſcenus lib. 2. cap. 22. ita loquitur: Non tranſmutatione in diuinam eſſentiam, ſed τῇ μετοχῇ τῆς θείας ἑλλάμψεως dicitur homo Deificatus. Sed propter Eutychis certamina, & propter Schuenfeldij deliria, noſtro tempore ſparſa, de conuerſione & exæquatione naturarum, vocabulum Deificationis incommodius iam factum eſt, nec vellem eius vſum reuocari, ſemper enim prolixa addenda eſſet declaratio & præmonitio. Sed annotabimus alia Veterum vocabula.

Iuſtinus vocat μετάλημψιν θείας ἀξίας, communionem, participationem ſeu acceptionem Diuinæ dignitatis ſeu maieſtatis, Sicut Sol eſt θηλικὸν receptaculũ lucis primogenitæ & ἐνεργείας eius, quæ in Sole, & per eum lucet, ſplendet, ac radios emittit, Ita humanitatem Chriſti totius lucis diuinæ ſplendorẽ capere. Item: Diuina potentia operatur in humanitate Chriſti, τὰ ὑπὲρ τὴν φύσιν, inde rectè nominamus ὑπερφυσικὰ.

Tertullianus dicit: Spiritum Sanctum ſeu totam plenitudinem Deitatis, in aſſumpta natura Chriſti, cum tota ſua redundantia cumulatè admiſſum, ita vt totius Sancti Spiritus fons in Chriſto remaneat, ac inde donorum & operum venæ ducantur in credentes. Idem dicit: Carnem Chriſti eſſe in ſuggeſtu ſeu throno paternæ claritatis, ac in cœlis præſidere.

Origenes dicit: Aſſumtam naturam Chriſti, totum λόγον ita recepiſſe, vt in eius lucem ſplendoremq; ceſſerit. Et poſitam eſſe in Verbo, ſicut ferrum in igne, quod omnibus poris & venis ignem recipit, Ita vt non ferri, ſed ignis vis in eo ſentiatur.

Dicit: ignem Diuinum ſubſtantialiter requieſcere in aſſumta natura Chriſti, vnde ad cæteras calor aliquis deriuetur. Item, ipſius Verbi ſubſtantialem plenitudinem ineſſe in aſſumta natura Chriſti, quam affirmat, plene capacem eſſe Filij Dei, ita vt non tantum ſit vncta, ſed vaſculum effecta vngenti, vnde reliqui vngantur. Dicit etiam, aſſumptam naturam Chriſti nobis ſimilem eſſe per naturam, virtute verò ſimilem ſibi, ita, vt ea omnes diſpenſationes Verbi poſsint impleri. Idem dicit: Chriſtum ſecundum humanitatem accepiſſe plenitudinem gratiæ, ita vt gratiarum lampades in ipſo & de ipſo fulgeant.

Euſebius vocat μετάδωσιν, καὶ χορηγίαν, communicationem, collationem, ſeu impartitionem, & ſubminiſtrationem diuinæ potentiæ. Vocat etiam ἀξίωσιν vitæ, quæ in Deo eſt, & κοινωνίαν communionem cum Deitate & beatitudine.

Athanaſius vocat προσθήκην, acceſsionem, quæ facta eſt humanæ naturæ, Vocat etiam vnionem & κοινωνίαν Verbi. Vocat βελτίωσιν mutationem in meliorem ſtatum, illationem, acceptionem, receptionem, ſuſceptionem, capacitatem exaltationis, plenitudinis, ſanctificationis, gratiæ ſpiritus, glorificationis, poteſtatis. Vocat exhibitionem & reuelationem Deitatis, perfectionem humanitatis ὑπὲρ τὴν φύσιν, vocat ἐνεργείαν Diuinæ virtutis ſeu potentiæ per humanitatem. Vocat reſidentiam donationis omnis poteſtatis, gloriæ diuinæ, in carne Chriſti, donationem & acceptionem nominis ſuper omne nomen. Profectum humanæ naturæ in diuinam gloriam. Vocat σαρκοποίησιν carnis virtute Verbi. Item πλήρωσιν humanitatis, Vocat ſublimationem humanitatis, per vnionem & communionem naturæ Verbi, Inhabitationem plenitudinis Deitatis in carne.

Hilarius vocat acquiſitionem gloriæ, admixtionem virtutis altiſsimi, vnctionem cum priuilegio. Idem etiam ita loquitur, Id quod de tempore eſt, gloriam eius claritatis, quæ ſine tempore eſt, accepit carnis corruptio, transformata in virtutem Dei, & ſpiritus incorruptionem. Caro in gloriam Verbi vnita, gloriam Verbi tenet.

Cyprianus vocat profectum humanæ naturæ. Item, Plenitudinem & ſufficientiam omnis excellentiæ, gloriæ & claritatis, Priuilegium ſingulare.

Euſtathius vocat ἐπίκτητον aſcititiam ſeu aduentitiam gloriam & virtutem, quam humanitas, ex inhabitante in ea Diuinitate accepit.

Idem: Homo Chriſtus, ſeu templum Verbi, accepit poteſtatem, potentias, gubernationem, imperium & iudicium rerum omnium, ſumſit æterni ſceptra imperij.

Hyppolytus, Potentia vitæ habitans in corpore Chriſti, efficax eſt in nobis ad vitam.

Emyſſe-

Emyſſenus, Chriſtus ſecundum humanitatem, omnium rerum poteſtatem ac dominationem cœli ac terræ accepit.

Baſilius vocat κοινωνίαν, μετάδοσιν ἢ μέθεξιν, Communicationem & participationem Diuinæ poteſtatis. Item, Impletionem, commiſsionem principatus & dominij, Se ipſo implet totam aſſumtam naturam, vt homo omnium dominium à Patre accepit. Commiſſum ipſi eſt dominium omnium, Natura ſuſcepta, eiuſdem gloriæ particeps & conſors facta eſt, cum diuinitate, quæ eam ſuſcepit. Vocat etiam φανέρωσιν gloriæ Deitatis per carnem.

Nazianzenus vocat aſſumptionem in Deum, collationem, ſeu exhibitionem gratiæ Deitatis. Vocat etiam corpus θεοδόξον, & δύναμιν potentiam incarnationis.

Nyſſenus vocat μεταποίησιν mutationem in melius, vel prouectionem humilitatis ad celſitudinem. Item: Euectionem ad celſitudinem Deitatis. Item: Traditionem virtutis Deitatis, & admixtionem Diuinæ vitæ ac potentiæ.

Epiphanius nominat Transformationem carnis in gloriam, & acquiſitionem gloriæ Deitatis, honoris, potentiæ, perfectionis, & gloriæ cœleſtis, Donum axiomatis, poteſtatis, & perfectionis, donatum à Patre, acceptum ab humana natura. Item, Fecit corpus ἔνθεον, corpus plenum Deitate. λόγος eſt πληρότης ἢ τελεώτης, hoc eſt, aſſumptam naturam, & implet & perficit Verbum. Humanitas Chriſti à nobis non euariat, niſi tantum in gloria ſuæ ſanctitatis & Deitatis, & quia eſt σκεῦος ſanctificationis, omnia perfectè habens, dicit totam plenitudinem tranſeuacuatam in humanitatem, ita ſcilicet, vt ſit δοχεῖον receptaculum perſonale ſcilicet Deitatis, ſapientiæ, & potentiæ Diuinæ, ſicut ferrum ignitum poſſet vocari δοχεῖον ignis. Item, virtutis lucendi & vrendi receptaculum ratione vnionis. Vocat etiam Epiphanius δυνάμωσιν ἢ σωδυνάμωσιν terreni corporis cum Deitate, in vnam potentiam, vt carnale quo ad potentiam, non ſit amplius carnale, ſed ſpirituale.

Ambro-

Ambrosius vocat singularem vnctionem, supra omne genus humanum, vocat excellentiam humanitatis, gloriam susceptæ humanitatis, Deriuationem gratiæ largitatis, Priuilegium incarnationis, prærogatiuam, impertitionem diuinorum, impletionem humanæ naturæ, vestigia Diuinitatis & vias Verbi cœlestis, subiectionem omnium. Idem dicit: In Christo multa esse secundum naturam, & multa vltra naturam, quia similis sit fratribus, salua tamen incarnationis suæ gloria, & excepto dominicæ incarnationis Priuilegio.

Hieronymus vocat exaltationem & transitionem in maiestatem Diuinitatis. Idem dicit: In corpore Christi multa fieri contra naturam, quibus non naturæ mutatio, sed potentia & virtus Dei ostendatur.

Augustinus nominat mutationem in melius, glorificationem maiestate Diuinitatis, radios Diuinitatis, portiunculam luminis diuini, singularem excellentiam illius carnis. Idem dicit: Christum non tantum habere beneficium sapientiæ, sed gerere & sustinere ipsam personam sapientiæ Dei. Item: Deo possibile esse, multa contra naturam corporis, in Christo facere, auferre, quas voluerit qualitates. Accedente dono gratiæ, cessare Legem naturæ. Inde rectè tribuimus assumptæ Christi naturæ, non tantum ὑπὲρφυσικὰ & παράφυσικὰ, verumetiam ἀντιφυσικὰ, de quibus in Scriptura expressum verbum. Hieronymus enim & Augustinus vtuntur illa phrasi, contra naturam corporis.

Chrysostomus vocat donationem omnis operationis Spiritus: Euectionem in supremum Principatum, Acceptionem potestatis & imperij super omnia. Dicit etiam: Humanam naturam omnia vicisse, omnia superasse, omnibus excelsiorem repertam esse, fulgentem immortali gloria.

Cyrillus nominat acceptionem potentiæ operandi efficaciter Diuinè: Donationem & acceptionem potentiæ regnandi & imperandi. Vocat ἐπίκτητον Aduentitiam seu acquisitam potentiam & gloriam, Concessionem & sumptionem imperij, regni, & dominij. Sunt & hæ Cyrilli phrases: Humanitatis paruitas

uitas in excellentiſsimæ naturæ dignitatem peruenit, collocata in dignitatis ſolio, Per gratiam à Deitate accepit, quæ vt Deus naturaliter habet. Sibijpſi exaltationem dedit, Gratia ipſi, vt homini accidit, Deificauit aſſumtum templum, In poteſtatem dominandi aſcendit, In dominandi honorem extulit, Ad nobilitatem ſuam traduxit, Paternam gloriam in hominem, quem aſſumſit, traduxit, Humanitas in Chriſto, menſuram ſuam exceſsit, & in meliorem conditionem, aſſumentis ſcilicet, per gratiam tradu&ta & translata eſt. Vocat participationem & infuſionem vitæ. Caro Chriſti, inquit, effe&ta eſt vita & viuifica, Humanitatem totam in ſeipſum reduxit. Ad vitam reduxit & reformauit. Ad virtutem vitæ traduxit. Corpus ſuum vita repleuit. Corpus Chriſti poteſt etiam παραφυσικὰ, hoc eſt, ea, quæ præter naturam, & humano generi impoſsibilia ſunt. Confecit corpus cœleſte. Reddidit viuificum. Templum proprium in ſuam gloriam ſubduxit. Rerum naturæ non ſubiacet, Immiſit corpori ſuam vitam. Anima Chriſti, ſicut vellus, quod colore tingitur, vtens diuina virtute & efficacia. Suæ naturæ bona, proprio corpori communia facere ſolet, vt poſsit etiam viuificare. Diuinæ maieſtatis operationes, communes facit cum ſua carne, vt poſsit etiam viuificare, Diuinitas tanquam odor, eſt in humanitate tanquam in ſubiecto, diſpergens inde fragrantiam. Humanitas niteſcit Diuinæ maieſtatis dignitatibus, Subleuata eſt vltra naturam, Omnia humana tranſcendit, Corpus glorificatum claritate Deo digniſsima, Caro impleta Deum decentibus dignitatibus. Caro eleuata eſt ad virtutem melioris, Totam Verbi operationem ſuſcepit & retinet, atq; ita tota effe&ta eſt viuifica. Dedit homini, in quo habitat, viuificandi virtutem, Ipſius vitæ corpus facere hoc poteſt.

Leo vocat prouectionem aſſumtæ naturæ, Et inquit: Tranſcendit humanæ conditionis initia. Anima eius excellit non diuerſitate generis, ſed ſublimitate virtutis, Humana auxit diuinis. Humana natura ditata eſt tantæ glorificationis augmento, Forma ſerui in gloriam diuinæ poteſtatis euecta eſt.

Sophronius inquit : Humana eius sunt vltra hominem. Item, In humana natura, vltra naturam effecta.

Theodoretus inquit : Vt homo accepit, quod vt Deus semper habuit, Corpus diuina glorificatum est gloria, Et diuina gloria impletum, emittit radios lucis, Non particularem gratiam contulit assumptæ naturæ, sed inhabitationem totius plenitudinis Deitatis, Assumta ex nobis natura, eiusdem honoris, cum eo, qui assumpsit, particeps fit, Corpus diuinas præbet operationes.

Paulus Emissenus, Diuini ora dedit assumptæ naturæ.

Primasius, Homo ille iam habitat in plenitudine gloriæ, honoris, dignitatis, & maiestatis diuinæ. Potestas quæ erat in Verbo ante secula, requieuit in homine à Verbo assumto, Homo à Verbo assumptus, cum Verbo possidet omnia, subiectis sibi omnibus.

Vigilius inquit : Secundum carnis naturam exaltatus, coronatus, melioris nominis dignitatem adeptus, honoribus sublimatus, dignitatis profectibus auctus, potestate cœli & terræ, hæreditate gentium, subiectione vniuersorum donatus.

Gregorius Magnus dicit : Humanitatem assumtam in celsitudinem Diuinitatis, ita, vt homo vltra homines, imò super Angelos fieret.

Damascenus vocat μετάδοσιν, communicationem, impertitionem αἰχμάτων diuinorum. Caro ditata diuinis operationibus. Item, Sicut ferrum vim vstricem non possidet naturali ratione, Sed ex vnione ad ignem, Ita Caro Domini viuifica est, propter vnionem hypostaticam, Voluntas Christi, non naturaliter, sed vt Verbo iuncta, habet omnieffícacem potentiam, Caro Deitati verbi operanti κοινωνεῖ. Vocat ὑπερύψωσιν carnis. Item, diuitias, quæ carni accesserunt ex vnione. Item, Anima Christi vt Deo vnita, cognoscit, intelligit, & disponit, seu administrat omnia, ac locupletata est futurorum cognitione, Quia enim thesauri scientiæ in ipso absconditi sunt, Caro Christi locupletata est, plenitudine sapientiæ & gratiæ, quæ inde scaturiunt mundo.

Bernhar-

Bernhardus dicit: Humanam naturam in Christo, vendicare sibi omnem eminentiam, super omnem creaturam.

Scholastici vocant Gratiam vnionis, Gratiam singularis prærogatiuæ, & Gratiam capitis.

Hæc antiquitatis vocabula, de tertio hoc Genere, volui ex Testimonijs supra recitatis, colligere, & in hac Tabella, tanquam in σωώϕα, proponere. Eorum enim inspectio & consideratio, valdè multa monet, & de rebus ipsis, & de modis loquendi. Addenda verò est hæc obseruatio, quòd Eutyches quibusdam veterum vocabulis abusus est, ad confusionem & abolitionem naturarum in Christo, vt vocabulo Deificationis & similibus. Delectus igitur in Veterum vocabulis habendus est, quod vt commodius fieri possit, ideò pleraq; antiquitatis vocabula hoc loco annotare volui.

Et ego sanè de appellationibus, cum nemine litigabo; sed quò quisq; aptioribus, & commodioribus, ad res ipsas explicandas & illustrandas, vtitur appellationibus, eò maior ipsi debetur gratia. Quia verò Veteres plerumq; vocant κοινωνίαν, μετάδοσιν, & μετοχὴν. Quæ vocabulo Communionis seu communicationis redduntur, Et ea, quæ tradita sunt Christo in tempore, In genere vocant ἀξίαν, ἀξίωμα, δόξαν, αὐχήματα, quæ maiestatis vocabulo redduntur, Inde aliquoties appellaui Tertium hoc genus, Communicationem maiestatis, secutus alios, & quia hæc appellatio Antiquitatis, etiam Scripturæ vocabulis proximè accedit. Non displicet etiam hoc, quia ex Cyrillo, primum & secundum genus vocatur ἰδιοποίία καὶ κοινοποίία, si Tertium hoc genus ex Nysseno appelletur μεταποίία, addita declaratione, quod scilicet sit, non transmutatio seu conuersio naturarum, sed prouectio in melius, & euectio ad summam sublimitatem. Potest etiam appellari Exaltatio, Glorificatio, &c.

CAPVT XXVII.

Quod Logos cum propria sua carne, sit Secunda persona Trinitatis, sicut Veteres loquuntur.

QVia Λόγος est Secunda persona Trinitatis, & in vnitatem personæ suæ, assumpsit humanam naturã, variæ inde omnibus temporibus motæ & ortæ sunt disputationes. Quidam enim & olim, & nostris etiã temporibus disputarunt, Assumtam humanam Christi naturam, tam esse extra Trinitatem, quam reliquas creaturas omnes, Cum in Trinitate nihil sit prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed personæ Trinitatis sint Consubstantiales, coæternæ & coæquales. Sed alij cum viderent, inde sequi distractionem personæ Christi, quasi duæ ponantur personæ in Christo, quarum vna sit in Trinitate, altera extra Trinitatem, vt itaq; huic absurdo mederentur, ex ipsis quidam, vt vnitatem personæ in Christo retinerent, disputarunt, assumptam humanam naturam in Christo, iam post vnionem, pertinere ad ipsam substantiam, seu essentiam Trinitatis. Sed quia inde sequebatur, pro Trinitate constitui Quaternitatem, & diuersam, alienam ac peregrinam substantiam, misceri substantiæ Trinitatis, Ideò alij, sicut Athanasius in Epistola ad Epictetum recitat, finxerunt, Assumtam humanam naturam in vnione conuersam in ipsam Deitatem, & factam ὁμοούσιον Verbo, vt ita maneat Trinitas, & nihil ξένου peregrini inferatur in Trinitatem. Et hoc delirium nostro seculo renouauit etiam Schuenckfeldius, qui finxit, humanam naturam in Christo ita esse Deificatam, & in Deum assumptam, vt iam in se, & secundum se, in gloria, eiusdem sit conditionis, status, virtutis, potestatis & maiestatis,

tis, cuius est ipsa natura Verbi. Atq; hac ratione dixit, humanam naturam Christi assumtam collocatam, & ingressam, seu potius conuersam, in ipsam essentiam Trinitatis, in qua nihil est maius & minus. Sed Athanasius in Epistola ad Epictetum, magna vehementia commentum illud, vt ab inferis eructatum, refutat & damnat, & rationes addit. 1. Quia hoc modo creatura exæquaretur creatori. 2. Quia ita fingeretur, Deitati, cuius essentia simplicissima est, factam esse accessionem ex conuersione humanitatis in Diuinam essentiam. 3. Quia nihilominus inde sequeretur quaternitas, Trinitas enim est, quod tres Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt ὁμοούσιοι, Quod si præter tres illas personas, dicere velimus, etiam assumtam carnem esse consubstantialem Verbo, sequetur, quod non amplius sit τρίας, sed τετρὰς, quaternitas. 4. Quia pugnat hoc cum articulo fidei in Scripturis fundato, quod etiam in gloria, Christus sit consubstantialis Patri, secundum Diuinitatem, nobis verò sit consubstantialis, secundum humanitatem. Diligenter itaq; videndum est, vt ita & sentiamus & loquamur, ne vel vnitatem personæ Christi incarnati distrahamus in duas, vel ne peregrinam substantiam ingeramus, in ipsam vnicam & simpliciſsimam Trinitatis essentiam, vel ne conuersionem humanitatis in Diuinitatem, aut exæquationem fingamus. Et quia humana natura in Christo, salua differentia naturarum, vnita est diuinæ naturæ, non vt seorsim per se subsistat, aut peculiarem constituat personam, sed assumta est in vnitatem personæ λόγου, qui iam subsistens in vtraq; natura, Diuina & humana, est ac manet secunda persona Trinitatis, Ideò rectè dicitur: Assumtam humanam naturam, personaliter pertinere ad Trinitatem, quia personaliter pertinet ad λόγον, qui est secunda persona Trinitatis. Et qua ratione personaliter non est extra λόγον, eadem etiam ratione personaliter non est extra Trinitatem. Non autem substantialiter, vel essentialiter, humanitas Christi pertinet ad Trinitatem, quasi sit essentialis pars Trinitatis, consubstantialis & coæqualis. Notandum igitur est, Quomodo vetus Ecclesia de hoc mysterio loquatur.

Augustinus Epistola 102. Homine assumto, non auctus est numerus personarum Trinitatis, sed eadem Trinitas mansit. Sicut enim in homine anima & corpus, vna persona est, Ita in Christo, Verbum & homo vna est persona.

Idem: De bono perseuerantiæ cap. 24. Fidelis est, qui in Christo veram naturam credit & confitetur humanam, quamuis singulariter suscipiente Deo Verbo, in vnicum Filium Dei sublimatum, Ita, vt qui suscepit, & quod suscepit, vna esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente, personæ vnius in Deo & homine veritatem.

Tractatu 90. in Ioh. Solus in Trinitate Filius formam serui accepit, Quæ forma illi ad vnitatem personæ coaptata est, ne non Trinitas, sed quaternitas prædicetur, quod absit à nobis.

Poclus, in Epistola ad Armenios, Nestoriani Beatam Trinitatem sic vnius essentiæ prædicant, vt Christum Dominum nostrum, vnum ex Trinitate nullatenus fateantur.

Paulus Emissenus in 4. Tomo Cyrilli: Trinitatem non quaternitatem adorantes, anathematisamus eos, qui duos Filios esse dicunt.

Maxentius: Si quis non acquiescit confiteri, Christum vnum de Trinitate cum carne propria, Anathema sit.

Ambrosius de Resurrectione: Non est despicienda carnis humanæ natura, quæ in Sanctæ Trinitatis substantiam & consortium per Dominum Christum ingredi meruit.

Hesychius in Leuiticum cap. 5. In Trinitate vna est Deitas, & tres personæ, Vnde manifestum est, non peccare nos, Trinitatis partem carnem Domini dicentes, propter inseparabilem cum ea incarnati Verbi vnitionem.

Hæc duo postrema testimonia commodè interpretanda, & personaliter intelligenda sunt, non essentialiter.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

De Sessione ad Dexteram Dei.

Vid sit, quod Christus in tempore collocatus sit ad dexteram Dei, ex Scripturæ testimoniis manifestum est, sicut Cap. 24. ostendimus. Nec veteris Ecclesiæ testimonia ab illa Scripturæ sententia diuersum tradunt, nisi quod quidam doctrinam hanc, quæ ex Scripturæ traditione planissima est, conantur turbare, contendentes Christum secundum solam diuinam naturam, sedere ad dexteram Dei Patris, adducentes Basilij testimonium, ex libro de Spiritu Sancto. Alij disputant, Christum ideo prædicari ad dexteram Dei sedere, quod iam sit in loco æternæ beatitudinis. Vt igitur illa rectè explicari possint, notandum est, quod Veteres Dexteram Dei in triplici significatione accipiunt. 1. Basilius intelligit Dexteram Dei, de consubstantialitate, coæternitate, & coæqualitate Patris & Filij. Cum enim hæretici, Filium Patre secundum Diuinitatem, minorem & inferiorem inde vellent ostendere, quod Filius scribatur Patri ad dexteram sedere: Basilius contra disputat, si de Diuinitate hoc intelligatur, phrasi illa non significari inferiorem dignitatem, sed habitum æqualem gloriæ, præsidentiæ, & maiestatis æqualitatem cum Patre. Atque in hanc sententiam quidam dicunt: Christum esse in dextera Dei secundum vtramque naturam, quia scilicet Deitas eius semper fuit in gloria Patris, excelsior cœlis, supra omnes cœlos in throno Dei, potenter dominans omnibus, vt natura seu essentia Deus, assumpta verò natura in tempore ad communionē & consortium dexteræ Dei euecta est. Sed sicut Scriptura sessionem ad dexteram describit, ad assumptam naturam proprie illa pertinet. Secundum

dum Diuinitatem verò iuxta Scripturam, Filius magis propriè ipsa dextera Dei dicitur, propter consubstantialitatem & æqualitatem, Isa. 53. & 63. Nec ita in tempore, post resurrectionem, collocatus est ad dexteram Dei, vt secundum Diuinitatem esset æqualis & consubstantialis Patri, sed ab æterno semper fuit ipa dextera Dei. 2. Augustinus aliquando dexteram Dei interpretatur de Diuina felicitate, & æterna beatitudine, vt Ps. 16. Sacietas gaudiorum in conspectu tuo, Iucunditates in dextera tua perpetuo. Et hoc quidem rectè etiam accommodatur ad exaltatam humanam naturam in dextera Dei, sed non explicat totum mysterium. 3. Veteres igitur Dexteram Dei, ad quam Christus exaltatus scribitur, propriè de gloria, maiestate, virtute, potentia, dominatione, & administratione diuina interpretantur. Et affirmant, non secundum Diuinitatem, sed secundum humanitatem Christi, sessionem illam, quia in tempore facta est, intelligendam. Et hæc vera est interpretatio, Scriptura enim prædicat Christum in tempore, post resurrectionem, in ascensione, collocatum ad dexteram maiestatis & virtutis Dei. Quædam igitur ea de re Veterum testimonia adscribemus.

Cyprianus de Symbolo, Sedere ad dexteram, carnis assumptæ mysterium est, non enim sedis cœlestis profectum Diuina natura, sed humana conquirit. Item, Humilitatem carnis nostræ throno iudiciario honorauit.

Athanasius apud Theodoretum: Corpus est, cui dicit Dominus, Sede à dextris meis.

Eustathius apud Theodoretum: Humanam naturam Christi vocat, σύνθρονον eiusdem throni consessorem, cum diuinissimo spiritu, propter Deum in ea inhabitantem inseparabiliter.

Nyssenus, Dextera Dei vnitum sibi hominem euexit per vnionem ad propriam celsitudinem, Non enim intelligit æternam substantiam Domini, Dextera Dei exaltatam, sed notat humilis prouectionem ad celsitudinem.

Ambrosius Ebr. 1. Sede à dextris meis, Hæc ad humanitatis glorificationem pertinent, cui confessus paternæ maiestatis offertur, vt per hunc situm susceptæ humanitatis gloria declaretur.

Augusti-

Augustinus de fide & Symbolo: Ad dexteram intelligendum est, esse in summa beatitudine, vbi Iusticia, pax gaudium est.

Libro contra Sermonem Arrianorum: Quid est dextera Patris, nisi æterna illa ineffabilisq; felicitas, quo peruenit Filius hominis, etiam carnis immortalitate percepta. Et manus ac brachium Domini intelligitur, Virtus Dei effectiua, quæ est ipse vnigenitus, per quem facta sunt omnia.

Idem libro 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. Ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit homo ille, susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus.

Et lib. 3. de Symbolo cap. 8. Per hoc quod Filius dicitur, sedere ad dexteram Patris, demonstratur, quod ipse homo, quem suscepit, potestatem acceperit iudicantis.

Epiphanius lib. 1. Tom. 1. Corpus Christi ἔνθεον factum, sedet in dextera Dei.

Idem contra Arrianos: Vnus Christus in dextera Dei sedens, corporale & spirituale vtraque lucida, & in Maiestatis gloria.

Chrysostomus apud Theodoretum: Christus assumtam suam naturam obtulit Patri, qui eum fecit throni sui participem, & quod amplius est ad dexteram suam illam collocauit. Consideremus autem, quæ sit natura illa, ad quam dixit, Sede à dextris meis, Quæ scilicet audiuit: Terra es, & in terram reuerteris. Quo sermone, quibus verbis vtar, ignoro, Natura ἡ σαθρὰ putris natura, εὐτέλης, contemta, inferior omnibus facta, Vicit omnia, ὑπερέβαλε transcendit omnia, Hodie ἀνώτερα superior omnibus fieri ἠξίωται digna facta est, hodie angeli & archangeli, nostram naturam in throno τοῦ βασιλέως Regis, τῇ δόξῃ τῆς ἀθανασίας ἐκλάμπουσαν κατανόησαν gloria immortalitatis fulgentem considerarunt. Item, Corpus quod ex naufragio nudum euasit, λαμπρᾷ splendida stola induit, καὶ πρὸς τιμὴν ἄγεται τὴν ἀνωτάτω, & ad summam euehit gloriam.

Idem Eph. 1. Ad dexteram Maiestatis in excelsis: Non loco Deum includit, sed omnibus ostendit eminentiorem, quoniam ad ipsum vsq; peruenit thronum paternæ claritatis.

Oecumenius ex Chrysostomo Ebr. 1. ὁ τόπος τῆς καθέδρας τὸ ὁμότιμον σημαίνει. Locus confessus, seu solij ad dexteram, æqualitatem honoris significat. Et magnum hoc quidem est, ac non solum ὑπὲρ super humanam naturam, sed & super omnem creaturam, Sed & hoc ἀνθρωπίνως humanitùs dictum est, vt Deus enim æternum habet thronum. Neq; enim ὡς θεὸς, vt Deus, post crucem & passionem primùm tanto honore dignus habitus est, ἀλλ' ἔλαβεν ὡς ἄνθρωπος ὅπερ ἦχεν ὡς θεὸς, Sed accepit vt homo, quod habuit vt Deus. Vt homo igitur audit, Sede à dextris meis, Nam vt Deus æternam habet potentiam.

Cyrillus dialog. 6. Humanitatis paruitas in summæ & excellentissimæ naturæ dignitatem peruenit, quam in ἀξίας dignitatis, gloriæ ac maiestatis throno collocauit. Ac propter hoc præualet inimicis, λόγος enim cum carne dominatur omnibus.

Idem Epistola 8. ad Nestorium: A Verbo non est alienum corpus ipsius, cum quo & ipsi Patri assidet, non ita vt velut duo Filij assideant, sed vt vnus, secundum adunationem cum carne sua assideat.

Theodoretus in 24. Psal. λόγος humanitatis primitias, collocauit in dextera Maiestatis, in excelsis, super omnẽ potestatem dominationem & super omne nomen.

Idem Ephes. 1. Quod qui Deus est vnà cum Deo sedeat, & qui est Filius vnà cum Patre regnet, non est admirabile. Cum enim eadem sit natura, ei quoque potestatis coniuncta est societas. Quod autem sumpta ex nobis natura, eiusdem honoris cum eo, qui sumsit, sit particeps, hoc verò omne miraculum superat. Atq; ideo Paulus quærens vocabula, quibus exprimat rem admirabilem, & quæ omnem opinionem superat, vocat insignem potentiæ magnitudinem, Deinde operationem potentiæ virtutis.

Idem

Idem in Psal. 110. Sede à dextris meis, Hoc ἀνθρωπίνως dictum est. Vt enim Filius sempiternum habet imperium, Sed vt homo accepit, quod vt Deus habebat, vt homo igitur audit, Sede à dextris meis.

Primasius Ebr. 1. Sede à dextris meis, hoc est, habita in plenitudine honoris, dignitatis, gloriæ, ac maiestatis meæ.

Idem in 7. cap. ad Ebr. Quadragesimo die, super omnes cœlos & super omnes ordines cœlestium spirituum eleuatus est, ad consessum paternæ maiestatis, vbi nunc sedet in plenitudine honoris & gloriæ.

Idem Ebr. 8. Sedem magnitudinis in cœlo, debemus accipere plenitudinem paternæ maiestatis, in qua Filius Dei sedet.

Et in capite 25. Athanasij, Augustini, Cyrilli & Theodoreti sententijs ostendimus, Humanam naturam in Christo, Diuina gloria, & maiestate Deitatis, glorificatam. Meritò itaq; ex finibus Ecclesiæ exterminandum est recens quorundam commentum, qui fingunt creatitiam, factitiam, ac Diuina inferiorem esse maiestatem illam, in cuius solio & ad cuius dexteram, Christus secundum humanam naturam, collocatus & exaltatus est. Nam in Ephesina Synodo apud Cyrillum in defensione Anathematismi 8. Anathemati subijciuntur, qui negant vnum & eundem Filium Dei simul & hominem, propria cum carne, vnica confidentia apud Patrem honoratum, sed duas ei tribuunt confidentias, Ita quasi vna & propria confidentia tributa sit corpori, alia verò iterum & propria Verbo.

Lutherus in 53. cap. Isaiæ: Christus & est ipsum brachium, & dextera Dei, per quam Pater omnia fecit, & sedet ad dexteram Dei.

CAPVT XXIX.

De Adoratione Christi, hoc est, An cultus fidei, spei, adorationis seu inuocationis, glorificationis, celebrationis, &c. qui personæ Christi debetur & tribuitur, tantum Diuinam in ipso naturam intueatur & complectatur, An vero vtramq; naturam, salua earum differentia.

ARdua & magni momenti est hæc quæstio, Quomodo Christus adorandus, seu inuocandus, colendus, glorificandus, & quomodo in ipsum credendum sit. Fides enim & adoratio seu inuocatio, Nomen Christi, ac officia saluationis, certis relationibus inter se cohærent, sicut Paulus inquit: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Et de Christi nomine scriptum est, Act. 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Act. 10. Remissionem accipiunt per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Actor. 2. & Rom. 10. Quisquis inuocauerit nomen Domini saluus erit. De Remissione peccatorum igitur & de salute, ac de reliquis beneficijs Saluatoris, apprehēdēdis & celebrādis agitur, Quando de fide in Christum, de eius inuocatione, cultu & glorificatione disputatur, Et de eo quidem conuenit, ipsam personam Christi esse obiectum fidei, & adorationis seu inuocationis. Rursus autem in theatrum reuocatur à quibusdam, vetus illa Scholasticorum quæstio, Quod nam sit obiectum adorationis seu inuocationis in persona Christi? hoc est, An adoratio seu inuocatio, cultus, celebratio, dirigenda sit ad personam Christi, secundum Diuinam tantum eius naturam, an vero secundum

vtramq;

vtramq; naturam. Et quæ Quæstio eiusdem generis est, An fides in persona Christi, tantum diuinam eius naturam intueri, apprehendere & amplecti debeat, an verò vtramq; eius naturam, vel an credendum sit in Christum secundum Diuinam tantum eius naturam, an verò secundum vtramq;. Hæc certè, quia multum habent momenti, non sunt spinosis argutijs, quales ab ociosis ingenijs in huiusmodi mysterijs innumeræ & inextricabiles excogitari possunt, excogitanda, & inuoluenda, sed in vero timore Domini, ea reuerentia & simplicitate explicanda, ne vel Christo Immanuel ἡνωμένῳ θεανθρώπῳ, debitus honor derogetur, vel simplicitas fidei & inuocationis, in piorum animis perturbetur.

Et Scholastici quidem argutè disputant: Cultum λατρείας, hoc est, adorationem seu inuocationem, non respicere, vel hanc vel illam partem, sed referri ad ipsam personam. Et quando persona per se honoratur, tunc per accidens simul honorari dicunt, quicquid personæ illi adiunctum est, Sicut quando Rex honoratur, tunc purpuram aut vestimentum Regis, dicunt ei communicare in honore & reuerentia, sed per accidens, Atq; hoc modo dicunt humanitatem in Christo per accidens honorari cultu λατρείας, quia nec sit persona per se subsistens, nec caussa seu ratio huius cultus sit in humanitate. Et quando Christus homo, vt persona adoratur, dicunt ab illa adoratione non quidem excludi humanam naturam, quia persona subsistens in Diuina & humana natura adoretur, Sed tamen humanam naturam, non simul etiam esse obiectum illius cultus, adorationis & inuocationis, sicut purpura vel diadema regis, non est obiectum honoris, qui regi exhibetur, Cumq; λατρεία adoratio seu inuocatio, soli Deo, tanquam primo & summo omnium principio, debeatur, Humanam igitur naturam in Christo, vtpote creaturam licet excellentissimam, exaltatam, scilicet super omne nomen, non tamen λατρείᾳ adorandam, sed alio diuerso genere cultus, scilicet ὑπερδουλείᾳ honorandam.

Ad illas spinas Scholasticorum, conantur quidam inuocationem Ecclesiæ rursus reuocare. Scribunt enim, Adorari

quidem hominem Christum vnica λατρείᾳ, vt sit etiam Deus, non autem adorari vt hominem, sed Verbi tantum respectu, cui vnitus est, sicut inquiunt, ciuiliter adorari dicitur corona regis, ea ipsa adoratione, quæ regi coronato tribuitur, quamuis adoratio in coronam vel sceptrum non feratur.

Et non ignoro Veteres quosdam, vt Epiphanium in Ancorato, hac similitudine in hoc argumento vti. Sed magnam atq; immensam esse disimilitudinem & differentiam, inter hypostaticam vnionem, & coronæ gestationem extra controuersiam est. Et ipsi Patres, qui hac similitudine vtũtur, disertè asseuerãt, Ipsam etiam carnem Christi esse adorandam, sicut postea annotabimus. Et profecto nimis leuiter & frigidè, ne dicam contumelioſè dicitur, fidem & inuocationẽ nostram non aliter, nec magis, humanam in Christo naturam intueri & amplecti, quam honor ciuilis in vestimentum regis fertur, per accidens scilicet, vel humanam naturam in Christo, nec aliter, nec magis, esse obiectum fidei & inuocationis, quam vestimentum seu diadema regis, est obiectum ciuilis adorationis. Aures certè piorum abhorrent, quando dicitur, fidem & inuocationem, per accidens tantum, intueri humanam naturam in Christo. Et non sine causſa coniungo fidem & inuocationem, eadem enim est vtriusq; ratio, in hac quæstione. Quocunq; autem se vertant disputatores isti, quando disputant, ad personam dirigi adorationem, quod per se sanè verum est, tandem tamen eò euadunt, solam diuinam naturam in persona Christi, & nequaquam simul etiam ipsius humanam naturam esse obiectum, ad quod fides & adoratio seu inuocatio dirigatur. Ita enim publicè scribunt, Adoro Christum non qua homo, sed qua Deus est. Non autem adoro humanitatem ipsam in Deitate, sed λόγον adoro, carni inseparabiliter & hypostaticè vnitum, vtq; manifestius appareat, quam solliciti homines isti sint, vt humana natura in Christo, à cultu inuocationis, qui personæ ipsius tribuitur, prorsus excludatur, adscribam, quod ex ipsis Richerius quidam scripsit, Christum adorandum esse in Deo Patre, non in assumta humana carne, ne qui in carne Christum adorat, con-

iunctim

iunctim creaturæ diuinum honorem tribuat. Hanc verò nouam ſapientiam, Thomas certè non intellexit, quando contrectatis vulneribus Chriſti dicit, Dominus meus & Deus meus, Nec Stephanus, cum Filium hominis videret ſtantem à dextris Dei, & inuocans ipſum, diceret, Domine Ieſu, ſuſcipe Spiritum meum. Hæc ideo recitaui, vt Lector eò rectius intelligere & perpendere poſsit, quid hiſce diſputationibus quæratur atq; agatur, & quorſum tandem euaſuræ ſint.

Quia verò de re magna agitur, de recta ſcilicet fide in Chriſtum, & de vera eius inuocatione, non certandum eſt diſputando, argutijs & ſubtilitatibus, ſed ponenda ſunt talia fundamenta, quæ ex perſpicuis Scripturæ teſtimonijs, in ſerijs fidei & inuocationis exercitijs, à pijs etiam ſimplicioribus, & rectè intelligi & piè vſurpari poſſunt.

Et vnicum quidem habent diſputatores illi argumentum, quod aliquam habet ſpeciem, cuius explicatio rem totam illuſtrabit, Adorationem, ſcilicet ſeu inuocationem non creaturæ, ſed ſoli Deo tribuendam.

Reſpondeo autem, Si in Chriſto tantum humana natura eſſet, aut ſi humana ipſius natura extra hypoſtaticam cum λόγῳ vnionem, ſeorſim per ſe ſubſiſteret, aut ſi in ſe, & ſecundum ſe ſola conſideraretur, nequaquam ei cultum λατρείας, ſiue honorem adorationis & inuocationis deferendum. Rectè enim damnatus fuit Neſtorius, qui finxit hominem Chriſtum, vt ſeorſim ſubſiſtentem, cum Deo Verbo coadorandum, vt æqualitate dignitatis ornatum, Sed ideo in Chriſtum credimus, & cultum adorationis ſeu inuocationis ipſi deferimus, quia non homo tantum, ſed & verus Deus eſt, & Diuinitas λόγου, carni hypoſtaticè vnita eſt, ſicut Athanaſius & alij Veteres, ex adoratione & inuocatione, rectè Diuinitatem Chriſti probant & confirmant, quod ſcilicet non homo tantum ſit, ſed & verus Deus.

Et Cyrillus de recta fide ad Theodoſium: Non adoramus Emanuelem tanquam hominem, veluti homini φιλῷ, & vni ex nobis Emanueli adorationem adaptantes, Ita enim creaturam,

turam, similes ἀνθρωπολάτρας, coleremus, Sed λόγον tanquam Deum secundum naturam adoramus, Verbum autem, non secundum se solum & nudum intelligimus, sed quod assumta humana natura, caro factum est,&c. Si quis igitur ita in Christum crederet, quasi hominem tantum, ratione solius humanæ naturæ, vel quasi assumta ipsius humanitas, vel proprietate naturæ esset, vel per vnionem facta esset Diuinitas, hoc est, quod vel conuersa esset in Diuinitatem, hoc est, in substantiam primam, æternam, infinitam, & immensam, vel quod diuinis proprietatibus, seu attributis in se, & secundum se, Diuinitati exæquata esset, illius fides non esset recta, nec inuocatio vera, sicut in præcedentibus ostensum est, Sed fides, adoratio seu inuocatio, tribuens personæ Christi hoc, quod sit æternum, infinitum, primum & summum principium rerum omnium, (sicut Scholasti loquuntur) non respectu humanæ naturæ, sed Diuinæ, cuius proprium est, Christo illud tribuit.

Et si fides, cultus, glorificatio, celebratio, inuocatio nihil aliud in Christo, quam hoc, quod scilicet sit essentia æterna & infinita intueretur & apprehenderet, res esset plana. Et hoc est, quod Cyrillus ad Theodosium dicit: Diuinitatem in Christo (natura scilicet sua) adorabilem, humanitatem verò (proprietate scilicet naturæ) esse adorantem, sicut dicit Ioh. 4. Nos adoramus quod scimus.

Ecclesiæ verò fides, credens in Christum, & adoratio inuocans, glorificans, colens Christum, intuetur & apprehendit personam illam, non tantum vt æternum, summum & infinitum principium omnium, sed & præcipuè, vt Redemptorem suum, propitiatorem, Saluatorem, Iustificatorem, Mediatorem, Regem, Pontificem, Caput suum, seu, vt planius dicam, non tantum vel personam vel naturas, sed præcipuè officium, & beneficia eius respicit, hoc est, Ecclesia inuocat λόγον, qui assumpta humana nostra natura, in ea, cum ea, & per eam, opus redemptionis, & propiciationis nostræ peregit, & adhuc opera seu officia saluationis, iustificationis, mediationis, regni, sacerdotij & capitis, exercet, non per Diuinam tantum suam naturam,

turam, sed & in humana natura, cum humana, & per assumtam humanam naturam, quam in illis operibus seu officijs, suam etiam habere efficaciam, non solum in quantum physicæ eius proprietates & facultates se extendunt, sed & pro ratione eorum, quæ ex hypostatica cum verbo vnione, sine naturarũ, vel confusione, vel exæquatione, accepit, sicut in 25. Capite monstratum est. Nec sanè opus esse iudico, operosa aliqua probatione, quod fides & inuocatio Ecclesiæ intueatur & apprehendat Christum, quo ad officia & beneficia ipsius, vt Redemtorem, Saluatorem, Regem, Pontificem æternum, & caput Ecclesiæ. Manifestè enim hoc testantur scripturæ sententiæ & exempla, piæ etiam formulæ & priuatarũ precum, & publicarum supplicationum, quæ in vera Ecclesia receptæ & vsitatæ sunt, & veræ fidei & inuocationis exercitia, in singulis credentibus hoc confirmant. Et Ebr. 4. traditur quasi definitio, quid sit Christum adorare: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus ad auxilium oportunum. Et Psal. 72. Adorabunt eum, quia liberabit pauperem clamantem.

Est verò & illud certum, Officia redemtionis & saluationis competere & conuenire Christo, non secundum Diuinam tantum naturam, sed & secundum assumtam humanam naturam, & personam in his officijs, habere actiones, & officia illa exercere, non secundum alteram tantum, sed secundum vtramque naturam. Et humanam naturam in Christo, ideo ea, de quibus in præcedentibus dictum est, ex hypostatica vnione, & exaltatione accepisse.

Ex hoc fundamento, certa & manifesta consecutione concluditur Obiectum, quod fides & adoratio seu inuocatio, cultus, glorificatio, in persona Christi intuetur, & apprehendit, non tantum Diuinam eius naturam esse, sed & assumtam humanam eius naturam, sicut appellationes officiorum tribuuntur personæ secundũ vtramq; naturam, sine confusione & exæquatione naturarum. Et sicut officia seu ἀποτελέσματα illa, redemtionis, propiciationis, saluationis, iustificationis, regni, sacerdotij & capitis nulli puræ creaturæ conueniunt, ita & honor

seu cultus ille fidei, adorationis seu inuocationis, nulli meræ creaturæ tribuendus est, nisi tantum huic personæ, quæ Deus & homo est, Et tamen cultus ille, non secundum diuinam tantum naturam, sed secundum vtramq; Christo tribuitur, ea ratione sicut dictum est.

Quod autem recta fides, & vera inuocatio, Christum ita, vt Redemtorem, Saluatorem, Mediatorem, Regem, Pontificem, Caput &c. secundum vtramq; naturam, sicut expositum est, sibi proponat, intueatur & apprehendat, non ex argutis subtilitatibus, sed ex veris & serijs fidei & inuocationis exercitijs, iuxta simplicia Scripturæ testimonia & exempla, singuli pij simpliciter intelligere & iudicare possunt.

Secundò, quia humana natura in Christo, per hypostaticam vnionem, & exaltationem seu glorificationem, euecta est super omne nomen, ita, vt imperio & dominio suo omnes creaturas sub pedibus subiectas habeat, & accepta omni potestate in cœlo & in terra, Christus potenter dominetur omnibus, præcipuè verò, vt sit caput Ecclesiæ, Eph. 1. non tantum Diuina; verum etiam assumta humana sua natura; salua naturarum differentia, & salua exaltatione humanæ naturæ, sicut in præcedentibus ostensum est. Ecclesia igitur fide, adoratione seu inuocatione, cultu, glorificatione, celebratione, subiectionem suam erga Christum fatetur, & Christum recognoscit ac celebrat, vt Dominum suum, non tantum secundum diuinam, verumetiam suo modo, sicut dictum est, etiam secundum humanam naturam. Secundum diuinam enim naturam ab æterno Dominus est, à Patre ante secula natus, in tempore verò Deus ipsum ad dexteram suam exaltatum fecit Dominum, Actor. 2. Non sanè secundum diuinam, sed secundum assumtam humanam naturam. Nam secundum Diuinitatem, non est in tempore factus, sed ab æterno natus Dominus, Et vtrumq; Ecclesia fide & inuocatione sua, cultu, glorificatione in Christo agnoscit, sicut Paulus inquit, Rom. 14. Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt mortuis & viuentibus dominetur. Et inuocatio intuens ac

appre-

apprehendens in Christo, quem adorat, vtramq; naturam statuit Christum, secundum vtramq; naturam audire preces, videre gemitus, iuuare, auxiliari, Præcipuè verò statuit, per cognatam nobis naturam, qua frater noster est, aditum nos habere ad ipsam Deitatem, Ac quia in carne infirmitatibus tentatus est, Inde statuit inuocatio, Christum misericordem esse Pontificem, ac compati nostris infirmitatibus, Ebr. 2. & 4.

Idem confirmat etiam illud, quod in Paulo sequitur: Omnes sistemur coram tribunali Christi, vt impleatur, quod scriptum est, Mihi flectetur omne genu. Et secundum Diuinam quidem naturam, Christum ab æterno habere potestatem iudicandi, constat, Patrem verò dedisse Filio potestatem faciendi iudicium, quia Filius hominis est, Christus ipse affirmat, Iohan. 5. Omnis igitur Creatura, in die Iudicij, genuflexione subiectionem suam fatebitur, Atq; hunc dominandi & iudicandi honorem Christo tribuet: Primùm quidem ideò, quia Deus est, sicuti sententia Isaiæ inquit: Omnis lingua confitebitur me Deum esse, Deinde verò etiam ideò, quia Pater dedit Filio potestatem faciendi iudicium, quia Filius hominis est, Iohan. 5. Et hoc est, quod Phil. 2. Paulus dicit: Christum, respectu scilicet humanæ suæ naturæ, in tempore, accepisse nomen super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestiũ, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus sit Iesus Christus, in gloria Dei Patris. Genuflexionem enim externum symbolum esse adorationis, extra controuersiam est, Et Christum esse Dominum, non tantum respectu Diuinæ, verumetiam suo modo respectu suæ humanæ naturæ, manifestum est ex dicto, Act. 2. Quod per exaltationem factus sit Dominus. Et 1. Cor. 15. Oportet ipsum dominari donec ponat hostes sub pedibus. Hoc enim de persona Christi, etiam secundum humanitatem, tota antiquitas intelligit & interpretatur, Sed non opus est, vel coniecturis, vel argumentationibus, quomodo sententia illa Phil. 2. de genuflexione cœlestium, terrestrium & subterraneorum, intelligenda sit. Extat enim locus manifestissimus, Apoc. 4. & 5. vbi & angeli & sancti in

cœlo, non tantum ſedenti in throno, eo reſpectu, quia ab æterno eſt, & omnia creauit, ſed & agno, eo reſpectu, quia occiſus eſt, & in ſanguine ſuo nos redemit, procidunt, habentes phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, & cànunt canticum nouum, dicentes, Dignus es accipere librum, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo, per ſanguinem tuum, & audiui vocem angelorum multorum dicentium voce magna, Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere poteſtatem, diuitias, ſapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, benedictionem, Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & quæ ſuper terram, & ſub terra, omnes audiui dicentes, ſedenti in throno & agno, benedictio, honor, gloria & poteſtas, ſeu imperium in ſecula ſeculorum. Hæc eſt certiſsima interpretatio eius, quod Paulus tradit, quomodo in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum.

Manifeſtè autem oſtendit, Eccleſiam ſanctorum, & eam quæ in terris adhuc militat, & quæ iam in cœlis triumphat, (ſicut Scholæ loquuntur) adorare, inuocare, & celebrare Chriſtum, non tãtum reſpectu diuinæ naturæ, qua Deus & Creator, verumetiam reſpectu aſſumtæ humanæ naturæ, qua homo ſeu agnus occiſus eſt.

Tertiò, ratione hypoſtaticæ vnionis, λόγος incarnatus, vna adoratione cum aſſumta ſua carne ſeu humanitate adoratur, ſicut veteres tradunt, & non ſicut Scholaſtici fingunt, partim λατρείᾳ, partim ὑπερδουλείᾳ. Ita Athanaſius Dialogo 5. cap. 28. Cum Apollinarius dixiſſet, Si non adorabimus hominem Chriſtum, quomodo ipſum diuinæ naturæ vnitũ eſſe cenſebimus, & quomodo in mortem ipſius baptiſamur? Sin verò ſic hominem adorabimus vt Deum, impiè faciemus, creaturam exæquantes (ἐν ἴσῳ τιθέντες) creatori. Quod ſi ideò adoratur, quia Diuina virtus in ipſo inhabitat, quomodo ab angelis adoratur, qui Diuinam virtutem ſemper in ſe habent inhabitantem? Orthodoxus reſpondet, Et nos & angeli, adoramus illum Deum λόγον, qui formam ſerui, hoc eſt, totam humanitatem aſſumſit. Et non (ἐν μέρει) ſeorſim, ſeparatim, ſeu ad partem,

tem, Deum adoramus & (ψιλὸν μέρα) seorsim seu partim hominem nec rem creatam creatori æquiparamus, Sed sicut vos Apollinaristæ, siquidem sentitis, λόγον saltem carnem nobis consubstantialem ex Virgine accepisse, incarnatum ipsum in carne adoratis, nec tamen æqualia esse ponitis, carnem & Deitatem, nec carnem separatis, & ψιλὸν μέρα, seorsim illā adoratis, sed Deitatem cum carne adoratis, ita & nos Deitatem (ἐνανθρωπήσασαν) quæ homini vnita, seu homo facta est, adoramus, nec eam ab humana natura seiungimus. Illud verò Athanasius declarat explicatione alterius quæstionis, Quomodo iudicium, quo occulta tenebrarum in lucē producuntur, quod Dei est, tribuatur Christo, quia Filius hominis est, Respondet autem, Christum illuminare occulta tenebrarum, quia vnus sit, idem Deus & homo, sicut ignis, inquit, in materia aliqua, illuminat eos, qui ad lucem accedunt, ita vt nec à materia, cum qua vnitus est seperetur, nec materia ipsa consumatur. Et cap. 29. id quod Apollinarista dixerat: Carnem Christi passiones superasse, propterea quia Dei caro sit, & adorari tanquam Dei carnem, non vt creaturam, cum nulla res creata, sit Dei portio. Illud Orthodoxus ita explicat: Caro Christi passionibus superior euasit, propter vnionem cum Deo, καὶ ὁ θεὸς ἐνανθρωπήσας προσκυνεῖται, ὁ αὐτὸς ἑνώσει τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡς ἄνθρωπος, φύσει δὲ καὶ οὐσίᾳ ὢν θεός. Et Deus homo factus adoratur, idem vnitione cū nostra natura vt homo, natura verò & essentia Deus existens. Cæterum Dei, qui est ἀμερὴς, caro non potest portio seu pars esse. Hæc ibi Athanasius.

Cyrillus verò mota Nestorij controuersia, diligentius hæc explicauit, vt in Epistola 10. dicit, Non alter simul cum altero adoratur, sed vnus Christus Iesus, vna adoratione propria cum carne adoratur. Et Anathematismo. 8. inquit: Si quis audet dicere, assumtum hominem vna cum Deo Verbo, coadorandum & conglorificandum, & non magis vna adoratione, Emanuelem honorat, & vnam illi glorificationem, sicut Verbum caro factum est, adaptat, Anathema sit. Hoc vero ita declarat: Credimus & baptisati sumus in vnum Dominum nostrum

ſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut Paulus inquit: In mortem eius baptiſati ſumus. Et primogenitum adorant omnes angeli Dei, factus eſt autem Vnigenitus primogenitus, quando homo nobis ſimilis factus eſt. Si quis igitur dicit: Adorari eum tanquam hominem, vnà cum altero, præter ipſum exiſtente, videlicet λόγῳ, & non ſecundum veram vnionem, vnum Chriſtum Filium & Dominum coniunctim, vna adoratione honorat, Anathemati ſubijcitur.

Et Orientales Epiſcopi dicunt: Non dicimus coadorationem, quaſi de duobus Filijs, quaſi aliter adoratio fiat Deo Verbo, & aliter carni, ſed vnam potius adorationem vni Filio offerimus. Et Cyrillus in defenſione 8. Anathematiſmi: Vnum Chriſtum vna adoratione, propria cum carne adorari, hac ſimilitudine declarat, vt ſi dicam, Animam hominis cohonorari cum ſuo corpore, quando honor ille ſit à quopiam erga vnum hominem, qui eſt ex vtriſq; anima ſcilicet & corpore. Non autem ſi dicam, Petrum cum Iohanne coaſcendiſſe in templum, Ita enim duæ perſonæ ſignificantur. Ibidem dicit: Vnum Chriſtum vna adoratione propria cũ carne adorari, ſicut dicimus, vnum & eundem Filium, propria cum carne, Deum ſimul & hominem vnica confidẽtia apud Patrem honoratum, & non duabus, ita, quaſi vna & propria conſidẽtia tributa ſit corpori, alia verò iterum & propria Verbo. Et contra Theodoretum: Chriſtus quia Deus eſt & homo, ipſe adoratur ſicut vnus adorandus, adoratione vna, & non coadoratur Deus, ne Emanuel credatur eſſe homo ſimpliciter, communis, & ſicut nos per gratiam Diuinæ gloriæ particeps, ſed vnus in carne, propter nos verè homo factus, non tranſitu naturæ, ſecundum alterationem & verſionem, ſed vnionis diſpenſatione.

Orientales etiam in 8. capitulo dicunt: Licet altera & altera natura ſit in Chriſto, non tamẽ alter & alter Chriſtus & Dominus, ſed vnus Filius & Dominus, iure adoratur tanquam creator, ſecundum Diuinam naturam, & tanquam Redemtor, qui ſuſcepit hominis proprietatem. Baſilius, Nazianzenus & Cyrillus, triplicem quaſi funiculum ſolent ita connectere, ſicut

cut baptisamur ita credimus, & sicut credimus, ita adoramus & inuocamus. Baptisati autem sumus, non in solam Diuinam Christi naturam, verumetiam in mortem ipsius quæ certè humanæ naturæ respectu λόγῳ tribuitur. Item, eadem ratione in nomine Christi baptisamur, sicut in nomine eius iustificamur, 1. Cor. 5. Non autē Diuinæ tantum naturæ respectu, in nomine Christi iustificamur, in sanguine enim ipsius iustificamur Ro. 5. Fides igitur adoratio seu inuocatio, ita ad personam Christi dirigitur, vt non alteram tantum, in ipso naturam, sed vtramq; intueatur & apprehendat. Sicut Paulus inquit Ro. 3. Quem proposuit Deus propiciatorium per fidem in sanguine ipsius. Ita Epiphanius contra Dimæritas inquit: Non ponimus fiduciā nostrā in hominem, quia maledictus qui confidit in homine. Vnà ergo erant Diuinitas & Humanitas, quando Christus patiebatur in carne, vt Iustificationem non in carne solum habeamus, sed & in Diuinitate, vt & in Diuinitate & in carne κατ' ἀμφοῖν, secundum vtramq; naturam, salus nobis contingeret. Et Cyrillus de recta fide ad Theodosium: Non in solum seu nudum Verbum credimus, despoliantes illud carne, neq; etiam tanquam in nudum hominem nobis similem, sed in Deum naturalem & verum, in persona Christi tendit fides nostra. Et quia ex Iudæis quidam arbitrabantur eum qui propter nos homo factus est, non esse natura Deum, sed simpliciter hominem, sicut nos, Atq; hinc contendebant, ne fides in illum reciperetur, Christus igitur necessario ad periculum & metum illum tollendum, fidem referebat in Deitatis naturam. Hæc Cyrillus.

Et diligenter notandum est, quod fides & inuocatio licet in persona Christi vtramq; eius naturam intueatur, & apprehendat, simul tamen consideret naturarum differentiam, ac præcipuè in assumta natura cnnsiderat officium Mediatoris, ad quod assumta est humanitas, & exaltationem ad quam euecta est.

Quartò, Ne verò ex alijs Veterum sententijs, aliquis prauè colligeret, fidem, adorationem & inuocationem ita ad personam Christi dirigi, vt humana ipsius natura, à cultu illo adorationis excludatur. Veteres in multis sententijs disertè & expressè

preſsè, non tantum in concreto, ſeu per vocabula ſignificantia perſonam dicunt, Chriſtum hominem adorandum, ſed ipſam etiam carnem ſeu humanitatem λόγυ adorari.

Cyprianus in ſermone de Aſcenſione: Beati & angeli venerabantur Chriſtum hominem ſupra ſe ſublimatum, quem Pater ad dexteram ſuam collocatum, gloria & honore coronauerat, hoc dato ei priuilegio ſingulari, vt in nomine eius omne genu flecteretur, & ſuper omne nomen, eius nomen excellentius coleretur.

Cyrillus in defenſione Anathematiſmi 8. citat ex Athanaſij libris de incarnatione hanc ſententiam: Si quis dicit, Domini carnem ſupernè eſſe, & non ex Virgine Maria, vel factam naturarum conuerſionem aut confuſionem, vel non adorandam Domini noſtri carnem vt hominis, & non adorandam vt Domini & Dei carnem, hunc Anathematiſat ſancta & Catholica Eccleſia.

In libro verò Cyrilli, de recta fide ad Reginas, illa Athanaſij ſententia clarius ita reddita eſt: Si quis dicat, ἀπροσκύνητον inadorabilem Domini noſtri carnem vt hominis, & non adorandam vt Domini & Dei carnem, hunc anathematiſat ſancta & Catholica Eccleſia.

Item Athanaſius Oratio. 5. contra Arrianos: Adoraturi non ſeponimus λόγον à carne, ſcimus enim Verbum caro factum, quis ergo dixerit? Abſiſte à carne, vt adorem te. Et mox, Quomodo corpus Domini non eſſet adorabile? cum λόγος manum ſuam corporalem extendens, ſanauerit febricitantem, Vocem humanam edens, excitauerit Lazarum, manibus in cruce protenſis, principem aëris proſtrauerit &c. Athanaſius in Oratione Vnum eſſe Chriſtum: Extra Trinitatem Chriſtum ſummouent ſeu honore inadorabilem.

Dydimus Alexandrinus lib. 5. de Spiritu Sancto, Verbum hominem aſſumſit, eumq; ſuper omnes poteſtates eſſe conſtituit. Huic omnes angeli, iuſsi eum adorare, ſubiecti ſunt, ſcientes eum vniri Deo Verbo, cum in dextera Diuinitatis ſit, & omnia ipſi genu flectant.

Chry-

Chryſoſtomus Ebr. 1. Chriſtum ſecundum carnem, iuſsit Pater à cunctis angelis adorari.

Theodoretus dialog. 2. Corpus Dominicum diuina glorificatum gloria, à cœleſtibus poteſtatibus adoratur. Item illud corpus, ſeſsione ad dexteram Dei dignatum eſt, & ab omni creatura adoratur, vt quod appellatur corpus Dei.

Idem in 1. cap. ad Epheſios: Quod qui Deus eſt vnà cum Deo ſedeat, non eſt admirabile, quod verò ſumta ex nobis natura, eiuſdem honoris cum eo, qui ſum ſit, fit particeps, vt nulla videatur adorationis differentia, ſed per naturam, quæ cernitur, adoratur, quæ non cernitur Diuinitas, hoc verò omne miraculum ſuperat.

Idem Ebr. 1. Chriſtus ſemper ab angelis cultum & adorationem accepit, erat enim ſemper Deus, Iam autem adoram ipſum etiam vt hominem, Pſal. 96.

Ambroſius de Spiritu Sancto, lib. 3. cap. 12. Angeli adorant non tantum Diuinitatem Chriſti, ſed & ſcabellum pedum eius, Aut ſi negant, quod in Chriſto etiam Incarnationis adoranda ſint myſteria, in quibus velut veſtigia quædam Diuinitatis expreſſa, & vias quaſdam Verbi cœleſtis aduertimus, legant, quia & Apoſtoli adorabant eum, in carnis gloria reſurgentem. Ibidem, Illam terram Propheta dicit adorandam, quam Dominus Ieſus, in carnis aſſumtione ſuſcepit, Itaq; per ſcabellum terræ intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoq; in myſterijs adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu, vt ſupra diximus, adorarunt.

Leo, ſermone 8. de Quadrageſima: Nolite cogitare, quaſi in Chriſto aut ſola ſit humanitas, aut ſola Diuinitas, Sed vtrumq; fideliter credite, vtrumq; humiliter adorate.

Chryſoſtomus 1. Cor. 10. τοῦτο τὸ σῶμα, Hoc corpus Chriſti in præſepi iacens, Magi προσεκύνησαν venerati ſunt, Et à longè venientes, cum timore & tremore multo, προσεκύνησαν adorauerunt.

Idem Ebr. 2. Homilia 5. Reuera magnum & admirabile & ſtupore plenum eſt, carnem noſtram ſurſum ſedere, & adorari

ab Angelis & Archangelis, Hoc ſæpius mente verſans ecſtaſin patior, & magna de genere humano cogito.

Theophilactus ex Chryſoſtomo in 28. Matth. Quia humana natura prius condemnata, nunc verò vnita Dei Verbo perſonaliter ſedet in cœlo, & ab Angelis adoratur, meritò dicit, Mihi data eſt omnis poteſtas.

Nazianzenus Epiſtola ad Cledonium: Si quis non adorat crucifixum, Anathema ſit.

Cyrillus 6. dialog. dicit: Chriſtum ſecundum humanitatem hoc accepiſſe, vt curuetur ei omne genu, Phil. 2.

Auguſtinus in Pſal. 98. explicans illud: Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Fluctuans inquit, Conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra, & ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, niſi prius adorauerit: Inuentum eſt, quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.

Idem, Auguſtinus in 14. Ioh. de Verbis Domini Serm. 58. Si Chriſtus non eſt natura Deus, ſed creatura, nec colendus eſt omnino, nec vt Deus adorandus. Sed illi ad hoc replicabunt, & dicent, Quid eſt, quod carnem eius, quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum Diuinitate adoras, & ei non minus quam Deitati deſeruis? Ego verò Dominicam carnem, Imò perfectam in Chriſto humanitatem, ideò adoro, quod à Diuinitate ſuſcepta, & Deitati vnita eſt, vt non alium & alium, ſed vnum eundemq; Deum & hominem, Filium Dei eſſe confitear. Denicq; ſi hominem ſeparaueris à Deo, illi nunquam credo, non ſeruio, velut ſi quis purpuram vel Diadema regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum verò Rex illis fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea cum rege quis adorare contemſerit, Ita in Chriſto Domino, humanitatem non

nudam

nudam vel ſolam, ſed Diuinitati vnitam ſcilicet vnum Dei Filium, Deum verum, & hominem verum, ſi quis adorare contemſerit, æternaliter morietur.

Damaſcenus lib. 3. cap. 8. Adoramus Chriſtum perfectum Deum, & hominem perfectum, vna adoratione cum incontaminata carne eius, non inadorabilem carnem dicentes, adoratur enim in vna verbi hypoſtaſi. Non ergo creaturæ venerationem præbemus, non enim vt nudam carnem adoramus, ſed vt vnitam Deitati, in vnam hypoſtaſin λόγȣ, duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem, Adoro Chriſti Dei mei ſimul vtramq; naturam, propter carni vnitam Deitatem, Non enim quartam oppono perſonam in Trinitate, ſed vnam perſonam confiteor Verbi & carnis eius. Hæc Damaſcenus.

Inde Scholaſtici ſaniores dicunt: Sicut eodem timore timetur ferrum ignitum, & ignis in ferro, ita vna adoratione, λόγον cum aſſumta ſua carne adorari.

CAPVT XXX.

De præſentia totius perſonæ Chriſti ſecundum vtramq; naturam in Eccleſia.

DE præſentia Chriſti in Eccleſia, quæ eſt regnũ ipſius, multa extant illuſtria ſcripturæ dicta, Et nõ poſtrema pars officij Chriſti, Mediatoris & Saluatoris noſtri eſt, vt tanquam caput membris ſuis adſit, colligens, gubernans, defendens, conſeruans & ſaluans Eccleſiam. Ac in omnibus tentationibus & afflictionibus, in deprauata naturæ noſtræ infirmitate, inter tam varia ſcandala,

& multiplices insidias, sub tyrannica potentia & rabie Satanæ, mundi ac omnium Ecclesiæ hostium, vnica & summa nostra consolatio est, quod scimus Christum, vt Regem nostrum, Pontificem, caput & pastorem, nobis ouiculis suis, in medio luporum versantibus, adesse, Non vt onera gubernationis in regno suo, aliorum humeris per vicariam operam, sicut nostri Reges solent, imponat, principatus enim eius super humerum eius, Isa. 9. sed vt præsens ipse nos curet, gubernet, defendat, conseruet & saluet, tanquam populum peculiarem, quem proprio suo sanguine sibi acquisiuit, Sicut Iohannes inquit: Qui in vobis est, maior est quam qui in mundo est. Et Ezech. 34. Seruus meus Dauid princeps in medio eorum.

Quia verò persona Christi incarnati, Mediatoris & Saluatoris nostri, constat duabus naturis vnitis, Diuina assumente, & humana assumpta, vt igitur doctrina de præsentia Christi in Ecclesia, eò rectius, commodius & explicatius, proponi, considerari, & ad veram consolationem referri possit, distinctè de vtraq; eius natura, siue de præsentia Christi secundum vtramq; naturam, dicemus. Ac de Diuina quidem Christi natura, quod secundum illam Christus, & Ecclesiæ suæ, & omnibus alijs creaturis præsens adsit, sicut in vsitata doctrina, de modis præsentiæ Dei traditur, nulla nunc est controuersia. Licet antiquis temporibus, variè disputata fuerit hæc etiam quæstio, Lib. 3. Sentent. distinct. 36. & 37. Senserunt enim quidam, Deum essentialiter seu per essentiam esse tantum in se ipso, sicut Pater est in Filio, Filius in Patre, & Spiritus Sanctus in vtroq;. In reliquis verò rebus Deum esse virtute, potentia, efficacia, effectiuè, vel secundum effectus.

Ita Damascenus in libello de duabus operationibus Christi, inquit: Diuinitas est ἀσυγκοινώνητον, incommunicabilis, Actionis autem seu operationis, non naturæ particeps fecit creaturas.

Et Epiphanius lib. 5. Tomo 2. contra Dimœritas inquit: θεὸς δυνάμει θεότητος αὐτοῦ, ᾧ πᾶσι ἐσὶ πολὺ ἀμιγὴς πάντων ἐσὶ, διὰ τὴν αὐτοῦ ἀσυγκοινώνητον καὶ ἀσύγκριτον οὐσίαν, Hoc est, Deus

Deus potentia Diuinitatis ſuæ, eſt in omnibus, & tamen cum nullo miſcetur, propter incommunicabilem & incomparabilem ſuam eſſentiam.

Alij dixerunt: Ita Deum eſſe in omnibus, ſicut omnia ſunt in Deo, In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus. Creaturæ autem ſunt in Deo, non eſſentialiter, quicquid enim eſſentialiter eſt in Deo, eſt ipſe Deus, Sed tanquam obiectum ſcientiæ & notitiæ Dei, vel tanquam effectus in cauſſa producente & conſeruante, hoc eſt, ſunt in ſcientia, & potentia Dei.

Quidam etiam dixerunt: Deum eſſe vbiq; per præſentiam, quia omnia ipſi ſunt præſentia. Longobardus verò modeſtè dicit: Deum eſſe vbiq; ſcimus & dicimus, Quomodo autem vbiq; ſit, non intelligimus, Nam præter ſcientiam & potentiam Dei, plus aliquid præſentia eius continet, quod homo viuens capere non valet. Ita Longobardus.

Quia igitur Scriptura expreſſè dicit: Deum non abſentem, vel à longe, ſed de propinquo ſeu præſentem, cœlum & terram implere eſſentia, ſcilicet, prouidentia, potentia, & operatione ſua producente, conſeruante & gubernante ſingula, Ierem. 23. & Pſal. 139. Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, Si deſcendero in Infernum ades, Si ſumſero pennas auroræ, hoc eſt, ſi inſtar radiorum Solis celerrimo momento ab Oriente ad Occidentem me proripere velim, etiam ibi dextera tua tenebit me, cumq; eſſentia diuina ſit infinita, immenſa, illimitata & ſimpliciſsima, ac operatio Dei procedat à potentia eius, & potentia ſit ipſa diuina eſſentia. Ideò vſitatè & rectè dicitur, Deum eſſentialiter, ſeu per eſſentiam, præſentiam & potentiam vbiq; adeſſe, vel in rebus omnibus eſſe, ſine ſui mixtione, circumſcriptione, diſtractione & mutabilitate. Et notandū eſt id, q; Damaſcenus ſcilicet lib. 1. cap. 16. ſcripſit: Quod Deus, quia immaterialis & incircumſcriptus eſt, propriè non eſt in loco, Ipſe enim ἑαυτῷ ſui ipſius locus eſt, Omnia replens, & ſuper omnia exiſtens, & ipſe σωέχων continens omnia. Dicitur autem & in loco eſſe, & dicitur locus Dei, vbi operatio eius ἐνδόξως manifeſta ſeu conſpicua ſit, Ipſe enim per omnia abſque per-

mixtione permeat, & omnibus ἐνεργείαν, efficaciam ſuam communicat, pro cuiuſq; capacitate. Dicitur itaque locus Dei (ὁ πλέον μετέχον) qui plus participat de efficacia & gratia eius. Ac propterea cœlum dicitur Thronus Dei, quia ſcilicet, peculiari & ſingulari operatione, per apertam, ac beatis ſpiritibus conſpicuam manſionem & viſionem, ac pleniſsimam gloriæ reuelationem, ibi ſe manifeſtat, ea ratione dicitur cœlum locus habitaculi Dei. Deinde Eccleſiam & ſanctos, propter ſpirituales, cœleſtes, ſalutares & miraculoſas operationes Dei, Scriptura vocat habitationem Dei, Pſal. 76. Locus eius in Salem, & habitatio in Zion. Pſal. 132. Hæc requies mea hîc habitabo, Pſal. 26. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Sed in aſſumta natura, toto genere excellentior eſt præſentia Deitatis Filij. Terra verò, propter operationem Dei generalem, vocatur ſcabellum pedum Dei. Hinc Scholaſtici lib. 1. Sententiarum diſt. 37. triplicem ponunt præſentiam Dei. GENERALEM, qua creaturas omnes producit, conſeruat & gubernat. SPECIALEM, qua per gratiam, ſalutari aſsiſtentia, in ſanctis inhabitat. SINGVLAREM, qua naturam humanam aſſumens, in vnitatem perſonæ ſibi copulat. Quia verò diuina natura eſt ἀμοιρὴς inpartibilis, non habens partem extra partem, ideò ὅλη ὁλικῶς, tota totaliter, vbiq; exiſtit, nec pars in parte, ſed tota eſt in omnibus ac in ſingulis tota, & tota eſt ſuper omnia, ſicut inquit Damaſcenus. Et Veteres dicunt: Eſſentiam diuinam eſſe intra omnia non incluſam, extra omnia non excluſam. Sed de præſentia Chriſti, ſecundum diuinam naturam, nulla nunc quidem, quod ſciam, eſt controuerſia.

Quia verò in perſona Chriſti, non tantum Diuina, verum etiã humana natura ſubſiſtit, de illa, hoc tempore magnæ ſunt diſputatiões, An ſcilicet, Vbi, & quomodo tota perſona Chriſti, ſecundum vtramq; naturam, ſeu aſſumta etiam ſua humana natura, præſens adſit, vel adeſſe velit, ac poſsit, Illius igitur quæſtionis explicationem, vt eò planior fiat, nec confuſione diuerſarum diſputationum vel turbetur, vel inuoluatur, in aliquot membra diſtribuemus. Et in ea explicatione iudico hanc methodum

thodum esse simpliciſsimam, certiſsimam & tutiſsimam. Quia in omnibus controuerſijs, Verbum Dei debet nobis præluceere, tanquam lucerna pedibus noſtris, & lumen ſemitis noſtris, Vt non ex noſtris argumentationibus, ſiue de proprietatibus naturalibus, ſiue de prærogatiuis ὑποφυσικοῖς, extruamus, quid, & quantum Chriſtus, aſſumta ſua & ſibi vnita humana natura, velit, poſsit, & faciat, vel non, Sed vt à Verbo Dei ordiamur, & prælucentem eius lucernam ſequamur, In eius enim luce ſimpliciter ambulantes, ipſo nos Spiritu ſuo ducente, à via veritatis non aberrabimus. Quando igitur & de quibus in Scriptura habemus expreſſum verbum, Inſtitutionem, ordinationem, aſſeuerationem aut promiſsionem, de præſentia totius Chriſti, etiam ſecundum aſſumtam humanam ſuam naturam, illud ſimpliciter ac firmiter retineamus, Nec per quaſcunq; argumentationes, inde nos abduci patiamur, quaſi fieri hoc non poſsit, ſalua veritate humanæ naturæ. Sed ſtatuamus Filium Dei, in, & cum aſſumta ſua humanitate, quam ſibi in vnitatem perſonæ vniuit, & exaltauit ſuper omnes poteſtates, ac ſuper omne nomen, data ipſi omni poteſtate in cœlo & in terra, & omnibus creaturis ipſi ſubiectis, poſſe ea præſtare, de quibus nobis in Scriptura, certum & expreſſum verbum, inſtitutionem, ordinationem, ſeu promiſsionem tradidit, etiamſi modum quomodo illud fiat, nec intelligere, nec explicare poſsimus, vt ita non ab abſoluta Filij Dei omnipotentia argumentemur, ſed ſemper in hac diſputatione de Chriſto, coniungamus, velle, poſſe, fieri ſeu eſſe. Reliquas verò quæſtiones, de quibus non habemus tam expreſſum verbum, vel promiſsionem, in medio relinquamus, ac differamus ad futuram cœleſtem & æternam ſcholam, vbi gloriam Chriſti fratris noſtri facie ad faciem videbimus.

Primùm igitur tota Euangelica hiſtoria teſtatur, Chriſtum tempore viſibilis & externæ conuerſationis ſuæ ſecundum carnem, in terris, corpore ſuo viſibiliter & ſenſibiliter, phyſica locatione, circumſcriptiuè, ſeu localiter, iuxta conditiones huius ſeculi, certo ſitu, ac poſitu membrorum, ſicut reliquos homines, fuiſſe in certo loco, ac motu locali migraſſe de loco, in locum,

locum, iuxta naturales corporis humani proprietates. Ita in vtero matris gestatus fuit, donec in hunc mundum nasceretur. Nec dicendum est, Corpus Christi priusquam nasceretur fuisse extra vterum Mariæ Virginis, vel in aliarum mulierum vtero. Secundum hanc circumscriptam formam ipse Christus dicit: Gaudeo propter vos, quod non fuerim in Bethania. Item, fieri non potest Messiam prophetã perire extra Hierosolymã, Lu. 13. De illa Physica locatione membrorum, ac locali circumscriptione, Angelus de sepulchro dicit: Surrexit, non est hîc, Ecce locus vbi positum fuerat corpus Domini. Hoc etiam modo historia Ascensionis Christi describitur, quod non fuerit repentina disparitio, sed visibili motu in altum eleuatus, & sursum subductus est, nubes enim subduxit eum ab oculis Apostolorum, ita vt visibili interuallo, subinde longius ac longius à conspectu Apostolorum sursum discederet, Lucas enim capite 24. dicit: διέστη ἀπ' αὐτῶν. Hæc igitur accipiantur & intelligantur simpliciter, sicut litera verborum, in propria significatione sonat, nec misceantur aliunde peregrinæ disputationes. Supra enim multis ostendimus, assumptam Christi humanitatem, per vnionem cum Diuinitate, non conuersam aut transmutatam in essentiam infinitam, seu immensam, sed ipsam habere ac retinere, in ipsa vnione, & post vnionem, naturæ humanæ veritatem, ac physica seu essentialia eius Idiomata, iuxta quæ verum humanum corpus constat, certa, finita, & circumscripta membrorum συμμετρία dimensione, quæ certo, locali seu finito situ ac positu membrorum constans, habet partem extra partem, certo ordine. Corpus igitur Christi, cum proprietate naturæ sit finitum, essentialiter seu naturaliter, hoc est, Iuxta nãturales suas proprietates, quas habet & retinet, etiam in ipsa vnione, localiter & circumscriptiuè certum locum occupat. Ac si Christi corpus nihil amplius, præter & supra manentes essentiales suas proprietates, ex hypostatica vnione haberet, aut si Filius Dei, corpore suo, tantum secundum naturales ipsius proprietates, & non aliter ageret, aut si de corpore, seu humana natura Christi, nullum aliud peculiare Verbum aut promissionem haberemus, sequeretur, tantum circumscriptiuè

ſcriptiuè ipſum in certo aliquo vno loco, ſicut alia merè humana corpora adeſſe. Sed retinendum eſt, quod ſupra ex Veteribus, & ex Damaſceno oſtendimus, Humanam naturam in Chriſto, non vel neceſsitate aliqua ineuitabili, vel proprio ſuo arbitrio motam fuiſſe, ad agenda ea, quæ eſſentialiter aut naturaliter ſibi propria erant, ſed ἡγεμονευομένην ὑπὸ τῆς τοῦ λόγου θεότητος, dominationi, imperio ſeu ductui Deitatis Verbi ſubiectam fuiſſe, Deitate, quando & quomodo volebat (παχωρούσης) concedente aut permittente, vt humana eius natura, ea, quæ naturaliter ſibi propria erant, ageret aut pateretur. Ea enim anima CHRISTI voluit, quæ diuina Verbi voluntas, voluit eam velle. Voluit autem vt tempore exinanitionis, ſeu in diebus carnis, ita ſe gereret, ſicut alius quiſpiam homo, ſicut in reliquis viſibilis & externæ conuerſationis partibus, Ita etiam in phyſica locatione & circumſcripto ſeu locali præſentiæ modo, iuxta conditionem huius ſeculi. Ita enim exiuit à Patre, & venit in mundum, non quod à Patre diuulſus fuerit, Ioh. 8. aut quaſi ante incarnationem non fuerit in mundo, Erat enim in mundo, & mundus per ipſum factus eſt, Iohan. 1. Sed quia tanquam legatus à Patre miſſus, in carne mundo manifeſtatus eſt, & quia exinaniuit ſe, non exerens diuinam ſuam maieſtatem & potentiam, ſed habitu ſeu conditione externæ, viſibilis, ſenſibilis, & phyſicæ conuerſationis, & ratione viuendi huius ſeculi in ſimilitudine reliquorum hominum factus, vt alius quiſpiam homo inuentus eſt, Ac præterea infirmitatibus ac aduerſitatibus humanis, abſq; peccato oneratus, odijs, inimicitijs, & perſecutionibus Satanæ ac mundi expoſitus ac obiectus fuit. Illum verò modum viſibilis conuerſationis, ac illam circumſcriptam & localem formam præſentiæ ſui corporis, iuxta conditiones ac rationem viuendi huius ſeculi, ſecundum carnem à nobis, qui in terris ſumus, per Aſcenſionem ſubduxit. Et hoc eſt, quod dixit: Iterum relinquo mundum. Item, Pauperes ſemper habetis vobiſcũ, ac quandocunq; volueritis, poteſtis eis benefacere, me verò non ſemper habebitis, Ita ſcilicet, in viſibili ac familiari conuerſatione, vt talia externa beneficia, ſicut hæc vnctrix corpori meo, præſtare poſsitis, Sicut

Hieronymus illam ſententiam Chriſti interpretatur, cum inquit: Videtur mihi in hoc loco Chriſtus de præſentia dicere corporali, Quod nequaquam cum eis futurus ſit, poſt reſurrectionem, quomodo nunc in omni conuictu & familiaritate. Et Bucerus dicit, Iſta teſtificatione de abitione ſua è mundo ad Patrem, certum eſt, Dominum nihil docere amplius voluiſſe, quam ſe ex ratione viuendi huius ſeculi ærumnoſa, & ſenſibus expoſita, in glorioſam & cœleſtem viuendi rationem concedere, quæ propria eſt reſurrectiõis & futuri ſeculi. De modo igitur præſentiæ, iuxta rationem & conditiones huius ſeculi, viſibili, ſenſibili, locali ac circumſcripto, dicta illa loquuntur, ſecundum quem modum præſentiæ, Chriſtus iam ordinariè Eccleſiæ ſuæ in terris, non amplius adeſt, Quod ipſum mox repetendum erit.

Secundò, Certum eſt, Chriſti corpus per Aſcenſionem, ſeu tranſitionem ex hoc mundo ad Patrem, glorificatum ſeu glorioſum factum eſſe, in ſummo gradu gloriæ. Nam transfigurabit corpus humilitatis noſtræ, vt conforme fiat, corpori ſuo glorioſo, ſcilicet κατὰ ποῖον non κατὰ πόσον, in qualitate non in quantitate, ſicut Theodoretus inquit. Et Scholaſtici quidem libro ſententiarum 4. diſt. 44. multa diſputant de dotibus corporum glorificatorum, quas ita numerant, Impaſſibilitatem, ſubtilitatem, agilitatem, & claritatem. Chriſtus dotes illas vno genere complectitur, cum inquit: Erunt ſimiles angelis, quam generalitatem Paulus euoluit 1. Cor. 15. Glorificatæ naturæ conditiones, ſeu dotes ita numerans & deſcribens, ſcilicet, 1. nominat ἀφθαρσίαν, quod tunc non erunt, vlli corruptioni vel corporis, vel animæ obnoxia. 2. δόξαν, quia ſcilicet erunt tunc corpora cœleſti ſplendore lucida, & alijs magnificis ac glorioſis cœleſtibus conditionibus ornata, fulgebunt enim vt Sol, Matth. 13. ſicut etiam hiſtoria clarificationis Chriſti oſtendit. 3. δύναμιν, quia ſcilicet abſq; omni imbecillitate, habebunt robur, fortitudinem & potentiam cœleſtem, ſicut angeli Pſ. 103. dicuntur potentes virtute. 4. Corpora ibi non amplius erunt ſicut in hac vita animalia, ſed ſpiritualia. Sunt autem & vocantur corpora in hac vita ψυχικὰ, non quod in animam ſint tranſmutata, aut eiuſdem ſubſtantiæ

ſint

ſint cum anima, quæ ſpiritualis ſubſtantia eſt, ſed quia non ſeipſis, aut proprijs tantum ſuis corporeis conditionibus, proprietatibus & facultatibus, ad actiones mouentur & gubernantur corpora, ſed ab animæ potentijs, per cibos & alia, quæ ad nutritionem, augmentationem, ſuſtentationem, ac totam vitæ huius rationem & conditionem, vt media pertinent, vegetantur, ſuſtentantur & conſeruantur. Item, quia ab animæ potentijs, ad actiones vitales & animales, corpora mouentur & gubernantur. Animata enim corpora habent talem communionem cum potentijs animæ, vt corpora inde conditiones, facultates & actiones animatas habeant, Anima enim per organa corporis αἰσθητήρια ſentit, per neruos, virtutem ſuam locomotiuam exercet, & oculi virtute animæ vident, aures audiunt, nerui corpus mouent. Ac breuiter, corpus ſubiectum eſt animæ affectionibus, quæ membris corporis, pro ſua voluntate & potentia, ſicut vult ac poteſt vtitur, Et corpus virtute animæ vtitur ad motus & actiones ſuas perficiendas, Sicut ſupra ſimilitudo animæ & corporis pluribus explicata eſt. Eadem ratione in reſurrectione erunt corpora πνευματικὰ Spiritualia, non quod in Spiritum tranſmutabuntur, aut quod eiuſdem ſubſtantiæ cum Spiritu Sancto erunt, habebunt enim & retinebunt naturam ſeu ſubſtantiam corporis, ſicut Iob inquit: In hac carne mea, videbo Deum meum, Et in Symbolo credimus, Huius carnis reſurrectionem, Sed erunt ſpiritualia, quia quod nunc anima eſt corpori, hoc tunc, excepta hypoſtatica animæ & corporis vnione, Spiritus erit & animæ corpori. Corpus enim abſq; medijs, à Spiritu ſuſtentabitur & conſeruabitur, Et corpus vnà cum anima perfectiſsimè ſubiecta erunt ductui ac gubernationi ſpiritus. In hac enim vita, renati in rebus ad Deum pertinentibus, aguntur Spiritu Dei, ſed ex parte tantum & imperfectè, mente enim ſecundum interiorem hominem ducitur Paulus ſpiritu Dei, Ro. 7. atq; ita habet κοινωνίαν Spiritus etiam in hac vita 2. Cor. 13. carne autem ſeruit peccato, Lex enim peccati in membris in hac vita repugnat legi mentis, Roman. 7. In reſurrectione verò, & corpus & anima, abſq; vlla repugnantia, perfectè ſubiecta erunt ductui & gubernationi Spiritus, qui

& corpore & anima ſanctorum, ad quoſcunq; motus & operationes voluerit, pro ſua omnipotentia vtetur. Et corpora atque animæ ſanctorum in gloria, virtute Spiritus, ad omnes motus & operationes, quas Spiritus voluerit, vtentur, & conditiones, facultates atq; operationes, non iam animales, ſed ſpirituales habebunt perfectiſsimas. Hæc ex antitheſi corporum animalium & ſpiritualium rectè & certò colliguntur.

Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 13. cap. 20. inquit: Caro ſpiritui ſeruiens, recte appellatur ſpiritualis, non quod in Spiritum conuertitur, ſicut nonnulli putant, ſed quia ſpiritui ſummа & admirabili obtemperandi facultate ſubditur. Et cap. 22. Corpora erunt ſpiritualia, non quia corpora eſſe deſiſtent, ſed quia ſpiritu viuificante ſubſiſtent. Et cap. 25. dicuntur corpora animalia, nec tamen animæ ſunt, ſed corpora, ita ſpiritualia vocantur corpora, abſit tamen vt ſpiritus ea credamus futura, ſed corpora carnis habitura ſubſiſtentiam, ſed nullam tarditatem, corruptionemq;, ſpiritu viuificante paſſura. Lib. 22. cap. 30. Qui motus illic ſpiritualium corporum ſint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo, Tamen & motus & ſtatus, ſicut ipſa ſpecies, decens erit, quicunque erit, Certè vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid ſpiritus, quod nec Spiritum poſsit decere, nec corpus.

Et Proſper de vita contemplatiua lib. 1. cap. 11. Corporibus immortalitate donatis, auferenda eſt tarditas, non integritas, neceſsitas non voluntas, vt ibi ſine temporis mora, aut impedimento ponderis ſint, vbi eſſe volúerint, atq; eò ſequatur ſine vlla difficultate, ſpirituale iam corpus, quocunque ire voluerit Spiritus, angelicæ beatitudinis æqualitate perfectus. Sed Auguſtinus inter prolixas, de hac materia diſputationes, inquit, de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 21. Quæ ſit autem, & quam magna ſpiritualis corporis gratia, quia nondum venit in experimentum, Vereor ne temerarium ſit, omne quod de illa profertur eloquium, niſi quod ex dónis, quæ in hac vita bonis conferuntur, conijcimus vt poſſumus, quantum ſit illud, quod

nondum

nondum experti, vtiq; dignè eloqui non valemus. Et quia Paulus inquit: Quod oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascendit, quæ Deus in futura vita præparauit diligentibus se. Inde Bucerus rectè concludit: Christus ex ratione viuendi huius seculi ærumnosa, & sensibus exposita, in gloriosam & cœlestem viuendi rationem concessit, quæ propria est resurrectionis & futuri seculi. Hæc ratio futuræ vitæ sic habet, vt sicut eam nec oculus vidit, nec auris audiuit, ita nec in cor hominis venire, hoc est, ratione nostra comprehendi possit.

Quia verò corpora nostra, conformia futura sunt corpori glorioso Saluatoris nostri Iesu Christi, Phil. 3. Gloria igitur corporis Christi, ratione generalis glorificationis, (excepta prærogatiua hypostaticæ vnionis, secundum quam diuina gloria Vnigeniti ornatum est) eiusdem generis est, cum reliquorum sanctorum glorificatorum gloria, κατὰ τὸ ποῖον, licet ineffabiliter maiori gloria excellat κατὰ τὸ πόσον, sicut Theodoretus inquit. Inter ea enim, quæ genere differunt, vt gloria vnigeniti & gloria sanctorum, nulla est, vel similitudo vel conformitas. Cumq; Corpus Christi, nec in vnione, nec in gloria, transmutatum sit, in substantiam infinitam, seu immensam, Ergo per se, & ex se, etiam in gloria, proprietate naturæ finitur, & ratione corporum glorificatorum alicubi est, excepto, sicut dixi, hypostaticæ vnionis priuilegio. Et hac etiam forma visibili, seu conditione corporum glorificatorum, Christus corpore suo, nobis in hac vita in Ecclesia in terris militante, non est præsens, sed in cœlis, vnde ad Iudicium redibit, ea forma qua beatis animabus & spiritibus iam conspiciendum se præbet, sicut tales ostensiones in Apocalypsi aliquot describuntur, Ac ea forma in gloria redibit ad Iudicium. De his duobus igitur modis conuenit.

Addendum verò & hoc est, Christum vel illa glorioſa, vel priori naturali forma, non ita cœlo captum & concluſum esse, vt non possit, quando voluerit, etiam in terris, præsentiam suam ea forma ostendere & exhibere. Paulus enim 1. Corinth. 15. affirmat, se post resurrectionem Christum in assumta humana

natura ita vidisse, vt resurrectionem carnis, & Christi, & nostræ, inde probet. Et Ananias Actor. 9, & 22. ex reuelatione Christi, (ne quis Pauli consternati narrationem in dubium vocet) asseuerat, Paulum in via illa, qua ex Iudæa Damascum veniebat, vidisse Christum in suo corpore. Lux enim supra Solem è cœlo quidem effulsit, sed tamen Paulum in terra iacentem circumfulsit, sicut in clarificatione Apostolos in monte circumfulsit, Matth. 17. In illa ergo luce, Paulus in via, Christum in suo corpore præsentem vidit. Non enim verum est, quod quidam fingunt, Paulum ideò raptum fuisse in tertium cœlum, vt ibi Christum in suo corpore videre posset, qui alias ante extremum diem, præsentiam sui corporis in terris exhibere, nec velit, nec possit, iuxta ipsorum commentum: Sed præterquam, quod Ananias testis certissimus, ex Diuina reuelatione, confirmat, Paulum non in via cœli lactea, sed in via terrestri, ducente Hierosolymis Damascum, vidisse Christum, non in spectro aliquo visionis, sed in vero suo corpore, ita vt resurrectionem carnis inde probet Paulus ipse etiam ostendit, raptum illum suum in cœlum, non factum tempore conuersionis suæ, quando in via Christum vidit. Dicit enim 2. Cor. 12. Cum Epistolam illam posteriorem ad Corinthios scriberet, elapsos fuisse annos 14. à tempore raptus illius. Constat autem 2. Corinth. 2. & 8. Epistolam illam scriptam esse in Macedonia, Actor. 20. Quod si Apostolicam Synodum, Actor. 15. ad minimum ponas ad annum Conuersionis Pauli 14. Galat. 2. Addere oportebit præter profectiones Actor. 16. & 17. sesquiannum, quo apud Corinthios Paulus fuit, Actor. 18. & biennium, quo Ephesi Paulum hæsisse, Lucas scribit Actor. 19. Licet Paulus ipse triennium nominet, Actor. 20. Erunt igitur à tempore scriptæ Epistolæ posterioris ad Corinthios, ad tempus conuersionis Pauli, retro numerando ad minimum Anni, vel 18. vel 19. vnde si detrahas annos 14. quibus Paulus tempus raptus sui, tunc cum posteriorem ad Corinthios scriberet, definit, remanebunt anni tres vel quatuor post conuersionem, quando raptus fuit in tertium cœlum. Et hoc prorsus conuenit cum narratione

tione Pauli Actorum 22. quod scilicet, cum post triennium à conuersione Galat. 1. reuersus fuisset Hierosolymam, in templo fuerit extra se raptus, & viderit Christum. Ac diuersas fuisse visiones manifestum est. In principio enim conuersionis, in via Damascena vidit Christum, & per reuelationem accepit Euangelium, quod prædicauit. Post Triennium verò, à conuersione Hierosolymis in templo, in raptu vidit Christum, & verba, quæ ibi audiuit, dicit esse ἄῤῥητα. Neque semel hoc factum est, sed & Actor. 23. noctu in castris Iesus astitit Paulo, non inuisibiliter, sed ita, vt agnosceret illum esse, quem in prima & secunda apparitione Actor. 9. & 22. viderat.

Hæc ideò adieci, vt responderem, Christum licet naturalem modum præsentiæ corporis sui, ordinariè terris abstulerit, ac in gloria, in iudicio demum appariturus sit, tamen suo corpore, etiam post ascensionem, & ante iudicium præsentem adesse, aut præsentiam corporis sui exhibere posse in terris, quandocunque, vbicunque, & quomodocunque vult, etiam in visibili forma. Irreligiosum enim & impium est, quod quidam fingere non verentur, Christum non vero suo corpore astitisse Paulo in castris, sed obiecisse ipsi spectrum, phantasma seu idolum quasi sui corporis, Ita enim & resurrectio corporis Christi, quam Paulus ex apparitionibus illis probare contendit, spectrum & phantasma esset. Lucas quidem Actor. 18. dicit, Dominum nostrum per visionem, non quidem visum, sed locutum cum Paulo, Sed Actorum 23. dicit, non visionem, sed ipsum Dominum astitisse Paulo. Et Actor. 9. Ita vidit Christum in via Damascena, vt Resurrectionem carnis inde probet, quæ δι' ὁράματος probari non posset.

Tertiò, Hactenus ita ostendimus, Christum post ascensionem, & ante reditum ad iudicium, corpore suo, ordinaria dispensatione, in terris non adesse, physico præsentiæ modo, iuxta conditiones huius seculi, Nec etiam glorioſa conspicua forma,

iuxta

iuxta glorificatorum corporum conditiones, ſicut beatis in cœlo nunc apparet. Addimus autem, Chriſtum nihilominus quando vult, extraordinaria diſpenſatione, poſſe præſentiam corporis ſui in Eccleſia, in terris, quandocunq; & vbicunque vult, etiam hoc modo viſibiliter exhibere, ſicut in Pauli hiſtoria oſtendit. Quis enim vel vincula inijciet Chriſto? vel modum aut limites potentiæ ac ſapientiæ eius ponet?

Quod ſi præterea in Scriptura, nullum expreſſum verbum aut ſpecialem promiſsionem, de præſentia Chriſti, etiam ſecundum humanam naturam, in Eccleſia, in his terris adhuc militante, haberemus, Aut ſi Scriptura traderet, Chriſtum tantum diuina ſua natura, Eccleſiæ ſuæ in terris adeſſe, Ego ſanè pro mea ſimplicitate, nec auderem, nec vellem, ex nudis argumentationibus, de prærogatiuis hypoſtaticæ vnionis, aliud aliquid vel extruere vel recipere. Intra metas enim Diuinæ patefactionis, in verbo nobis traditæ ſimpliciter, religioſè ac ſollicitè ſe continere, omnium rectiſsimum eſſe iudico. Iam verò habemus expreſſum verbum, & ſpecialem promiſsionem, peculiari ac certa inſtitutione, & quidem teſtamentaria ordinatione, à Filio Dei, in ea nocte, qua traditus eſt, ſancitam, & poſt aſcenſionem à Chriſto, cum in cœlis in gloria ſua ad dexteram Maieſtatis reſideret, ad Paulum repetitam, Quod in actione Cœnæ ſuæ, quæ in conuentu Eccleſiæ in his terris, iuxta inſtitutionem celebratur, velit corpore & ſanguine ſuo adeſſe. Verba enim Teſtamenti Chriſti, quando de pane, qui in Cœna Dominica adeſt, exhibetur & ſumitur, aſſeuerat & affirmat: Hoc eſt corpus meum, Si abſq; tropis, in ſimplici, propria, natiua & genuina ſignificatione relinquantur, gingnere & præbere ſententiam, de præſentia corporis ac ſanguinis Chriſti in Cœna, ne ipſi quidem aduerſarij negare vel audent, vel poſſunt. Ideò enim ad tropos ipſi confugiunt, negaturi hanc præſentiam. Nominat autem Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem, non quod corpus ſuum, vel à ſanguine auulſum, vel vtrumq; ab anima ſeparatum, & extra hypoſtaticam cum Diuinitate vnionẽ, ſeorſim & ſeparatim, quaſi in abſtracto, in cœna adeſſe intel-

ligã

ligi velit, Sed quia de diuinitatis ſuæ præſentia in Eccleſia, quoniam illa eſſentia ſua, vt proprietate naturæ infinita & immenſa, cœlum & terram implet, dubitare non poterant illi, qui verum ipſum Deum eſſe agnoſcebant, credebant, & fatebantur. De humanitatis verò ſuæ præſentia, poſt abitum ſuum ex hoc mundo, quia illam proprietate naturæ finitam eſſe ſciebant, ac circumſcriptione locali & viſibili. hactenus illam præſentem viderant, dubitare poterant, cum ipſum de tranſitione ſua ex hoc mundo, hoc eſt, ex conditione viuendi huius ſeculi viſibili & ſenſibili, concionantem audirent. Ideò expreſſè corpus ſuum ac ſanguinem nominat. Vt hac nominatione, eorum quibus humana natura conſtat, totius perſonæ ſuæ, non ſecundum Diuinitatẽ tantum, verumetiam ſecundum aſſumtam humanam ſuam naturam, præſentiam in Eccleſia in terris, diſertè, expreſſè, clarè ac manifeſtè contra omnes ſophiſticas eluſiones, ſe deſcribere, indicare, promittere, ſancire, & confirmare oſtenderet. Eius enim præſentiæ pignus, ſigillum & obſignationem, actionem cœnæ eſſe voluit, Sicut de verbis cœnæ, & de præſentia corporis Chriſti in cœna, in alio libello diximus.

Quia verò magna, acris & vehemens eſt de hac quæſtione controuerſia, vt explicatio eò reddatur planior & expeditior, remouebimus primum ea, quæ vtrinq; reijciuntur, & quæ conſiſtere non poſſunt, vt ita ad verum ſtatum controuerſia deducatur.

Et 1. Quia cœna Dominica, non inter ſidera aut in cœlo, ſed in his terris, in varijs, diuerſis, multis & innumerabilibus locis, in Eccleſia celebratur, Dicimus, non eſſe phyſicam proprietatem, aut eſſentiale idioma corporis Chriſti, vt per ſe, aut ex ſe, ſimul ac ſemel, ſubſtantia ſua ſit in pluribus diuerſis locis, Imò addimus, eſſe hoc contra rationem formæ communis, vel contra rationem phyſicam, imò contra naturam corporum, quæ certa, finita & circumſcripta dimenſione membrorum conſtant, Natura enim non extendit ſe ad ea, quæ tranſcendunt ordinem naturalem, ſicut Scholaſtici dicunt. Concedimus igitur non iuxta naturales proprietates veri corporis, nec per eſſentiale aliquod idioma, corpus Chriſti, quod naturæ ſuæ

proprietate finitur, in omnibus locis cœnæ adesse, vel circumscriptione locali, vel ratione aliqua, aut conditione huius seculi, visibili, sensibili, aut naturali. Hunc enim modum præsentiæ Christi, ordinaria dispensatione terris sublatum paulò ante ostendimus.

2. Nec conspicua aliqua exhibitione, aut tali præsentia, qualis est ratio ac conditio corporum glorificatorum, præsentiam hanc corporis Christi in Cœna constare dicimus. Hoc enim modo beatis in cœlo Christus corpore suo iam apparet. Ac ordinaria dispensatione, in illa forma, & iuxta illam formam, ante extremum iudicium in terra non apparebit.

3. Nequaquam docemus, Corpus Christi tanquam immensam molem, per omnia loca expansam, diductam, diffusam, distractam, seu extensam, vel sicut Damascenus loquitur: Carnem Christi συμπεκτεινομένην corporaliter coextensam cum Deitate assumente, vt hoc modo in omnibus locis, vbi cœna Domini celebratur, adsit.

4. Nec dicimus, Corpus Christi per multiplicationem, aut replicationem, sicut vnius corporis imago in pluribus diuersis fracti speculi partibus apparet, in cœna adesse. De ipso enim corpore & sanguine suo, Christus in verbis institutionis, non de idolo aut imagine eius loquitur. Et vnum est corpus Christi, non multa. Vsurpata quidem à quibusdam fuit hæc similitudo, sed non in eam sententiam, quasi tali modo, corpus Christi in cœna adesset.

5. Nullo etiam modo sentimus, corpus Christi, vel in vnione, vel in gloria, amissa sua substantia, & abolitis essentialibus suis proprietatibus, conuersum aut transmutatum esse, in substantiam spiritualem, infinitam, immensam, ac proprietate essentiali iam ἀπερίγραπτον incircumscriptam, vt ratione essentialis, infinitæ immensitatis suæ, sit in omnibus locis, & omnia impleat, sicut Diuinitas hoc modo, & hac ratione vbiq; adest, Substantiam enim naturarum, & essentialia earum idiomata, in ipsa etiam vnione ac glorra, in Christo salua manere sæpius ostensum est.

6. Nec

6. Nec etiam constare potest, Diuinam naturam solam præsentem, & non etiam humanam intelligendam, quando Christus nominat corpus suum, & sanguinem, Deus enim est spiritus, qui carnem & ossa non habet, quæ ad humanæ naturæ substantiam pertinent.

7. Nec verbis institutionis conuenit, si præsentiam solius meriti, virtutis seu efficaciæ corporis Christi, excluſa seu separata eius substantia, in cœna intelligere velimus. Dicit enim: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Quæ certè ad ipsam substantiam humanæ naturæ in Christo pertinent.

Hisce igitur opinionibus, quibus doctrina hæc, vel oppugnatur, vel inuoluitur & turbatur, sepositis, remotis & abiectis, Iam ad ipsum controuersiæ statum perueniemus. Stat enim sententia, quam verba Filij Dei, veracis & omnipotentis, in simplici, propria & natiua significatione, in institutione cœnæ, hoc est, in peculiari Diuinæ voluntatis patefactione, in speciali ad hoc tradita promissione, in singulari ac seria asseueratione, atq; adeo in Testamentaria dispositione seu ordinatione Filij Dei, gignunt & præbent, Christum, scilicet corpore ac sanguine suo, hoc est, etiam secundum humanam suam naturam in Ecclesia sua, vbi in terris cœna ipsius celebratur, velle præsentem adesse, ac per assumptam suam humanitatem, tanquam per organon nobis cognatum, sicut Veteres loquuntur, velle nobis beneficia sua applicare, confirmare, obsignare, atq; ita officium viuificationis, secundum vtramq; naturam, per carnem suam viuificantem, in Ecclesia efficere. Iam in tota hac controuersia illud agitur, An simplex, propria & natiua illa verborum Testamenti Filij Dei sententia, amplectenda, credenda, retinenda ac sequenda sit, An verò à simplicitate & proprietate verborum Testamenti Christi discedendum, natiua eius sententia reijcienda, & ex troporum officina, alia interpretatio excogitanda sit?

Magna autem & grauissima profecto res est, de qua agitur, de verbis scilicet Testamenti Filij Dei, ac de doctrina, quæ consolationis plenissima est, quod scilicet Filius Dei Mediator &

Saluator noſter, Eccleſiæ ſuæ in his terris, ſub vexillo crucis militanti, ac in hac valle lachrymarum laboranti, iuxta verba teſtamenti ſui velit adeſſe, etiam in illa, & cum illa aſſumta ſua natura, qua nobis conſubſtantialis & congnatus, Imò frater noſter, ac caro noſtra eſt, ſecundum quam non erubeſcit, nos fratres ſuos vocare, in qua tentatus eſt, vt poſsit noſtris miſerijs compati, ſecundum quam totus Chriſtus eſt caput noſtrum, & nos membra eius. Et ſicut nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit ac fouet eam, ita & Chriſtus Eccleſiam, quoniam membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſsibus eius, Eph. 5. Hanc ſalutarem præſentiam Chriſti, ſi contra verba teſtamenti eius, ab Eccleſia, longius quam ſupremum cœlum à terra diſtat, remouere velimus, Oportet ſane rationes ex verbo Dei clariſsimas, certiſsimas, firmiſsimas, & vrgentiſsimas eſſe, Ita vt nulla ratione, ne per Dei quidem potentiam conſiſtere poſsit illa ſententia, quam ſimplex & propria ſignificatio verborum teſtamenti Filij Dei, gignit ac præbet, vtrimque igitur rationes conſiderentur, examinentur ac ponderentur.

Ac repeto, non eſſe quæſtionem, An ex abſoluta Dei potentia, noſtris argumentationibus, quiduis ſit colligendum de corpore Chriſti, Sed de hac quæſtione controuerſia eſt, cum verba cœnæ Dominicæ, in peculiari eius inſtitutione, in ſpeciali promiſsione, in teſtamentaria diſpoſitione poſita & tradita, in ſimplici ac propria ſignificatione, gignant ac præbeant ſententiam de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna, An rationes, quod ſententia illa retinenda ſit, An verò aliæ rationes, quod reijcienda ſit, & à verbis Teſtamenti Filij Dei diſcedendum, certiores, firmiores, & vrgentiores ſint?

Ac certè magnum eſt, (vt ita dicam) præiudicium, quod verba Teſtamenti Filij Dei, abſque tropis, in ſimplici ac propria ſignificatione, ſententiam illam præbeant, Et non leuiter aut temere à verbis diſcendendum eſt, in illis præcipuè locis, vbi dogmata traduntur. Nam in articulis fidei, tropi non poſſunt conſcientiam certam ac quietam reddere. Omnes autem Sacramentariorum rationes, quacunq; forma proponan-

ponantur, hûc in ſumma redeunt Cum certum ſit, quod à nobis etiam conceditur, veritatem ſubſtantiæ humanæ naturæ in Chriſto, & in vnione, & in gloria abſq; conuerſione manere, ac retinendam eſſe, nec faciendam aut admittendam, abolitionem eſſentialium idiomatum humanæ naturæ in Chriſto, ſicut in hoc libello multis hoc oſtendimus. Et verò humani corporis veritas ac proprietas, cum certa ac finita membrorum ſymmetria conſtet, naturaliter non admittat aut ferat, vt vnum corpus in pluribus locis, ſimul ac ſemel ſubſtantia ſua adeſſe poſsit. Cumq; etiam hoc certum ſit, quod & nos concedimus, corpus Chriſti, etiam in vnione & in gloria, proprietate naturæ ſuæ finitum eſſe ac manere, non enim conuerſum eſt in ſubſtantiam infinitam, ſeu immenſam. Ne igitur veritas ſubſtantiæ humanæ naturæ in Chriſto Mediatore noſtro negetur, vel abolitio eſſentialium eius Idiomatum introducatur aut admittatur, cum tales opiniones, negantes vel ſubſtantiam humanæ naturæ, vel eſſentialia eius idiomata, in aliquot generalibus Concilijs, puta 4. 5. & 6. ex Verbo Dei damnatæ ſint. Concludunt inde Sacramentarij, Analogiam fidei non ferrè, vt τὸ ἐκτὸν verborum inſtitutionis, quod affirmat idem corpus Chriſti, quod in cœlo eſt, ſimul etiam in terra, in omnibus illis locis in Eccleſia præſens adeſſe, in quibus cœna Dominica iuxta inſtitutionem adminiſtratur, retineri poſsit.

Ac meritò ſanè mouentur pij, Quando audiunt, veritatem ſubſtantiæ humanæ naturæ in Chriſto negari, & abolitionem eſſentialium eius idiomatum, contra ſcripturam, contra probatorum Conciliorum, & totius antiquitatis ſententiam introduci, Sed diligenter videndum eſt, An inde omnino neceſſario hoc ſequatur, An verò vanè & falſò prætendantur. Tota enim hæc, ſiue argumentatio, ſiue ratio, hoc tantum concludit, Phyſica ratione, naturali modo, & conditione huius ſeculi, Vnum corpus, iuxta eſſentiales ſeu naturales ſuas proprietates, non eſſe ſimul in diuerſis locis, Nec in Chriſti corpore, eſſentialem aut naturalem proprietatem eſſe, in diuerſis locis adeſſe, Nec eſſentiali aliquo, ſeu naturali corporis Chriſti idiomate fieri,

vt simul adsit in omnibus illis locis, vbi Cœna Domini celebratur, sicut in Diuinitate, essentiale infinitæ immensitatis idioma est, vbiq; esse. Et hæc omnia concedimus. Hoc enim modo, ipsa veritas substantiæ humanæ naturæ, & essentialia ipsius idiomata in Christo, re ipsa negarentur & abolerentur. Nequaquam autem hoc inde sequitur, Diuinam potentiam Filij Dei, cuius Testamenti verba, in simplici ac propria significatione, præsentiam corporis ipsius in cœna, docent ac promittunt, non posse vlla ratione efficere, vt alio quam naturali, & iuxta physicas corporis proprietates, modo, vel sensibili ratione huius seculi, corpore suo, salua eius substantia, & manentibus essentialibus eius proprietatibus, super naturali, diuino seu cœlesti, nobis incomprehensibili modo, possit adesse, vbicunq; vult, sicut in cœnæ actione, voluntatem suam, peculiari verbo ac speciali promissione, declarauit, inquiens, Hoc est corpus meum. Ego sane si de alio merè humano corpore, in scriptura tale verbum Dei haberem, non auderem aut vellem negare, per Dei potentiam fieri posse, vt salua veritate humani corporis, saluis etiam essentialibus eius proprietatibus, alio, quam naturali modo, illud adesse posset, vbi Deus illud adesse vellet, simul in pluribus diuersis locis. Potentiæ enim diuinæ non est finis, & sapientiæ eius non est numerus. Nec fit implicatio contradictionis, si idem corpus dicatur esse in vno loco, iuxta proprietates essentiales naturali modo, & si supra physica idiomata, per Dei voluntatem ac potentiam, supernaturali cœlesti aut diuino modo ponatur non in vno, sed in pluribus locis adesse. Non enim contradicentia sunt, si alio atq; alio respectu & modo, contraria eidem tribuantur. Et Iustinus de Resurrectione mortuorum disputans rectè dicit: πιστεύομεν τῇ φύσει, τὰ φυσικὰ, τῇ τέχνῃ τὰ τεχνικὰ, καὶ τοῦ θεοῦ τὰ θεῖα, τῇ θείᾳ δὲ αὐθεντίᾳ, οὐδέν ἐστιν ἀπειθὲς. Credimus naturæ naturalia, arti artificialia, & Deo diuina, diuinæ vero potestati nihil est inobediens, sed omnia ei obediunt. Cum igitur actio cœnæ Dominicæ non sit physica, sed diuina, quare illam naturæ legibus, ac nõ potius diuinæ αὐθεντίᾳ subijceremus, sicut Iustinus loquitur,

tur. Imò, qui inter Scholasticos scriptores acutissimi sunt, ostendunt, non fieri implicationem contradictionis, etiamsi ponatur idem corpus, per Dei potentiam, localiter & circumscriptiuè, in diuersis locis esse posse, Sed hoc ego non disputo. Tantum ideò hæc commemoro, vt ostendam, quia de præsentia corporis Christi in cœna, habemus expressum verbum, in testamentaria dispositione Filij Dei, vanum esse quod prætenditur, implicatio contradictionis, cum ea per Dei voluntatem & potentiam, ne in alio quidem merè humano corpore esset, in Christi verò corpore, tota plenitudo Deitatis inhabitat personaliter.

Quia igitur hæc Sacramentariorum ratio, non est satis certa, firma & vrgens, vt necesse sit propterea à simplicitate ac proprietate verborum Testamenti Filij Dei discedere, Videbimus iam ac considerabimus ex altera parte rationes, cum habeamus verba Testamenti Filij Dei, quæ in simplici ac propria significatione, præsentiam substantiæ corporis Christi, in actione cœnæ, quæ in his terris in pluribus diuersis locis celebratur, docent ac promittunt, quod illa verborum sententia, propria ac natiua, non sit deserenda, sed retinenda, quia Filius Dei, pro diuina sua efficaci voluntate & omnipotentia, suo corpore verè ac facilè id, quod verba Testamenti eius sonant, potest præstare, absq; substantiæ corporis ipsius destructione, & essentialium proprietatum eius abolitione. Ac rationes præcipuas, quæ ex hypostatica vnione sumuntur, ordine recensebo, de alijs enim in peculiari libello egimus.

1. In assumta ac vnita humana natura Christi, non tantum physica seu essentialia idiomata cognoscenda sunt, quasi præter & supra naturales seu essentiales proprietates, nihil quod ex hypostatica cum Diuinitate vnione acceperit, in ea agnoscendū & credendū sit, aut quasi Christus in, seu cum humana, & per naturam suam humanam, nihil aliud aut amplius, quam tantum iuxta essentiales seu naturales eius proprietates & facultates, agere velit & possit. Hactenus enim multis testimonijs, & scripturæ & antiquitatis, excellentissimas prærogatiuas

& emi-

& eminentias humanæ naturæ in Christo, ex hypostatica cum Diuinitate vnione, ostendimus. Nec verò inde nostris argumentationibus aut cõsequentijs, sine expressis Scripturæ testimonijs, quiduis de corpore Christi prædicamus, sub hoc prætextu, quod ex vnione multa ὑποφυσικὰ acceperit. Sed simplicissima, rectissima & tutissima regula est, Neminem melius & certius, quam Christum ipsum scire, quid assumtæ suæ naturæ ex hypostatica vnione accesserit, Et quantum de illa exaltatione, in hac vita nos scire, vtile & necessarium iudicauit, illud in verbo suo manifestè nobis patefecit. De quibus igitur habemus expressa Scripturæ testimonia, ea de humana Christi natura, credimus, prædicamus, & asseueramus, Reliqua ad æternam cœlestem Scholam reijcimus. Iam verò, sicut habemus Scripturæ testimonia, de substantia humanæ naturæ, & de essentialibus idiomatis saluis manentibus, in ipsa etiam vnione, & gloria, sicut in præcedentibus ostendimus, Ita etiam habemus expressum ac peculiare verbum in testamentaria ordinatione institutionis Cœnæ, de præsentia corporis Christi in cœna, Non autem vera est fidei Analogia, opinari, Christum assumta sua humana natura in ijs, & ad ea tantum vti, ad quæ naturales ipsius proprietates seu facultates, se extendunt, Aut ea tantum cum assumta, & per assumtam suam humanitatem facere, operari & præstare posse, quæ secundum essentiales seu naturales eius proprietates & facultates fiunt. Quando verò scriptura aliquid prædicat de corpore Christi, quod præter, supra, aut etiam contra naturales eius proprietates videatur esse, sicut præsentia eius in cœna, vt tunc à verbis Scripturæ discedamus, & excogitemus talem sensum, qui naturalibus assumti corporis proprietatibus consentaneus sit.

Athanasius contra Apollinarem, vbi de exaltatione humanæ naturæ in Christo disputat, inquit: Fides de re euidenti concepta, non est fides: Sed quæ in impossibili possibilitatem, robur in imbecillitate, in paruitate magnitudinem credit, &c. Et addit: Stolidi sunt, qui carnis Christi dimensionem conantur facere, & quantum, & quomodo, præter Scripturas definiunt.

Creda-

Credamus itaq; Scripturæ, prædicanti de humana natura in Christo, & quæ sunt κατὰ φύσιν, & quæ sunt ὑπὲρ φύσιν, καὶ παρὰ φύσιν. Ac vtrunq; statuamus Filium Dei corpore suo præstare velle ac posse, quando expressum ipsius verbum habemus.

Nec timendum est, ne ita veritas humanæ naturæ in Christo destruatur aut amittatur, si ea, de ipsa prædicemus & credamus, de quibus certum & expressum Dei verbum habemus. Ipse enim, qui verbum suum de præsentia corporis sui in cœna, nobis tradidit, omnium optimè nouit, quid, & quantũ assumta sua natura, salua substantiæ & essentialium idiomatum veritate, ferre possit, Et diuina ipsius potentia nouit modum, vt illa, quæ de corpore suo in scriptura tradit, licet nobis videantur, non tantum supra, sed & contra naturam esse, verè tamen fieri possint, salua veritate substantiæ, & essentialium idiomatum humanæ suæ naturæ. Quis enim dicat, Filium Dei ea, quæ de corpore suo in verbo tradidit ac promisit, si essentialibus seu physicis proprietatibus non sint consentanea, non posse efficere aut præstare, nisi vel substantiam corporis interimat, vel essentiales eius proprietates aboleat?

In reliquis certè creaturis, Deus non est alligatus causis secundis aut naturalibus, sed quando vult, per diuinam suam potentiam, multa in illis operatur, quæ sunt, & supra, & contra ipsarum naturam, salua tamen manente ipsarum substantia, vt rubus ardet, & non cõburitur, Aqua non fluit deorsum, sed absq; obice assurgit in cumulum, Sol stat, vmbra regreditur, ignis iecta corpora non amburit, sed longè distantia, Ferrum natat, Asina loquitur. Quare igitur corpori Christi, quod in vnitatem personæ Filij Dei assumtum est, cum quo, & per quod Diuinæ omnipotẽtiæ suæ opera vult exercere, adeo iniqui essemus, quasi ea, quæ de illo certo verbo nobis tradidit ac promisit, (vt quod in cœna adesse velit) præstare non possit, salua corporis veritate. Certè in futura vita, spiritualia corpora, veram corporum substantiam habebunt & retinebunt, Et tamen non tantum iuxta essentiales suas proprietates, sed ad voluntatem,

& iuxta potentiã ſpiritus mouebuntur & gubernabuntur. Cur igitur propter eſſentiales ſeu naturales proprietates corporum prætendimus, Nos vereri deſtructionem corporis Chriſti, in quo tota Deitatis plenitudo perſonaliter inhabitat, Si credamus, iuxta ſimplicitatem & proprietatem verborum Teſtamenti Chriſti, ipſum cum ſuo corpore in cœna præſentem adeſſe, velle & poſſe? Sed aiunt, Reliqua ὑπερφυσικὰ de humanitate Chriſti, abſq; eius deſtructione aliquo modo poſſe intelligi, hoc verò extreme aduerſari veritati corporis, vt cum certa ac finita dimenſione membrorum conſtet, in pluribus diuerſis locis, vbi cœna Domini celebratur, ſimul adſit.

Ac fateor ſanè & ego, me nulla cogitatione aſſequi, nedum oratione explicare poſſe, quomodo illud fieri poſsit. Sed quoniam verba Teſtamenti Filij Dei, in ſimplici, propria ac natiua ſignificatione, præſentiam corporis eius in cœna, docent ac promittunt, Et diuina Chriſti omnipotentia eſt infinita & immenſa, Ac aſſumta eius natura, ſupra omne nomen, incomprehenſibiliter & ineffabiliter exaltata eſt: Certè ex illis ὑπερφυσικοῖς, quæ ſcriptura certo verbo de Chriſti corpore tradit, affirmat, & promittit, non ea tantum, quæ, quomodo ſalua veritate corporis fieri poſsint, cogitationibus meis aſſequi, & oratione aliquo modo explicare poſſum, recipere & credere debeo, in reliquis verò libere, à verbis Scripturæ recedere, & ea per tropos tamdiu torquere & inflectere, donec excogitem modum, per quem, quod ſalua veritate corporis fiat, intelligere & explicare poſsim, Hoc certè, nemo pius dixerit.

Cum itaq; vtrumq;, & de ſalua veritate corporis Chriſti, & de præſentia eius in cœna, ſit verbum Chriſti, veracis & omnipotentis, rectè, meritò ac neceſſariò ſtatuo, vtrnmq; ipſum præſtare velle ac poſſe, Ac nihilominus veritatem ſui corporis, aliter ac ſupra id, quomodo & quantum, vel naturalis humani corporis capacitas, proprietas & facultas fert & admittit, vel nos cogitationibus noſtris aſſequi, & oratione explicare poſſu-

possumus, ipsum retinere & conseruare posse statuo. Tota enim mente ac corpore cohorresco ad vocem illam, quæ Petro Martyri excidit, Deum vniuersa sua omnipotentia, non posse efficere, vt verum humanum corpus, ne ipsius quidem Filij Dei corpus, licet Deitati vnitum, & super omne nomen exaltatum, salua substantiæ veritate, possit simul & semel, in pluribus quam in vno tantum loco esse. Et quod Beza scribit: Christum non potuisse talem corporis sui præsentiam in cœna instituere, sicut verba sonant. Certè de glorificatorum corporum gratia, motu & statu, Augustinus dicit, se definire nihil audere, & excogitare nihil valere, ac temerarium esse omne quod de illa gloria profertur eloquium, quia oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit. Quomodo igitur Christi corpus, quod super omne nomen, quod non in hoc tantum, verumetiam in futuro seculo nominatur, in ipsum thronum maiestatis & virtutis æterni Patris exaltatum est, physicis naturæ limitibus, & nostræ rationis angustis sane finibus, includere & coërcere, bona conscientia audebimus, vt dicamus, Filium Dei, vnito sibi suo corpore, salua eius veritae, in Cœna adesse non posse, Licet verba Testamenti ipsius, in simplici, propria & natiua significatione, præsentiam eius doceant & promittant.

Ac quantum rationes illæ de veritate corporis & de physicis eius proprietatibus valeant, in ijs seu contra ea, de quibus extant expressa Scripturæ de corpore Christi testimonia, vera & orthodoxa antiquitas, multis præclaris sententijs Capite 25. ostendit. Cum enim de ingressu CHRISTI ad discipulos, clausis ianuis, multa disputarentur, vel substantiam corporis Christi in Spiritum mutatam, quod contra scripturam pugnat, vel ingressum illum aliter ac verba simpliciter sonant intelligendum, vt veritas corporis Christi, retineretur: Patres contra contenderunt, vtrumque sicut verba sonant retinendum, & veritatem corporis Christi, & ingressum eius clausis ianuis.

Hilarius de Trinitate lib. 3. Quæro per quas clauſæ domus partes ſeſe corporeus intulerit? An conſtructa parietum penetrans, & ſolidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit namq; corporeus, non ſimulatus aut fallax. Integra ſunt omnia & obſeruata, ſed ecce aſsiſtit medius, cui per virtutem ſuam vniuerſa ſunt peruia, Nihil cedit ex ſolido, neq; per naturam ſuam, tanquam lapſu inſenſibili, ligna & lapides admittunt, Nec corpus Domini à ſe deficit, vt ſeſe reſumat ex nihilo, Et vnde eſt, qui aſsiſtit in medio? Cedit ad hæc & ſenſus & ſermo, & extra rationem humanam eſt veritas facti. Dicamus ne ergò factum non fuiſſe, quia intelligentiam facti non apprehendimus? Noli negare, quod clauſa domo, in medio diſcipulorum ſteterit eò, quod per intelligentiæ infirmitatem, conſiſtentis non aſſequaris introitum, &c.

Auguſtinus Epiſt. 3. Virtus diuina, per inuiolatæ matris virginea viſcera, membra infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia iuuenis membra introduxit. Hîc ſi ratio quæritur, non erit mirabile. ſi exemplum poſcitur non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus rebus, tota ratio facti, eſt potentia facientis Ac viciſſim quod ipſe omnes humanos ſentit affectus, hominem perſuadet hominibus. Ecce ſic factum eſt, Et tamen quidam hæretici, peruerſè mirando laudandoq; eius virtutem, naturam humanam in eo prorſus agnoſcere noluerunt, Vbi eſt omnis gratiæ commendatio, qua ſaluos fecit credẽtes in ſe. Ac poſtea addit: Homo de virgine procreatus, & ſuper cœlos exaltatus, potentius fortaſſe opus eſt, quam mundus. Sed ideò à quibuſdam non creditur, quia nemo fecit. Ac per hoc, quæ ſibi quiſq; facilia, vel factu, vel captu putat, æquo animo accipit, ſupra ea, veluti ficta pro falſis ducit. Noli eis eſſe ſimilis obſecro te. Diſputãtur hæc latius, ſed intellectui fides aditũ aperit, infidelitas claudit. Hæc Auguſtinus.

Idem alibi de ianuis clauſis inquit: Ille hæc fecit, cui nihil eſt impoſsibile, qui de corpore ſuo fecit quod voluit. Conſidera autorem, & tolle dubitationem. Alias Auguſtini ſententias cap. 25. adſcripſimus.

Chry-

Chryſoſtomus: Si Deum eſſe de quo loquimur cogitemus, cui nihil inuium confitemur, Cuius hoc idem corpus, clauſis oſtijs in ipſa ſtatim ſalutatione conſpicuum ſpectabatur diſcipulis, Hæc ſi indubia fide credimus, ab omni quæſtionis ſcrupulo liberamur.

Idem, Quomodo clauſis oſtijs intrauerunt oſſa & caro? Clauſa ſunt oſtia, & intrat, quem intrantem non videmus. Vnde igitur intrauit? Omnia clauſa ſunt, locus non eſt, per quem intret, & tamen qui intus eſt, intrauit. Si neſcis quomodo factum ſit, DES HOC POTENTIÆ DEI.

Cyrillus in Iohannem lib. 12. Recenſet varias hæreticorum opiniones: Si clauſis ianuis, Chriſtus ad diſcipulos ingreſſus ſit, ſequi, quod Chriſtus reſurrexerit, vel abſq; corpore, vel vmbram ad figuram humanam confictam fuiſſe, vel corpus habuiſſe ſpirituale, & aliud præter carnem. Sed audi quid Cyrillus reſpondeat, Chriſtus omnipotentia ſua, natura rerum ſuperata, clauſis foribus, cum corpore ſuo ingreſſus eſt. Nullus ergo quærat, quomodo clauſis ianuis corpus Domini penetrârit, cum intelligat non de homine nudo, vt nos ſumus, ſed de omnipotente Filio Dei hæc ſcribi. Nam cum Deus verus ſit rerum naturæ non ſubiacet, quod in cæteris quoq; miraculis patuit. Ita ſuper mare quaſi ſuper aridam ambulauit. Quod ſi hanc operationem Chriſti percipere nequeas, Cur potius ingenij humani imbecillitatem non accuſas?

Iuſtinus in hac ipſa quæſtione de clauſis ianuis, Reſponſionem hac ſententia concludit: Quæ in humana natura Chriſti per diuinam potentiam, vltra, ſupra, aut præter naturam fiunt, de illis impoſsibile eſt, ſecundum naturæ conditiones, rationem reddere poſſe.

Hugonis ſententia eſt: Cum quid miraris, & dixerit tibi fortè cogitatio tua: Quomodo hoc eſſe poſsit? cogita facientem, & deſinet eſſe mirabile, vel ſaltem incredibile non erit. Et ſi factor omnipotens cogitetur, non erit impoſsibile quicquid erit.

Et ad finem primæ huius rationis, addatur notabilis sententia Athanasij, quæ extat in libro de salutari aduentu Christi: Stolidi sunt, qui carnis Christi dimensionem conantur facere, & quantum, & quomodo, præter Scripturas definiunt.

2. Ratio, Quod Filio Dei non tantum possibile, sed & facile sit, cum simplici, propria ac natiua sententia verborum testamenti sui, præsentiam corporis sui in cœna promiserit, eam efficere ac præstare, salua substantiæ corporis sui veritate, sumitur ex ipsa hypostatica vnione duarum naturarum in Christo. Supra enim in descriptione hypostaticæ vnionis ostendimus, humanam Christi naturam non seorsim per se, aut in se, sed in infinita τῦ λόγυ hypostasi subsistere personaliter, ita, vt cum λόγῳ vnum iam constituat ὑφισάμενον, à quo in æternum non separabitur.

Ac licet ante incarnationem, λόγ@ fuit perfecta hypostasis, tamen iam post incarnationem, ad integritatem personæ Christi incarnati, pertinet non tantum diuina eius natura, sed simul etiam assumta humana natura, arctissimè Deitati τῦ λόγυ vnita. Persona enim Christi incarnati, constat duabus naturis, Diuina & humana personaliter vnitis. Et sicut vnio hypostatica ita describenda est, vt differentia naturarum, & essentialium cuiusq; idiomatum, salua maneat, humanitas enim non est per vnionem conuersa in substantiam infinitam & immensam, sed proprietate naturæ, & ratione essentiæ suæ, est ac manet finita & circumscripta, iuxta veri corporis modum, in ipsa etiam vnione: ita vicissim proprietas & veritas humanæ naturæ ita asserenda est, ne nuda tantum aut ociosa ponatur naturarum copulatio, seu potius externa extremitatum attingentia, in qua, & ex qua, assumta natura nihil habeat, præter essentialia & physica sua idiomata. Et cauendum est, ne propter physicas proprietates, dissoluatur, distrahatur & separetur hypostatica vnio, ad quam requiritur, plenissima, arctissima, & intima naturarum in se, & ad se inuicem, coniunctio & præsentia. λόγ@ enim naturam assumtam, non eo modo, sicut

reliquas

reliquas creaturas præsentes habet, sed personaliter, intra ipsam totam suam hypostasin, ac intra intimum eius complexum ineffabiliter sibi præsentem & vnitam habet.

Et quia hypostasis τοῦ λόγου, in qua assumta humana natura vnita subsistit, est supra & extra omnem locum, vel sicut Veteres dicunt, est intra omnia non inclusa, extra omnia non exclusa, nullis igitur locorum interuallis, vnio illa solui, diuelli aut separari potest. Et ratione hypostaticæ vnionis, iam post Incarnationem, persona τοῦ λόγου, extra vnionem cum assumta natura, & sine ea, seorsim aut separatim, nec cogitari nec credi piè & rectè, vel potest, vel debet, Nec vicissim assumta natura, extra λόγον, & sine eo. Et hic est summus gradus præsentiæ Dei ad creaturam. Imò præsentia τοῦ λόγου in carne assumta, & vicissim præsentia assumtæ naturæ in λόγῳ, siue ad vel apud Diuinam naturam assumentem, toto genere differt à præsentia, qua vel λόγος cùm reliquis creaturis, tùm sanctis præsens adest, vel reliquæ creaturæ præsentes sunt τῷ λόγῳ. Deus enim Paulo in certo aliquo loco, per se subsistenti, adest. Sed caro Christi non alicubi per se subsistit, habens inhabitantem secum præsentem Deum, sed in ipsa hypostasi Verbi, siue in Diuina natura τοῦ λόγου subsistit, faciens cum ipsa vnum ἓν ποιούμενον.

Non ergo Christum incarnatum totum, vel totam eius personam credit aut prædicat, qui vel solam Diuinam, vel solam humanam eius naturam, vel etiam vtramq; , si seorsim, separatim aut ἀνὰ μέρος, ad partem, extra vnionem ponantur, prædicat aut credit.

Nec Christum totum sibi præsentem habet, qui cogitat tantum Diuinam eius naturam, extra vnionem cum assumta natura, & sine ea, sibi præsentem adesse. Imò non est verus Incarnatus Christus, qui tantum vnam, vel diuinam vel humanam, & non simul duas illas naturas, præsentissima vnione, & vnitissima seu intima præsentia, inter se, & ad se, mutuo vnitas ac præsentes habere fingitur. Et præsentia quidem, coniunctio seu

seu coexistentia naturarum, non sufficit ad constituendam vnionem, vera tamen & præcipuè hypostatica vnio, non absentiam alterius naturæ, seorsim alicubi positæ, vel per locorum interualla disiunctæ, denotat, sed efficit arctissimam & intimam, vtriusq; naturæ, inter se, & ad se, mutuam vnionem præsentissimam, & præsentiam vnitissimam. Et hoc est, quod dicimus, Christum subsistere in duabus naturis, & constare duabus naturis, arctissimè seu personaliter inter se vnitis. Quod Damascenus indicat vocabulo ἀδιαστάτως, vbi lib. 3. cap. 3. inquit: Naturas in Christo vnitas esse, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀναλλοιώτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀδιαστάτως. sine conuersione, sine confusione, sine transmutatione, indiuulsè & indistanter, hoc est, vt neutra natura ab altera locorum interuallo aut interstitio distet.

Quia verò vnio facta est, salua differentia & naturarum, & proprietatum essentialium, certum ac verum est, assumtam humanam naturam, per hypostaticam vnionem, non amisisse essentiales suas proprietates, nec factã essentialiter, proprietate naturæ, aut ratione essentiæ in sese, aut secundum se, infinitam aut immensam, nec mole quadam sua in immẽsum, συμπεπτανομλώλω (sicut Damascenus loquitur) Deitati coextensam, diductam, aut expansam, vt hoc modo tam latè pateat, sicut infinita natura Deitatis, Sed in ipsa vnione, est ac manet, ratione essẽtiæ finita, ac proprietate naturæ circumscripta, habens ac retinens συμμετρίαν membrorum finitam, vnde quãdocunq; & vbicunq; vult, potest corpore suo adesse, & præsentiam eius ostendere, iuxta essentiales conditiones, seu naturales proprietates humani corporis, visibiliter, palpabiliter, circumscriptiuè & localiter, sicut eo modo in terris conuersatus fuit, Paulo in castris astitit, & iam in cœlis, iuxta veri glorificati corporis modum, ita adest, Ac Stephano ita se ostendit, & tali etiam forma in nubibus ad iudicium veniet.

Quia verò præterea habemus certum verbum, & peculiarem ac specialem, in testamentaria institutione Filij Dei, promissionem & asseuerationem, de præsentia corporis & sanguinis sui in cœna, quæ in innumerabilibus Ecclesiæ locis in terra,

iuxta

iuxta ipsius institutionem & mandatum celebratur, sicut & mox de promissione præsentiæ totius Christi in Ecclesia dicemus. Certè propter physicas proprietates, non est ex humana ratione decretum faciendum, Christum cum assumta sua natura, non posse præter & vltra, quam essentiales seu physicæ assumtæ naturæ proprietates ferant & efficiant, alio, Deo possibili ac noto, nobis verò incomprehensibili modo, per & iuxta hypostaticæ vnionis œconomiam, præsentem adesse, vbicunq; verbo suo tradidit, promisit ac asseuerauit, se corpore suo adesse velle. Assumta enim humana natura in Christo, in vnione, non tantum iuxta physicas eius proprietates & conditiones consideranda est. Sed iuxta verbum Dei consideranda est. 1. Iuxta essentiales seu physicas suas proprietates. 2. Iuxta conditiones corporum glorificatorum in summo gradu. 3. Præcipuè supra & extra omnes creaturas, iuxta arcanæ & inperuestigabilis hypostaticæ vnionis œconomiam, sicut Veteres loquuntur. Ratio autem Hypostaticæ vnionis ita se habet, quod non particula aliqua, sed tota plenitudo Deitatis τῦ λόγυ, vnita est assumtæ naturæ, non sicut in sanctis tota inhabitat, sed personaliter, constituens iam cum assumta natura vnum ὑφισάμενον προσώπετον, ac pertinens iam sicut pars (vt Damascenus loquitur) ad ipsam personam Filij Dei incarnati. Et assumta natura, toti plenitudini, non particulæ tantum alicui Deitatis, alicubi agglutinata est, sicut clauus adhæret rotæ, planeta suæ sphæræ, stellæ cœlo, gemma annulo, ramus arbori, lapillus ingenti petræ, digitus seu pes corpori, ciuitas aliqua mari adiacens. Nam Diuinitas non est substantia, mole sua per partes in immensum extensa, seu expansa, vt in breui tantum, seu exigua tantum eius particula, alicubi ipsi vnita sit assumta humanitas, Sicut Sphæra & rota, quoniam latioris & amplioris sunt ambitus, quam planeta & clauus, spæra planetam, & rota clauum, in certa tantum & exigua sui parte, iunctum & vnitum sibi habent, sicut quidam & ineptè ac falsò huiusmodi similitudinicus hypostaticam hanc vnionem circumscribunt. Nam τὸ θεῖκὸν vt substantia spiritualissima, quia non habet partem extra partem, sed est ὅλως ὅλον, & in omnibus & in singulis, & supra,

& extra omnia tota eſt. Non autem eo modo, ſicut vel in alijs creaturis, vel in ſanctis & omnibus & ſingulis, tota eſt, Sed toto genere differt, totalis illa & plenaria præſentia, qua tota plenitudo Deitatis τῦ λόγυ, quæ ſupra & extra omnem locum eſt, perſonaliter, arctiſsimè, intimè, & præſentiſsimè, vnitam ſibi habet aſſumtam naturam. Ita ergo, toti plenitudini Deitatis Filij, perſonaliter vnita eſt aſſumta natura, vt λόγῳ intra arcanum, arctiſsimum, intimum, profundiſsimum, & præſentiſsimum complexum, non alicubi particulæ alicuius, ſed totius plenitudinis Diuinæ ſuæ naturæ, quæ ſupra & extra omnem locum eſt, ſecum, intra ſe, apud ſe, & penes ſe, perſonaliter vnitam atq; præſentiſsimam ſemper habeat, & in illa plenitudine vnitæ Deitatis, aſſumta natura ſuam ἀδιαίρετον καὶ ἀδιάσατον, iuxta Damaſcenum, indiuiduam ſeu inſeparabilem, & indiſtantem, ſeu locorum interuallo indiſiunctam habeat immanentiam, quo vocabulo ſcholæ vtuntur. Hæc verò præſentia, non conſtat ratione aliqua aut conditione huius ſeculi, quæ ratione noſtra comprehendi poſsit, ſed eſt magnum, incomprehenſibile & inenarrabile illud myſterium hypoſtaticæ vnionis. Omnes igitur cogitationes, de localitatibus, rationibus & conditionibus præſentiæ huius ſeculi, remouēdæ ſunt. Si enim ratio, conditio & ſtatus glorificatorum, in altero ſeculo, ſicut paulò ante oſtendimus, ita ſe habet, vt nec oculus viderit, nec auris audijt, nec in cor hominis aſcēdat aut ratione cōprehendi poſsit, Quid, per Deum immortalem, iuxta phyſicas proprietates diſputamus, contra præſentiam, qua Filius Dei ſe cum aſſumta ſua natura, præſentem adeſſe velle, certo verbo tradidit, promiſit & aſſeuerauit. Cum enim phyſica ratione, finiti ad infinitum, nulla ſit proportio, vt vnum quid inde fieri poſsit, Deus tamen pro ſua voluntate & potentia, modum ſeu proportionem inuenit, qua ex Diuinitate infinita aſſumente, & ex finita humanitate aſſumta, non quidem vna natura, ſed vnum inde fieret ὑφιστάμενον. Quando igitur de præſentia aſſumtæ naturæ in Chriſto, & de alijs eius prærogatiuis, certum & expreſſum verbum habemus, credi illud ſimpliciter & obedienter debet, inueſtigari autem & comprehendi, aut ad rationes præſentiæ huius ſeculi confer-

conferri, accommodari aut inflecti, nullo modo vel poteſt, vel debet.

Scio autem ac video, ex hoc principio ac fundamento hypoſtaticæ vnionis, dialecticis argumentationibus & conſequentijs, multa ac varia colligi & extrui poſſe, Sed quod ſcriptum eſt, Lucerna pedibus meis verbum tuum, illud præcipuè in arcano hoc myſterio obſeruandũ eſt. Et ſimpliciores Eccleſiæ Filij, modeſtam ac ſollicitam hanc ſimplicitatem, omnium rectiſsimam & tutiſsimam eſſe iudicant, vt de hoc myſterio, ex noſtris conſequentijs & argumentationibus, ſine expreſsis ſcripturæ teſtimonijs, nihil ſtatuamus, ſed potentiam Dei, cum voluntate eius in verbo patefacta coniungamus, ac totam hãc doctrinam, non ad curioſas diſputationum ſubtilitates, ſed ad veram conſolationem referamus.

Hoc igitur axioma ex fundamento doctrinæ de hypoſtatica vnione, certiſsimum & veriſsimum eſt, quod omnes inferorum portæ infringere & euertere non poſſunt, quod ſcilicet λόγος cum aſſumta humana ſua natura, non tantum ſecundum eſſentiales eius proprietates alicubi, ſed propter & ſecundum rationem arcanæ & ineffabilis hypoſtaticæ cum Diuinitate vnionis, adeſſe, poſsit & adſit, vbicunq; quandocunq; & quomodocũq; vult. De voluntate autem eius, vbi corpore ſeu aſſumta ſua natura adeſſe, quæri & apprehendi velit, non ex noſtris argumentationibus, quamcunq; conſequentiæ rationem aut ſpeciem habeant, ſed ex certo verbo in Scriptura patefacto ſtatuimus & iudicamus.

Adſcribam huc locum ex Gelaſio. Cum enim Eutychiani transformationem humanitatis in Diuinitatem ex potentia Dei defendere conarentur, his verbis: Chriſtus pro ſua omnipotentia, quomodo voluit, ſic humanam ſuam ſublimauit magnificauitq; naturam, Gelaſius reſpondet, Planè ſicut voluit, & ſicut id quod voluit, per Prophetas ante prædixit, per Euangeliſtas & Apoſtolos Eccleſiæ ſuæ intimauit, Ac competenter eius qua ſe nobis inſinuare dignatus eſt voluntate, in omnibus ſimus contenti. Ac Auguſtinus ignorantiam de huiuſmodi quæſtionibus, vocat doctam & piam ignorantiam.

Reliqua igitur, quæ in hoc genere diſputari ac quæri poſſunt, ad alteram futuram cœleſtem ſcholam viſionis, differimus. Præſentia enim hæc aſſumtæ naturæ in Chriſto, de qua nunc agimus, non eſt vel naturalis, vel eſſentialis, ſed voluntaria & liberrima, dependens à voluntate & potentia Filij Dei, hoc eſt, vbi ſe humana ſua natura adeſſe velle certo verbo tradidit, promiſit & aſſeuerauit. Interea tamen nunquam ego, Chriſto Deo ac Domino meo, illam potẽtiam diſputando adimere volo, vt dicam ipſum non poſſe, corpore ſuo vbiq; adeſſe, Sed de Lutheri conſilio, diſputationem illam ſepono ac præcido, damnari verò quomodo poſsit non video. Quoniam igitur Filius Dei, in teſtamentaria inſtitutione, præſentiam corporis & ſanguinis ſui in cœna ſua, vbicunq; illa in Eccleſia in terris, iuxta inſtitutionem celebratur, certo verbo, ac peculiari promiſsione, ſicut in ſimplici, propria ac natiua ſignificatione verba Teſtamenti ipſius ſonant, tradidit, promiſit & affirmauit, doctrina hæc, de hypoſtatica vnione oſtendit, Filio Dei non poſsibile tantum, ſed & facilè eſſe, præſentiam illam corporis ſui, verbo promiſſam, non quidem iuxta eſſentiales ſeu naturales corporis proprietates, ſalua tamen eius veritate, ratione ac virtute hypoſtaticæ cum Diuinitate vnionis, præſtare & efficere velle ac poſſe, Atq; ita non habere nos ſatis vel graues, vel vrgentes, vel neceſſarias cauſſas, vt à verbis Teſtamenti Filij Dei, ſicut ſonant, diſcedamus, ſed potius ſimplici ac humili fide illius inhæreamus, ſtatuentes, Filium Dei, id quod promiſit, præſtare & velle & poſſe.

3. Ratio, Quod Filius Dei, aſſumta ſua natura, ſeu corpore & ſanguine ſuo, adeſſe poſsit, vbi præſentiam ſuam certo verbo tradidit & promiſit, ſumitur à ſeſsione ad dexteram Dei, quæ in præcedentibus explicata eſt. Quando enim contra promiſſam illam, corporis & ſanguinis in cœna præſentiam, prætenduntur & obijciuntur eſſentiales, ſeu phyſicæ proprietates corporis finiti, quod certa & circumſcripta membrorum συμμετρείᾳ conſtat, Rectè ex hoc articulo reſpondemus: Humanam naturam in Chriſto, non tantum ſola eſſentialia & naturalia ſua idiomata habere, & Filium Dei, in illa, cum illa, & per illam,

illam, non tantum ſecundum eſſentialia eius Idiomata agere, ſicut in præcedentibus multis oſtenſum eſt, Sed ipſum aſſumtam illam ſuam humanitatem, ſalua eius ſubſtantia & veritate, exaltaſſe & collocaſſe ad dexteram maieſtatis & virtutis Dei, Non quidem quod illa exaltatione facta ſit ipſa dextera Dei, vel quod per illam ſeſsionem, proprietate naturæ ſeu conditione eſſentiali, facta ſit infinita & immenſa, ſicut ipſa dextera Dei eſt, Sed quia dexteræ Dei non eſt circumſcriptus aliquis locus, aut certo loco incluſa, ſed eſt infinita maieſtas, virtus ac potentia Dei. Poteſt igitur Filius Dei, illo ſuo corpore, quod ad dexteram maieſtatis & virtutis Dei exaltauit, ſalua eius veritate, præſens adeſſe, vbicunq; ſe illo adeſſe velle, verbo ſuo patefecit, non quidem iuxta phyſicas ſeu eſſentiales corporis proprietates, ſed ratione & efficacia maieſtatis ac virtutis Dei, ad cuius dexteram ſedet.

4. Quando contra præſentiam corporis Chriſti in Cœna, obijciuntur localitates, diſtantiæ, intercapedines, & interualla locorum, Rectè opponimus & hoc, cum Chriſti pedibus, etiam ſecundum aſſumtam humanam naturam, ſubiecta ſint omnia, ita, vt omnia in manibus, & ſub poteſtate ſua habeat, potenter dominans omnibus, non locorum interuallis aut interſtitijs exceptis, ſed excepto tantum eo, qui ſubiecit ipſi omnia, Quomodo poſſumus illæſa conſcientia dicere, locorum interualla obſtare aut impedire, quo minus Filius Dei, ſicut verba teſtamenti ipſius ſonant, corpore ſuo in cœna ſua adeſſe poſsit, Cum & loca, & tempora, & omnia, potenter in manibus & ſub pedibus ſuis habeat, etiam ſecundum aſſumtam naturam. Adeſt autem non quidem localiter, ſed ratione potentiæ diuinæ, hypoſtaticæ vnionis, & dexteræ Dei. Aſſumta enim Chriſti natura, ſicut antea diximus, intima præſentia, perſonaliter ſubſiſtit in hypoſtaſi Filij Dei, quæ & in omnibus locis, & ſupra atq; extra omnia loca exiſtens, aſſumtam naturam, arctiſſima, intima & individua præſentia vnitam ſibi habet. Ergo ſalua eius veritate poteſt, extra omnem localitatem, cum illa præſens adeſſe, vbi ſe adeſſe velle, certo verbo Eccleſiæ tradidit ac promiſit.

Atq; ita, quando à verbo & promiſsione, de præſentia corporis Chriſti ordimur, ac patefactæ in verbo voluntati, contra omnes obiectiones, coniungimus Diuinam eius potentiam, hypoſtaticam vnionem, & ſeſsionem ad dexteram, certum ac manifeſtum euadit, Filium Dei, illud quod de corpore ſuo in verbo tradidit & promiſit, poſſe ſalua eius veritate præſtare, vt cum illo adſit, vbicunq;, quandocunq;, & quomodocunque vult, de qua ipſius voluntate ex verbo iudicamus. Et quando verbum habemus, nulla eſt cauſſa, vt ab eo, propter eſſentiales ſeu naturales proprietates corporis diſcedamus. In quas enim prærogatiuas & eminentias, aſſumta humana natura in Chriſto, per hypoſtaticam vnionem exaltata ſit, in præcedentibus oſtendimus. Ac iam ad illa argumenta, quæ opponi ſolent, reſpondendum eſſet, Sed prius membra de præſentia Chriſti in Eccleſia pertexamus. Et hactenus de Cœna Dominica diximus.

Quartò, Non autem in illo tantum loco, ac in illo ſolummodo momento, vbi & quando cœna Dominica in publico Eccleſiæ conuentu celebratur, Chriſtus totus, vtraq; ſua natura, Eccleſiæ in terris militanti adeſt, quaſi mox peracta illa celebratione, præſentiam ſuam ſubducat, vel ſicut glóſſa in Decretis loquitur, in cœlum auolet, ac membra Eccleſiæ, extra publicum conuentum in vocationibus ſuis, in tentationibus & tribulationibus, dulciſsima illa præſentia Chriſti, Pontificis, Regis, Capitis, ac fratris ſui, priuentur, ſed actio Cœnæ Dominicæ eſt publica, ſolennis ac peculiaris teſtificatio & obſignatio, quod Chriſtus Mediator & Saluator noſter, velit Eccleſiæ ſuæ in his terris militanti, clementer adeſſe, non dimidia, ſeu vna tantum ſui parte, ſola ſcilicet ſua diuinitate, ſed totus ac integer, hoc eſt, illa etiam aſſumta ſua natura, qua nobis conſubſtantialis, cognatus & frater noſter eſt, in qua tentatus eſt, vt poſsit noſtris miſerijs compati, in qua paſsione & morte ſua, opus redemptionis noſtræ perfecit, vt ita nos membra efficiamur corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius. Ac quia ratio noſtra ac ſenſus noſtri, hoc non intelligunt, nec comprehen-

hendunt, Ideo Paulus dicit: Magnum hoc esse mysterium in Christo & in Ecclesia, Ephes. 5.

Atq; hos gradus ideo distinguo: Aliter enim in terra conuersatus fuit, aliter in cœlis apparet in gloria, aliter adest in cœna cum pane & vino, aliter in tota Ecclesia, aliter omnes creaturas ᾧ λόγῳ sibi præsentes habet.

De illa igitur præsentia totius Christi in Ecclesia, extant peculiares promissiones in verbo Dei. Nam Matth. 28. cum Iesus in monte Galilææ, post resurrectionem discipulis suis plus quam quingentis appareret, nec sola sua Diuinitate ibi præsens adesset, sed ita totus ac integer, vtraq; sua natura, vt illa præsentia sua in monte illo, comprobaret ac confirmaret, se vero suo corpore surrexisse, & discipuli videntes eum adorauerunt, Cum verò quidam dubitarent, ne scilicet vel spiritus vel spectrum esset, in externa ac visibili specie apparens, ac propius accedens Iesus, locutus est eis, Quæ omnia extra controuersiam ad assumtam Christi naturam pertinere manifestum est, Cumq; de colligenda in vniuerso orbe Ecclesia discipulis mandatum dedisset, addit hanc promissionem: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi. De toto igitur Christo, Deo & homine, secundum vtramq; naturam, promissio illa rectè intelligitur. Nam qui tunc coram ibi aderat, præsentiam suam Ecclesiæ, omnibus diebus promittit. Aderat autem tunc, non sola Diuinitate sua, sed ostendens, se veritatem assumtæ humanæ suæ naturæ, etiam post resurrectionem, in gloria, habere & retinere. Et ille qui totus tunc vtraq; sua natura aderat, certo verbo, & peculiari promissione tradit, Ecce ego vobiscum (vbi scilicet per vniuersum orbem, Ecclesia mea erit) adsum omnibus diebus seculi. Ac sanè causſam nullam habemus, cur in dulcissima illa promissione præsentiæ Christi in Ecclesia, assumtam eius naturam, qua cognatus & frater noster est, nos membra corporis eius, de carne eius & de ossibus eius, separemus, disiungamus & excludamus, cum ipse in tradenda illa promissione multis circumstantijs, assumtam suam naturam notet ac describat, sicut ex textu ostendimus.

Non

Non autem tantum nudam aut ocioſam ſuam præſentiam Eccleſiæ Chriſtus promittit, ſed talem, qua operetur & efficax ſit, dans incrementum, ne Apoſtolorum labor inanis ſit, defendens miniſterium ab hoſtibus, auditores conuertens, iuſtificans, ſanctificans, gubernans, ſaluans, &c. ſicut Marci 16. effectus promiſsionis illius, quæ apud Matthæum extat, deſcribitur, Illi prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante, Sicut & promiſsionis illius efficacia repetitur Epheſ. 1. Col. 1. & 1. Theſſal. 1. & 2. & alibi. Certum autem, & in præcedentibus demonſtratum eſt, Chriſtum ea, quæ ad officium ſuum, & ad beneficia officij ſui pertinent, operari & efficere, non ſecundum vnam tantum naturam, ſed ſecundum vtramq;, ita vt vna natura agat cum communicatione alterius. Et in hac promiſsione oſtendit, ſe non abſentem, ſed præſentem illa operari velle, Ergo ſicut operatio, ita etiam præſentia perſonæ, in illa operatione Matth. 28, ſecundum vtramque naturam intelligenda eſt, cum quidem ſicut oſtendimus, textus de humana Chriſti natura, expreſſè loquatur. Et ne diſputemus, Quomodo fieri hoc poſsit, præmittit Chriſtus, Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quod verò quidam ſpecioſè prætendunt, maiorem eſſe gloriam, ſi dominatio & efficacia aſſumtæ naturæ in Chriſto, latius pateat, quam præſentia eius, Ad illud ſimpliciter reſpondetur, Non ex eo, quod nobis glorioſum videtur, ſed ex verbo patefacto, de gloria humanæ naturæ Chriſti iudicandum. Et Chriſtus ipſe haſce cogitationes præuenit, vtramq; enim coniungit, & operationem ſuam Marci 16. & præſentiam ſuam Matth. 28. Ego vobiſcum ſum. Atq; ita præſens cooperabatur, vbiq; vbi prædicabant. Rectè enim textus Marci 16. ita etiam legi poteſt: Illi prædicauerũt, Domino vbiq; cooperante, Si enim vbiq; prædicauerunt Domino cooperante, Ergo Dominus Ieſus vbiq; ipſis cooperatus eſt. Quod pius lector diligenter obſeruabit.

Ita Matth. 18. Cum Chriſtus dicit, vbi ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Hanc promiſsionem rectè intelligimus de toto Chriſto, ſiue de integra eius perſona, Ille enim dicit, ſe ibi adeſſe, in cuius nomine con-

congregamur. Nemo autem dicere audebit, Nomen Christi esse solam Diuinam eius naturam, sed tota eius persona, in vtraq; natura, & secundum vtramq; eius naturam, & quidem in officio Mediatoris & Saluatoris, quod personæ secundum vtramq; naturam competere in confesso est, denotatur, quando Scriptura dicit, In nomine Christi aliquid fieri, Et quidem assumtæ naturæ peculiariter nomen illud, in quo omnia genua flectuntur, datum esse in tempore, Paulus testatur Philip. 2. Et Angelus dicit: quod in Maria, & ex Maria natum est, eius nomen vocatur Iesus, Matth. 1. & Lucæ 1. Nullum igitur dubium est, assumtam etiam Christi naturam, simul comprehendi, sub nomine Christi, in quo congregati sumus. Et expressè in textu dicitur, Illum velle esse in medio nostri, qui est Filius hominis & pastor bonus, qui venit seruare quod perierat. Quæ circumstantiæ omnes, manifestè ostendunt, assumtam naturam non excludi, sed simul comprehendi in illa promissione Matth. 18. Ero in medio vestri. Ita ad Ephesios, postquam Paulus multa disseruisset de mysterio Christi, per quem Deus vniuersa restituit, in sanguine eius, qui inimicitias soluit in carne sua, quem Pater à mortuis resuscitatum, constituit ad dexteram suam, super omne nomen, per quem aditum habemus ad Deum, quæ circumstantiæ manifestè ostendunt, Paulum de tota persona Christi loqui, & nominatim denotare assumtam naturam in Christo, postea subijcit cap. 3. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Sed hîc quidam arripiunt appellationem fidei, & eam opponunt præsentiæ, ac sensum huius dicti esse volunt, Personam Christi inhabitare in cordibus nostris, non essentia sua, sicut duabus naturis constat & in illis subsistit, sed fide inhabitare in nobis, quasi vero fides hoc loco sit phantasia, seu imaginatio de Christo, qui reuera nobis non adsit, sed per imaginationem fingatur in nobis inhabitare, cum fides Ebr. 11. sit ἔλεγχος, quod ea, quæ in verbo traduntur, licet sensibus nec appareant nec percipiantur, verè tamen ac certè ita sint, atq; ita se habeant, sicut fides ex verbo ac iuxta verbum, credit ac statuit. Veræ autem causlæ, quod Paulus dicit: Christum fide inhabitare in nobis, hæ sunt, vt ostendat fidem esse medium, or-

ganon seu instrumentum, quo Christum in verbo apprehendimus, accipimus ac retinemus, vt non quasi peregrinus transeat, vel vt hospes pernoctet tantum apud nos, sed vt per inhabitationis gratiam maneat, ac perpetuo in nobis inhabitet, vt semper nos simus ac maneamus domestici Dei. 2. Quia fides hoc loco opponitur apertæ visioni & sensibus, vt 2. Cor. 5, per fidem ambulamus, non per speciem seu visionem. Et Iohannis 20. Beati qui non vident, aut palpant, sed credunt. 3. Christus dicitur fide inhabitare, quia nō ratione aut conditione aliqua huius seculi, sensibili, visibili, aut locali, quæ vel sensibus percipi, vel intellectu seu ratione comprehendi possit, sed cœlesti, diuino ac incomprehensibili modo, qui sola fide ex promissione creditur, Christus inhabitat in cordibus nostris, vt etiamsi nec sentiamus, nec intelligamus, quod & quomodo Christus sit in nobis, Fide tamen iuxta promissionem certò statuamus, ipsum verè habitare in cordibus nostris. Et hoc existimo Nazianzenum velle, quando scribit Epist. 1. ad Cledonium, Christum habitare in cordibus nostris οὐ κατὰ τὸ φαινόμενον, ἀλλὰ κατὰ τὸ νοούμενον.

Cum itaq; promissiones de præsentia Christi in Ecclesia, de tota & integra eius persona, quæ constat duabus naturis, & subsistit in duabus naturis, loquantur, Cur alterius naturæ præsentiam, per quam Christus frater noster est, ac nos vt carnem suam odio non habet, inde excluderemus, ac nobis eripi pateremur? Vbi enim Scriptura non restringit, nec nos promissiones de Christo, ad solam Diuinam eius naturam restringere debemus.

Ne verò hæc collectio ex circumstantijs contextus, quæ manifesta & firma est, in dubium vocetur, Ipse Filius Dei post ascensionem, in cœlis residens in gloria, disertè & expressè tradidit Paulo solennem testificationem, & publicam obsignationem, quod corpore & sanguine suo, hoc est, quod tota persona, etiam secundum assumtam naturam, in illa, & cum illa, velit Ecclesiæ in terris adesse, 1. Cor. 11. Et Paulus ipse docet, Nos non tantum habere κοινωνίαν Spiritus, 2. Cor. 13. verumetiam

κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi, 1. Corinth. 10. Si itaque Scripturam volumus esse in hac disputatione vocem iudicis, & non materiam litis, res plana & definita est, de præsentia totius seu integri Christi in Ecclesia, secundum vtramq; naturam.

Bucerus expendit illud, quod Ioh. 6. vbi Christus docet, quomodo nos maneamus in Christo, & Christus in nobis, diserte fit mentio carnis & sanguinis Christi, cui quando coniungimur, Christus Deus & homo manet in nobis, & nos in ipso. Ac profecto caput Ecclesiæ, non est à membris suis auulsum, vel separatum, sed ipsis coninnctissimum. Est autem Christus caput nostrum, non tantum secundum Diuinam naturam, sed & secundum eam naturam, qua nobis membris suis cognatus & consubstantialis est. Illud enim ad rationem capitis pertinere, etiam Scholastici rectè dicunt. Ac breuiter, Certum est ad officium Christi, Mediatoris, Pontificis, Regis ac Capitis nostri, pertinere, vt Ecclesiæ suæ adsit, ac præsens exaudiat, iuuet, gubernet, &c, In confesso autem est, Christum ea, quæ ad officium suum pertinent, agere & efficere, in & cum vtraq;, per & secundum vtramque suam naturam, Diuinam & humanam.

Cum igitur de illa præsentia, quam ex Scripturæ verbis rectè nominare possumus mansionem, habitationem, & præsentiam Christi, apud nos, seu in nobis, Certum verbum & expressam promissionem habeamus, quod totus Christus, tota sua & integra persona, Deus & homo, secundum vtramq; naturam Ecclesiæ suæ, non tantum in cœlis triumphanti, verumetiam in terris adhuc militanti, adesse velit, res plana est, & plena consolationis, quod ea etiam natura nobis adesse velit, qua nobis consubstantialis, cognatus & frater noster est, ac nos de carne eius, & de ossibus eius, in qua pretium redemtionis nostræ persoluit, ac nos sibi acquisiuit, in qua tentatus est, vt possit miserijs nostris compati, per quam aditum habemus ad Diuinitatem. Et nihil obstat, nisi quod ratio nostra turbatur cogitationibus de localitatibus, ac de ratione præsentiæ corporum, iuxta conditiones huius seculi per positum & contactum

physicum. Remoueantur itaq; omnes cogitationes carnales & terrenæ de localitatibus. Constat enim præsentia hæc, non ratione locali, non positu aut contactu physico, non sensu, non modo naturali, non conditione aliqua huius seculi, aut naturæ huius, sed ratione eius vitæ, quam Christus iam ad dexteram Patris viuit, ex virtute Dei, & in gloria Patris, quam auris non audiuit, oculus non vidit, quæ in cor hominis non ascendit, hoc est, quæ nulla ratione comprehenditur, sed sola fide iuxta verbum creditur absq; disquisitione, quam Cyrillus vocat ψιλὼ καὶ ἀζήτητον πίσιν.

Humanitas enim Christi, non secundum se, hoc est, non secundum essentiales seu physicas suas proprietates, sed quatenus λόγῳ personaliter est vnita, adest in Ecclesia, ac inhabitat in cordibus nostris, ἐν τῷ λόγῳ, & cum τῷ λόγῳ, cum quo hypostatica vnione copulata est, Sicut in præcedenti membro plenius explicauimus, Quod Filius Dei, quando verbum ipsius de præsentia assumtæ suæ naturæ habemus, pro Diuina voluntate ac potentia sua, ratione hypostaticæ vnionis, ac sessionis ad dexteram maiestatis & virtutis, certò ac facilè possit præstare, vt alio quam iuxta essentiales corporis proprietates, verè cum assumta sua natura salua eius veritate, adsit, vbicunq; se ea affuturum, certo verbo tradidit ac promisit. Sicut enim veritas humanæ naturæ in Christo iuxta verbum retinenda est, ita præcipuè prærogatiuæ, quas assumtam naturam ex hypostatica vnione accepisse, ex verbo discimus, de quibus etiam ex verbo, & secundum verbum iudicamus, non tam vtraq; manu, quam toto pectore retinendæ sunt.

Ac præcipuè cauendum est, ne Christum incarnatum soluamus, 1. Iohan. 4. hoc est, Ne vnionem naturarum distrahamus, separemus aut diuellamus. Iam verò cum habeam dulcissimas promissiones, Christum Caput, Regem ac Pontificem nostrum, in cœtu Ecclesiæ, in nomine ipsius congregato, in Ministerio verbi & Sacramentorum, & sicut toti vbiq; Ecclesiæ, hoc est, omnibus & singulis eius membris, Ita mihi etiam, in

Inuo-

Inuocatione, in tribulatione, & in totius vitæ gubernatione, adesse: Certè, qui docent ac iubent me cogitare ac credere, solam tunc diuinam eius naturam, absolutè & seorsim mihi adesse, ita vt tunc & ibi, quando & vbi, iuxta promissionem, Diuina sua natura mihi adest, intra arctissimum, intimum ac vnitissimum, totius plenitudinis Deitatis suæ complexum, assumtam suam naturam, simul, vbi iuxta verbum mihi adest, secum, intra se, apud & penes se, præsentem non habeat, sed seorsim aut separatim, longissimè inde, in vno aliquo alio loco, sepositam, Illi profectò non possunt aliter sentire ac docere, si apertius loquantur, quam τὸν λόγον in vno tantum loco, alicubi, constare duabus naturis, & subsistere in duabus naturis, ac in vno tantum loco simul esse Deum ac hominem, Ita, vt in vno tantum loco, alicubi, assumtam suam, & personaliter sibi vnitam humanam naturam, secum & apud se, præsentem habeat, alibi verò, vbi Ecclesiæ suæ, ac singulis eius membris, se adesse velle, certo verbo & expressa promissione tradidit, ipsum extra assumtam humanam suam naturam, & sine ea adesse, Ita, vt ibi simul vnitam suam humanam naturam, secum & apud se, præsentem nec habeat, nec habere possit, sed seorsim longissimè inde remotam & sepositam. Sed eo ipso, quicquid prætexant, vnionem naturarum soluunt, separant & distrahunt. Et hoc argumentum, quando cum certo verbo & expressa promissione, de præsentia Christi secundum humanam naturam coniungitur, tale profecto est, quod piam conscientiam meritò conuincit & constringit. Christum enim non dimidium, non diuisum, nec vnam tantum eius partem, sed totum, hoc est, integram eius personam, ad cuius integritatem, etiam assumpta natura pertinet, hypostatica duarum naturarum vnione, nullis locorum interuallis soluta, diuulsa aut separata, credimus ac quærimus.

Est enim elegans Leonis sententia: Hac fide Ecclesia viuit, hac proficit, vt nec sine vera humanitate credatur Diuinitas, nec sine vera Diuinitate credatur humanitas, qui enim fingit se habere Deitatem nudam à corpore, anathema sit.

Quæ verò contra verba Teſtamenti Filij Dei, ac contra promiſsiones de præſentia Chriſti in Eccleſia, obijci & opponi ſolent, ad excludendam inde præſentiam humanæ naturæ, perſonaliter Deitati vnitæ, in libello de cœna plenius explicata ſunt. Et hoc etiam libello in præcedentibus quantum ſatis eſt, diximus, De veritate humanæ naturæ in Chriſto, non deſtruenda, ſed retinenda, de eſſentialibus humanæ naturæ proprietatibus, non confundendis, ac de implicatione contradictionis cauenda. Oſtendimus etiam dicta Euangelij de Tranſitione Chriſti ex hoc mundo, nihil aliud velle, quam quod rationem viuendi in mundo, iuxta conditiones huius ſeculi & huius naturæ, reliquerit. Eadem enim ratio eſt, qua in mundum venit, & qua mundum reliquit, ſicut apud Iohannem duo illa opponuntur. Et quia tranſijt, non in vtopiam, ſed ad Patrem, qui certe præſentia ſua mundo non deeſt, ſed ſicut cœlum, ita & terram implet, non quidem modo aliquo huius ſeculi, ſed alio diuino, nobis incomprehenſibili & ineffabili modo, Manifeſtiſsimum eſt, quod nulla ratione inde ſequatur, quod Chriſtus, vbi ſe cum aſſumta ſua natura adeſſe velle, certo verbo promiſit, non poſsit in Eccleſia ſua adeſſe, ideo & propter hanc cauſſam, quia ex mundo tranſierit ad Patrem. Neq; promiſsiones illas de præſentia totius Chriſti tollit aut labefactat, quod Chriſtus corpore ſuo in cœlis eſt, ac ſedet ad dexteram Dei in cœleſtibus. Nam & locus habitaculi Dei, ſeu Diuinæ naturæ, ſcribitur eſſe in cœlis, qui tamen nihilominus omnia implet, atq; omnia quæ vult facit in cœlo & in terra. Vnde Bucerus rectè inquit: Illos cœlos, ad quos Chriſtus aſcendit, quia ſunt ſupra omnes cœlos, equidem definire non auſim, niſi Scripturæ verbis, non noſtræ rationis prædicamentis. Scripturæ autem illos, non niſi maieſtate & virtute Diuina definiunt, non locorum intercapedinibus, clareq; atteſtantur eos in cor hominis non aſcendiſſe. Et ne exiſtimetur dextera maieſtatis & potentiæ, ad quam exaltata eſt humana natura in Chriſto, eſſe terrenæ aut creaticiæ conditionis, ideò dicitur eſſe in cœleſtibus, Imò excelſior cœlis, ὑπεράνω, ſuper omne nomen, quod nomina.

minari poteſt, vt oſtendatur humanam Chriſti naturam ſedere in ea gloria, maieſtate & potentia Patris, quam oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit, in infinitum excelſius, quam omnium beatorum gloria eſt.

Præcipuè verò opponi ſolent Sententiæ quædam Auguſtini, Cyrilli, Theodoreti, Fulgentij, & Vigilij, Quod corpus Chriſti etiam in vnione, & in gloria, ſit finitum, circumſcriptum, ſeu locale, quodq; per naturam carnis non ſit vbiq;, ſed quod ſecundum humanam naturam, corpore, ſecundum carnem, præſentia corporali & locali, reliquerit mundum, non ſit in mundo atq; ita à nobis, qui in mundo ſumus, abſit. Hiſce enim verbis veteres illi Scriptores vtuntur.

Atq; inde aduerſarij colligunt: Chriſtum, nobis qui in mundo ſumus, in cœna & in Eccleſia tantum diuina ſua natura & Spiritu adeſſe, ac non integram eius perſonam, cum aſſumta etiam ſua natura, licet in verbis teſtamenti ſui dicat: Hoc eſt corpus meum. Et ſanè, cum verbum Dei de præſentia corporis Chriſti, teſtamentaria inſtitutione Filij Dei obſignatum habeamus, poſſem ad omnia illa Patrum dicta ſemel reſpondere, idq; ipſius Auguſtini verbis, Nos patrum literas, non vt Canonicas habere, ſed ex Canonicis conſiderare, & quod in eis diuinarum ſcripturarum autoritati congruit, cum laude eorum recipere, quod autem non congruit, cum pace eorum, & ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, ea libertate, ad quam nos vocauit Dominus, non accipere ſed reſpuere. Sed quia graue præiudicium videtur, amplecti opinionem quam multi clamant nulla orthodoxæ antiquitatis vllius temporis in Eccleſia teſtimonia habere, ſed cum tota antiquitate pugnare, Reſpondebo ad illas quorundam Veterum (qui nihilominus alibi veram præſentiam corporis Chriſti in cœna fatentur ac defendunt) ſententias. Et idem reſpondebo, quod Bucerus reſpondit.

1. Veteres in illis ſententijs diſputare contra Manichæos & Eutychæos, qui contendebant, vel phantaſma corporis fuiſſe, quod Chriſtus aſſumſerit, quod ſcilicet abſq; eſſentialibus corporis proprietatibus, nec circumſcriptum, nec locale, nec ſenſibile fuerit, vel quod in vnione, ſiue poſtea in gloria, deſtructis eſſentialibus proprietatibus, conuerſum ſit in ſubſtantiam infinitam, immenſam & illocalem, vel quando Diuina natura, per hypoſtaticam vnionem, facta ſit circumſcripta & localis. Contra iſtas opiniones, Veteres dimicant, ac rectè contendunt. Corpus quod Filius Dei aſſumſit, habere ac retinere in ipſa vnione & gloria, eſſentiales corporis proprietates, Ac ratione eſſentiæ ſuæ, & proprietate naturæ, eſſe finitum, circumſcriptum & locale, Ac has proprietates eſſe corporis, non Deitatis.

2. Corpus Chriſti per eſſentiales illas ſuas proprietates, & ſecundum illas non eſſe vbique, vel in multis locis, ſed in certo loco, locale & circumſcriptum. Et hæc ſicut in præcedentibus oſtendimus, nos etiam dicimus & concedimus. In hanc ſententiam Tertullianus dicit, Vbicunq; inuocantibus adeſt, non hominis natura eſt, ſed Dei.

Atq; hoc eſt quod Vigilius dicit: Chriſtum eſſe vbique ſecundum naturam Diuinitatis ſuæ, & loco contineri, ſecundum naturam humanitatis ſuæ, circumſcribi loco per naturam carnis ſuæ, & non capi loco per naturam Diuinitatis ſuæ. Addit enim, vnde vera declaratio ſententiæ eius ſumi poteſt ac debet, Maior eſt angelis per naturam Deitatis, Minor eſt Angelis per naturam carnis, Cum tamen caro Chriſti per exaltationem facta ſit maior, hoc eſt, præſtantior ac ſuperior Angelis, Eph. 1. Ebr. 1. De eſſentialibus igitur ſeu naturalibus carnis proprietatibus Vigilius loquitur, quando ſcribit, Chriſtum ſecundum ac per humanam naturam circumſcribi loco. Longè alia verò ratio eſt, quando caro Chriſti conſideratur, ratione hypoſtaticæ vnionis, & dexteræ Dei.

Ita Fulgentius dicit: Deitatem eſſe immenſam, humanitatem verò ſeu carnem Chriſti localem. Item, localiter fuiſſe in terra

terra Corpus Christi loco posse contineri, scilicet, proprietate naturæ suæ.

Et Augustinus ad Dardanum in eam sententiam inquit: Corpus Christi esse in aliquo loco cœli, propter veri corporis modum. Hæc de essentialibus seu physicis humanitatis proprietatibus, quas in Christo in ipsa vnione & gloria saluas manere & nos dicimus, vera sunt, Sed Christum carne sua vti, etiam vltra & supra essentiales seu physicas ipsius proprietates, Cap. 25. ostendimus.

3. Veteres sentiunt, Corpus Christi, secundum visibilem formam, non esse vbiq; diffusum, nec ea ratione, quasi facta esset infinita essentia, esse in pluribus seu omnibus locis. Hoc & nos dicimus, Sed addimus, Aliam esse rationem hypostaticæ vnionis & dexteræ Dei.

4. Hoc dicunt Veteres, Carnem Christi visibiliter, sensibiliter, circumscriptiuè, localiter, præsentia corporali seu carnaliter, hoc est, secundum aut per naturales seu essentiales corporis proprietates, iuxta modum & conditionem huius seculi, quæ sensibus percipi possit, non esse iam ordinaria dispensatione in terris, sed in cœlis, Quod & nos in eam sententiam, de modo præsentiæ visibili & sensibili concedimus. Ita Augustinus ad Dardanum inquit: Christum secundum hominem ibi esse, vnde venturus est, in ea forma carnis, in qua ascendit, cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit, Secundum hanc formam inquit, non est putandus vbiq; diffusus, ne veritatem corporis auferamus. Et alibi inquit, Nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus. Ita Fulgentius inquit, Christum localiter terram deseruisse.

Falsò autem Augustino tribuitur hæc sententia, sicut in Decretis citatur, Corpus Christi oportet in vno loco esse. Nam tractatu in Ioh. 30. vbi sententia illa extat, hoc tantum dicit, Corpus Domini in quo resurrexit vno loco esse potest, scilicet iuxta physicas finiti corporis proprietates.

Et Tractatu 50. Corporis præsentiam vocat, sicut cum Apostolis in terra conuersatus est.

Et Cyrillus lib. 11. in Ioh. cap. 19. dicit, Quando Christus carne præsens cum Apostolis conuersabatur, manifesta consolatio erat illis, cum oculis cerneretur. Solet enim, inquit, humanus animus non occultis sed manifestis confidere, Ac talem conuersationem secundum carnem & præsentiam corporalem dicit subductam cap. 3. & 22.

Et Augustinus Tract. 64. in Ioh. tractans illa verba Christi, Adhuc modicum vobiscum sum, inquit: Non de illa sua cum suis præsentia qua cum illis est, vsq; ad consummationem seculi loquitur, Sed vel de infirmitate mortali, qua cum illis erat, vsq; ad passionem, vel de præsentia corporali, qua vsq; ad ascensionem cum ipsis conuersatus erat, & hoc inde probat Augustinus, quod Christus Luc. 24. dicit: Hæc locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum, quasi tunc non esset cum ipsis assistentibus, videntibus, tangentibus, colloquentibus. Quid ergo inquit est, Cum adhuc essem vobiscum, nisi cum adhuc essem in carne mortali. Non igitur præsentiam simpliciter negant Patres, sed de modo præsentiæ alio atq; alio loquuntur. Dicunt enim Christum semper adesse Ecclesiæ maiestate Deitatis, virtute & potestate, omnipotentiæ. Est autem & caro Christi exaltata ad dexteram Maiestatis & virtutis Dei. Ipsi igitur Patres declarant se, quomodo intelligi velint illa sua dicta, quæ ab aduersarijs opponi solent contra præsentiam corporis Christi in Cœna.

5. Nusquam apud Veteres extat aut inuenitur, ex allegatis illis, de absentia Christi corporali seu carnali sententijs, illa consequentia. Ergo in cœna Dominica tantum diuina Christi natura seu spiritus adest, & non corpus ac sanguis eius. Imò Veteres omnes expressè ac constanter, præsentiam corporis ac sanguinis Christi in Ecclesia, docent, fatentur ac defendunt, Sicut in alio libello, tales Veterum sententias multas annouauimus, quas hoc loco iterum adscribere non necessarium duxi.

Hactenus.

Hactenus igitur ad ſententias Veterum, de abſentia Chriſti corporali ſeu carnali, reſpondimus.

Porrò ſolent aduerſarij & hæc Veterum dicta magna pompa oſtentare, ac contra præſentiam integræ perſonæ Chriſti in Eccleſia opponere, vt quod Athanaſius dicit, de humanitate verbi, λόγ☉ nõ eſt περιγεγράμμ☉ circumcluſus in corpore, neq; cum in corpore adeſt, alibi deeſt, neq; cum illud mouet, alia eius actu & prouidentia deſtituta ſunt, Sed quod ſummæ admirationis eſt, ea omnia ipſe cum ſit λόγ☉ comprehendit, & à nullo comprehenditur. Item λόγ☉ non eſt colligatus in corpore, ſed totum corpus in ſe continet, adeò vt & ibi ſit, & in omnib. exiſtat, & extra rerũ eſſentias verſetur, ac in ſolo Patre requieſcat.

Citant & Nyſſeni dictum ex Catecheſi, quod extat apud Theodoretum dialogo 2. Quis dicat quod carnis circumſcriptione tanquam vaſe aliquo (τὸ ἄπειρον λόγου περιείληπται) Infinitas verbi contineatur & circumſcripta ſit? Quid enim prohibet quandam diuinæ naturæ vnionem ad humanam naturam agnoſcere, & tamen etiam in hac vnione intelligentiam Diuinitatis conſeruare, & extra omnem circumſcriptionem eſſe Diuinitatem, etiamſi ſit in hominibus.

Citant & ex libello, qui Auguſtino, ſed falſo adſcribitur, Ex Origene enim lib. 4. de principiijs illa deſcripta ſunt, De Incarnatione Verbi lib. 1. cap. 19. Non ſentiendum eſt, quod omnis claritas verbi & maieſtas, intra breuiſsimi corporis claustra concluſa ſit, ita vt vel à Patre diuulſa ſit, vel intra corporis illius breuitatem coercita & circumſcripta, ne vſquam præterea putetur operata.

Sed primò, illæ Veterum ſententiæ non hoc volunt, non hoc dicunt, non hoc efficiunt, quaſi Chriſtus, corpore & ſanguine ſuo, iuxta verba teſtamenti ſui, in Cœna, vbicunque illa in terris, iuxta inſtitutionem celebratur, adeſſe vel non velit, vel non poſsit, Neq; hoc vel volunt, vel dicunt, vel efficiunt, Quod Chriſtus pro ſua voluntate, & potentia, non poſsit corpore ſuo adeſſe, vbicunq;, quandocunq;, & quomodocunq; vult, præſertim, quando ſe affuturum, certo verbo, & expreſſa promiſsione tradidit.

Secundò, Hoc autem, de quo Veteres in ſuis illis ſententijs dimicant, & nos concedimus, Vnionem ſcilicet factam, abſq; conuerſione & tranſmutatione, ſalua differentia naturarum, & ſaluis eſſentialibus cuiuſq; proprietatibus. Cumq; Diuinitas proprietate naturæ ſit eſſentia infinita & immenſa, Humanitas verò, proprietate naturæ ſit eſſentia finita, ac corpus naturaliter certa membrorum proportione, collocatione & competentia, quam Græci συμμετρίαν vocant, circumſcriptum: Rectè dicunt Veteres, Deitatem τοῦ λόγου, per vnionem non depoſuiſſe ſeu amiſiſſe infinitam eſſentiæ ſuæ immenſitatem, nec ita tranſmutatam, vt quia aſſumſit corpus, naturæ proprietate finitum & circumſcriptum, ipſa etiam Diuinitas illa vnione facta ſit finita, & circumſcripta, vt intra corporis illius breuitatem, coercita & circumſcripta concludatur, & contineatur ſicut locus locatum, & vas liquorem concludit & continet. Non enim localiter concludi poteſt Diuinitas, ſicut Auguſtinus rectè dicit.

Tertiò, de varijs & diſtinctis modis præſentiæ Deitatis λόγου, loquuntur Veteres. Aliter enim eſt in Patre, qui vbiq; eſt, ratione ὁμουσίας ſeu ὁμουσιώσεως, Aliter eſt in creaturis omnibus, & ſupra atq; extra omnia, ratione infinitæ & immenſæ eſſentiæ ſuæ, ſeu οὐσιώσεως, Aliter vero eſt in aſſumta natura ὑποστατικῶς perſonaliter, non quod naturalibus & finitis corporis circumſcriptionibus & terminis, ſit circumcluſa & colligata, Vnio enim non eſt circumſcriptiua, vt vel à Patre, qui vbiq; eſt, ſit auulſus λόγος, vel in alijs creaturis, nec adſit, nec operetur, Sed hypoſtatica eſt vnio, Et illo modo, quo in aſſumpta natura λόγος eſt, perſonaliter ſcilicet, non eſt vſquam alibi. Eſt autem ἀπόῤῥητος καὶ κατ' ἐξαίρετον, ſicut Nyſſenus & Epiphanius loquuntur, hoc eſt, peculiaris & ineffabilis eſt modus hypoſtaticæ vnionis. Deitas enim τοῦ λόγου, non continetur aut concluditur ab aſſumta natura, quæ proprietate eſſentiæ ſuæ finita & circumſcripta eſt, ſed hanc totam λόγος in ſe reduxit, & ipſe continet eam non ſicut reliquas creaturas continet, ſed vt eam intra arcanum & intimum perſonæ ſuæ complexum, vnitam & præſentiſsimam ſibi habeat ἀτρέπτως καὶ ἀδιαιρέτως,

ſine

ſine conuerſione, & ſine vllius intercapedinis diſtantia, ſicut Damaſcenus loquitur. Et aſſumta natura eſt in λόγῳ, non ſicut & nos dicimur eſſe in ipſo, Actor. 17. ſed perſonaliter, ita vt non per ſe, ſed in λόγῳ ſubſiſtat, cum ipſo vnam ὑπόσασιν σύνθετον perſonam compoſitam, ſicut Nazianzenus loquitur, conſtituat, eius pars ſit, ſicut Damaſcenus loquitur, & ad integritatem perſonæ eius pertineat. Hæc verò adeo non pugnant contra præſentiam corporis Chriſti in cœna, aut contra præſentiam integræ perſonæ Chriſti in Eccleſia, vt firmiſsimè efficiant & ſtabiliant illud axioma, Filium Dei, cum aſſumta ſua natura, ratione hypoſtaticæ vnionis adeſſe poſſe, vbicunq; quandocunq;, & quomodocunq; vult, hoc eſt, vbi ſe cum illa adeſſe velle, certo verbo tradidit & promiſit. In præcedentibus enim & ex Athanaſio, & ex multorum aliorum Veterum teſtimonijs oſtendimus, τὸν λόγον Diuinæ ſuæ potentiæ operationes, exerere, exercere & perficere, non ſine aſſumta natura, nec extra vnionem cum ea, ſed in ea, cum ea, & per eam. Et libellus ille, qui Auguſtino, ſed non rectè adſcribitur, De Incarnatione, rectè dicit ex Origene: Nemo exiſtimet nos affirmare, quod pars aliqua Deitatis Filij ſit in Chriſto homine, reliqua pars alibi vel vbiq;. Impoſsibile enim eſt de incorporeo diuiſionem aliquam facere, quod in omnibus, per omnia, & ſuper omnia eſt. Item, Tanta pietatis debet eſſe confeſsio, vt neq; aliquid Deitatis in Chriſto defuiſſe credatur, & nulla penitus à paterna ſubſtantia, quæ vbiq; eſt, facta putetur diuiſio, &c.

Licet igitur, ſicut inquit Auguſtinus Epiſtola 57. in omnibus λόγῳ totus ſit, Illi tamen in quibus habitat, eum non ex toto capiunt, ſed ab alijs plus, ab alijs minus capitur. De ipſo verò capite noſtro Apoſtolus ait: In ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Et ſupra oſtendimus, Veteres ita loqui, quod aſſumta natura totum λόγον capiat, ac Filij Dei plene capax ſit.

Iactatur etiam Longobardi quoddam dictum, quod extat lib. 3. Sententiarum diſt. 22. Quod Chriſtus totus & perfectus ſit vbiq;, non autem totum Chriſti, quam tamen ſententiam,

nec ex Scriptura, nec ex Patribus Longobardus adducit, sed abripitur eò, occasione motæ à se quæstionis, An rectè dici possit, Christum in triduo mortis suæ, quando anima à corpore separata erat, fuisse hominem.

Damascenus quidem ita dicit lib. 3. cap. 7. Quod vocabula ὅλος καὶ ἄλλος significent personam, ὅλον καὶ ἄλλο Naturam, Non autem attexit id, quod Longobardus adijcit. Et ad illam quæstionem, quam Longobardus ibi tractat, non malè sanè accommodatur illud dictum. Si enim anima Christi fuisset vbique, atq; ita etiam in sepulchro fuisset in Christi corpore absq; separatione, sicut Diuinitas in ipso fuit, non fuisset vera mors. Verum est & hoc, quod Deitas τὸ λόγος, proprietate naturæ, & ratione infinitæ immensitatis essentiæ suæ, sit vbiq;, non autem ita assumta natura. Inde autem hoc non sequitur, nec à Longobardo infertur, Quod Christus pro liberrima sua voluntate & potentia, non possit corpore suo adesse, vbicunq;, quandocunq;, & quomodocunq; vult, vel quod in Cœna, & in Ecclesia sua non adsit, secundum vtramq; naturam, cum tamen ibi adesse se velle, vt Deum & hominem, certo verbo promiserit. Et quod Longobardus ibidem addit, quod Christus non vbicunq; est, homo sit, nec vbiq; est vnitus sit homini, siue humanæ assumtæ naturæ, Hoc nec ipsos aduersarios arbitror dicere audere. Si enim Christus in vno tantum loco est Deus & homo, habens sibi vnitam assumtam humanitatem, alibi verò, vt in cœna Dominica & in Ecclesia (vt intra hos terminos disputationē contineamus) non sit Deus & homo θεάνθρωπος, sed Deus tantum, extra vnionem cum assumta natura, vel non habens vnitam sibi humanam naturam, sicut Lombardus loquitur, Iam diuisa est persona, & duo ponuntur Christi, Alter Deus & homo habens sibi vnitam assumtam humanitatem, in vno aliquo loco, Alter verò in cœna & in Ecclesia, non Deus simul & homo, sed Deus tantum non habens vnitam sibi assumtam humanam naturam, vel extra vnionem cum assumta humanitate subsistens. Et Durandus contra Longobardum contendit, non rectè dici, Christum fuisse in sepulchro totum, quia anima in morte separata, non fuit ibi. Appellatio enim Christi, significat personam,

quæ

quæ constat duabus naturis, quæ sunt quasi partes personæ compositæ per incarnationem, sicut Nazianzenus & Damascenus loquuntur, Ideo non proprie dici, Christum esse alicubi totum, nisi vbi persona adest cum vtraq; natura perfecta. Hæc Durandus.

Cum itaq; Longobardi dictum ita se habeat, non faciendus est inde articulus fidei, contra verba Testamenti Filij Dei de præsentia corporis ipsius in cœna, Alias enim ex Longobardi disputationibus, esset etiam articulus fidei, Christum esse Mediatorem nostrum, tantum secundum humanam naturam. Ac multa alia, quæ Scripturæ non sunt consentanea, ex Longobardi disputationibus essent recipienda. Et Longobardum ipsum non voluisse illud suum dictum ita intelligi, Sicut à Sacramentarijs vsurpatur, certissimum hoc est argumentum, quod Longobardus præsentiam corporis Christi in Cœna, in omnibus illis locis, vbi in terris celebratur, docet, vrget, ac defendit, & negantes illam præsentiam seriò damnat, adeò, vt ad eam stabiliendam pontificiam etiam transsubstantiationē comprobet, quæ à nobis iuxta scripturam merito reijcitur.

Est verò & hæc obiectio paucis explicanda, quod dicunt, Adeò solius diuinæ naturæ proprium, & incommunicabile esse, vt simul sit in omnibus, vel in pluribus locis, vt patres recte inde probent, Spiritum Sanctum esse natura Deum, quia Scriptura tradit, ipsum vbiq; & in pluribus locis simul adesse. Hoc autem tantum respondebo, quod ex Sententiariorum Scholis Gabriel dicit, Verum scilicet hoc esse, quando aliquid ratione infinitæ essentiæ suæ hoc habet, vt eo ipso, quia est, per se & necessario, vbiq; & in pluribus locis simul sit, Aliud verò esse, quando per Dei voluntatem & potentiam efficitur, vt creatura aliqua, quæ proprietate naturæ finita, circumscripta, & in vno loco est, Deo ita volente, disponente, & efficiente supernaturaliter in pluribus locis simul sit.

Ita etiam ad omnes obiectiones de localitatibus dico, id, quod Durandus dicit, lib. 3. dist. 22. Deus potest separare à corpore, omne quod non est de ratione corporis, Sola enim talium separatio includit contra dictionem, Sed de ratione corporis

poris non est. vt sit in loco, cum vltima sphæra etiam iuxta philosophos non sit in loco, Et sicut Deus potest facere, vt locus sit sine corpore, ita potest facere, vt corpus sit sine loco. Sed nolo plures iam obiectiones recensere, hæ enim præcipuæ sunt.

Vnum tantum adhuc addam, vnde colligi poterit, illas Veterum sententias non esse Canonicas seu articulos fidei, Nam Origenes Homilia 33 in Matthæum, tractans parabolam Matth. 25. de homine peregrinante: Multis quidem disputat, Christum secundum Diuinitatis suæ naturam non peregrinari à nobis, sed secundum dispensationem corporis quod suscepit. Et quod Paulus de se dicit: Ego absens quidem corpore, præsens autem spiritu, cum virtute Iesu, &c. Hoc Origenes accommodat etiam ad Christi personam, & inquit: Non homo nobiscum est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, Nec congregatis vbiq; fidelibus homo est præsens, sed virtus diuina, quæ erat in Iesu.

Sed mox animaduertens inualidam esse comparationem ex Pauli persona, de Christo homine iudicare, considerat quod in parabola Matth. 25. non est talis redditio, sicut homo peregre abiens, talis etiam est ratio Iesu Filij hominis. Addit igitur dici posse, Non esse contrarium eundem Iesum, secundum quendam intellectum vbiq; esse, secundum alium autem peregrinari, scilicet, sicut nos dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, quia per fidem ambulamus, non per speciem seu per visionem, Ita & Christum peregrinari à nobis, quia scilicet manifesta visione non apparet.

Vides Origenem ipsum non esse certum de sua disputatione, de peregrinatione absentiæ Christi, nec eam proponere tanquam immotum articulum fidei. Addit enim, posse & aliter intelligi, de absentia scilicet visionis, non de omnimoda absentia Christi hominis. Ita & Augustinus, qui etiam tales habet sententias, de absentia Christi corporali seu carnali, alibi vocat absentiam illam non absentem, vt Tractatu in Iohan. 50. scribit: Secundum præsentiam carnis dictum esse, Me non semper habebitis vobiscum. Addit autem, Modo fide tenet Eccle-

sia

ſia Chriſtum, oculis non videt, in præſentia habens Chriſtum per fidem, per Baptiſmatis ſacramentum, per altaris cibum & potum: qui certè eſt corpus & ſanguis Chriſti. Idem Serm. 140. De fractione panis in cœna, de quo dictum eſt, Hoc eſt corpus meum, loquens, inquit: Abſentia Domini non eſt abſens, habeto fidem, & tecum eſt, quem non vides. Diſtinguit itaq; Auguſtinus inter præſentiam fidei & viſionis, & quid hoc ſit, paulò ante de dicto Pauli Epheſ. 3. explicauimus. Ita & in ſententijs Proſperi Auguſtinus dicit: Euchariſtiam conſtare viſibili elementorum ſpecie, ac inuiſibili corpore ac ſanguine Chriſti. Et Chryſoſtomus dicit: In menſa cœnæ Dominicæ, adeſſe Chriſtum inuiſibiliter.

Hinc Bucerus etiam motus poſtea ſcripſit, Nihil de eo firmum affirmari poteſt, An Chriſtus corpore ſuo circumſcriptus ſit loco aliquo cœli, ſicut Auguſtinus & aliqui alij Patres ſcribunt, Certo enim verbo Dei noſtra omnia niti oportet. Sed de obiectionibus ſatis.

Hactenus igitur de præſentia integræ perſonæ Chriſti, ſecundum vtramq; naturam, in cœna Dominica, & in Eccleſia, ex Scripturæ, & ex veteris Eccleſiæ teſtimonijs, diximus, ac quantum conſolationis doctrina illa afferat, oſtendimus.

Quod ſi præterea de alijs creaturis, quæ extra Eccleſiam ſunt, ac generali gubernationi Dei ſubiectæ ſunt, quæratur, Scriptura manifeſtè affirmat, Chriſto etiam ſecundum humanitatem, vt Domino, vel vt Veteres loquuntur, Humanitati Chriſti ſubiecta eſſe omnia, non tantum in Eccleſia, ſed in genere omnia, vt nihil exceptum ſit, præter illum, qui ſubiecit ei omnia, Ac diſertè & expreſſè nominatur in illa ſubiectione, pecora campi, volucres cœli, piſces maris, & quæcunque ſunt opera manuum Dei, ſiue ſint in cœlo, ſiue in terra, ſiue ſub terra, hoſtes etiam Chriſti, atq; adeò diabolus & mors ipſa Pſal. 8. Phil. 2. Apoc. 4. & 1. Cor. 15. vbi ſubiectionis huius correlatiuum ponitur, dominatio, quæ Pſ. 8. per verbum מֶמְשָׁל Moſchel explicatur, quod ſignificat poteſtatem, Dominium, imperium, in aliquem habere, & potenter exercere. Humana igitur natura

in Christo, à generali dominatione, quam habet & exercet super omnia, atq; ita ab administratione seculi, nec potest, nec debet, prorsus remoueri & excludi, cum Scriptura expressè affirmet, omnia etiam extra Ecclesiam pedibus Christi subiecta esse. Quas sententrias, non de sola diuina natura in Christo, sed propriè de subiectione omnium, quam humana in Christo natura, in tempore, per exaltationem accepit, intelligendas esse, in præcedentibus multis ostendimus. Non quod humanitas separatim dominetur, sed quod persona in vtraque, cum vtraque, & per vtramque naturam, potenter omnibus dominetur, quam dominationem, diuinitas λόγυ ab æterno habet, humanitas verò in tempore ratione hypostaticæ vnionis accepit. Illa verò in λόγῳ, & cum ipso omnibus dominatur, non ex longinquo aut immenso interuallo absens, seu per vicariam operam & administrationem, sicut Reges solent, quando ipsorum imperium per multas & longinquas prouincias latè extenditur, Sed sicut in λόγῳ subsistit, ita etiam quatenus τῷ λόγῳ personaliter adhæret, in λόγῳ omnia coràm se præsentia habet, & omnibus præsens dominatur ἐν τῷ λόγῳ, Hoc nos, qui humanam Christi naturam, non in physicis tantum terminis, nec secundum solas essentiales seu naturales eius proprietates consideramus, sed præcipuè in hypostatica cum Diuinitate vnione, & secundum illam exaltationem, quam habet super omne nomen, accepta omni potestate ac dominatione super omnia, simpliciter credimus, etiamsi modum, quo illud fiat non intelligamus. Nec tamen ideò id, quod Scriptura affirmat, verè fieri negandum est, sicut Cinglianus quidam scripsit: Ad gubernationem seculi, quid faceret humana natura in Christo? somnians illam ad dexteram virtutis & maiestatis diuinæ, nihil aliud vel amplius operari, quam physica manum & membrorum corporis apprehensione, extensione seu attrectatione.

Atq; hactenus habemus Scripturam, ducem præeuntem, & lucem prælucentem, simpliciter itaque ac tuto sequimur. Quod verò præterea particularius disputatur & quæritur, Cum in Ecclesia Christus vtraq; sua natura adsit, & in singulis membris

bris inhabitet, ac corpus eius sit in cœna, An ita etiam corpus Christi sit in lignis, & lapidibus, in pomis, in auibus cœli, pecoribus campi, piscibus maris, An ibi quæri & inueniri velit, Et quæ præterea auditu fœda & cogitatu abominanda de stercoribus & cloacis, quæ etiam de Diuina natura, quam vbiq; esse constat, sine blasphemia cogitari aut dici non possunt, attexi solent, cum de huiusmodi quæstionibus non habeamus certum verbum & expressam promissionem, quod ibi velit quæri & inueniri, nec aliquid vel ædificationis, vel consolationis in Ecclesia afferant, sed simpliciores offendant, infirmiores perturbent, & aduersarijs præbeant materiam litis nunquam finiendæ, Simpliciſsimum & tutiſsimum eſt, tales disputationes à nostris argumentationibus & consequentijs retrahere, & intra cancellos diuinæ patefactionis reuocare, ac intra illas metas nos sollicitè continere, vt Christum ibi quæramus & apprehendamus, vbi se adesse velle, certo verbo promisit. Atq; ita reliqua quæ vel quæri solent, vel disputari possunt, suspendamus, differamus & reijciamus ad futuram cœlestem illam Academiam, vbi coràm facie ad faciem Christi fratris nostri gloriam, quæ, qualis, & quanta sit, videbimus. Omnia enim arcana mysterij huius penetralia, perueſtigare & perlustrare in hac vita, nec posſibile, nec mandatum nobis eſt. Interea tamen non simus tam impij, vt dicamus, Filium Dei vniuersa sua potentia etiam si vellet hoc præstare non posse, Sed retineamus illud quod veriſsimum eſt, Christum suo corpore esse posse vbicunq;, quandocunq;, & quomodocunq; vult, De voluntate verò eius ex patefacto certo verbo iudicemus.

Atq; illud consilium, vt omnium simpliciſsimum & tutiſsimum Lutherus ipse simplicioribus subijcit. Cum enim multis argumentis de generali vbiquitate disputasset, postea cum animaduerteret, in quos labyrinthos disputationum, controuersia Sacramentaria ita abriperetur, & à verbis institutionis, quibus præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna traditur, & promittitur, abduceretur, tandem in maiori sua de cœna Domini confeſsione inquit Tom. 2. Vuittenbergenſi, pag. 178.

Licet argumenta illa de Vbiquitate refutari non posſint, ſe tamen cum nemine velle contendere, An per modum vbiquitatis, corpus Chriſti in Cœna adſit, cum Diuina ſapientia & potentia poſsit alio, nobis ignoto, & ineffabili modo illud, quod certo verbo & expreſſa promiſsione tradidit, efficere, Ac rationem addit, Quod aduerſarij inde arripiant occaſionem, digrediendi in alias inexplicabiles diſputationes, vt interim ferias habeant, ne ad verum controuerſiæ ſtatum, qui in verbis inſtitutionis propoſitus eſt, reſpondere cogantur. Conſulit igitur Lutherus, cum diſputatio illa, pro ſimplicioribus non ſit neceſſaria, Contra aduerſarios verò, fruſtra & abſque fructu ſuſcipiatur, ſicut pagina 195. facie 2. inquit, vt contenti ſimus verbis Chriſti, quibus in inſtitutione Cœnæ affirmat, Hoc, quod in Dominica cœna adeſt, exhibetur & ore accipitur, eſſe ſuum corpus. Quod ſi quæratur, quomodo hoc poſsibile ſit? Ac ſi obijciatur, hoc pugnare cum veritate corporis humani, vt ſimul ſit in pluribus diuerſis locis, præſcribit Lutherus ſimplicioribus hanc reſponſionem: Quia Chriſtus non nudus homo eſt, ſed verus, ſubſtantialis & perfectus Deus & homo, in vna inſeparabili perſona. Et quia dextera Dei ad quam Chriſti corpus collocatum eſt, vbiq; eſt, nec vllo loco eſt circumſcripta, concluſa & alligata. Ideò, quia ipſe de pane cœnæ Dominicæ dixit: Hoc eſt corpus meum, Sine dubio, ipſum pro ſua ſapientia & omnipotentia, cuius nec modus, nes finis nobis conſtat, facile poſſe inuenire modum, licet à nobis non intelligatur, quomodo corpus ipſius ſimul ſit in cœlo, & in omnibus illis locis in terra, vbi cœna Dominica iuxta inſtitutionem celebratur, cum vtrumq; ſit ipſius verbum.

Et Tomo Ienenſi 8. fol. 375. inter Lutheri ſententias extat vna, quæ dicit, Simplicioribus ſufficere hoc axioma, Filium Dei cum aſſumto ſuo corpore, quando vult, poſſe eſſe vbicunq; vult, ſalua corporis veritate. Quod autem in cœna Dominica cum ſuo corpore, ſicut & in Eccleſia cum aſſumta ſua natura adeſſe velit, certo verbo & peculiari promiſsione nobis tradidit. Hanc ſimplicitatem, iudicat Lutherus in controuerſia Sa-

sia Sacramentaria omnium esse tutissimam, quam multæ perplexæ disputationes præciduntur. Ita Veteres etiam, non de lignis, lapidibus, auibus, piscibus, sed de cœnâ Dominica, de Ecclesiâ, & membris eius loquuntur, quando de præsentia & inhabitatione Christi disputant.

CAPVT XXXI.

Quam dulces consolationes Veteres inde sumant, quod viuificatio & instauratio naturæ Humanæ in nobis, ex carne, & per carnem Christi, quæ nobis cognata est, nobis communicetur & immittatur, Quodq; Christus non tantum Spiritu, verumetiam corpore suo, se nobis coniungat & vniat.

ILlustres aliquot Veterum de hac parte doctrinæ sententias annotabo, vnde etiam præcedentis Capitis doctrina, declarabitur & confirmabitur.

Cyrillus igitur in Iohannem lib. 4. cap. 14. inquit: Quoniam Saluatoris caro, verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi carni coniuncti, quæ Vita effecta est. Hac de caussa in exuscitandis mortuis, non solummodo imperio, vt Deus vtebatur, verumetiam carnem suam, quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat.

Cap. 15. dixit enim, Ego, id est, corpus meum, quod comeditur, resuscitabo eum. Ego, inquit, qui homo factus sum, per meam carnem, in nouissimo die, comedentes resuscitabo.

Cap. 18. Qui è naturali vita emanaui, & homo factus, corpus meum vita repleui, Ita, qui carnem meam manducat, propter me viuet.

Lib. 10. cap. 13. explicans illa verba Christi, Iohan. 15. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, refutanda sibi sumit Arriani cuiusdam hæc verba, Non caro Christi, sed Deitas viris nuncupamur, Quia corpora nostra non dependent à carne Christi, vt palmites à vite, Sed Deitas Filij vitis est, vnde per fidem pendemus. Ad hæc Arriani istius verba, quæ profecto ipsam Sacramentariorum sententiam reddunt, Cyrillus ita respondet, quoniam nulla nos ratione, humanitati Christi posse ista attribuere, arbitratur, sed fide atq; dilectione, non carne nos ipsi coniungi, Age ostendemus peruersè ab eo sacrarum literarum sensum exponi. Non tamen negamus, recta nos fide charitateq́ue syncera Christo spiritualiter coniungi, Sed nullam nobis coniunctionis rationem, secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idq; à scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitet, Christum etiam sic vitem esse, nos verò palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Item, quando mystica benedictio in nobis fit, nónne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Christi ipsum in nobis habitare? Cur enim corpora fidelium membra Christi sunt, &c. Et mox: Vnde considerandum est, non κατὰ habitudine seu affectionum conformitate solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verumetiam participatione naturali. Quemadmodum, si quis igne liquefactam ceram, alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtriq; factum videatur, Sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur, Sicut inquit; Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis, hoc est, in corpore vestro, Caro enim vitæ facta vnigeniti caro ad virtutem traducta est, propterea

pterea in nobis facta φθορὰν, interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea vnigenitus, conuenienter itaq; dici potest, vitem esse humanitatem Christi, & nos palmites, propter identitatem naturæ, Ita & spiritualiter & corporaliter nos palmites, & Christus vitis est.

Lib. 11. cap. 25. λόγ& naturam nostram sibi coniunxit, vt eam in se primo, & per seipsum ad pristinam pulchritudinem restitueret, Vtq; cœlestis ipse homo, & Adam secundus, primus omnium in Iusticia & sanctificatione spirituali constitutus, cuncta per seipsum bona generi nostro immittat.

Ibidem, Ipse carni suæ sanctificationem immittit, & Spiritum sibijpsi, vt Deus præbet, vt homo accipit, quod non propter seipsum, sed propter nos fecit, vt gratia sanctificationis ex ipso, & in ipso primo recepta, ad totum genus transiret, sicut in primitijs generis humani maledicti sumus.

Cyrillus lib. 11. cap. 26. Christus suo corpore per communionem mysticam credentes benedicens, & secum, & inter nos vnum nos corpus efficit, quis enim eos, qui vnius sancti corporis vnione, in vno Christo vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Diuidi enim atq; seiungi Christus non patitur, vni ergo Christo per corpus suum coniuncti, in nobis illum, qui indiuisibilis est, accipimus. Et hæc est corporalis vnio ad Christum, quæ participatione carnis eius acquiritur, cuius vnionis vinculum est Christus, qui Deus simul & homo est. Spiritualis verò vnio est, qua Spiritu Sancto recepto, & inter nos quodammodo & cum Deo vnimur.

Cap. 27. explicans hæc verba, Ego in ipsis, & tu in me, &c. Corporaliter Filius Dei per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur, Spiritualiter autem, vt Deus sui Spiritus gratia nostrum Spiritum ad Diuinæ naturæ participationem redintegrans. Nexus igitur vnionis nostræ ad Deum Christus est, nobis quidem vt homo, Deo autem Patri, vt Deus naturaliter vnitus.

Con-

Consummati ergo sumus, reductiq; ad vnionem Dei Patris, mediatione saluatoris, Filium enim Dei natura Patri vnitum, corporaliter, substantialiterq; accipientes, glorificamur supremæ facti naturæ participes.

Idem lib. 8. thesauri cap. 1. Exaltari dicitur, vt homo propter carnem. Exaltatur autem, vngitur & sanctificatur propter nos, vt per ipsum in omnes homines gratia percurrat, ipsi naturæ hominum in Christo data, sicut inquit, Sanctifico me pro eis, vt ipsi quoq; sanctificati sint. Omnia enim quæ in Christo, vt in homine sunt, in nos quoq; redundant, ideò ait: Ego sum via, per quam scilicet, gratia Dei ad nos deuenit.

Lib. 9. cap. 3. Vnxit ipsum Pater, vt per ipsum virtus vngentis ad nos vsq; peruueniret. In primo enim Christo natura humana reparata est, & diuinarum gratiarum dona, quæ nobis concessa sunt, in ipso & per ipsum vt hominem sunt, & ab ipso vt Deo, Deus enim fuit in carne.

Lib. 10. cap. 2. Omnis gratia in Christo abundantissimè permanet, vt inde ad nos propter similitudinem transfundatur, omnes enim sumus similes ipsi vt homini.

Cap. 9. cum inquit, Glorifica me, Ioh. 17. non sibi à Patre gloriam petebat, qua sicut natura Deus non indigebat, sed paternam gloriam, in hominem, quem assumsit, petendo vt homo traducit, omnia enim in ipso & per ipsum bona consecuti sumus.

Idem lib. 5. dialogorum: Natura humana initio creata erat, vt particeps esset spiritus & ad imaginem Dei. Sed per peccatum amissus est Spiritus. Deus igitur restituturus hominem voluit alterum quodammodo generis initium exoriri Christum, vt in ipso maneret Spiritus, ideo Deus simul & homo.

Idem in explicatione anathematismi 11. Christi corpus, quia est corpus vitæ, viuificum est, Nam per hoc mortalibus nostris corporibus largitur vitam, & mortis euacuat imperium.

De incarnatione Vnigeniti cap. 1. Verbum factum est homo, vt in ipso innocentiæ laudibus natura hominis rursus coronata Spiritu Sancto ditaretur, non discessuro iam sicut in Adamo,

Adamo, ſed manſuro in noſtra natura, ac ſic reformaretur ad Deum per ſanctificationem. Tranſit enim ad nos quoq; gratia accepta in Chriſto, quia in nobis primogenitus eſt, & quaſi ſecundum primordium generis noſtri.

Apud Hilarium lib. 8. de Trinitate Arriani contendunt, Chriſtum hominem ſeu ſecundum humanam naturam eſſe in credentibus, atq; vnum cum credentibus, non naturaliter, ſed efficacia tantum, obſequio & voluntate religionis, vt ſcilicet eo liberius fingere poſſent, Filium Dei eodem modo non naturaliter & ſubſtantialiter eſſe in Patre, atq; vnum cum Patre. Hilarius verò multa grauiſsima argumenta, ex hac doctrina Arrianis opponit, ac inter cætera inquit, Interrogo, vtrum ne per naturæ veritatem hodiè Chriſtus in nobis ſit, an verò tantum per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum caro factum eſt, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ inſeparabilem ſibi homo natus aſſumſit, & naturam carnis ſuæ, ad naturam æternitatis, ſub Sacramento nobis communicandæ carnis, admiſcuit? Item, Ipſius Domini profeſsione & fide noſtra verè caro eſt & verè ſanguis, Et hæc accepta atq; hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Eſt ergo ipſe in nobis per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc, quod nos ſumus, in Deo eſt. Ille igitur eſt in Patre per naturam Diuinitatis, nos in eo per corporalem eius natiuitatem, ille rurſus in nobis per Sacramentorum myſterium: Item, Quod autem naturaliter in nobis permaneat, ipſe teſtatur: Qui edit carnem meam, in me manet & ego in ipſo. Item, dicit ſe viuere per Patrem, & quomodo ipſe per Patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuemus. Et mox: Hæc ergo vitæ noſtræ cauſa eſt, quod Chriſtum in nobis carnalibus per carnem manentem habemus, Si ergo nos ſecundum carnem per eum viuimus, & naturam carnis eius adepti, quomodo non naturaliter ſecundum Spiritum in ſe Patrem habeat, cum viuat ipſe per Patrem? Lib. 9. de Trinitate, Vt per corpoream aſſumtionem ei tanquam in vite,

modo palmitis ineſſemus, fructum nobis vt palmitibus, niſi ille vitis eſſet effectus, non daturus.

Chryſoſtomus homilia 83. in Matth. dicit: Credentes totum Chriſtum in ſe habere, atq; ideò in Euchariſtia corpus ipſius nobis proponi, vt illud recipiamus. Ibidem: Nos ſecum in vnam (vt ita dicam) maſſam reducit, per eſcam quam in Cœna nobis largitur, neque id fide ſolum, ſed reipſa corpus nos ſuum efficit. Hom. 61. ad Antiochenos dicit: Nos non ſolum fide & dilectione, ſed reipſa miſceri corpori Chriſti. Et Hom. 53. in Matthæum dicit: Ideò & ita nos Corpus Chriſti in cœna manducare, vt ipſum totum in nobis habeamus.

Baſilius in ſanctam Natiuitatem: Vniuit ſibi humanitatem, vt per carnem ſuam nobis cognatam, ad ſeipſum humanum genus reducat: Item, Propter te homo natus eſt, vt tu per cognatum purgeris.

Euſebius demonſtrat. lib. 4. cap. 13. Sanat genus humanum δι' ὀργάνου ἀνθρωπίνου per organon humanum, & tanquam optimus medicus συγγνώμῃ καὶ καταλλήλῳ βοηθήματι. Hoc eſt, tali ratione iuuandi, quæ propter cognationem nobis accommodata & conueniens eſt.

Ambroſius de fide contra Arrianos cap. 8. Cum hominem induit, non ſubſtantiam mutauit, ſed illuuias eiuſdem corporis, æternæ claritatis ſuæ lumine illuſtrauit, Vt ad nos per tramitem corporis eius, lux Sancti Spiritus, & æternæ vitæ gratia redundaret.

In 1. Caput ad Heb. Vnctus præ participibus: Hanc benedictionem ſupra omne genus humanum agnoſcitur accepiſſe, Vt vnctus ſingulariter, cæteros vngat, In illo enim fons benedictionis, prout ipſi viſum fuerit, per vniuerſos electos competenter emanat.

Irenæus lib. 4. cap. 37. In carnem Domini occurrit paterna lux, vt à carne eius rutila veniat ad nos, & ſic homo deueniat in incorruptelam.

Athana-

Athanasius Sermo. 4. contra Arrianos, exponens illud, Data mihi omnis potestas, inquit, quæ merus homo accipit, possunt ei eripi, vt Adamo. Vt igitur gratia & donatio firma maneret, Ideò dicit, se potestatem accepisse, vt hominem, quam semper habuit, vt Deus, Vt carne eius in ipso accipiente, ea ex carne illius in nos firmiter posidenda traderentur.

In 6. Synodo citatur Cyrilli sententia: Natura humana in Christo ad meliorem quendam & diuiniorem statum transmutata est. In primo autem Christo hæc inerant, & non aliter, vt etiam ad nos ipsos sanatio transiret.

Citatur etiam Athanasij sententia, Actione 14. Passiones carnis, peccatum & mors victa sunt in carne Christi, vt omnis natura humana per cognationem beneficium accipiat.

Ita Cyprianus de Natiuitate, Defectu nostræ carnis, ex Christi carne redditur fortitudo.

Ex hisce antiquitatis testimonijs & ex alijs, quæ in libello de Cœna annotauimus, manifestum est, Patres quidem sentire, corporalem præsentiam Christi secundum carnem, hoc est, quæ visibilis, sensibilis & localis est, secundum naturales corporis proprietates, & iuxta rationem huius seculi iam ex hoc mundo, Ordinaria dispensatione subductam, Sed nihilominus alio cœlesti ac supernaturali modo, Christum cum assumta sua natura, adesse in actione cœnæ Dominicæ, Et in Ecclesia sua, singulis membris, adhuc in his terris sub cruce militantibus. Monent etiam Veterum illæ sententiæ, quod non ociosa debeat esse concertatio, de præsentia integræ personæ Christi in Ecclesia, secundum vtramq; naturam, Sed considerandum est, quam vtiles, iucundæ ac dulces consolationes inde oriantur, & petantur, Quod Filius Dei, Ecclesiæ suæ, quæ in his terris, in magna carnis infirmitate, inter varia mundi scandala, ac atroces Sathanæ insidias, in multis tentationibus ac tribulationibus, sub cruce militat, adesse velit, non tantum diuina, verumetiam assumpta illa sua humana natura, qua nobis consubstantialis, cognatus & frater noster est, & nos sumus membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Quodq; illam etiam na-

turam adhibere velit, quando in officijs Saluatoris, nobiſcum agit, & in nobis operatur, vt gratiam ac beneficia ſua nobis conferat. Neque enim virtus, gratia, efficacia, merita & beneficia Chriſti, extra ipſius perſonam, & ſine ea, etiamſi ipſe non adſit, credentibus communicantur, imò ſicut Aduerſarij ipſi fatentur, Chriſtum ipſum ante omnia nobis donari, & noſtrum fieri, nobis adeſſe, ac nobiſcum coniungi oportet, vt ita ex ipſo, in ipſo, & per ipſum, impleamur in omnem plenitudinem Dei, Eph. 3. Non autem diuina natura Chriſti medium eſt, per quod humana ipſius natura ſe nobis communicet, vt ipſi coniungamur, Sed ſicut Veterum ſententijs oſtendimus, cum natura noſtra à gratia, vita & ſalute, quæ eſt in diuina natura, per peccatum diuiſa & abalienata eſſet, ita vt nudam Diuinitatem, ſecum in iudicio diuino agentem, non melius ferre poſſet, quam ſtipula ignem conſumentem, Filius igitur Dei Mediator, naturam nobis, excepto peccato cognatam & conſubſtantialem, hypoſtatica vnione ſibi copulauit, vt Diuinitas cum illa, & per illam, qua frater noſter eſt, non tantum ſalutem nobis promereretur, verumetiam nobiſcum ageret, & diuina ſaluationis beneficia nobis communicaret. Cumq; fidei noſtræ infirmitas onere carnis depreſſa, in hac vita non poſsit ſecreta cœlorum conſcendere & perluſtrare, Chriſtus ipſe ad nos venit, Eccleſiæ ſuæ totus adeſt, & tanquam caput membris ſuis in terra militantibus, ſe coniungit, in illa, cum illa, & per illam naturam, qua frater noſter, cognatus & conſubſtantialis nobis eſt, vt hoc modo ad communionem & conſortium diuinæ naturæ nos perducat. Et quàm dulcis conſolatio ſit, quòd Filius Dei Saluator noſter, non nuda ſua Diuinitate, ſed in illa, cum illa, & per illam naturam, qua tanquam caput membris cognatus & conſubſtantialis eſt, nobis ſe coniungat & nobiſcum agat, ex his quæ dicta ſunt conſideretur. Veteres corpus & ſanguinem Domini, quæ in Cœna Dominica exhibentur & accipiuntur, ſuauiſsimè vocant ἀντίτυπα. Vt enim certi ſimus, ea quæ Chriſtus corpore & ſanguine ſuo nobis promeruit, certo nobis donari, & ex illa plenitudine, quæ in aſſumta humana natura Chriſti perſonaliter inhabitat, nos certò ea, quæ ad ſa-

lutem

lutem noſtram pertinent, accipere, & contra omnes inferorum portas retinere poſſe, Filius Dei tradit nobis illud ipſum corpus & ſanguinem, cuius traditione & effuſione, beneficia ſalutis nobis promeruit, & illa ipſa ſubſtantia ſe nobis coniungit, in qua tota plenitudo Diuinitatis inhabitat corporaliter: Hic arrhabo præſtantiſsimus & certiſsimus eſt noſtræ glorificationis. Quomodo enim fieri poſſet, vt membra perpetuò hiſce miſerijs obnoxia relinquerentur, cum caput noſtrum, ea natura, qua nobis cognatus & conſubſtantialis eſt, quæ iam eſt in gloria Patris, in huius vitæ miſerijs ſe nobis arctiſsimè coniungat? Hæc, quæ ſunt pleniſsima conſolationis, eneruantur & prorſus tolluntur, ſi ſubſtantia humanæ naturæ in Chriſto à Cœna Dominica, quæ in Eccleſia in terris celebratur, remoueatur, & excludatur. Nec opus eſt excogitare alios concinnos modos communicationis, cum ipſe Filius Dei modum hactenus definierit, dicens: Id, quod ore noſtro in Cœna Dominica ſuminus, eſſe ſuum corpus & ſuum ſanguinem. Hæc opponantur illis, qui clamitant, nullius vſus eſſe ſubſtantialem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna, cum gratia & virtus illius, per ſolam Diuinitatem rectius & commodius nobis communicari poſsit.

Inter Scholaſticos enim Scriptores plerique diſputant, humanam naturam in Chriſto, tantum habere rationem meriti, Nec noſtris temporibus deſunt, qui opinantur, vſum aſſumptæ naturæ in Chriſto tunc tantum fuiſſe, quando Filius Dei per ipſius exinanitionem, obœdientiam ac paſsionem, mortem deſtruxit, vitam reduxit, & æternam redemptionem inuenit. Exiſtimant enim merita Chriſti ab ipſius perſona ita ſeparata eſſe, vt per Spiritum Sanctum conferri poſsint credentibus, etiamſi perſona Chriſti non adſit, vel ſolius Diuinæ naturæ in Chriſto præſentia, operatione & efficacia, applicationem meritorum Chriſti, ac reliqua officij eius beneficia conferri, ſine communione alterius naturæ.

Fingunt igitur, humanam naturam in Chriſto, munere illo ſuo, propter quod aſſumta fuerat, tunc prorſus defunctam fu-

isse, quando in cruce dixit, Consummatum est. Ita vt nunc post exaltationem, Filius Dei in regno suo, assumptam suam humanitatem prorsus non adhibeat, ad operationes illas saluationis exercendas, expediendas seu perficiendas, quas in officio suo tanquam Messias, Rex, Sacerdos, ac caput nostrum in Ecclesia in credentibus nunc operatur. Sed Diuinam naturam Filij, iam post ascensionem, per se solam, non adhibita ad hoc assumpta natura, omnia illa, quæ ad officium Messiæ pertinent, in Ecclesia administrare & peragere, vel Christum secundum vnam tantum naturam, Diuinam scilicet, absque communione, cooperatione, & efficacia alterius assumtæ naturæ, ea, quæ ad officia Christi in Ecclesia pertinent, operari & efficere, Assumtam verò humanam naturam, iam post exaltationem, quod ad Messiæ officia in Ecclesia in terris militante, administranda, exercenda & efficienda attinet, ociosam in cœlis sedere, ac sua tantum gloria perfrui, eamq; beatis spiritibus ostentare. Hoc tantum ipsam in passione meruisse, vt iam Diuina natura, per se sola, in regno Christi omnia agat, non adhibita ad hoc assumpta humanitate, sed absque eius communione & cooperatione, Ecclesiæ sola Diuinitas adsit, Credentes iustificet, viuificet, & reliqua saluationis beneficia præstet & impleat. Ita quidam propositionem Ephesini Concilij, Quod Caro Christi viuificet, eludunt, Quod scilicet, Caro Christi, sua passione ac morte in Cruce hoc tantum meruerit, vt destructa morte, vita restitueretur, vtqúe iam sola Diuinitas, absque communicatione & cooperatione humanitatis, credentes viuificet. Sed Ephesini Patres ex scriptura definiunt: Carnem Christi propter vnionem cum Diuina natura, quæ est ipsa vita, esse viuificam seu viuificatricem, ζωόποιον, & habere virtutem seu vim viuificandi, quam in vsu Cœnæ Dominicæ, & in credentibus exerat, ac manducantes viuificet, sicut ferrum ignitum habet vim vrendi, ac vrit, sicut in præcedentibus explicatum est.

Hæ verò opiniones inde oriuntur, Quod humana natura in Christo, tantum in meris physicis terminis consideratur, ad

quæ

quæ ſcilicet, & in quantum, eſſentiales ſeu naturales eius proprietates & facultates ſe extendunt.

CAPVT XXXII.

Quod & quomodo doctrina de Exaltatione humanæ naturæ in Chriſto, ita tradi poſsit, atq; ita intelligi debeat, vt veritas humanæ naturæ in ipſo ſalua maneat. Quodq; ſub prætextu veritatis corporis, non ſint neganda ea, quæ de prærogatiuis carnis Chriſti, manifeſta habent in Scriptura teſtimonia.

AD ea, quæ hactenus dicta ſunt, addenda eſt vtilis & neceſſaria hæc commonefactio, Quomodo doctrina hæc, de exaltatione & prærogatiuis Humanæ naturæ in Chriſto, ita tradenda & accipienda ſit, ne veritas humanæ naturæ, & eſſentialium eius idiomatum, vel tollatur, vel negetur. Fuerunt enim omnibus temporibus, qui exiſtimarunt, non poſſe ſimul conſiſtere excellentiſsimam illam exaltationem humanæ naturæ in Chriſto, ſicut eam in verbo Dei deſcribi hactenus oſtendimus, & veritatem ſubſtantiæ atq; eſſentialium proprietatum humanæ naturæ, ideo quidam, cum plurima illa perſpicua ſcripturæ teſtimonia, de exaltatione humanæ naturæ in Chriſto, negare non poſſent, maluerunt veritatem ſubſtantiæ, & eſſentialium proprietatum humanæ naturæ in ipſo negare. Finxerunt igitur

eam

eam per exaltationem prorsus in aliam, & à nostra diuersam essentiam, mutatam esse, quæ non sit eius naturæ, & eius proprietatis, etiam peccato excepto, sicut sunt essentialia Idiomata nostræ naturæ. Ita Iustinus dicit quosdam docuisse, Carnem in Christo, mutatam esse in Diuinam quandam essentiam & naturam.

Et Valentiniani finxerunt, assumtam naturam in Christo, non esse humanæ, sed cœlestis cuiusdam substantiæ & naturæ. Origenes, sicut Hieronymus ad Pammachium errorem illum recitat, quia legebat, Christum cum suo corpore ambulasse super vndas maris, Matth. 14. Ingressum esse ianuis clausis, Iohan. 20. ab oculis euanuisse, Luc. 24. Existimauit hæc non posse consistere, cum veritate humanæ naturæ, finxit igitur, Corpus Christi non fuisse nostræ naturæ & substantiæ, excepto peccato, sed fuisse spirituale, æthereum, aut aëreum, quod nec tactui subiaceat, nec oculis cernatur, nec pondere prægrauetur. Et tale etiam corpus dixit, nobis in resurrectione promitti, in quo soliditas carnium, sanguinis liquor, crassitudo neruorum, venarumq; perplexio, & ossium durities, denegetur, quod non oculis videat, auribus audiat, pedibus ambulet, sed totum videat, totum audiat, totum ambulet. Sed Hieronymus Origenicum illud commentum acriter refutat, & inter cætera inquit: Hæc est vera resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, vt non auferat veritatem. Item, fidem Ecclesiæ apertissimè confitebor, Resurrectionis veritas catholica, sine carne & ossibus, sine sanguine & membris, intelligi non potest.

Athanasius in Epistola ad Epictetum, dicit: Quosdam finxisse λόγον, non ex humana massa, sed ex sua natura, corpus sibi finxisse, cuius caro non fuerit ἐνδεὴς mortis, sed fuerit naturæ & substantiæ immortalis.

Hilarius etiam de Trinit. lib. 10. Hoc argumento fallitur, Quia corpus Domini calcat vndas, & non degrauatur, penetrat solida, nec clausæ domus obstaculis arcetur, quæ sunt præter atq; adeo contra naturam nostrorum corporum, Ideò cogitat, Assumtum corpus λόγου, non esse nostræ naturæ, sed propriæ ac

suæ

suæ (ita enim loquimur,) in quo etiam tempore exinanitionis, nullæ infirmitas, & nullus dolor reuera locum habere potuerint.

Euagrius etiam lib. 4. capit. penultimo Historiæ Ecclesiasticæ, recitat edictum Iustiniani, Ecclesijs obtrusum, in quo asseritur, Corpus Domini & ante & post resurrectionem fuisse ἀνεπίδεκτον πάθῶν φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν, non fuisse susceptiuum naturalium passionum, etiam quæ sine peccato sunt. Sed hoc commentum acriter refutatum fuit à Scriptoribus Ecclesiasticis.

In 6. vniuersali Synodo, recitatur & damnatur hæc Seueri hæretici sententia: Si λόγῳ transformauit eam, quam sibi secundum substantiam vniuit humanitatem, non ergo illa in propria natura mansit hoc quod erat. Et actione 13. pronunciatur hæc Theodori sententia hæretica: Nostra anima non est talis virtutis, vt naturales proprietates & à corpore, & à semet expellat, & quæ circa corpus sunt, & ei insita, vt molem, fluxum, colorem, quæ omnia in dispensatione Christi conscripta & facta sunt, in illo Diuino & viuifico corpore. Nam absq; mole, & vt ita dicam incorporaliter, ἄνευ διασολῆς sine distractione & diuisione, de vulua & sepulchro processit, super mare ambulauit, ab oculis euanuit. Sensit igitur Theodorus iste, Quia Christus cum corpore suo super mare ambulauit, clausis ianuis ingressus est, ab oculis euanuit, &c. Ideò corpus illud per vnionem ita mutatum esse, quod iam in se, & secundum se naturæ suæ conditione & constitutione sit substantia quasi incorporea, σῶμα ὥσει ἀσώματον, corpus quasi incorporeum, sine mole, sine pondere, sine colore, sine lineamentis, & sine physico veri corporis modo, nisi in quantum externam talem figuram, sine rei veritate gesserit, Sicut ibidem Euphemius patriarcha Antiochenus talem hæreticorum obiectionem recitat: Humanam naturam in Christo, habuisse quidem pedes, sed illos pedes non habuisse proprietates humanæ naturæ eò, quod Christus pedester ambularit super fluctus maris, quod cum proprietate pedum humanorum pugnat.

Sed contra illas opiniones, verâ Ecclesia ex Verbo Dei defendit veritatem substantiæ, & essentialium proprietatum humanæ naturæ in Christo, saluam manere, sicut in principio, cum de humana natura in Christo ageremus, pluribus hæc sunt explicata, Et rationem, Cur hæc sententia defendenda sit, Veteres reddiderunt grauissimam, sicut Cyrillus in oratione quadam, contra libidinosos indicat, Si carne Christi in Deitatis naturam mutata, desinit esse Filius hominis, manifestum fuerit omni, quod inde sequitur, Nos ex adoptionis gloria reiectos esse, veluti non habeamus amplius primogenitum inter multos fratres. Hæc Cyrilli sententia extat in Actis 2. Nycenæ Synodi.

Tertullianus etiam de Resurrectione carnis dicit: Christum esse sequestrem Dei atq; hominum, ex vtriusque partis deposito sibi commisso, Et addit: Carnis quoq; depositum seruat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodū enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, Ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summæ illuc quandoq; redigendæ, Securæ estote caro & sanguis, vsurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo. Illi igitur hoc modo errarunt, qui propter exaltationem & glorificationem humanæ naturæ in Christo, veritatem eius sustulerunt.

Alij verò contraria via ingressi, quando Scriptura de corpore Christi aliquid prædicat, quod videtur esse, præter aut contra naturam, illud isti, propter retinendam veritatem humanæ naturæ in Christo, vel negant, vel deprauant, vel eludunt; eò quod humana ratio iudicet hæc duo non posse simul consistere veritatem scilicet humanæ naturæ, & ea, quæ scriptura magnificè prædicat, τὸν λόγον propter hypostaticam vnionem, in humana, cum humana, & per assumptam humanam suam naturam, vltra, præter, aut etiam contra naturales eius conditiones, sicut Augustinus loquitur, agere, operari & efficere, vt Christum cum suo corpore ambulasse super aquas maris, ex Euangelica historia certum est. Certum etiam est, illud non esse sine miraculo factum. Illi verò, ne luce verbi Dei adigantur,

huma-

humanæ naturæ in Christo, aliquid quod naturalibus ipsius conditionibus non conuenit, tribuere, anxiè laborant, Quomodo miraculum illius ambulationis, in aqua potius creatura inanimata, ponere possint, quam in corpore Christi, quod plenum est virtute omnipotentis Verbi, quodq; super omnes creaturas, per hypostaticam vnionem euectum est.

Ita in historia de ingressu Christi ad discipulos ianuis clausis, varia quærunt subterfugia. Vt enim in ingressu illo, corpori Christi nihil præter naturam accidisse obtineant, quidam fingunt esse tantum notationem temporis vespertini, quando ianuæ solent claudi, & tunc Christum venisse, & pulsatis atque reseratis foribus intromissum esse. Quod est contra historiæ fidem, & simpliciter contra omnia totius antiquitatis testimonia.

Alij per formam parietis, Christum furtim irrepsisse fingunt, vel ianuam præter naturam insensibiliter in momento apertam & clausam fuisse, aut in momento in nihilum redactam, & rursus restitutam, Adeò malunt, potentiam Dei in lignis, in lapidibus aliquid præter naturam efficere posse, quam in illo corpore, in quo tota plenitudo Diuinitatis habitat, Quodq; totam Verbi omnipotentis virtutem & operationem susceptit & possidet, sicut Cyrillus loquitur.

Alij per ἀλλοίωσιν Scripturæ testimonia eludunt. Ea enim quæ de humana Christi natura dicta sunt, ipsi de Diuina interpretantur, vt cum Christus Iohan. 5. & 6. affirmat, Carnem suam esse viuificam, ipsi contendunt, hoc non de carne Christi, sed de sola eius Diuinitate intelligendum, Ita quando Christus dicit: Hoc est corpus meum, contendunt, verba per tropum esse transformanda, Ideò, quod proprius verborum sensus non possit stare cum veritate corporis Christi. Existimant enim veritatem humanæ naturæ in Christo necessario hoc requirere, vt ne per Dei quidem potentiam, verbo ipsius affirmante, aliquid possit & agat, quod sit præter & contra naturales ipsius conditiones.

Sed audiamus quid vetus Ecclesia de hac controuersia senserit. Hieronymus certè magna vehementia veritatem humanæ naturæ contra Origenis commentum defendit. Audi verò quomodo historias illas exponat, De ambulatione Christi super mare, de ingressu eius ianuis clausis, de euanescētia ab oculis, &c. Num igitur contendit, illa facta esse naturali more modoq? Certè disertè fatetur, illa esse non tantum vltra & præter, sed contra naturam solidorum & grauiorum corporum, Num verò censet ideò negari & tolli veritatem corporis? Minimè, sed defendit illa, licet sint contra naturam, tamen facta esse sine transmutatione naturæ corporis Christi, per Dei virtutem. Num verò miraculum illud virtutis Dei alibi ponit, quam in ipso vero corpore Christi? vt scilicet in corpore Christi nihil aliud factum putetur, quam quod est secundum naturam? Nequaquam. Sed ad Pammachium inquit: Quod ab oculis repentè euanuit, Virtus Dei est, non vmbræ aut phantasmatis. Alioquin & ante resurrectione in Nazareth transiuit per medios, id est, elapsus est de manibus ipsorum. Nunquid iuxta Marcionem dicemus, factum in phantasmate, quia contra naturam, qui tenebatur elapsus est. Item, quod clausis ingressus est ostijs, eiusdē virtutis est, cuius & ex oculis euanescere. Item, in Epitaphio Paulæ, quærit, Quomodo clausis ingressus est ianuis, contra naturam solidorum corporum? Respondet autem: Et contra naturam grauiorum corporum, ante resurrectionem super mare ambulauit. Non tamen ideò corpus fuit spirituale seu aëreum, cum potentia magis & virtus Dei ostendatur, quando aliquid fit contra naturam. Vtq; scias non naturæ mutationem, sed Dei omnipotentiam demonstrari, etiam Petrus, iubente Domino, super aquas pendulo incessit gradu, & cœpit mergi.

Ita Augustinus strenuè defendit, verum humanum corpus fuisse, quod super aquas ambulauit, & per clausa ostia intrauit. Non autem quærit concinnas elusiones, & ambulatio illa, & ingressus ille, naturali aliquo modo, quod ad corpus Christi attinet, facta putentur, sed dicit, Non esse proprium carnis, Naturæ lege hoc non permitti, Esse contra naturam huius corporis. Quomodo igitur censet, manente in Christo veritate

humanæ

humanæ naturæ, in illa, cum illa, & per illam aliquid tradente ſcriptura, fieri poſſe, quod ſit contra naturam, contra proprietates, & contra Legem naturæ? Reſpondet, Si ſolus homo eſſet, qui hoc fecit, mirum eſſet, Sed ſi cogitaueris Deum & hominem eſſe, mirari deſines. Omnia enim poſsibilia ſunt Deo, qui de corpore ſuo facit, quicquid vult, & tamen manet corpus. Qui omnipotentia ſua efficere poteſt, vt paululum ceſſet Lex naturæ, recedat paulliſper modus & pondus corporis. Et tamen manere veritatem corporis inde conſtat. Nam & Petro hoc donum dedit, qui tamen incipit mergi, Vt videas ſimul adeſſe & proprietates corporis, & donum contrarium illis. Hæc ſunt Auguſtini verba, cuius integras ſententias ſupra adſcripſimus.

Ambroſius etiam & Chryſoſtomus, miraculum illud non ponunt in ianuis, quaſi diuina potentia talequid præter naturam in ianuis effecerit, vt Chriſti corpus, iuxta naturales ſuas proprietates ingredi poſſet. Nec tamen ideò iudicant neceſſe fuiſſe, vt corpus Chriſti amiſſa ſubſtantiæ ſuæ veritate, in Spiritum redigeretur, vt poſſet ianuis clauſis ingredi. Sed hoc dicunt, eſſe incomprehenſibile miraculum, quod manente veritate corporis Chriſti, & compage ianuarum manente clauſa & inoffenſa, veniat & ſtet in medio virtute ſuæ omnipotentiæ, cum illo ſuo corpore, de quo mox dicit, Palpate & videte carnem & oſſa.

Atque ex ambulatione Chriſti ſuper vndas, ſimpliciter & rectè hoc intelligi poteſt. Si enim aqua fuiſſet incraſſata & ſolidata, certè non eſt miraculum, quando corpus humanum ambulat ſuper aquam, frigore induratam & congelatam. Vel ſi corpus redactum fuiſſet in ſubtilitatem, tenuitatem, & leuitatem aëream, iterum nullum eſſet miraculum, corpus leue ferri ſuper vndas aquarum, Vt, quando nebula ventis agitata fertur ſuper aquas. Sed hoc magnum eſt miraculum, quod Chriſtus etiam ante Reſurrectionem, cum corpore ſuo ambulat ſuper vndas maris, corpore habente & retinente naturales ſuas proprietates, quod ſcilicet eſt ſolidum & graue corpus, & vndis maris exiſtentibus & manentibus liquidis & fluxis. Vtrumque

enim fuisse & in corpore & in Mari, illud ostendit, quod Petrus incipit mergi. Non itaque tollitur veritas substantiæ humanæ naturæ in Christo, si in accidentibus etiam illis, quæ Lege naturæ sunt inseparabilia, & immutabilia, per Diuinam omnipotentiam aliquid fiat, quod sit non tantum vltra & præter, verumetiam contra Legem naturæ. Ita etiam Amphilochius apud Theodoretum inquit: Christus corpore suo ingrediens ianuis clausis, ostendit, illud non esse τοῦτο, quia verò præbet illud palpandum, ostendit esse τοῦτο.

Apud illos sanè, qui solam humanam rationem in consilium adhibent, & vsitatum naturæ ordinem inspiciunt, ac assumtam humanam naturam in Christo, tantum in terminis physicis, & iuxta solas essentiales seu naturales proprietates considerant, aliquam speciem habet argumentum illud, Quia veritas humanæ naturæ in Christo retinēda est, Ideò Christum, in & cum suo corpore, seu per suum corpus, non facere aliquid, quod sit contra naturam. Sed ex scriptura certum est, Deum sua omnipotentia, talia multa & posse & facere in alijs creaturis, quibus tantum generali præsentia adest, vt scilicet, volente Deo, multa in illis fiant, non tantum præter, verumetiam contra Legem & ordinem naturæ, substantia tamen creaturarum, nec mutata nec destructa. Ita Asina Bileam loquitur. Aquæ maris & Iordanis in cumulum collectæ, sine obice consistunt. Sol stat, Vmbra retrocedit, Sol regreditur, Ferrum natat in aqua &c. Et consideretur quæso hoc exemplum, Ignem ardentem vrere, adeò est naturale, vt non tam accidentalis, quam essentialis proprietas videatur, Et tamen Dei omnipotentia potest efficere, vt ignis ardentissimus, in medio sui complectens trium puerorum corpora, Dan. 3. non adurat illa. Et tamē essentia ignis manet, ac proprietates suas retinet. Idem enim ignis, non tātum ligna, sed & circumstantium corpora, quæ remotius absunt, exurit. Quæ igitur insania est, contendere, omnipotentiam Dei, salua naturæ veritate, non posse, quando vult, aliquid facere, quod sit vltra, præter & contra naturam, in illo corpore, & cum illo corpore, in quo tota plenitudo Diuinitatis habitat corporaliter, quod

totam

totam virtutem & vniuersam operationem Diuinitatis Verbi, iuxta Cyrillum, susceptit & possidet.

Obseruanda autem est, sophistica illa multis iam vsurpata. Quando enim coguntur concedere, Christum in operibus seu actionibus ad officium suum pertinentibus, in Ecclesia, secundum vtramq; naturam operari, aut vnam naturam agere cum communicatione alterius, Addunt hanc clausulam, Seruata cuiusq; naturæ proprietate, Quod verum est, si ita intelligatur, Saluam manere assumtæ naturæ veritatem, & essentiales eius proprietates, licet ex hypostatica vnione, in illis actionibus efficaciam habeat supernaturalem. Sed illi ita intelligunt, quasi assumta Christi natura, in actionibus illis officij Christi, nihil vel aliud, vel amplius cooperetur, quàm quantum essentiales seu naturales eius proprietates possunt, ferunt & admittunt. Quod falsum esse in præcedentibus ostendimus.

Sit itaq; hæc prima demonstratio, quam neminem, qui primis fidei rudimentis imbutus est, negaturum arbitror, veritatem scilicet humanæ naturæ, non ita in angustum redigere Diuinam omnipotentiam, vt Filius Dei, quando vult, non possit in & cum suo corpore, seu per suum corpus, salua substantiæ eius veritate, aliquid facere, quod sit vltra, præter, aut etiam contra naturales & vsitatas humani corporis conditiones.

Sed alia iam est quæstio: Quæ illa ὑπὲρφύσικα vel ἀντιφυσικὰ sint, quæ propter hypostaticam vnionem & diuinam potentiam, de Christi corpore, salua substantiæ eius veritate, credere & asseuerare debeamus. Fuerunt enim quidam, qui à possibili ad inesse, quiduis sine scripturæ testimonio, ex suis speculationibus, de corpore Christi finxerunt, eò, quod diuinæ Filij Dei potentiæ nihil sit impossibile, sicut paulò antè, aliquot tales phanaticorum opiniones recitauimus. Alij verò, ex humani ingenij captu, & ex naturali corporum capacitate metiuntur, quid & quantum in humana natura Christi, salua eius veritate fieri possit, quid sit vltra, præter, vel contra naturam. Atq; hi, quando legunt, scripturam tale quid de corpore Christi prædicare, quod quomodo, salua substantiæ eius veritate, fieri, ita sicut verba sonant, possit, suis cogitationibus non possunt assequi,

qui, statim à verborum proprietate resiliunt, & illis talem sensum obtrudunt, de quo humani ingenij capacitate rationem reddere possint, quod non pugnet cum veritate substantiæ humanæ naturæ. In hac ergò controuersia, Omnino opus est, vera, certa, firma, & infallibili regula, quæ fidem moderetur & dirigat, ne vel ad dexteram, vel ad sinistram aberret. Talis autem regula non est, si absq; scripturæ testimonio, argumentemur à potentia Dei absoluta, siue à possibili ad inesse, nostro arbitratu quiduis de corpore Christi imaginemur. Scriptum enim est, Omnia quæcunq; voluit, fecit. Posset Deus, sicut Tertullianus inquit, hominem volatilem facere, sed non ideò facit, quia potest. Idem inquit: Deo nihil impossibile est, nisi quod non vult. Neq; illa Regula certa, firma, vera, & tuta erit, si diuinam potentiam, præsertim, quando de corpore Christi quæstio est, ex physica humanæ naturæ capacitate, & ex ingenij nostri captu metiamur. Sed vnicus certissimus Canon, vna verissima, firmissima, & tutissima regula est, verbum Dei. Ipse enim omnium optimè & certissimè nouit, quid, & quantum, in, & cum humana Christi natura, seu per eam, salua substantiæ eius veritate, fieri possit. Et de abscondita quidem voluntate, ac absoluta potentia Dei, non decet nos esse sollicitos. Quantum verò de sua voluntate & potentia, in hac vita nos scire vtile & necessarium iudicauit, in verbo nobis patefecit. Quando igitur habemus scripturæ testimonium, quo de corpore seu de humana natura Christi aliquid prædicat, etiamsi illud sit vltra, præter & contra naturam, Non ideò timendum est, ne veritas humanæ naturæ in Christo tollatur, si scripturæ credamus, etiamsi non intelligamus, quomodo salua veritate corporis illud fieri possit. Nec prætextu veritatis humanæ naturæ, à manifestis scripturæ verbis discedendum est, & quærendæ concinnæ elusiones, quomodo verba scripturæ ita contorqueri possint, ne humanæ naturæ in Christo aliquid, sicut verba scripturæ sonant, quod vltra, præter aut contra naturam sit, tribuere cogamur. Ipse enim, qui voluntatem suam in verbo nobis patefecit, omnium optimè nouit, quid & quantum, in & cum assumto suo corpore, seu per illud, salua substantia & veritate eius, facere

velit

velit & posſit. Tunc igitur, quando habemus verbi Dei testimonia, quæ aliquid prædicant de humana natura in Christo, quod est præter & contra naturam, & quando talia testimonia eluduntur hoc prætextu, quasi salua veritate humanæ naturæ, illud fieri non posſit, Tunc inquam, de illis, quæ habent scripturæ testimonium, vtimur hisce argumentis, ab vnione hypostatica & immensa potentia Dei. Hoc modo Deus, Scriptura tradente, quando vult, multa potest & facit in alijs creaturis, quæ sunt contra naturam, Citra tamen substantiæ earum mutationem & destructionem, Ergo multo facilius, certius & verius, ea quæ scriptura de humana natura in Christo affirmat, facere potest, salua eius veritate, etiamsi sint vel præter vel contra naturam. Cum enim humanitas illa, personaliter vnita sit Filio Dei, & exaltata super omne nomen, accepta omni potestate in cœlo & in terra, Credimus igitur scripturæ affirmanti de corpore Christi, quod maius est, scilicet carnem Christi esse viuificam, Cur igitur eidem scripturæ, quod minus est affirmanti, non credamus, Posse scilicet Christum suo corpore simul & in cœlo esse, & in cœna sua, quia dixit: Hoc est corpus meum.

Duplicia igitur sunt de humana natura in Christo, scripturæ testimonia. Quædam enim testantur de essentialibus seu naturalibus ipsius proprietatibus & conditionibus, quædam vero loquuntur de ijs, quæ præter naturales proprietates ex hypostatica vnione ipsi accesserunt. Non autem illis tantũ scripturæ testimonijs credamus, quæ de humana natura in Christo ea tradunt, quæ ad physicas proprietates quadrant, Sed quando habemus Scripturæ testimonium, tribuens humanæ naturæ in Christo aliquid, quod sit vltra, præter & contra naturam, Non turbemur cornuto illo dilemmate: Vel negandum esse veritatem humanæ naturæ in Christo, vel scripturæ illa testimonia, aliter quam sonant, esse interpretanda, Ne scilicet aliquid credatur de humana natura in Christo, quod sit vel præter, vel contra naturam, Sed opponamus hoc fundamentum. Quia vtrumque est verbum Dei, Diuinam potentiam facilè posse efficere, vt & salua sit ac maneat veritas humanæ naturæ in Christo, &

nihilominus verũ ſit etiam illud, quod ſcriptura, præter & contra naturam, de humanitate Chriſti prædicat. Et ex illis, quæ in præcedentibus dicta ſunt, conſideretur, quanta impietas ſit, nolle, ſcriptura affirmante, de humana natura in Chriſto aliquid credere, quod ſit ſupra, vltra, præter, aut etiam contra naturam. Prætextum enim de veritate humanæ naturæ, quando verbum Dei habemus, non obſtare, multis & euidenter iam oſtendimus.

Et hæc quidem fundamenta, vt per ſe ſunt manifeſta & vera, ita apud omnes Eccleſiæ Filios, debebant eſſe omni exceptione maiora, & irrefragabilia. Sed ipſa ſcriptura oſtendit, quales turbas humana ratio ſub prætextu illo, de veritate humanæ naturæ in Chriſto, ſoleat, contra manifeſtam Chriſti vocem, in animis etiam credentium excitare, Vt Matth. 14. Apoſtoli vident & agnoſcunt, corpus Chriſti eſſe, quod ſuper vndas maris ambulat, Sed quia contra naturam veri corporis eſt, ſuper liquidas vndas incedere, nec poſſunt intelligere, quomodo ſalua veritate corporis illud fieri poſsit, imaginantur, non eſſe Chriſtum cum vero ſuo corpore, ſed eſſe phantaſma, quod in ſpecie illa ita appareat. Sed Chriſtus ſonora voce affirmat, Ego ſum, Et tamen Petrus, ne tunc quidem, cum habet manifeſtum verbum Chriſti, poteſt illud credere, priuſquam Chriſtus in ipſius etiam corpore oſtendat, fieri illud poſſe ſalua veritate humanæ naturæ. Reliqui verò qui in naui erant, non petierunt ſinguli tale documentum ſibi exhiberi, priuſquam credant, Sed accedentes adorant ipſum dicentes, Verè Filius Dei es. Hoc eſt, inde, quòd cum corpore ſuo facit ea, quæ ſunt præter & contra naturam, agnoſcunt ipſum verè eſſe Filium Dei, Et quia agnoſcunt & credunt, quod Filius Dei ſit, non amplius diſputant, ſalua veritate humanæ naturæ illud fieri non poſſe, ſupra modum tamen apud ſeipſos etiam poſtea mirantur, Chriſtum cum ſuo vero corpore hoc poſſe. Sed Marcus dicit, debuiſſe ipſos, niſi cor fuiſſet obduratum, ex miraculo quinq; panum intelligere, Chriſtum poſſe & quidem facile poſſe ſuo corpore hoc præſtare, cum in creatura panis, præter & contra naturam,

tam

tam insigne miraculum paulò ante feciſſet. Ab vno enim miraculo argumentari ad aliud in illis, de quibus verbum Chriſti habemus, Marcus clariſsimè hac ſententia docet.

Et tamen illi ipſi Apoſtoli, poſt reſurrectionem Chriſti, in eundem rurſus lapidem impingunt. Cum autem ianuis exiſtentibus & manentibus clauſis, Chriſtus cum ſuo corpore veniret, & ſtaret in medio, licet voce & verbo oſtenderet quod ipſe eſſet, cum inquit, Pax vobis, Turbati tamen & territi, non Apoſtoli tantum, verumetiam illi, qui paulò antè Emaus ipſum agnouerant, & euaneſcentem viderant, putant, non poſſe verum Chriſti corpus eſſe, ſed eſſe forſan ſpiritum, qui aſſumta externa ſpecie corporis Chriſti, ipſis ad conſolationem appareat. Sed vnde & quare tales cogitationes, in cor ipſorum aſcendebant, cum verbum & vocem ipſius audirent, Imo cum coràm ipſum viderent & agnoſcerent? Certè antea cum appareret Petro & poſtea Cleophæ, nihil tale cogitabant, imò dicebant, Dominus verè ſurrexit & apparuit Simoni. Quomodo igitur nunc ita turbantur, cum clauſis ianuis venit & ſtat in medio? Reſpondeo, quia contra naturam eſt veri corporis, quod carnem & oſſa habet, poſſe intrare, domo exiſtente & manente clauſa, cum quidem tempore exinanitionis tale quid non feciſſet, cumque iuxta phyſicos, in corporibus penetratio dimenſionum, ſit vnum de impoſsibilibus, Ex illa igitur topica proprietatum & conditionum naturalium argumentantur, & apud ſe concludunt, ingreſſum per ianuas clauſas non poſſe fieri, ſalua veritate corporis. Sed Chriſtus iubens, in corpore illo ſuo palpari & inſpici carnem & oſſa, oſtendit ingreſſum illum, licet ſit contra naturam, non tamen derogare veritati humanæ naturæ, quia ipſe ſit Deus & homo. Sed quid fit? Cum tot hac de re documenta, non tantum audirent, ſed viderent & palparent, Lucas inquit: Ipſis verò nondum credentibus præ gaudio, ſed admirantibus. Vides quam tenaciter animos ipſorum Apoſtolorum occuparint argumentationes, de veritate humanæ naturæ in Chriſto, contra ea, quæ Chriſtus ſua voce, corpori ſuo tribuit, quando ſunt præter & contra naturam. Non mirum igitur eſt,

eaſdem argumentationes, nunc in re Sacramentaria, tantum turbarum concitare. Sed ideò hæc Exempla de ipſis Apoſtolis conſcripta ſunt, vt moneamur, ne huiuſmodi cogitationibus & Argumentationibus, ſinamus nos abduci à verbis ſcripturæ. Nam & explicatio & refutatio talium argumentationum, ab ipſo Filio Dei, in Hiſtorijs illis monſtratæ & traditæ ſunt. Et hæc conſideratio vel ſola mouere debet pias mentes, ne prætextu argumentationum, de veritate humanæ naturæ in Chriſto, patiantur ſe moueri, vt à manifeſtis verbi Dei teſtimonijs, quando aliquid de humana natura in Chriſto, quod ſit præter & contra naturam, prædicant, diſcedant, licet non poſsimus vel explicare vel intelligere, quomodo ſalua veritate humanæ naturæ, illud fieri poſsit. Maior enim eſt, ſicut Veteres rectè dicunt, Dei potentia, quàm totius ingenij, non humani tantum, ſed & Angelici, capacitas.

Et ſemper repeto, hæc de illis, ſiue κατὰφυσικὰ, ſiue ἀνυφυσικὰ ſint in humana natura Chriſti, intelligenda eſſe, quæ habent manifeſtum verbi Dei teſtimonium. Quæ verò præterea quæruntur & diſputantur, de humana natura in Chriſto, de quibus non extant peculiaria, certa & manifeſta in verbo Dei teſtimonia, licet propter hypoſtaticam vnionem & immenſam Dei potentiam, negari non poſsint, aut debeant, & ex generalibus ſcripturæ dictis colligi poſsint probabilia quædã argumenta, ſimplicius tamen & tutius eſt, in illis vel aſtruendis vel deſtruendis non laborare, ſed reijcere illa, ad æternam illam ſcholam. Si enim Chriſtum fratrem noſtrum, ſicuti eſt, 1. Iohan. 3. & gloriam eius qualis & quanta eſt, in æterna demum vita perfectè videbimus, Iohan. 17. & ſi accepit nomen, quod eſt ſuper omne nomen, & huius & futuri ſeculi, Non igitur ex toto, ſed ex parte, exaltationem humanæ naturæ in Chriſto, in hac vita cognoſcimus, quantum ſcilicet verbum Dei nobis prælucet.

Reliqua tunc cognoſcemus, quando in altera vita,
facie ad faciem ipſum videbimus,
ſicuti eſt.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

De Exinanitione.

POstremo ad eorum quæ hactenus dicta sunt declarationem, pertinet etiam doctrina de Exinanitione, cuius antea aliquoties mentio facta fuit. Quia enim tempore exinanitionis, gloria & maiestas illa, de qua hactenus dictum est, non semper in assumta natura, & per assumtā naturam, manifestè se conspiciendam præbuit, Atq; illo tempore λόγ☉ non tam Diuinæ naturæ potentiam per humanitatem exeruit, quam assumtas humanitatis infirmitates ostendit, atq; omnis generis pressuras perpessus est, Hoc multi ita arripiunt, ac varia argumenta inde contexunt, quasi hypostatica Deitatis vnio, assumtæ naturæ nihil contulerit aut communicarit, quia in illo tempore exinanitionis, licet vnita tunc esset humanitas Diuinitati λόγυ, nihil tamen aliud se exeruerit quam vel infirmitates vel essentiales humanitatis, seu naturales proprietates. Et quia per resurrectionem scribitur in gloriam suam ingressus, Luc. 24. & post ascensionem, per collocationem ad dexterā Dei, super omne nomē exaltatus scribitur, subiectis sibi omnibus Eph. 1. sentiunt, post resurrectionem & ascensionem demum humanam naturam in Christo, ea, quæ de exaltatione eius scriptura tradit accepisse, non ex hypostatica cum Diuinitate λόγυ vnione, quæ diu ante ascensionem facta fuerat. Intelligunt igitur exaltationem humanitatis Christi tantum de donis creatis, qualitatibus finitis, seu habitibus infusis, quorum incoatio tempore exinanitionis cæpta & sensim aucta, post ascensionem demum absoluta & perfecta fuerit, Quod quidam factum esse disputant, quasi aliunde, & infusione ab extra, non ex hypostatica vnione, sed ratione cœli empyrei, vbi sit gloriæ & beatitudinis regio, Ac nisi hæc concedantur, clamitant confusionem fieri articulorum fidei. Vnio enim facta est in ipso

primo momento conceptionis. Exaltatio verò, seu Sessio ad dexteram Dei, post multos demum annos, post ascensionẽ scilicet, subsecuta est vnionem. Hæc verò omnia ideò disputantur, vt hypostatica vnio, nuda naturarum connexione, abs vlla vero communione, qualis est περιχώρησις in ferro ignito, definiatur vtq; obtineatur, gloriam ac maiestatem assumtæ naturæ in Christo, tantum creatis donis, infusis, inhærentibus formaliter finitis qualitatibus seu habitibus constare.

Necessaria igitur in explicatione huius doctrinæ, quædam de exinanitione dicenda sunt. Illud autem & absurdum est & falsum, quod quidam fingunt, Exaltationem & glorificationem assumtæ naturæ in Christo, adueniſſe ipsi non ex hypostatica cum Deitate vnione, sed aliunde & ab extra, ex virtute & efficacia cœli empyrei, cum certum sit, ipsis sanctis Deum non aliter quam auctiori & pleniori sui communicatione, conferre glorificationem. Scriptura enim affirmat, sanctos tunc plene glorificatos fore, quãdo Deus erit omnia in omnibus, 1. Cor 15. Et satietas lætitiarum cum vultu tuo, Psal. 16. Cumq; extra omnem controuersiam intima, arctissima, plenissima, & perfectissima præsentia seu communicatio Dei cum creatura aliqua, sit hypostatica vnio, qua tota plenitudo Deitatis in Christo inhabitat corporaliter, hoc est, in carne, siue assumpta eius natura, sicut Veteres interpretantur, Nemo sanus igitur dicet, exaltationem & glorificationem humanæ naturæ in Christo, ab extra vel aliunde, quam ex hypostatica cum Diuinitate vnione accessisse, Nisi quis forsan fingere ausit, maius & excellentius quiddam esse, in cœlo Empyreo sedere, quam cum ipsa Diuinitate personaliter vniri, vel vltra totam Diuinitatis plenitudinem, aliquam esse in cœlo empyreo excellentiam & gloriam maiorem. Iam verò hypostatica illa Diuinitatis cum assumta humana natura vnio, facta est in ipso momento conceptionis. Nec post resurrectionem demum, tota plenitudo Diuinitatis cœpit in Christo habitare corporaliter, quasi post factam in conceptione hypostaticam illam vnionem, ante ascensionem & sessionem ad dexteram, vel inanis vacuitas, vel particularitas

tas quædam Diuinitatis, corporaliter in Christo habitarit, vel quasi hypostatica vnio, seu inhabitatio personalis totius plenitudinis Deitatis in assumpta Christi natrra, processu annorum subinde maior, arctior, plenior & perfectior facta fuerit, Cum à primo momento hypostaticæ vnionis, tota plenitudo Deitatis habitarit corporaliter, siue in carne, seu assumpta natura Christi.

Exinanitio igitur Phil. 2. non significat priuationem, ablationem, despoliationem, exuitionem, abiectionem, depositionem, remotionem, carentiam, absentiam, defectum, nuditatem seu vacuitatem, plenitudinis Diuinitatis, quæ in Christo corporaliter habitauit, ab ipso momento conceptionis. Sed respicit vsum seu vsurpationem eius, quod, scilicet infirmitate tecta, non semper tempore exinanitionis in humana natura Christi lux erit, & per eam plene ac manifestè se exeruerit, Virtutem enim Diuinam, præsentem & corporaliter inhabitantem ab operatione in humanitate & per humanitatem Christi paulisper retrahens & retinens, sicut Ambrosius loquitur, permisit naturales proprietates & reliquas assumtas infirmitates, quasi solas, in humana sua natura præualere, prædominari & se exerere. Ne quis tamen propter huius vsurpationis exinanitionem, fingeret absentiam & defectum ipsius plenitudinis Diuinitatis in Christi humanitate, Christus ipso tempore exinanitionis, quando voluit, ostendit plenitudinem illam in sua carne habitare, & vsum eius quando voluit, & quantū voluit, per assumtam naturam, ipso exinanitionis tempore exercuit, manifestauit, & exeruit, Ita in miraculis gloriā suám manifestauit. Ioh. 2. Et in clarificatione carnis Christi, Matth. 17. Apostoli viderunt maiestatem & gloriam eius, quasi vnigeniti Iohan. 1. & 2. Pet. 1. Nam & vocabulum κενὸς & κενόω, de rerum vsu & operatione vsurpari in Scriptura vsitatum est, 1. Cor. 15. Gratia Dei non fuit in me κενὴ. 1. Thess. 2. Ingressus noster ad vos non fuit inanis. 2. Cor. 6. Gratiam Dei accipere εἰς κενὸν, Ita crux Christi exinanitur 1. Cor. 1. Gloriatio exinanitur 2. Cor. 9. Et Psal. 8. Exinanitionem vocat defectum Dei, seu ipsius Diuinitatis

tatis in homine Christo. Nec tamen ideò fingere quis audebit, ipsam Diuinitatem tempore exinanitionis à persona Christi separatam fuisse; sed tantum significatur Diuinitatem, suam virtutem, efficaciam & operationem, tempore exinanitionis, non semper manifestè exeruisse, in humana & per assumptam humanam naturam.

Non potest autem doctrina exinanitionis, simplicius, rectius aut commodius, vel intelligi, vel explicari, quam si adhibeatur distinctio illa, qua supra etiam vsi fuimus, Vt scilicet ratio exinanitionis consideretur, Primò in donis gratuitis, creatis seu finitis, qualitatibus & habitibus formaliter ac subiectiuè humanitati Christi inhærentibus. Secundò, in gloria, Maiestate, virtute, potentia, ac operatione Diuina, corporaliter inhabitante, & exerente se, in humana, cum humana, & per humanam naturam.

Non autem hoc loco cum Scholasticis disputabo, de formali perfectione conditionum & facultatum, & ipsius humanæ naturæ in Christo, quasi illa ab instanti conceptionis in donis, qualitatibus & habitibus, naturalibus & gratuitis, fuerit omnibus numeris & gradibus, statim absoluta & perfecta. Scriptura enim expressè tradit, puerum Iesum fascijs inuolutum, in præsepi reclinatum, suxisse vbera matris, comedisse butyrum & mel, hoc est cibos infantium, cœpisse sonari Abbi, Immi, didicisse reprobare malum, & eligere bonum, creuisse & profecisse sicut statura corporis & ætate, ita & sapientia ac gratia, vt sapientia magis magisq; impleretur, & Spiritu corroboraretur, Idq; non tantum externa apparitione, seu ostensione coram hominibus, sicut Scholastici disputant: Verumetiam coram ipso Deo, sicut Lucas expressè dicit. In illis igitur donis, qualitatibus seu habitibus formalibus, ratio exinanitionis hæc fuit, cum λόγ@ assumtam suam humanitatem potuisset, per & propter totam plenitudinem Deitatis personaliter in ea inhabitantem, statim ab initio conceptionis & natiuitatis, omnibus donis, qualitatibus seu habitibus, absolutam & perfectam reddere, absq; vllis infirmitatibus, multo facilius, plenius

plenius & excellentius, quam Adam & Eua ſtatim poſt creationem, huiuſmodi donis perfecti fuerunt, vel ſicut ſancti ſunt in gloria. In illis enim tantum fuit inhabitatio Diuinitatis per gratiam, in Chriſti verò humanitate eſt vnio hypoſtatica, qua tota plenitudo Deitatis λόγυ in aſſumta natura inhabitauit perſonaliter, ab initio conceptionis, volens tamen aſſumpſit infirmitates noſtras ſine peccato, propter nos, vt victima fieret pro nobis. Et radios inhabitantis plenitudinis Deitatis, quaſi continuit, & retraxit, vt non tantum foras non elucerent, ſed vt inde in aſſumtam etiam naturam, in qua plenitudo illa Deitatis inhabitabat, tanquam radij ſeu riui donorum, qualitatum, ſeu habituum, non ſtatim plenè & perfectè deducerentur, ſed vt dona illa infuſa, ſeu formalia, ſenſim & paulatim, prout λόγῳ videbatur, creſcerent, & proficerent coram Deo & hominibus, vt ita in ſimilitudine hominum factus, habitu inueniretur, vt homo. Quanquam & in illis Chriſtus, quando voluit extraordinarium quid fecit & oſtendit, Vt cum anno ætatis duodecimo ita quærit & reſpondet, vt omnes de intelligentia eius obſtupeſcant: Neq; enim inſcia humanitate, Diuinitas hoc fecit, ſed mente humana illuminata & conſcia, ac voluntate humana conformi hæc facta ſunt. Et hæc de bonis gratuitis, ſeu infuſis.

Secundò, principalis & potiſsima ratio exinanitionis in eo conſiſtit, quod tota plenitudo Diuinitatis perſonaliter inhabitans in aſſumta Chriſti natura, virtutem, potentiam & operationem ſuam, tempore exinanitionis, nec ſtatim nec ſemper plenè ac manifeſtè exeruerit in aſſumta & per aſſumtam naturam. Et ratio admirandæ huius exinanitionis aliquomodo rectius intelligetur ex hac conſideratione. Potentia enim & operatio Diuinitatis λόγυ, non fuit tempore exinanitionis per ſe prorſus ocioſa, ſed cum Patre & Spiritu Sancto, vbique omnia potenter & efficaciter adminiſtrauit, ſicut inquit, Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor, In illa verò natura, quam hypoſtatica vnione arctiſsimè ſibi copularat, & ita propriam ſibi fecerat, vt in illa, cum illa, & per illam, Diuinæ ſuæ potentiæ operationes, tanquam per organon proprium exereret &

tatis in homine Christo. Nec tamen ideò fingere quis audebit, ipsam Diuinitatem tempore exinanitionis à persona Christi separatam fuisse; sed tantum significatur Diuinitatem, suam virtutem, efficaciam & operationem, tempore exinanitionis, non semper manifestè exeruisse, in humana & per assumptam humanam naturam.

Non potest autem doctrina exinanitionis, simplicius, rectius aut commodius, vel intelligi, vel explicari, quam si adhibeatur distinctio illa, qua supra etiam vsi fuimus, Vt scilicet ratio exinanitionis consideretur, Primò in donis gratuitis, creatis seu finitis, qualitatibus & habitibus formaliter ac subiectiuè humanitati Christi inhærentibus. Secundò, in gloria, Maiestate, virtute, potentia, ac operatione Diuina, corporaliter inhabitante, & exerente se, in humana, cum humana, & per humanam naturam.

Non autem hoc loco cum Scholasticis disputabo, de formali perfectione conditionum & facultatum, & ipsius humanæ naturæ in Christo, quasi illa ab instanti conceptionis in donis, qualitatibus & habitibus, naturalibus & gratuitis, fuerit omnibus numeris & gradibus, statim absoluta & perfecta. Scriptura enim expressè tradit, puerum Iesum fascijs inuolutum, in præsepi reclinatum, suxisse vbera matris, comedisse butyrum & mel, hoc est cibos infantium, cœpisse sonari Abbi, Immi, didicisse reprobare malum, & eligere bonum, creuisse & profecisse sicut statura corporis & ætate, ita & sapientia ac gratia, vt sapientia magis magisq; impleretur, & Spiritu corroboraretur, Idq; non tantum externa apparitione, seu ostensione coram hominibus, sicut Scholastici disputant: Verumetiam coram ipso Deo, sicut Lucas expressè dicit. In illis igitur donis, qualitatibus seu habitibus formalibus, ratio exinanitionis hæc fuit, cum λόγος assumtam suam humanitatem potuisset, per & propter totam plenitudinem Deitatis personaliter in ea inhabitantem, statim ab initio conceptionis & natiuitatis, omnibus donis, qualitatibus seu habitibus, absolutam & perfectam reddere, absq; vllis infirmitatibus, multo facilius, plenius

plenius & excellentius, quam Adam & Eua ſtatim poſt creationem, huiuſmodi donis perfecti fuerunt, vel ſicut ſancti ſunt in gloria. In illis enim tantum fuit inhabitatio Diuinitatis per gratiam, in Chriſti verò humanitate eſt vnio hypoſtatica, qua tota plenitudo Deitatis λόγυ in aſſumta natura inhabitauit perſonaliter, ab initio conceptionis, volens tamen aſſumpſit infirmitates noſtras ſine peccato, propter nos, vt victima fieret pro nobis. Et radios inhabitantis plenitudinis Deitatis, quaſi continuit, & retraxit, vt non tantum foras non elucerent, ſed vt inde in aſſumtam etiam naturam, in qua plenitudo illa Deitatis inhabitabat, tanquam radij ſeu riui donorum, qualitatum, ſeu habituum, non ſtatim plenè & perfectè deducerentur, ſed vt dona illa infuſa, ſeu formalia, ſenſim & paulatim, prout λόγῳ videbatur, creſcerent, & proficerent coram Deo & hominibus, vt ita in ſimilitudine hominum factus, habitu inueniretur, vt homo. Quanquam & in illis Chriſtus, quando voluit extraordinarium quid fecit & oſtendit, Vt cum anno ætatis duodecimo ita quærit & reſpondet, vt omnes de intelligentia eius obſtupeſcant: Neq; enim inſcia humanitate, Diuinitas hoc fecit, ſed mente humana illuminata & conſcia, ac voluntate humana conformi hæc facta ſunt. Et hæc de bonis gratuitis, ſeu infuſis.

Secundò, principalis & potiſsima ratio exinanitionis in eo conſiſtit, quod tota plenitudo Diuinitatis perſonaliter inhabitans in aſſumta Chriſti natura, virtutem, potentiam & operationem ſuam, tempore exinanitionis, nec ſtatim nec ſemper plenè ac manifeſtè exeruerit in aſſumta & per aſſumtam naturam. Et ratio admirandæ huius exinanitionis aliquomodo rectius intelligetur ex hac conſideratione. Potentia enim & operatio Diuinitatis λόγυ, non fuit tempore exinanitionis per ſe prorſus ocioſa, ſed cum Patre & Spiritu Sancto, vbique omnia potenter & efficaciter adminiſtrauit, ſicut inquit, Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor, In illa verò natura, quam hypoſtatica vnione arctiſsimè ſibi copularat, & ita propriam ſibi fecerat, vt in illa, cum illa, & per illam, Diuinæ ſuæ potentiæ operationes, tanquam per organon proprium exereret &

exerceret, In illa inquam natura, in qua Diuinitas λόγϑ, propter hypoſtaticam vnionem, ſuper omnia excellentiſsimo modo lucere & operari debebat, gloriam, potentiam & operationem ſuam, tempore exinanitionis quaſi infirmitatibus tectam occultauit, & ab opere, ſicut Ambroſius loquitur, retraxit, vt tantum naturales proprietates & infirmitates in aſſumta natura ineſſe, & prædominari viderentur, idq; non tantum externa facie coram hominibus, verumetiam coram ipſo Deo, Luc. 2. Cum tamen interea plenitudo illa diuinitatis λόγϑ, alibi omnia potentiſsimè cum Patre & Spiritu Sancto, operaretur. Hæc eſt incomprehenſibilis & inenarrabilis exinanitio. Infinitis enim modis plus eſt, quàm ſi ignis in ferro prorſus ignito, nec ſpeciem, nec vim, nec operationem ſuam exereret. Tanta humilitate & exinanitione peccatum inobœdientiæ ex ſuperbia primorum parentum commiſſum expiandum erat. Et hoc eſt, quod Paulus dicit, Phil. 2. Cum Filius à Patre miſſus eſſet in carnem, vt in ea talem ſubiectionem & obedientiam pro nobis præſtaret, noluit præter vocationem & ante tempus, rapere vſurpationem & oſtenſionem Diuinæ potentiæ & operationis in aſſumta, & per aſſumtam humanam naturam, ſed exinaniuit ſe, factus obœdiens Patri vſq; ad mortem, & propterea Deus dedit illi nomen ſuper omne nomen, &c. Tunc enim exaltationem & gloriam accepiſſe dicitur, quando depoſitis infirmitatibus, plenam & manifeſtam eius vſurpationem & oſtenſionem in humana, & per humanam naturam cœpit, non quaſi antea gloriam illam perſonaliter in ſe inhabitantem non habuerit, Sicut etiam Lombardus tradit lib. 3. diſtinct. 18. Nam & tempore exinanitionis diſcipulis gloriam ſuam manifeſtauit, Iohannis 2. qui eam viderunt quaſi vnigeniti gloriam, Iohan. 1. Perſonaliter in ipſo inhabitantem. Et tamen quia nondum tunc aderat tempus plenæ manifeſtæ vſurpationis ſeu oſtenſionis, Scriptum eſt, Iohan. 7. Ieſum tunc nondum fuiſſe glorificatum. Et Luc. 24. dicitur, poſt reſurrectionem in gloriam ſuam ingreſſus, hoc eſt, in plenam & manifeſtam eius vſurpationem, depoſita exinanitione, Sicut ex hac ſimilitudine intelligi poteſt, Si in ferro vndiquaque perfectè ignito, Deus manifeſtationem &

opera-

operationem virtutis lucendi & vrendi, ad tempus ſuſpenderet, vt frigidum, nigrum & obſcurum videntibus & contrectantibus appareret, Illud ſi poſtea, Deo ita volente, vim ſuam lucendi & vrendi exereret, non rectè diceretur, vim illam de nouo, aliunde & ab extra accipere. quaſi antea in ignitione eam non acceperit, & in ſe habuerit, Neque enim ideò præſentia & poſſeſsio rei alicuius neganda eſt, ſi vſurpatio & manifeſtatio eius ad tempus quaſi ſuſpendatur. Inde ſumma & potiſsima ratio exinanitionis, de qua Paulus loquitur, aliquo modo conſiderari poteſt. Atque hæc piè & reuerenter ſunt cogitanda, vt aliquo modo intelligere poſsimus, qualis fuerit obœdientia Mediatoris Chriſti, per quam æterna redemptio inuenta, & ſempiterna iuſticia adducta eſt.

Atq; hinc etiam manifeſtum eſt, non fieri confuſionem articulorum fidei, ſed illos diſtinctos eſſe ac manere, & ſingulos peculiare aliquid continere. In Incarnatione enim facta eſt hypoſtatica vnio Deitatis λόγϑ, cum aſſumta humanitate, in qua tota plenitudo Deitatis, à primo momento conceptionis, perſonaliter inhabitauit. Sed ratione exinanitionis, vſurpatio & manifeſtatio eius, vt non ſtatim & ſemper, per humanitatem aſſumtam ſe exereret, ad tempus dilata, & quaſi ſuſpenſa fuit. Per aſcenſionem verò, depoſitis infirmitatibus, & remota exinanitione, rationem viuendi, iuxta conditiones huius ſeculi reliquit, atq; ita ex mundo exiuit. Per ſeſsionem verò ad dexteram Dei, ingreſſus eſt in plenariam & manifeſtariam vſurpationem & oſtenſionem, eius potentiæ, virtutis & gloriæ Deitatis, quæ tota plenitudine perſonaliter in aſſumpta natura, ab initio vnionis habitauit, vt nunc non amplius, ſicut in exinanitione, ſe contineat, retrahat, & quaſi lateat, ſed vt in aſſumta, cum aſſumta, & per aſſumtam humanam naturam, plenè, manifeſtè & glorioſè exerat. Dona verò formaliter infuſa, & habitualiter humanitati inhærentia, per illam glorificationem, abſolutiſsima & perfectiſsima facta ſunt, per oſtenſionem & efficaciam inhabitantis perſonaliter Deitatis. Hæc doctrina de Exina-

nitione, multa in tota hac controuersia, illustrat, & si ita considerętur plana est, ac multas aduersariorum obiectiones dissoluit & explicat.

Ac eodem modo de exinanitione Christi antiquitas etiam sentit & loquitur. Theodoretus quidem & Oecumenius, exinanitionem interpretantur, quod Diuinitas λόγυ, vt excellentissima maiestas Diuina, ita se demiserit, & personaliter copulauerit sibi formam seu naturam humanam. Augustinus verò & Leo exinanitionem dicunt aliud nihil esse, quam formæ seruilis acceptionem, quod scilicet Diuinitas in assumpta natura se non manifestè semper exeruit, sed habitu inuentus est vt simplex homo, imo vt seruus: Ita Augustinus apud Bedam dicit: Exinanitionem esse, quod Christus tunc formam Dei non vsurpauit in assumta humanitate. Sed adscribemus aliquot alias Veterum sententias, quæ rationem exinanitionis clarè explicant.

Tertullianus de Trinitate: Exinanitur, quoniam autoritas diuini verbi, ad susciendum hominem interim conquiescit, nec se suis viribus exercet.

Athanasius serm. 4. contra Arrianos: In corpore profecit exhibitio Deitatis coram videntibus. Idem: Humanitas in sapientia profecit, transcendens paulatim humanam naturam, Deificata & Organon sapientiæ facta, vt per eam suam ἐνέργειαν exerceret sapientia & inde eluceret.

Theodor. Dialog. 3. transcribit ex Chrysostomo hanc sententiam: θεότης νῦν μὲν σάρκα ἐρήμην καὶ γυμνὴν ἀφῆκε τῆς οἰκείας ἐνεργείας, hoc est, Diuinitas verbi, assumptam humanam naturam, tempore exinanitionis, aliquando nudam & quasi destitutam diuina operatione reliquit, vt ostensione infirmitatis ipsam naturam humanitatis comprobaret, aliquando verò infirmitatem ostensione diuinitatis occultauit, quoniam non nudus homo erat.

Et pagina 80. Theodoretus illustri sententia exinanitionem describit: Cum diuinitas vnita esset humanitati, quæ etiam Spiritu Sancto vncta erat: Tamen in agone, nec vnita Diuinitas, nec Spiritus qui aderat, vel corpus vel animam Christi ab infirmitatibus manifestè subleuarunt, sed Angelo confortanti hoc commiserunt.

Hilari-

Hilarius de Trinit. lib. 9. rractans illud Pauli, In ipso omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, inquit: Insunt igitur, sed si professione extarent, non essent absconditi, ita ergo ignorat diem iudicij. Et lib. 10. inquit: Professio nescitæ diei, non est ignorationis infirmitas, sed tacendi dispensatio.

Nazianzenus in Tractatu de fide, quam sententiam etiam Ambrosius transcripsit: Vt Sol, cùm Nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cœcatur, non aufertur: Sic & homo ille, quem Filius Dei induit, Deitatem in illo non intercepit, sed absscondit. Deniq; cum se in monte paululum extra ipsum hominem extulisset fulgor luminis eius, penè occœcati Apostoli sũt.

Ambrosius Phil. 2. Exinaniuit se, hoc est, potestatem suam ab opere retraxit, vt humiliatus ociosa virtute infirmari videretur. Item: In forma Dei erat, quia cum homo videretur, opera Dei faciebat, vt in rebus gestis appareret Deus esse, qui homo videbatur. Retinens autem virtutem suam, ne appareret in eo, vt homo visus est.

Augustinus de fide ad Petrum cap. 2. Semetipsum exinaniuit, sed de plenitudine eius omnes accepimus, quam plenitudinem, si exinanitus amitteret, quod de ea nobis daret, vtiq; non haberet. Eo autem non habente, nos procul dubio nihil possemus accipere, de eius enim plenitudine omnes accipimus. Ostendit igitur etiam, cum se exinaniuit, plenitudinem illam non amisisse, quam habuit.

Idem de ciuitate Dei, lib. 22. cap. 19. Iusti fulgebunt vt Sol, quæ claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis Discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est, Non enim ea ferret humanus atq; infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, vt posset agnosci.

Ignatius ad Philipp. Qui 40. diebus fecit corpus ἀνενδεὲς, potuisset semper illud facere. Quare igitur esurit? Vt ostendat se verè assumsisse corpus ὁμοιοπαθὲς hominibus.

In 6. Synodo citatur hæc Athanasij explicatio super illud: Nunc anima mea turbata est, Hoc factum est Deitate quidem acquiescente, carne autem insurgente, possibile enim erat, Diuinitatem prohibere perturbationem, sed noluit, vt similitudi-

nem, quam ad nos habuit, non dissolueret. Sicut in melicrato, iam aqua iam mel superabundat, ita Deitas aliquando permittit carni, vt superabundet, aliquando verò eam superat, ad perimendam carnis infirmitatem.

Ibidem citatur etiam Cyrilli sententia super illud, Sitio. Non difficile fuerat, cuncta valenti Deo verbo, etiam hoc à propria carne remouere, Sed sicut sponte permisit carnem cætera pati, patitur & hoc.

Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 7. Proficiebat sapientia, &c. Paulatim enim natura nostra manifestabatur, sicut instrumentum esse Deitatis, quæ habitauit in ipsa.

De Incarnatione vnigeniti, cap. 12. Verbum humanitatem more suo proficere permittebat, & quasi paulatim Diuinitatis suæ volebat gloriam declarare, & cum corporis ætate etiam sua extendere, ne quid nouum videretur. Ipsum verò Verbum, non est egenum profectus, non sapientiæ, non gratiæ, Ipsum enim creaturæ, & sapientiam & gratiam, & bona omnia impertit, Et Dialogo 6. Diuina natura conquieuit ad passionem.

Idem de vera fide ad Reginas lib. 1. citat Athanasij sententiam: Fastigium Deitatis occultans humili sensu incarnationis, humilitatem autem corporis, quod videbatur efficacia Deitatis extollebat.

Leo Epist. 10. Seruilem formam obumbrata maiestatis suæ immensitate suscepit. Item, Exinanitio fuit inclinatio miserationis, non defectio potestatis.

Cyprianus in expositione Symboli: Diuina Filij Dei virtus, velut hamus quidam erat, habitu humanæ carnis obtectus.

Idem de Resurrectione: Transfiguratio imaginem non speciem, similitudinem non substantiam, partem non plenitudinem gloriæ explicauit, nec tamen eandem gloriam resurgens ilico ostendit, sed dilata est claritatis illius plenitudo,

Augustin. de mirabilibus scripturæ cap. 10. Diuinitas latens in corpore, luminis sui portiunculam foris videntibus quantum poterant, concessit.

Theophilactus inquit: Deitate paruos quosdam radios suos per corpus declarante,

Theo-

Theodoretus dialo. 2. citat hanc Chryſoſtomi ſententiam, Quæ humiliter à Chriſto dicta & facta ſunt, non propter potentiæ imbecillitatem, ſed propter varias & multiplices œconomiæ rationes facta ſunt.

Ambroſius de fide contra Arrianos, cap. 8. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui ſuſcipiendo, non vt aliud quam quod erat fieret, ſed vt ſepoſito interim maieſtatis ſuæ honore, humanum corpus indueret, quo ſuſcepto ſalus gentiũ fieret. Vt enim Sol cum nube tegitur, claritas eius comprimitur non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffuſum claro ſplendore cuncta perfundit paruo obſtaculo nubis includitur, Sic homo ille, quem Deus induit, Deum in homine non intercepit, ſed abſcondit, Denique cum ſe in monte paululum extra ipſum hominem extuliſſet, fulgore luminis eius penè obcœcati ſunt Apoſtoli, in terram quippe ceciderunt, periclitati vitam, niſi eis Dominus compreſſo maieſtatis ſuæ honore ſubueniſſet.

Ambroſius, Tom. 2. fol. 99. Chriſtus ſedit ad dexteram Patris, ſed eam gloriam ante Reſurrectionem diuulgare noluit.

FINIS.

LIPSIÆ
Iohannes Rhamba excudebat,
ANNO
M. D. LXXX.

Pro libello Mart. Chemnitij D.

DE VNIONE HYPOSTATICA NATVRARVM CHRISTI, ET DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM

AD EIVS EXAMEN, A LAMberto Danæo *conſcriptum*

Reſponſio.

ADDITA EST ADMONITIO, NVM Fides poſsit ſupra cœlos euolare, & illîc ipſam carnem Chriſti comprehendere.

Per

M. Fridericum Petri Miniſtrum
verbi in Eccleſia Brunſuicenſi.

Cum præfatione Martini Chemnitij D.

1585.

Impenſis Henningi Groſſij Bibl. Lipſ.

M. Georgius Buſingus Loquitur.

ANtè mihi fuerant ſacra myſteria Cœnæ
Nota quoq;, & veræ Relligionis opus.
Mens etiam bene firma mihi, quæ vera videbat,
Credidit accipiens non dubitante fide.
Cœpi, quæ magno contra declamitat auſu
Danæus, ſtudio ſingula perlegere.
Cœpi cum noſtris conferre, vt, quicquid habcres
Verius, id mallem prouidus omne ſequi.
Vera quidem vidi nonnulla, ſed omnia vidi
Iam ſatis à noſtro tradita Chemnitio.
Quæ nos inſurgens contra defendit & vrget,
Omnibus his vidi falſius eſſe nihil.
Quàm me igitur motum ſperauit forſitan iri,
Vera viderentur quò ſatis iſta mihi:
Tam ſum commotus certè, ne vera putarem:
Sic fruſtrata ſuos ſpes bona ſæpe fuit.
Cœpi aliquid contra meditatus ſcribere tantum,
Eſſet vt hæc noſtris fraus manifeſta viris.
Abſtulit inſtanti me mors inimica iuuenta,
Sic iacet infectum, quod meditabar, opus.
Scribite Caluini ſectantes dogma nefandum,
Qua libet, & valde ſcribere ſollicitè.
Semper erunt, quos veſtra nimis reſponſa mouebunt,
Vt quæuis cautos dicta mouere ſolent:
Non vt vera putent doctrinæ ſemina veſtræ,
Norint è falſis vera ſed eſſe ſua.
Sic erit, vt caſu verum ſtabilire queatis,
Ne quicquam vobis fiat inutiliter.

M. Frid. Petri F.

Pio Lectori S.

ANNVS IAM AGITVR SEXAGE-simus, ex quo antiquus serpens ad Euangelij doctrinam, immensa Dei clementia tùm primùm per Lutheri ministerium restitutam, in ipsa (quod dicitur) herba opprimendam, hæresin Berengarianam (quam hodie ab argumento Sacramentariam, à præcipuis verò propagatoribus Zuuinglianam siue Caluinianam vocamus) Andrea Caroloſtadio Iconomacho, & Anæbaptistarum, Munceri, Pelargi & cæterorum socio, auctore, non tam ex cineribus, qui Berengario tùm ante annos 465. ab Ecclesia iustißimè damnato, supererant nulli, quam ex ipso inferni barathro erutam resuscitauit.

Etiamsi autem auctor, singulari Dei iudicio excæcatus, suspectum noui dogmatis inspiratorem (virum scilicet quendam sibi apparentem, quem ipse panem cœlestem credidisset, Lutherus verò Satanam aut ipsius genitricem fuisse verißimè opposuisset) initio statim non tantùm voce, sed publico etiam scripto liberrimè prodebat: & verbis Christi (Hoc est corpus meum) interpretamentum adeò crassum adeoq; insulsum attingebat, vt ipse etiam Sleidanus publicus istorum temporum Historicus illud exsibilarit; Inuenti tamen paulò post sunt viri doctrina & eruditione præstantes, & totis illis sexaginta annis non defuerunt, qui speciosо prætextu, Papatus scilicet, & Missæ eo melius atq; facilius perturbandæ, abominandum illud dogma, non in Germania solùm, vbi natum erat, operosè admodum defendendum, sed ad exteras quoq; nationes & vicina regna summo conatu deriuandum propagandumq; susceperunt.

Cumq; propagatores isti non modò Sacrosanctam Domini Cœnam, sed ipsam quoq; Filij Dei Domini & Redemtoris nostri personam, horrendis in eam eructatis blasphemijs, oppugnare incipe-

rent: Summa neceſsitas Luthero & alijs, quibus ſeculum illud Dei benignitate affluebat, viris pijs & doctis impoſita fuit, vt diris ipſorum blaſphemijs Eccleſiæ oſtenſis ac publicè refutatis, Filij Dei Teſtamentum, & ipſius etiam perſonam atq; gloriam, quantò poſſent ſtudio, opera, diligentiaq; vindicarent.

Vtut autem illi ſolidè & euidenter multiplices huius ſectæ inſidias atq; fraudes toti mundo detexiſſent, & ſtraminea Carolo-ſtadij, Zuuinglij, cæterorumq; argumenta maſculè euertiſſent, ac prohiuiſſent: Subinde tamen Patroni nouis ratiunculis ex humani cerebri imaginationibus petitis, ruinoſum ſuum dogma ſarſerunt, atq; ſuffulſerunt: & ita fideles Lutheri diſcipulos, dummodo ſynceræ doctrinæ depoſitum ab optimo præceptore acceptum ad poſteritatem inuiolatè propagatum vellent, quaſi inuitos triſtiſſimi certaminis continuationem pertraxerunt.

Inter eos autem etſi nimirum me eſſe libenter agnoſco, & ingenuè etiam profiteor, ipſi tamen Dei & Mariæ Filio liberatori meo vnico, Domino noſtro Ieſu Chriſto, cuius gratia ſum, quicquid ſum, toto pectore humiliter ago gratias, quòd ante annos plus minus viginti tres, hæreſi iſta, Alberto Hardenbergio, tùm Eccleſiæ Cathedralis apud Bremenſes miniſtro auctore, in hac inferioris Saxoniæ ora pullulante, etiam me indignum ſuum Miniſtrum (ſicut imbecilla & contemta in mundo eligere ſolet) in iſtam aciem aduerſus profligatiſſimam Teſtamenti ruparum ſectam collocare dignatus eſt. Et quidem non mea ſponte, multò minus aliquâ ingenij confidentiâ, à qua ſemper alieniſſimus fui, ſed clariſſimorum virorum doctrina & iudicio præſtantium, hortatu atq; impulſu, & præcipuè Eccleſiarum noſtrarum neceſsitate ita expoſcente, factum eſt, vt pleraq; in priuatum vſum à me collecta & conſcripta de hac controuerſia euulgari permitterem.

Quantumcunq; autem ego meo me metiens modulo, humiliter de primis illis meis qualibuscunq; collectaneis ſentirem, non

tamen

tamen defuerunt viri eruditione, doctrina, vsuq; rerum pollentes, & ætate venerandi, qui quantulamcunq; illam meam opellam cupidè arriperent, & Ecclesiæ Dei vtilem atq; proficuam iudicarent: Mihiq; ea etiam ratione calcar adderent, vt alterum quoq; de persona Christi certamen, ex priore enatum, peculiari libello ventilandum pertractandumq; sumerem: quem etiam libellum ante sexennium magni nominis Theologis plerisq; amicis studiosè vrgentibus, retextum atq; auctum recudi curaui.

Et quia omnibus sepositis affectibus placidè & absq; vlla acerbitate res ipsas de duabus in Christo naturis, earumq; vnione hypostatica, ex solidissimis sacræ scripturæ fundamentis, & probatissimis Patrum testimonijs summa fide collectis, explicueram: non priuatis solummodò personis, sed publicis etiam ijsq; florentissimis Academijs atq; Ecclesijs, illam meam qualemcunq; operam gratam atq; acceptam fuisse, ex multorum sermonibus atq; litteris animaduerti. Et sæpius sanè miratus fui, Aduersarios, quos tunc Ecclesiæ nostræ doctrina excellenti & viribus etiam corporis instructos, & in omnes occasiones intentos habebant, nec non in pluribus alijs tractatibus experiebantur, tanto tempore silere ad illum libellum potuisse, præsertim cum ex querimonijs & vociferationibus passim emissis, haud obscurè intelligerem, vulnus minimè leue Ecclesijs Caluinianis, pro quibus illi dimicabant, hoc Tractatu inflictum fuisse: Idq; apud eos etiam, qui vel ab ipsorum partibus iampridem stare, vel certè in eas propendêre videbantur. Sed sine dubio celebres illi Zuuinglianismi propugnatores, qui tunc temporis florebant, nec cuiquam facilè quicquam condonabant, eiusmodi veritatis aculeum ex illius libelli lectione in suis animis relictum senserunt, vt tacendum potius, aut occultè Tractatum illum arrodendum, quàm refutatione minus sufficiente & cum veritate ex diametro pugnante, nec non etiam diris blasphemijs in sanctissimam filij Dei personam scatente, contra nitendum iudicarunt.

Quorum exemplum si Danæus quoq; secutus fuisset, citra omnem dubitationem longè rectius atq; melius & toti suæ factioni Sacramentariæ consuluisset, & fortè etiam ipse sanior hæreticus à nostris Ecclesijs creditus atq; habitus fuisset.

At verò vt reipsa omnibus testatum faceret, se ex frequentissima Bezæ præceptoris sui conuersatione nihil quicquam satis reportasse, acerbissimo ac virulentissimo illius libelli mei examine instituto, & ante triennium publicato, turpissimum Sacramentariæ opinionis fœtorem atq; abominationem, summamq; suam impietatem, & mentiendi, criminandi peruertendiq; libidinem, nec non Satanicam in Dei Filium liberatorem nostrum, & sanctissimam ipsius carnem, blasphemiam toti orbi & præcipuè Ecclesijs nostris miser atq; infelix ita reuelauit, vt omnes boni & cordati, si maximè ipsum anteà propter libellos in Philosophia non ineruditè scriptos, amore complexi sint, nunc tanquam blasphemum & impium criminatorem meritò oderint atq; detestentur. Et hunc quidem abominandum suum fœtum, procul dubio iamdudum conceptum atq; altum eo ipso tempore edendum censuit, quo me publicis laboribus in Ecclesiis nostris aliquot annis, cùm exiguo Caluinianorum emolumento exantlatis, fractum atq; exhaustum, è clandestinis Germanicarum aularum Sacramentarius lætus intellexerat. Atq; ita de sene emerito & imbelli præclarus iste miles, Galliæ Regum priuilegio nobilitatus, & è Rabula Theologus factus certam sibi victoriam, imò etiam triumphum & immortale nomen promiserat.

Meminisse verò illud Salomonis Danæi Nobilitas debuerat: Homo proponit in animo, Deus verò disponit. Et quidẽ ita omnia disponit, vt quæ homines impij & blasphemi, qualis Danæus est, ad Ecclesiæ Dei & piorum perniciem moliuntur, ea ipse ad summum Ecclesiæ & piorum commodum atq; salutem conuertere soleat: vt in eiusmodi casibus plerunq; illud Iosephi eueniat, Fratres,

vos co-

vos cogitastis mihi malũ, Dominus verò vertit illud in bonũ, &c. Idem etiam hoc, quo de agimus, Danæi Vexamine factum esse, si nobilis Gallus fortè ignorat aut non credit, fidem ipsi faciam, dum modo ταυτολογίας vitium, quod ipso monitore in hac affecta ætate corrigere nequeo, hac vnica saltem vice rigidus Examinator mihi condonare non grauetur.

Hunc autem procul dubio scopum Danæi nobilitas sibi propositum habuit, vt nostrarum Ecclesiarum doctrinam meo qualicunq; libello plenissimè expositam, & immotis sacræ Scripturæ fundamentis, certissimisq; orthodoxæ antiquitatis testimonijs communitam, in solidum labefactaret atq; conuelleret: Et contra suam Caluinianam ita assereret atq; stabiliret, vt totus Ecclesiarum nostrarum orbis ipsius loquacitate persuasus, vera sententia abiecta, falsam Caluinianam, ambabus, quod dicitur, manibus amplecteretur.

Ad quem præcipuum ipsius scopum etiam alter non minus principalis accessit, vt scilicet nomen meum, quod non solùm apud nostras rectè sentientes Ecclesias, sed apud aduersarios etiã Zuinglianos & Pontificios, præsertim qui saniores sunt (malè sanos enim, qualis Danæus est, non moror, contra quos nostræ gentis prouerbium me solatur, Siue scelus aut scortum laudet siue vituperet, perinde est) honorificum esse videbat, plaustris conuitiorum ita obscuraret, ac denigraret, vt memoria miseri & decrepiti Chemnitij sub cœlo deleta, Danæi perpetuum & immortale nomen, toto terrarum orbe, & in omnibus compitis ac triuijs illustrè ac celebrè circumferretur.

Sicuti autem quandoq; etiam cæcus errat Homerus, & fortissimi quiq; Athletæ ventum interdum feriunt: Ita etiam Lambertus Danæus (quod cum venia tanti Goliathi delirus Chemnitius dixerit) ab vtroq;, quem sibi propositum habuit, scopo non sine summo nobilitatis suæ dedecore & totius factionis Sacramentariæ

perpetuæ

perpetua labe atq; ignominia, imò etiam detrimento ac pernitie, toto cœlo aberrauit.

Ad noſtram enim ſententiam labefactandam miſellus Rabula, ne vnum quidem ſacræ Scripturæ apicem, aut antiquitatis teſtimonium, quod aliqua ſaltem ſpecie pugnare nobiſcum videretur, ex inſtructißimo ſui fori penu afferre potuit.

Vt tamen communi ſui ſodalitij more nebulas lectori offunderet, & aliquam ſaltem fortis Athletæ ſpeciem apud ſuos aucuparetur, nunc ad qualemcunq; Grammatices peritiam oſtentandam vocabulis quibuſdam ludit, nunc de mea prolixitate & repetitionibus copioſas querelas inſtituit, nunc rectè dicta nefariè peruertit, nunc Rabularum more ſolidis refutationibus deſtitutus ad criminandi locum communem digreditur. Et ſi quid infelix γλωττοτειπὴς, cum aliquo ſuorum Zuuinglianorum applauſu & approbatione, interdum declamitat, eos locos arripit, vbi materia non ex profeſſo, ſed obiter tractata eſt, quos ſi candidè in ſuis ſedibus intueri voluiſſet, omnes ſuas declamationes in fumum abituras, facilimè deprehendißet.

Noſtram igitur ſententiam, inuicto veracis Filij Dei verbo nitentem, impudentißimi huius rabulæ ſophiſmatis, cauillationibus atq; torſionibus magis confirmatam, quàm labefactatam eſſe, omnes boni & cordati ſtramineas ipſius refutationes cum meo libello conferentes, liquidò animaduertent. Suam verò Zuuinglianam opinionem, pro qua Goliathus iſte depugnare voluit, tantum abeſt, vt minima etiam ratiuncula ſtabilierit, vt horrendis in Filium Dei & ſanctißimam illius carnem blaſphemijs eructatis abominationem atq; turpitudinem eius, toti orbi reuelarit, eamq; non ſolùm noſtris, ſed ſuis etiam plerisq; qui ſaniores ſunt, & nominis Chriſto dati meminerunt, inuiſam atq; exoſam reddiderit. Meum autem nomen, ob eam, cui ſemper ſtudui, moderationem, ipſis etiam aduerſarijs minimè inuiſum, infinitis ſuis conuitiorum

myriadi-

myriadibus perfrictæ frontis rabula, adeò non deturpauit, vt magis etiam illustrarit, & iuxta illud Augustini, famæ meæ volens detrahendo mercedi meæ nolens addiderit. Suam verò plus quàm caninam impudentiam & venenatam linguam, ac malum malicordis thesaurum, vipera ista in hoc toto scripto ita aperuit, vt omnes boni ipsum vel hoc vnico saltem nomine, tanquam nobilitatis Gallicæ fecem, & Theologorum Caluinianorum dedecus atq; carcinoma meritò oderint ac detestentur.

Tale cum ipsius vexamen esse ab amicis conuitiorum catalogum ad me transmittentibus maturè intelligerem, & ipse etiam exemplari ad me allato viderem, non immeritò illud in hoc postremo vitæ meæ actu abieci, & responso prorsus indignum iudicaui.

Et licet non deessent complures passim viri doctrina atq; auctoritate præstantes, tam politici quàm theologi, qui multis in medium adductis rationibus ad refutationem me admodum sollicitè ac diligenter cohortarentur: ego tamen meas sequutus cogitationes me isti conuitiatori longè ægrius tacendo quàm respondendo facere posse existimaui. In quo meo instituto inter cætera etiam illud me præcipuè confirmauit, quòd scirem, omnia ea, quæ aduersarius rabula cum suis complicibus contra certam & indubitatam Ecclesiarum nostrarum de persona Christi doctrinam deblaterat, in Apologia libri Concordiæ solidissimè plenissimeq; refutata esse: quã propediem etiam grauissimum neruosissimumq; Theologorum Tubingensium scriptum contra cacodoxum Tigurinorum siue Zuinglianorum consensum subsecuturum esse minimè ignorabam. Et quia insuper videbam, horrendis impudentissimi rabulæ blasphemijs, contra viuificationem & adorationẽ sanctissimæ carnis Christi diabolicè eructatis, ex aliquot præcipuis Germaniæ Academijs, publicè excusis disputationibus magno zelo reclamari, & iuuentutem ab illis sedulò præmoneri: minus certè prudenter feciſsem, si istum crabronem magis irritassem, & ad plures & maiores contra

 sanctissi-

ſanctiſſimam Saluatoris noſtri perſonam blaſphemias ~~*euomendas*~~ *prouocaſſem. Quæ omnia ſi pius lector adeoq́ tota filij Dei Eccleſia cogitet, abſq́ omni dubio me ſilentij nomine excuſatum habebit: vt qui trigeſimum iam Miniſterij, & ſexageſimum ſecundum ætatis annum compleam, & non iniuria cum Poëta querar:*

Contudit ingenium patientia longa laborum,
Et pars antiqui magna vigoris abeſt.

Ne quis autem Sacramentariorum (qui vt rectè Lutherus in ſua ad Iacobum Præpoſitum epiſtola inquit, non ſolùm mendaces, ſed ipſum mendacium ſunt) me mortuo hoc meum ſilentium ita interpretaretur, quaſi de ſententia Eccleſiarum noſtrarum, in libro Concordiæ & eiuſdem Apologia expoſita, diſceſſerim: duobus Colloquij noſtri fratribus recens è Scholis ad miniſterium allectis, exercitij cauſa, cenſorium iſtud vexamen ventilandum vexandumq́ ſubieci. Cumq́ induſtria ipſorum mihi minimè improbaretur, paſſus fui hanc refutationem, maiori ex parte à M. Friderico Petri conſcriptam atq́ retextam, Eccleſiæ communicari, vt qui inflatum & arrogantem rabulam hactenus admirati ſunt, & tanquam inuictum plenis buccis proclamarunt, ipſum nunc ab homine iuuene, nuda veritatis & falſitatis indicatione, debellatum proſtratumq́ animaduertant. Ita enim veritas vtriusq́ articuli inter Sacramentarios & nos controuerſi, per Domini gratiam à noſtra parte patefacta, illuſtrata, comprobataq́ eſt, vt iuniores etiam Theologi, ſenioribus vel per mortem ſublatis, vel ætate & viribus fractis, aut circa magis neceſſaria occupatis, de putida & abominanda Caluinianorum ſecta victoriæ laudem exiguo negotio reportare poſſint.

Vtq́ de multis noſtrorum libris de hac materia pererudite ſcriptis taceam, vnius Lutheri libri, ad ſolidam huius abſurdiſſima opinionis refutationem Eccleſiæ Chriſti perpetuò ſufficient: quibus ſi lector, Apologiam & hiſtoriam certaminis Sacramentarij, &

cuius

(cuius paulò ante meminimus) orthodoxi consensus refutationem adiunget, multiplices Zuuinglianorum fraudes in peruertendis scripturis, & Patrum testimonijs contorquendis ac mutilandis, nec non etiam historijs & rebus gestis deprauandis, facile intelliget, atq; ita sua sponte hanc hæresin cane, quod dicitur, peius & angue fugite ac detestabitur.

Ad me quod attinet, ne quid mihi mortuo suo more affingant, hac præfatione (quam in Archiuis ministerij nostri deposui) coram Ecclesia Dei testatum volo, me in ea simplicitate, qua annis iam triginta sententiam meam de articulis inter Sacramentarios & nos controuersis, & viua voce & scriptis exposui, ad extremum vsq; vitæ halitum, per Domini gratiam perseueraturum, in eaq; glorioſum Filij Dei aduentum intrepidè expectaturum esse: quem vt acceleret, & ita diuturnam ac tristissimam hanc de sua persona ac cæna controuersiam dirimat, serijs votis, miser & imbecillis senex, ad ipsum ingemisco.

Cumq; multorum iam annorum vsu didicerim, aduersarios Zuuinglianos mendacium posuisse spem suam, & pertinaciter ac obstinatè contra veritatis stimulum calcitrare, omnem de ipsis præsertim dogmatistis, iamdudum iustissimo Dei iudicio induratis, ad sanitatem reuocandis spem abijcio: & proinde meam Ecclesiam, cui Dominus me præfecit, oro atq; obtestor, & Dei loco etiam hortor ac moneo, vt iuxta D. Pauli præceptum Tit. 3. hæreticos hosce homines, non semel sed millies, non ab hominibus tantùm, sed ab ipso etiam Deo, multis tragicis dogmatistarum exemplis admonitos, tanquam subuersos & proprio iudicio damnatos, deuitent, & à venenatis ipsorum libris, auctoritate pij magistratus sui prohibitis, caueant atq; abstineant. Quod postremum meum consilium, animo optimo atq; paterno profectum, si aliæ quoq; Ecclesiæ & magistratus sequantur, & Zuuinglianos dogmatistas, tanquam cornupetas bestias, & homines in maiestatem Filij Dei blasphemos, à suis finibus ar-

Esa. 28

bus arceant, absq; omni dubio Ecclesias & Scholas atq; Respublicas, de quibus turbandis isti homines dies noctesq; cogitant, perpetuò benè constitutas atq; florentes habebunt.

Videbitur fortè quibusdam, præcipue politicis viris, hoc meum consilium aliquanto durius, & à solita moderatione mea, cui per omnem vitam studui, alienius: sed coram ipso Domino testor, aduersarios Zuuinglianos nunc eo processisse audaciæ atq; blasphemiæ, vt, nisi pij magistratus auctoritate reprimantur, secta illa (quod Philippus Melanthon in libello de sententijs veterum patrum vaticinatus est) tristissimam toti Germaniæ ruinam allatura, & tandem Turcicam Mahumeticam impietatem attractura sit. Quod vt ipse Filius Dei, cuius maiestatem Zuuingliani superbè conculcant, glorioso suo aduentu impediat, & ab insidiosis conciliationum technis, quas dogmatistæ veneni sui disseminandi gratia passim instituunt, Ecclesiam suam conseruet, toto pectore ipsum oro atq; obtestor. Brunsuigæ Anno 1584. Caled. Septemb.

Martinus Chemnitius D. Superintendens.

AMPLISSIMIS VIRIS, PRVDENTIA ET VIRTVTE PRAESTANTIBVS D. CONSVLIBVS ET SENATORIBVS inclytæ Reipublicæ Brunsuicensis, Dominis & Patronis suis obseruandis.

DOctrina de duabus naturis in persona Christi hypostaticè vnitis, & de quæstionibus inde pendentibus plurimùm omnium hoc miserrimo mundi seculo in disputandi controuersiam vocatur: cuius explicationem ex S. Scriptura & Orthodoxa antiquitate consentientem ante paucos annos edidit Mart. Chemnitius D. Superintendens noster in Christo co-

ſto colendus, quã omnes boni libentiſſimè fatentur talem eſſe, qualis in hoc genere vlla optima eſſe poſſit. Eius Examen non multo poſt inſtituit quidam Lambertius Danæus, homo, vt apparet, nec ineruditus, & in diſputando pertinax, & ſuo iudicio cautus: qui quũ ſuis videretur plerasq; peracutè contra Chemnitium diſſeruiſſe, in quibus Sacramentarij ſatis glorioſe triumpharent, quaſi iam veriſſime cauſa ſuperiores facti, quibus item facile poſſent moueri non admoniti, vt in opiniones aduerſariorum diſcederent, multi boni viri petierunt, vt Chemnitius ipſe reſponderet: quod quum ille propter certas cauſas nollet, multumq; & ſæperogaretur, tandem iuſſit me collatis vtriusq; ſcriptis breuiter reſpondere. Feci itaq;, quod potui, ea diligentia & induſtria, quam videbatur res ipſa poſtulare, vt breuitati quidem ſtuderem, nec tamen vllum minimum argumentum aut vllum cuiuſquam minimi argumenti momentum prætermitterem, quod non attingerem, & pro mea tenuitate refutarem, quod manifeſtum erit hanc reſponſionem Examine ipſo conferentibus: & de conſilio Chemnitij ſingula ea ratione & via perſecutus ſum, qua erant à Chemnitio tractata, ne mihi neceſſe eſſet idem multis locis inculcare, quum Danæus omnia confuſe diſputet, & eadem ſæpiſſime repetat, potiſſimum locis alienis.

Sunt tamen nonnulla, de quibus in reſponſione non putaui monendum, quòd eſſet de ijs iampridem abunde admonitũ ab alijs: vt de hiſtoria controuerſiæ Sacramentariæ, de qua noſtri publico nomine peculiarem librum conſcripſerunt: itemq; de Brentio, quem Danæus ait in Syngrammate Sueuico damnaſſe realẽ carnis Chriſti præſentiam in S. Cœna, quam poſtea ceperit aſſerere: quod eſſe commenticium ita noſtri euicerunt ex eo ipſo Syngrammate, vt Beza, qui idem de Brentio ſcripſerat, falſi conuictus nihil contradixerit: & quòd eundem Brentium Danæus fingit viuo Philippo puduiſſe ſuæ ſententiæ de communicatione Maieſtatis, nec auſum eſſe eam apertè proferre, quod venenum tandem mortuo Philippo eruperit:

In præfat. pag. 5. & ſequentibus.

In præfat. pag. 11.

In præfat. pag. 12.

quod ipsum etiam falsum esse nostri comprobarunt tam perspicuis testimonijs ex aliquot Brentij commentarijs ante mortẽ Philippi editis, vt Beza, qui de Brentio ipse quoq; idem affirmarat non ausus fuerit amplius istud de ipso repetere: vnde apparet, hominem istũ nonnihil Christiani pudoris memorem ea, quæ videat esse manifestè falsa, nolle porro tanquam vera inculcare: quod eius exemplo discat etiam Danæus, ne nobis ista de Brentio deinceps reponat.

Pag.283. Sunt etiam quædam alia, quæ ad hoc argumentum propriè non pertinent, vt quòd regenerationẽ nostram describit non aliter, atq; Pontificij, quòd sit sancta quædam animi qualitas & habitudo

Pap.319. creata, & in nobis manens ac hærens: & quòd ait, Nos Christiani res ac multo magis verba ipsa nobis ad Dei gloriam subijcimus, verè scilicet illud de se suisq; dicens, qui res non sinunt esse, quemadmodum Scriptura definiuit, sed eas sibi subijciunt, & captiuant

2.Cor.10. in obœdientiam suæ rationis, quum debeant potius cùm Paulo capeiuare rationem suam in obœdientiam Christi & ipsarum rerum, & cum Augustino in Ecclesia non liberis vti verbis, vt Philosophi, sed ex præscripto loqui: de quibus ipsis quoq; & nonnullis alijs, quæ huius argumenti non erant, in responsione monere nolui, ne Lectori odiosa esset prolixitas.

Etsi verò plurimùm modestè & placidè contra Danæum disputare instituì, quod me hominem adolescentem putaui decere: tamen de calumnijs & nimis manifestis verborum Chemnitij depravationibus à Danæo adhibitis, vt & alicubi de ipsius in disputando & interpretando negligentia non debui leuissimè iudicare. In reliquis rerum pondere, quantùm possem, non acerbitate verborum decertare volui, secutus vestigia Chemnitij, qui, contra quam solent multi alij, de solis ipsis rebus semper considerauit, inter differendũ conuitijs alios consectatus non est, nec conuitijs factis acerbè respondere vnquã laborauit, quia meminerat, ea scribendi ratione, qua disputantes studia, vitam, mores & lapsus aduersariorum inimicè

micè insectantur, aut conuitijs aliorum cum stomacho respondent, expleri quidem animos eorum, qui cum voluptate eiusmodi clamores & conuitia legunt, at moderatis ingenijs non paruam molestiã exhiberi, quòd ista nihil ad rem faciant, & exulcerentur hominũ animi, quos decebat coniunctis studijs de veritate sollicitos esse, ideoq; ista leuicula alteros alteris condonare, quum nemo sit omnium, apud quem non inueniatur, quod possit in reprehensionem incurrere. Quod ipsius tam nobile exemplum si bonis viris videbor in hac responsione secutus esse, & de plerisq; modestè & sine acerbitate considerasse & respondisse, mihi videbor hoc esse assecutus, quod volui: nam de responsione ipsa, qualis ea putanda sit, iudicium relinquo pijs lectoribus.

Sunt autem multæ & variæ quæstiones in hoc argumento, de quarum plurimis aduersarij facile nobiscum consentiunt. Duæ tantum restant, quæ penè sunt totius rei caput, de quibus potissimum magnis contentionibus controuertitur, vna, de ipsa naturarum Christi vnione, altera, de tertia specie communicationis idiomatũ. Has Danæus cùm Chemnitio diligenter considerare debuit, & quæ displicerent, ea tantùm solidè refutare, si posset: non debuit in reliquis, de quibus nullum est inter nos & aduersarios certamen, singulos apices verborum examinare, ne dicam temerè cauillando flagellare: quod si obseruare voluisset, totam Examinis istius molem dimidio, vel amplius minorem fecisset, nec lectoris ocio fuisset abusus, nec calumniandi libidinem tam manifestis indicijs tamq; sæpè præter rem præterq; Chemnitij meritum, & contra illã ipsam tam splendidam protestationem in vestibulo libri positam prodidisset, & haberetur à nobis Examinator multò etiam moderatior & veritatis studiosior, & nobis respondendi laborem minuisset ijs locis, vbi opus fuit indicare, Chemnitij verba longè aliud dicere, quàm ipse fingeret.

Vnde fit, vt, si quid hîc contra adferet (adferet autem sine

dubio

dubio multa) iudicemus, hoc ipsi esse in primis moliendum (nisi putabit, consilij nostri rationem planè esse repudiandam) vt de ijs, quæ sunt inter nos controuersa, ita respondeat, vt videatur ad inquisitionem & vestigationem veri vtiliter aliquid monere voluisse, nec in reliquis membris, de quibus inter nos prolixè conuenit, singula verba pendat, quod etiam in Philosophia fieri Cicero vetat. De Orat. *Etsi enim etiam in ijs, quæ minimè sunt controuersa, alius alio cautius & accuratius loquitur, & decet eum, quem apparet minus circumspectè locutum esse, aquo animo ferre, immò gratias agere, si moneatur: tamen quia deprehendimus in toto hoc Examine, Danæum non in eo elaborare, vt de rebus ipsis aut commodioribus loquendi formulis quicquam rectè moneat, sed penè tantum quasuis occasiones captare ad quiduis temere calumniandum, de quo res ipsa docet nos meritò conqueri, Chemnitio quoq; multis locis peregrinas sententias violentis detorsionibus & deprauationibus verborum eius affingere, iure optimo videmus ipsum rogare, nisi molestè fert, se de re permagna rogari, vt istud disputandi non optimum genus nonnihil auersatus potius de ipsis controuersarum rerum & argumentorum momentis nobiscum consideret eo animo, non qui putet, sua esse quoquo modo defendenda, qualiacunq; etiam esse deprehendantur, sed cui propositum sit veritatem diligenter & in timore Domini quærere, nec è præsumtis opinionibus quicquam temere negare, vt è placida sententiarum collatione tandem veritas magis magisq; eluceſcat.*

Verbi gratia, vt è multis pauca adferam. Varijs exemplis vel rerum paribus tertiam speciem communicationis idiomatum in naturis Christi negat, itaq; ijs ipsam etiam earum vnionem describit, quæ cùm alibi, tum potissimum cap. 6. verissimis rationibus ostendimus esse inepta, & ἑτερογενῆ, & ab hoc argumento tam remota, quàm quæ maximè, quum nulla talis sit in ijs naturarum περιχώρησις, *penetratio vel immeatio, qualis est ignis & ferri, vel*

corporis

corporis & animæ, eius similem faciunt S. Patres vnionem vel περιχώρησιν naturarum Christi, ideoq; nequaquam rectè dici possit, Tota plenitudo capitis habitat in pede corporaliter, Tota plenitudo sphæræ solaris habitat in sole corporaliter, &c. quemadmodum rectè dicitur, Tota plenitudo Deitatis habitat in Christo vel in carne Christi corporaliter. De ijs tam ineptis similitudinibus defendendis laboret, aut quia eas nequaquam potest & rectè defendere, absurditatem earum nobiscum agnoscat, & ijs porro vti in hoc argumento, & realem idiomatum communicationem negare desinat.

De operibus Trinitatis, quæ vocantur ad Extra, sic disputat cap. 12. vt ex eius argumentationibus manifestissimè consequatur diuersitas naturarum in personis Trinitatis: de quo nos cap. 25. De ijs tam prauis opinionibus piè corrigendis curet.

Contendit, corporis proprietates euerti, si idem statuatur simul in pluribus locis: cuius refutationem asscripsimus cap. 30, trib. rationibus comprehensam, quas solidè refellat, si potest, aut si deprehenderit, se nullo modo posse, desinat isto paradoxo physico negare corporalem præsentiam carnis & sanguinis Christi in sacra Cœna.

Vetera illa & obsoleta, & iamdudum protrita de ascensione Christi ad cœlos, de transitu eius ex hoc mundo ad Patrem, & reditu ad iudicium repetit cap. 30. tanquam à nemine nostrum animaduersa, quorum dictorum solidas & pias explicationes Chemnitius breuiter & neruose inculcauerat, quas in hoc examine Danæus vel bulo non attingit, qui mos est istorum hominum vsitatus ille quidem & frequens, attamen nequaquam probandus, vt, sicubi vident, sua solide esse dissoluta, nec sese ea posse aduersus tam veras confutationes defendere, de confutationibus & explicationibus istis prolixè taceant, & sua tanquam inuicta & ἀδιάλυτα nihilominus magnis clamoribus reponant. Pa. 473 &c. item 510.

De ijs igitur cum Chemnitio diligenter & sobriè consideret,

vt videatur amorem veritatis habere, non certare ieiunis elusionibus: ita non opus erit, vt nobis peregrinas opiniones affingat ex leuiculis verborum apicibus, quas possit cum aliquo suorum applausu eleganter refutare, nec vt de synonymis ex errore vulgi nominatis, de idiomatum naturalium non recte constituta definitione, de operis & operationis differentia non obseruata, de duabus in Christo personis, de humana natura extra vnionem considerata, de colorum dijudicatione perperam oculo tributa, de reali communicatione idiomatum vnius naturæ in alteram in primo & secundo gradu per calumniam nos accuset, vt accusarit in isto examine sæpissimè: sed in alijs grauioribus argumentis occupatus abunde multa habebit, ad quæ ipsi omnino necesse erit respondere, de quibus item multo vtilius curare poterit: quod si voluerit obseruare, vt diligenter ipsas integras argumentorum nostrorum rationes expendendas sibi proponat, nec quicquam prudens sciensq; contra mentem nostram ad arripiendas quascunq; cauillandi causas detorqueat, speramus futurum, vt aut manifestam veritatem lubentissime nobiscum suscipiat, ad eamq; animum ab istis suis prauis opinionibus traducat, aut, si quid contra disputabit, pro veris argumentis opinionum suarum commenta nobis adferat.

Quòd veritatem susceptarus non sit, id fortasse dubitationem non habet, quum suis opinionibus fascinatus veritatem putet esse mendacium, & quæ negare non potest in libello Chemnitij vera esse, ea sæpissimè non tantùm non probet, sed etiam præter meritum reprehendat quasi technis & araneis plena. Quòd commenta sua potius allaturus sit, docet istud ipsum Examen, quod tali artificio contexuit, vt, si eodem modo disputare perrexerit, bonum examinatorem aut studiosum veritatis eum putaturi non simus. Nam plerasq; omnes optimas Chemnitij rationes & argumenta, quibus ipsum verum causæ momentum inerat, altissimo silentio præteriit, tanquam omninò nulla illîc essent. Quæ verò sibi proposuit ad refutan-

futandum, ea non integra repetijt, nec ex sententia Chemnitij, quam perspicua verba manifestissimè declarabant, sed mutila & quasi decurtata, quasi scilicet visa sunt ipsi materiam reprehendendi præbitura, vel cum aliqua specie posse refutari: aut ex sententia Chemnitij plenè quidem repetijt, nec tamen solidè refutauit, quamuis sibi videatur omnia peracutè dissoluisse: tantúm cõmenta vel illa vulgaria sociorum, vel sua quædam propria recens inuenta, multò etiam ea vulgaribus istis callidiora, quanta potuit maxima vehementia inculcauit, nec indoctè & satis cautè, vt non parum acuminis habeant: astutè quidem omnia, & ad tegenda sententiæ suæ vulnera peraccommodatè, sed ad iurandam veritatis inquisitionem ineptè, vt non parum etiam certiores nos de nostra sententia faciat hoc Examen, quum videamus, talem in eo disputandi rationem adhibitam esse & vsurpatam.

Legant igitur studiosi veritatis hanc responsionem, & adiungant illam nostram admonitionem de Fidei supra cœlos euolatu Sacramentario, quam vnà in publicum damus, inuenient non pauca; quæ spero pios omnes libenter esse probaturos. Danæum quoq; ipsum, si volet rem diligenter considerare, & videri mentem veritatis cupidam habere, non grauatè testaturum confido, nonnulla sic esse refutata, vt ea nequaquam possit porro rectè defendere.

Nam testimonia, quæ in hoc Examine de manifesta veritate dixit, diligenter collegi, eaq; per multa, & autori suo spectanda ob oculos proposui, vt videat, quanta sit vis & euidentia veritatis, quæ sæpe voces verissimas etiam contrarium sentienti soleat exprimere.

Contradictiones quoq; non paucas plurimis locis inuentas accumulaui, quibus idem de eodem negat & affirmat, vnde causa suæ morbum agnoscat.

Varias item absurditates passim notaui, quæ ex eius ratiocinationibus manifestissimè consequantur, vnde ipsius quoq; sui dogmatis

gmatis absurditatem perspiciat. ¶ In primis illud caput, quod ego esse puto præcipuum in hac causa, diligenter inculcari, quod est de vnione naturarum Christi facta per περιχώρησιν vel mutuam earum inter se penetrationem, qualis est ignis & ferri, cum quapleraq; rationes & similitudines Danæi de sphæra solis & corpore solari, de capite & pede, de Mose & virga eius, &c. quibus penè solis in hoc argumento plurimùm confidit, nequaquam conueniant, vnde sententiæ suæ vitium deprehendat.

Quàm verò sit insolens & absurdum, quantumq; & à S. Scriptura & à consentientibus omnium S. Patrum vocibus, & ab ipsa Philosophia dissentiat, recens istud dogma Sacramentariorum de Fidei supra cœlos euolatu, tam perspicuis rationibus demonstraui, vt valdè cupiam cognoscere, quam rimam reperturus sit Danæus, qua elabatur. Nam ad hoc παράδοξον velut ad sacram eamq; vnicam anchoram hactenus semper confugit, quum propter euidentiam verborum institutionis coactus est aliquam præsentiám corporis Christi in S. Cœna concedere, à quo perfugio confido ita esse ipsum & manipulares eius exclusos, vt non possint non omnes sani facilimè nobiscum perspicere eius tam lubrici dogmatis manifestam vanitatem, & intelligere, quam malitiosum sit in re seria ludificari homines talibus commentis, quæ ne quidem philosophicè vera sint: quibus omnibus si non mouebitur, vt sibi patiatur planè ad veritatem persuaderi, nostram sententiam esse ipsius S. Scripturæ certissimam doctrinam, fruatur ille certè suo errore, quamdiu volet: nos pijs omnibus abunde satis factum putamus.

Deniq; totius nostræ de persona Christi & de communicatione idiomatum sententiæ fundamentum est ipsa naturarum Christi arctissima vnio, qua sese infinita λόγος Deitas admirabili, stupendo & omnibus omnium hominum & angelorum mentibus incomprehensibili nexu per περιχώρησιν, immeationem vel penetrationem tota totaliter immisit in assumtam carnem, itaq; illi totam

suam

ſuam eſſentiam per eiuſmodi περιχώρησιν *communicauit, ſicut ignis ferro, ſine confuſione, deſtructione vel exæquatione, vnde communicatio* ἐνεργειῶν *neceſſariò conſequitur, vt & in ferro ignito: quã talem naturarum Chriſti* περιχώρησιν *ſi Danæus nolet concedere, ſed contra diſputabit & vociferabitur, fruſtra profectò ſuſcipietur omnis & clamandi & reſpondendi labor. Nos enim carnali reſiſtentes cogitationi ex Scriptura & S. Patribus didicimus, eſſentiam diuinam eſſe quidem infinitam, eſſe vbiq;, implere cœlum & terram, non autem ſpacioſa magnitudine per cuncta diffundi, ſicut fumus, aut humor, aut aër, aut lux iſta diffunditur, ſed eſſe totam, totaliter vbique, nec habere partem extra partem, ideoq; infinitam Deitatem* λόγου *totam totaliter cum tota ſua redundantia in aſſumta finita carne Chriſti cumulatè admiſſam, eiq; per* περιχώρησιν, *immeationem vel penetrationem, qualis eſt ignis & ferri, corporis & animæ, arctiſſimè vnitam: quomodo verò ſit infinita, quomodo tota totaliter vbiq;, quomodo tota totaliter admiſſa ſit in carne Chriſti, vt nihilo magis deſinat eſſe infinita, vel cœlum & terram implere, Scriptura non explicauit, & S. Patres negant, mortalis intelligentiæ fragilitatem inuenire, quomodo ſentire vel intelligere poſſit. Quid enim intelligat? quum non poſſit intelligere, quod eſt ante oculos omnium poſitum de imagine ſolis, quæ tota eſt in tota aqua, & in qualibet eius parte tota, nec illud de animæ, quæ ipſa quoq; tota eſt in toto corpore, & in qualibet eius parte tota, quemadmodum præter Ariſtotelem & Scholaſticos Auguſtinus multis locis & Ambroſius veriſſimis rationibus docent.*

Credimus ergo Scripturæ, credimus S. Patribus affirmantibus, totam plenitudinem Deitatis inhabitare in ipſa Chriſti carne per arctiſſimam περιχώρησιν *& immeationem, & quod in ſcriptura reuelatum non eſt, & quod S. Patres negant hominem viuentem capere valere, id ad æternam ſcholam reſeruamus. Nam ſomnia*

ista de multiplicatione, dilatatione, diffusione, expansione & extensione Deitatis velut alicuius vastæ molis non possumus non valdè auersari & fugere, vt extra modum absona & absurda, & iamdudum à Scriptura & S. Patribus disertè damnata: quum ne quidem anima vel imago solis in aqua multiplicetur, vel mole aliqua diffundatur per spacium loci, sed ita in singulis distantibus locis tota simul adsit, non vnum deserens, vt in altero tota sit, neq; ita vtrunq; tenens, vt aliam partem hîc habeat, & alibi aliam, sed sufficiens exhibere se singulis locis simul totam. De hoc nostræ sententiæ fundamento, quod ex certissimis Scripturæ & S. Patrum testimonijs didicimus, bona conscientia discedere non possumus, nisi volemus etiam sceleratè ipsam manifestissimam veritatem prodere, & ex Arriano & Ebionitarum cœno tandem planè diuinitatem Christi negare.

Danæus contra non vult quidem videri putare, attamen putat, Diuinitatem λόγε ita esse infinitam, velut aliquam vastam & stupendam molem, latissimè in omnes cœli & terræ partes diffusam, quæ tota totaliter per περιχώρησιν vel penetrationem nullo modo finitæ carni Christi vniri potuerit, sed extra eam mole sua diffundatur & extendatur in infinitum, quæ quamuis alia sui parte longissimè distet ab assumta humanitate, tamen alia parte sibi eam habeat arctissimè & inseparabiliter vnitam: quæ opinio vt fundamentum est totius in hoc argumento sententiæ Danei, ita in eam ipse nullis veris rationibus, pene solis istis multò omnium ineptissimis similitudinibus adductus est, de quibus cap. 6. quam deponere non vult, vt apparet. Habeat igitur eam, quamdiu volet, & habeat sibi: frustra sperabit, se clamando nobis persuasurum, eam esse veram. Tantum enim abest, vt certis & sufficientibus rationibus dicta Scripturæ & S. Patrum de illa ipsa naturarum Christi περιχωρήσει refutet, & istam suam opinionem probet, vt ne quidem verisimilem aliquam adferat saltem vnicam minimam,

quia

quia ſcilicet nullam habere potuit: Promittit quidem in præfatione, ſe noſtrum dogma & fundamentum, quo pronunciat nihil eſſe perniciosius & magis falſum, ſuo loco copioſe refutaturum. Sed os oblinit lectoribus: nihil enim prorſus adfert in toto examine. Capite 6. quæ ſedes eſt huius quæſtionis, interpretatur περιχώρησιν tantùm de prædicatione Dialectica vel primo genere communicationis idiomatum, huius argumenti de mutua inter ſe naturarum Chriſti penetratione non meminit, niſi quòd negat, illud eſſe verũ, & negat nudè ſine rationibus, imò negat ijs ipſis rationibus, quibus illud contra Damaſcenus explicat & probat, vt oſtendimus. Quæ quum ſint omnia ad refutandam noſtram ſententiam inepta & infirma, fit, vt infirma quoq; ſint ea, quibus negat communicationem idiomatum vel ἐνεργειῶν in naturis Chriſti, quæ ex iſta earum inter ſe περιχωρήσει vel penetratione conſequitur: quæ duo ſunt totius cauſæ caput & quaſi ſumma: ad quam veritatem ſi Danæus animum ſuum nolet reuocare, vt iſtam ſuam tam abſurdam opinionem abijciat, fruſtra conſenſus aliquis in hac doctrinæ Chriſtianæ parte ſperabitur. Pag. 25.

Veſtro autem nomini, viri ampliſſimi, hoc quicquid eſt laboris & operæ inſcribere volui, quòd elucubratus eſſet in hac Eccleſia cùm ipſe Martini Chemnitij D. libellus, tum hæc quoq; eius qualis cunq; defenſio, vt teſtarer, eſſe inter nos, qui hîc miniſterio verbi fungimur, iucundam animorum coniunctionem, ortam è pio & vnanimi conſenſu in controuerſis partibus doctrinæ Chriſtianæ, & vt ſignificarem omnibus, qui hæc eſſent lecturi, eſſe præterea piam conſenſionem ipſius quoq; Reipub. & Eccleſiæ, multis iam annis confirmatam, & feliciter huc vſq; ſeruatam, quam vtramq; non dubium eſt Deo gratam eſſe, & multis conſcientijs ſalutarem. Vt enim de illa miniſterij taceam, certè hanc Reipub. & Eccleſiæ conſenſionem in doctrina S. Sanctus valde celebrat, quum ait, Principes populorum congregatos eſſe cum populo Dei Abraham: quemadmo- Pſal. 47. Pag. 183. 233. 234. 243.

admodum contra damnat & improbat non tantum persecutores verbi, verùm etiam ignauiam illam, quando Magistratus putat, non esse sui officij curare, quæ doctrina populo proponatur, vnde necessariò tandem consequitur Religionis omnis & pietatis interitus, vt ostendunt multa tristißima exempla præstantium Ecclesiarum, quæ paulatim ad fœdas idolomanias & hæreses defecerunt negligentia Magistratus.

Quum igitur vestra Respublica, præterquàm quòd Dei beneficio custos est honestæ disciplinæ, pietatem quoq; colat, & osculetur Filium Dei, & Ecclesiam nutriat, hoc nomine non immeritò laudatur ab omnibus, & Deus ipse non obscuris testimonijs ostendit, quàm gratum sit ipsi hoc vestrum studium, quum aduersus omnes Satanæ molitiones mediocrem tranquillitatem & piam concordiam in hac Ecclesia tribuit & conseruat, cuius me curem & membrum esse gaudeo, & hoc ipso scripto publicè testatum volo.

Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi rogo, vt puritatem verbi, quam nobis benignè dedit, & adhuc aduersus omnes corruptelas integram conseruauit, porro etiam benignè conseruet, & omnes errores, tetras blasphemias, & periculosas veræ doctrinæ deprauationes, quas admirabili fuco tegunt aduersarij, ne rudioribus appareant, clementer à nobis prohibeat, & Ecclesiæ & Reipublicæ bona, quæ largitus est, perpetua nobis esse velit ad nominis sui gloriam, & multorum salutem, Amen. Brunsuici, Mense Octobr. Anno 1584.

A. V.

deditiß.

M. Fridericus Petri minister verbi.

In Examen Lamberti Danæi.

ANte duos annos, aut circiter, impia quando
In lucem ſua produxit commenta Danæus,
Chemnitij contra doctum fabricata libellum,
Quem de Naturis Chriſti cum laude duabus
Ediderat pridem, multi, quos improbus error
Caluini dementat, opus dixere ſtupendum,
Quod nec Chemnitius, nec eo ſolertior vnquam
Seu ſcriptis, viua ſeu voce refellere poſſet.
Vſq; adeo male amatorem fallacis amica
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc
Delectant, veluti Balbinum polipus Agnæ.
Ipſe ego iudicio tali commotus eundem
Protinus admiror librum, ratus æthere ſummo
In terras opus eſſe datum diuinitus, omni
Labe carens fœdiq; expers erroris, honeſta
Plenum doctrina, quod nulla calumnia, nullæ
Fraudes, inſidiæ nullæ, ſed gloria Chriſti
Vnica, ſolus amor pietatis, & vnicus almæ
Relligionis honor ſupera genuiſſet in aula.
At poſtquam inſpexi legiq; attentius, orco
Prognatum vidi, ſic dogmata falſa Danæus
Multa refert, plura impia, plurima rectè
Dicta malè euertit, rabulæq; volubilis inſtar
Decertat verbis, vbi res tractanda: forenſis
Qui rabula ergo volet fieri, legat ille Danæi
Examen, vel menſe erit hinc rabula optimus vno.

M. Ioh. Gaſmerus.

ALIVD.

PErfidus ætherio deiectus vertice Serpens
Qui genus humanum scelerata perdidit arte,
Perditus ipse suo arbitrio, cui nomina mille,
Mille nocendi artes, ceu prima ab origine mundi
Expuit in Matrem furias, quum prole potiri
Illius haud posset, sic nunc quoq; sæuit in illam,
Vastaq; diducens immani guttura collo
Eiaculatur aquas commistas sanguine multo.
Iamq; furit magis atq; magis, quia sentit adesse
Postremum tempus, quo tota hæc machina mundi
In cineres collapsa ruet, tenuesq; fauillas,
Illum quò abripiet puteus lethalis Auerni,
Æternas poscens pœnas pro turpibus ausis.
Dumq; ita postremo Serpens hoc tempore mundi
Horrendum furit antiquus, loca plurima passim
Insidijsq;, dolisq; artes intentus in omnes.
Conspiciens, varias sectas & dogmata falsa
Disserit, atq; homines, quorum est suffusa veneno
Lingua, mouet, monstris turbent vt pectora sancta,
Et falso inficiant incautas dogmate mentes,
Et nodum in scirpo quærant, & falsa probantes
Inducant luci tenebras: si fortè virum quem
Conspiciant, qui scripta ipsorum opponere scriptis
Audeat ex sacri certo fundamine verbi.
Conspirant, summis & tentant viribus omnes
Deformare hominem, dirisq; lacessere dictis.
Qualiter infensi in magnum conuitia iactant
Chemnitium, nostri secli decus atq; futuri,
Multa præstantem virtute & fortibus ausis,
Quo Brunsuiga potens se tanto iactat alumno,

Marchia

Marchia tum cuius lætatur origine tellus.
Eius ſcripta viri ſanctam teſtantia mentem
Contemnunt craſſa Bœotum ex aëre porci,
Qui lita palladio corrumpunt pepla lepore,
Herculis Albiaci & ſanctos fœdo ore labores
Conſpurcant temere: ô facinus mirabile & audax,
Sub ſpecie panis Chriſti venerabile corpus,
Sub ſpecie vini dicunt non eſſe cruorem.
O fœdum errorem, Danæus Dipnoſophiſta
Quem ſummo ſtudio defendit, & acriter auget.
O fœdum errorem, quem tu Buſinge ſolebas
Odiſſe ex animo ſemper cane peius & angui.
Non tibi Danæi fucoſa calumnia linguæ,
Ex Erebo Inuidiæ eſt quæ nata parente, placebat,
Chemnitium noſtrum qua turpi labe notauit.
Iamq; aggreſſus eras aliquid conſcribere contra,
Et niſi rupiſſet tibi debita tempora vitæ
Parca ferox, ſacræ defendere dogmata Cœnæ,
Nonnihil & calamo poteras, & voce diſerta.
Namq; erat ingenuæ præclara induſtria mentis,
Vſus item, & linguæ tibi par vtriusq; facultas.
Sed tibi non licuit fato præſtare, quod ipſum
Pars animæ Buſinge tuæ Fridericus abunde
Nunc præſtat Collega tuus tibi ſanguine iunctus.
Ergo nos Friderice tibi debere fatemur
Plurima, quòd vana erroris commenta nefandi
Confutas, meliora docens & conſona recto.
Non tua penna ioco mordari ſcommata ſalſa,
Spargere tentabit, calamo moderatius vſus
Perge argumentis defendere ſcripta Lutheri,
Chemnitijq; ſenis, damnato dogmata falſa,
Creduta decipiunt quæ miro pectora fuco,

Iure-

Tu rectum rectum, tu curuum dicito curuum.

Dogmata confessi qui tecum sacra propagant,
Quod multi faciunt, videant vt limen Olympi,
Diuorum & veram patriam, sedesq; beatas,
Exciti terra, quum se dabit integra messis,
Læto animo tecum referentur in horrea cœli.
At malè qui tractant sacræ mysteria Cœnæ,
Iesu Christe tuum qui corpus ad astra ligantes
Corrumpunt sacram mundi in caligine lucem,
Illos Messores inferni falce secabunt,
Vulnificosq; rubos, peracutis germina spinis
Detrudent subitò tristi cum fulmine ad vmbras,
Horrendas vmbras Erebi, noctemq; profundam.
Nate Dei reprimas grassantis Dæmonis iram,
Omni nos rabido qui tempore circuit ore,
Quem voret inquirens: tumidos tu pelle Sophistas,
Qui non recta docent, & dira absynthia miscent.
Prudentis nobis da simplicitatis amorem,
Ne crimen, ne glossa nimis speciosa vel error
Seducat mentes, quæ cœlica iussa capessunt.
O æterne Deus, Genitor, Λόγε, Spiritus Alme,
Exaudi gemitus, quos castè fundimus omnes
Ore animisq; tibi, ô exaudi vota, piasq;
Christe preces: sic te, dum nobis vita manebit,
Carminibus puris, puro & celebrabimus ore.

Antonius Bolmeier Pastor Ecclesiæ
in Eddessa & Deenhusen in inclyto Ducatu Lunæburgenti.

Libello Martini Chemnitii D.

DE VNIONE HYPOSTATICA NATVRARVM CHRISTI & de Communicatione Idiomatum, ad ejus Examen à Lamberto Danæo conscriptum,

Responsio

M. Friderici Petri.

ARtificium disputandi, quo Danæus utitur in hoc Examine, est ejusmodi. Statum cujusque capitis rarò spectat, ut argumenta Chemnitii verâ examinandi Methodo refutet: sed è singulis capitibus Theses describit pro arbitrio, de quibus declamitat, quantum potest: unde fit, ut pleraque omnia confusè nec suis locis tractet: quibus quum respondere proponerem, cura mihi adhibenda fuit, eáque non multò etiam minor ipso refutandi labore, ut unumquodque in suum locum restituerem: quod quomodo præstiterim, initio monendum puto.

1. De phrasibus illis: *Essentialiter, subjectivè, formaliter, habitualiter, inhæsione essentiali vel accidentali, ut substantiam, ut accidens inesse* multùm laborat: de quibus omnibus erit cap. 21.

2. Communicationem Idiomatum negat argumentis, iis quidem non multis, at variè repetitis, & per totum Examen sparsis; quæ omnia congessi in cap. 22.

3. De Antiphysicis instat sæpissimè, quibus humanam naturam dicit everti; de quibus erit cap. 22. & vel potissimûm etiam cap. 30.

4. De cooperatione carnis Christi in miraculis & officiis Mediatoris, & de propriis utriusque naturæ ἐνεργείαις in communi Apotelesmate videbimus cap. 25.

5. De vivifica carne Christi multa passim admiscet, de quibus omnibus explicabitur cap. 24.

6. De Monotheletis erit nominatim cap. 18. De gratia unionis cap. 13. de gratia habituali vel donis creatis cap. 20. Si quæ præterea sunt à Danæo non suis locis disputata, de iis, ubi occurrent, monebimus. Hæc semel dixisse sufficiat, ne nobis opus sit omnibus iis locis, ubi de rebus istis Danæus agit, asscribere, quid quo capite refutaturi simus, quum brevitati studendum putemus, & ne cui videamur ista velle prorsus silentio præterire, quando de iis tacebimus, ubi Danæus ista disputârit.

Verum enimverò quemadmodum in mari nautæ ventorum impetum nonnunquam sequantur oportet, contrà quàm volunt: sic sæpe necesse visum fuit nonnullis respondere iis locis, quibus apud Danæum occurrebant, etiamsi essent alibi quoque repetenda: unde factum est, ut aliquando idem pluribus locis diceretur.

Si quis etiam Lector curiosus esse volet, ei quoque satisfeci, notatis plerisque omnibus paginis, ubi quodvis argumentum Danæus tractat & repetit.

Ad examinis Danæi

Cap. I.

Quum in omni scriptorum genere duo potissimùm spectentur, res & verba, Danæus in examinando libello

Chemnitij

Chemnitii eadem ſibi nõ tam veritatis inveniendæ ſtudio ſpectando, quàm quod res ipſa clamitat eſſe veriſimum, calumniandi libidine flagellanda proponit. Orationem Pag. 11.
inſimulat obſcuritatis, quæ longiore declamatione, quàm nervoſiore ſermone conſtet: doctrinam pronunciat eſſe mendacem & perverſam, quæ nonnulla quidem vera con- Pag. 10.
tineat, ſed eadem tamen mixta falſis. Nos ne de re nihili cum Danæo dimicemus, lectorum ſudicio relinquimus, utrius oratio ſit obſcurior: certè Chemnitii tam perſpicua eſt, ut non opus ſit aliquo Oedipo, qui doceat, quid dicatur. Ad doctrinam quod attinet, Chemnitius indignum putat, de ea Danæum ante inchoatum Examen mox in prima pagina pronunciare, de qua meritò debeat Eccleſia ponderatis utriuſque partis rationibus judicare.

Certis autem Theſibus ſingulas diſputationes complexus eſt, quas ex ipſiſmet Chemnitii verbis ſe deſumſiſſe profitetur. Sed res ipſa poſteà docebit, ipſum inde ſcribendis iſtis Theſibus multa detorquere in alium ſenſum, additis, aut ſubtractis, aut mutatis, quæ voluit, quæ certè fraus eſt, & magnũ adfert ſententiæ Chemnitii detrimentum. Præterea non debuit pro arbitrio ex ſingulis capitibus Theſes deſumere, præſertim tales, ubi Chemnitius obiter eorum meminit, quæ poſteà pleniùs eſt explicaturus, ut iſta qualicunque occaſione arrepta de iis ſplendidè quidem, attamen loco alieno declamitaret: ſed debuit ipſam ſingulorum capitũ quæſtionem ſpectare, & diſpicere, quibus argumẽtis Chemnitius ſuã ſentẽtiã probet, & adductis rationibus contrariis, ſi poſſet refutare, quæ diſplicerent. Ea fuerat longè cõpendioſior & verior examinãdi ratio. Pag. 10.

Chemnitius bono conſilio de quibuſdam vocabulis ge- Theſ. 1.
neralioribus, quorũ frequẽs uſus eſt in hac tractatione, mo-

nuerat & explicaverat, ne λογομαχίας argumentum per se satis arduum & difficile turbaretur, quòd meminisset, quid & in veteri Ecclesia & nostro tempore verborum pugnis homines contentiosi moliantur. Et ex veteris Ecclesiæ usu pro eodem usurpari, vel, ut Damascenus ait, ταυτὸν ἕιναι dixerat, *Essentiam*, *Naturam & Formam*.

Mag: cap. 1.

Danæus, quum de re ipsa non possit non consentire, tamen arrodit, quòd vocabula, quæ idem significant, Chemnitius appellat Synonyma: quum constet, usitato etiam doctorum sermone sic appellari: quod etsi Danæus & scit nec potest negare, tamen tanquam pædagogus pueros sub ferula examinans ait: *Synonyma nominari non debent, sed polyonyma.* Cur autem non potiùs cum Hilario ait, quem citat: *Non simus soliciti de verbo, ubi sensus est in tuto?* Et cum Vigilio, quem ipsum quoque citat: *Quum sensibus incolumes sumus, cur vocabulis insanimus?* Quumque in hoc argumento tam gravi támque arduo alia eaq; longè maioris momenti disceptentur, Danæus, si voluit absque sophistica veritatis inquisitionem juvare, non debuit hanc disputationem ordiri à λογομαχίαις, quarum nullus usus esse potest in explicatione tantæ controversiæ, quòd videret, Chemnitium hanc ipsam ob caussam, ne de vocabulis præter rem litigetur, monere, quæ jam compositis verborum rixis juxta veteris Ecclesiæ usum promiscuè idem significent. Quòd si de vocabulis disputare voluisset, nihil Chemnitius contradiceret, ut qui de rebus ipsis, non de verbis hic agere proposuerat.

Pag. 12, 18 & 35.

Pag. 315.

Pag. 316.

Quia verò de vocabulis istis utiliter quædam dici possunt, licet ad summam rei de persona Christi non admodùm faciant, ne putet Danæus, talia mysteria Chemnitio prorsus esse ignota, pauca addemus.

Appella,

Appellationem Synonymorum non eodem modo semper ab omnibus usurpari Chemnitius meminerat. Neque enim tam abstrusa sunt támque recondíta, quæ apud Aristotelem in ipso vestibulo Categoriarum extant de Synonymis, Homonymis & Paronymis: ubi Synonyma dicuntur, quæ proximum genus commune habent, ut homo, bos, de quibus animal συωνύμως dicitur. Et ex Suidæ Lexico didicerat, συωνύμων καθηγορίαν esse, quando de homine, bove & asino prædicatur Animal; quæ sciebat, Damascenum quoque in suis Dialecticis ex Aristotele descripsisse. Quod quum ita sit, instat Danæus, Chemnitium debuisse potiùs principem philosophorum Aristotelem, quàm vulgi errorem sequi, & vocabula plura idem significantia nominare Polyonyma, non Synonyma. Noverat autem Chemnitius, appellationem πολυωνύμου apud Aristotelem non extare, nec vim & usum vocabulorum Græcorum ex sordidis vocabulariis, sed ex ipso Aristotele didicerat, quem viderat extra disputationes Dialecticas in communi & usitato sermone Grammatico & Rhetorico nominare Synonyma ea, quæ plura idem valent. Nam τὸ πορεύεσθαι καὶ τὸ βαδίζειν dicit esse Synonyma. Et Simplicius interpres Aristotelis diserté testatur, ipsum Synonyma appellasse ea quoq; ὧν πλείω μὲν τὰ ὀνόματα, λόγος δὲ ὁ αὐτός. Sic Quint. lib. 8 cap 3. Erasmus de copia verborum, Isidorus lib. 1. ubi de Gramm. tractat, & lib. 2. ubi de Figuris Rhet. itẽ vetus & usitata traditio Grammatica dicit, Synonyma esse plura nomina idem significantia: quos certé Danæus non audebit inter vulgi feces prorsus abjicere. Igitur Chemnitius non ex errore vulgi, sed ex sermone, doctis etiam usitato, didicerat, quid sint Synonyma. Didicerat item ex Petro Victorio, quæ Speusippus Physicus, posteá

Pag. 12.

Lib. 3. Rhet. cap. 2.

que alii, Damaſcenus quoque in Dialecticis nominent Polyonyma: meminerat, quid ſint ἑτερώνυμα, quid ὁμώνυμα, quid παρώνυμα? Sed hîc non putârat explicandum.

Danæus autem contendit, *hunc quoque eſſe unum ex erroribus Chemnitii, de quo neceſſe ſit Eccleſiam monere:* periculoſum ſcilicet errorem: unde vates non valde verus divinat, *Chemnitium, ſi concedatur, iſta eſſe Synonyma, concluſurum, naturam humanam Chriſti Idiomata divinitatis eſſentialia participare.* Pag. 14. Quaſi verò Chemnitio opus ſit iſtud ex appellatione Synonymorum colligere. Et cur non idipſum quoque poſsit colligere ex appellatione Polyonymorum? Cur non idem ex eo, quod Damaſcenus ait, ταυτόν ἐστιν.

Quia verò, mox ut ad ſeipſum rediit, intelligit, hîc nihil inſidiarum latêre, nec audet comminiſci, ſolum Chemnitium ſic appellare Synonyma, velut aliquis Pontifex gratioſum Indultum ê munifica ſua liberalitate Chemnitio impertit his verbis: *Hunc tamen errorem Chemnitio condonamus: agè & hoc quoque benignè Chemnitio largiamur.* Pag. 12. 19. Videt nimirum ſeſe ea, quæ rectè & utiliter dicta erant, petulanter & præter rem exagitare: ne tamen ſophiſticam agnoſcere videatur, ſed potiùs illatum crimen nolle perſequi, quaſi magni beneficii loco dicit; *Condonamus hoc Chemnitio.* Iſtam verò tam benignam condonationem Chemnitius non curat, nec judicat, tantam eſſe Danæi autoritatem in Eccleſia vel in Grammatica, ut non liceat cum probatis autoribus nominare Synonyma, niſi priùs impetrata ipſius benigna largitione.

Carpit etiam, quòd οὐσίαν Chemnitius promiſcuè vertit *Eſſentiam* ſeu *Subſtantiam.* Pag. 12. Sed Auguſtinus rectè dicit, Latinum ſermonem nullam facere differentiam inter Eſſentiam & ſubſtantiam, ideóque in libris de Trin. iſtis vo-

cabulis

cabulis indifferenter utitur. Nec ignorabat Chemnitius, Hilarium ad imitationem Græcorum alicubi dixisse, *unam Essentiam & tres substantias*: sciebat autem etiam, propter insidias Arrianorum Latinam Ecclesiam noluisse ita loqui. Sciebat item, cur Hieronymus vocabulo ὑποστάσεως initio fuisset iniquior, ut ipse explicat Tom. 2. Epist ad Damasum Papam de fide Cathol. & transcriptum est apud Lombardum. Meminerat istud quoque, quòd memorabile est, quod Nazianzenus scribit in vita Athanasii, Græcos confiteri unam οὐσίαν & tres ὑποστάσεις. Italos ob linguæ angustiam & nominum inopiam Substantiam non posse distinguere ab Essentia, & ideò personas nominare: Athanasium, hoc intellecto utramque partem evocavisse, quumque videret, eos in rebus idem sentire, suasorem fuisse, ut propter concordiam in modis loquendi etiam convenirent. Et insigne moderationis exemplum est, quòd non tantùm Latini Græcis concesserunt usum vocabuli ὑποστάσεως in tali significatione (nam id in Græca Ecclesia ante Athanasii tempora vulgò non ita receptum fuerat, ut testatur Hist. Trip.) sed etiam Græci propter Concordiam cesserunt Latinis & cœperunt ipsi quoque dicere τρία πρόσωπα. Certè vocabulũ *Persona* in tali significatione & usu antiquius est. Extat enim apud Tertullianum. Sed noluerat ista omnia congerere in suo libello, contẽtus eo, quòd ab usitatis vocabulis removisset homonymias.

Lib. 1. Dist. 26. Cap. 1.

Lib. 6. Cap. 2.

Cont. Prax:

Danæus autem contendit, in hoc argumento vocabula *Essentia & Substantia* plurimùm differre: nec tamen explicat. Mox addit, *Essentiam*, *Naturam*, *Formam*, quamvis sæpe pro eodem usurpentur, tamen inter se differre:

& quæ

Dial. cap. 11. & quæ Damaſcenus ſcribit, ea paraphraſticè nobis recoquit: quæ meminerat Chemnitius quoque. Sed viderat, Damaſcenũ addere, ſanctos Patres contentioſam garruliratem omiſiſſe: ideóque judicârat ſufficere, quod ex Damaſceno dixerat, vocabula iſta conſenſu Eccleſiæ jam indifferenter pro eadem re uſurpari: quam admonitionem præmiſerat, ne ſpecie diverſitatis in vocabulis aliquid in ipſa doctrina turbaretur. Danæus autem fingit, *Chemnitium ſub iſtis vocabulis multa prodigia occultare, leviter erroris ſui munimenta extruere*: quum res ipſa prorſus contrarium clamitet, ut hîc nec ſermonis obſcuritas ulla ſit, nec calliditas, à qua Lector maturè ſibi cavere debeat. Quæ poteſt enim fraus eſſe, quæ S. Patres dicunt ταυτὸν ἔιναι, idem eſſe, ea Chemnitium vocare Synonyma? Cur non etiam fraus ſit dicere, ταυτὸν ἔιναι? Non igitur tantùm λογομαχεῖ Danæus, & quidem præter rem, ſed etiam manifeſtè calumniatur.

Theſ. 2. Danæus dicit, in Definitione Eſſentiæ addendum fuiſſe de rebus creatis, ubi ea propriè locum habeat, quòd de perPag. 16. ſonis Trinitatis non ſic poſsit prædicari Deitas, ut genus de ſpeciebus, vel ſpecies de individuis, vel totum de partibus. Sed viderat iſtud profectò in libello Chemnitii, pag. 8. Strenuè verò diſsimulat, ut ſuis perſuadeat, Chemnitium nihil ejus utiliter explicaviſſe.

Sic quanquam contextus orationis Chemnitii manifeſtè indicat, Definitionem Eſſentiæ non ab ipſo conſtitui, ſed à Damaſceno traditam recitari: tamen Danæus ipſum nulla occaſione velut Grammatices & Dialectices ignarum cavillatur: quum Theſes Ieſuitarum de hoc argumento, ubi eadem hæc deſcriptio extat, valde liberaliter laudet,
Pag 17. Pontificiis ſcilicet clementior, quàm Lutheranis. Exagitat

vocem

cem *Ex se*, pro qua scribendum sit *Per se*, quòd Latinis & Græcis hominibus aliud sit *Ex se*, aliud *Per se*. Sed istud ne ad rẽ faciebat monere? Quid si falsũ sit? Nam Cicero, quẽ hominem latinũ esse Danæus libenter fatebitur, ferme in eadem periodo pro eodem usurpat *Ex se* & *Per se*. *Quum is ardor*, inquit, *qui est mundi, non agitatus ab alio neque externo pulsu, sed per se ipse ac sua sponte moveatur.* Et mox: *Audiamus Platonem, cui duos placet esse motus, unum suum, alterum externum: esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quàm quod pulsu agitetur alieno.* Nec tamen ideò Plato videbitur, Deum creatorem à motu mundi removere, quia dixit, *mundum ex se moveri*: quum Vergilius Platonicus scribat: *Mens agitat molem*: *Spiritus intus alit*: Spiritum vel mentem creatricem significans. 2. De Nat. Deor. Aen. 6.

Quòd autem in ista Damasceni definitione dicitur, *Essentia multis individuis esse communis*, id Danæus sic accipit, quasi Chemnitius velit, quædam ejusdem speciei individua, ut assumtam naturam Christi, posse communi illa essentia seu natura carere. Sed totum cap. 3. & 13 diversum clamat. Quòd verò dicitur *multis commune*, Danæus pronunciat esse falsum, quia dicendum sit *omnibus*, non *multis*. Atqui sic etiam dixerat Basilius Epist. 43. ad Greg. fratrem, Damasc. Dial. cap. 11, & lib. 3. cap. 3. & Philippus in Dial. in definitione Generis. Et quando nominantur multa vel plura sub communi essentia, non excipiuntur aliqua ejusdem speciei individua, quibus essentia illa non sit communis, teste Damasc. lib. 3. cap. 4. & Basil. loco citato. Quûmque Damasc. in Isag. cap. 1. dicat, *Essentiam*, *Naturam*, *Formam* κοινὸν γένος *idem valere*, respectu speciei dicuntur omnia, respectu generis mul- Pag. 18.

Dial. cap. 11. in Isag. cap. 2. ta vel plura: quo nomine veteres promiscuè *multa* & *omnia* dicunt, ut videre est ex Damasceno.

Et ita descriptionem illam Chemnitius intellexerat, nec quicquam subest periculi, nisi quod Danæus suo more fingit; à cujus accusatione Chemnitium luculenter defendit hoc, quod additur: *Et totam singulorum essentialem perfectionem complectitur.* Sed Danæus ideò sic ista disputat,

Pag. 18. ut possit addere lepidum illud Epiphonema: *Chemnitium non candidè & apertè, sed sophisticè & veteratoriè agere,* &c.

Chemnitius ex Damasceno dixerat, jam pro Synony-

Thes. 3. mis usurpari *Hyphistamenon, Hypostasin, Personam, Individuum.* Danæus, quum nihil habeat quod reprehendat,

Pag. 19. varias significationes τοῦ ἄτόμου vel *Individui* colligit, quæ non conveniant personæ: quasi verò difficile sit etiam plures addere, ut quòd Iureconsulti dicunt, *Matrimonium continere individuam vitæ consuetudinem*; & quod Democritus & Epicurus de suis Atomis disputant. Sed Damascenus perspicuè determinat, in qua significatione sit accipiendum vocabulum ἄτόμου, quum id jungit reliquis vocibus ὑφισαμένου, ὑποστάσεως, personæ: quod in ea significatione sic est populare & usitatum, ut inter quinque voces Porphyrii positum sit. Danæus autem, quamvis liquidò determinata vocabuli significatione, tamen studiosè consectatur homonymias, ut habeat materiam declamitandi

Rhet. lib. 3: cap. 2. contra Chemnitium. Memineratne fortasse, quod scribit Arist. τῶν ὀνομάτων τῷ μὲν σοφιστῇ ὁμωνυμίαι χρήσιμοι, περὶ ταὐτὸ γὰρ κακουργεῖ.

Quid Scholastici scriptores nominent, *Individuum, Suppositum, Personam*, non ignorabat Chemnitius, & scripserat pag. 18: Sed barbara ipsorum vocabula non judicarat esse in Ecclesiam invehenda.

Quumque

Quumque iſtis velitationibus Danæus duas paginas compleviſſet, tandem concludit: *agè & hoc Chemnitio quoque benignè largiamur*: ſed addit: *modò ne fraus ulla propterea nobis fiat*, &c: quod etſi videt ſeſe ex his verbis fruſtra vereri, tamen judicat, ſententiam Chemnitii ſic commodiſsimè poſſe ſuſpectam fieri, ſi ſæpe repetat clamores de ejus fraude & inſidiis, quamvis nullæ ſint omnino. Pag. 18. 19. 20.

Definitionem perſonæ Chemnitio concedit, ſed clamitat, Boëthianam quoque addendam fuiſſe: quæ quia addita eſt, aliud etiam cavillatur, Chemnitium non explicaſſe, utra magis propria ſit, & veriùs perſonis Divinis conveniat; quod etſi viderat in libello Chemnitii, pag. 81. multis præſtitum, tamen noluit videre, ne nihil haberet, quod calumniaretur. Theſ. 4. Pag. 81.

Quod Theſi quinta diſputat, id ipſe indicat extare etiam in libello Chemnitii. Cur ergo repetit? Niſi ut addat hoc Epiphonema: *ne Chemnitius nobis hinc inſidias ſtruat, quo eſt in toto hoc ſcripto ſuo animi candore.* Theſ. 5. pag. 22.

Chemnitius dixerat, voces *Deus*, *homo*, eſſe appellationes perſonæ. Danæus notat, eas nonnunquam pro naturis accipi, ut quum dicitur: *Deus induit hominem*. Sed Chemnitius aliquot exempla aſſcripſerat cap. 15. ubi vocabula concreta pro abſtractis ſumuntur: hîc autem dixerat, quid recepto more propriè ſignificent. Notat igitur hoc Danæus nulla cauſſa. Sic quando de Trinitate vocabulum *Deus* uſurpatur, ſciebat Chemnitius, eſſentiam, non certam perſonam, deſignari. Sed hîc de perſona Chriſti, non de Trinitate inſtituta erat tractatio. Itaque voces iſtas hîc ſumſerat ſingulariter, non univerſaliter, ut fingit Danæus pag. 24. Theſ. 6. Pag. 22. Pag 206

Cavillatur hoc quoque, nec valde candidè, quòd Chemnitius dixerat, *vocabula* θεότης, ἀνθρωπότης *esse appellationes naturarum in Christo, personæ verò nomina esse Deus, homo, Filius Dei, Filius hominis.* Fingit enim nulla
Pag. 24. 30. modesti pudoris significatione, *Chemnitium contendere, voces has, Deus & homo, in Christo non propriè naturas, sed personas significare, ideóque vel ipsum errare, vel scientem alios decipere, quòd hac ratione duas in Christo personas constituat.* Quæ potest esse manifestior & tetrior calumnia? Res ipsa loquitur, Chemnitium non nominare *personas*, sed *personam*, nec duas vel plures, sed unam significare: totus quoque liber Chemnitii contrarium clamitat, ubi disertè tradit de duabus naturis & una persona Christi, & figmentum Nestorii damnat, qui volebat, vocem *Deus* in Christo significare personam divinam, *homo* humanam: & cap. 13. ait: *vocabula concreta, quando prædicantur de Christo incarnato, sive denominatio sumta sit à divina sive ab humana natura, totam personam significant in utraque natura subsistentem, non alteram tantùm naturam.* Nec verum est, quod fingit Danæus, vocabulum, *Deus*, quando prædicatur de Christo incarnato, significare tantùm divinam naturam, *homo* tantùm humanam. Quid enim sequetur? *DEVS passus est, Dominus gloriæ crucifixus est*, hîc naturam divinam significari Danæus dicet? Dicit certè vertigine teterrima: quam quia animadvertit, corrigere conatur pag. 24. lin. 4. à fine, pag. 29. lin. 15. séque ipse manifestè refutat. Quòd si hîc Danæo vox *homo* humanam naturam significat, cur nō etiam eam significat in his S. Patrū dictis: *quæ Christus semper habuit ut Deus, ea accepit ut homo?* Quæ nulla ratione posteà referet ad totam Christi personam, non ad naturam humanam. Sed hoc ipsum etiam refutans, sibique

manifestè

manifestè contradicens ait: *Homo est persona, quæ habet humanitatem: Deus persona, quæ habet Deitatem: per voces has, Deus, homo, personam ipsam significamus.* Pag. 29. 35.

Appellationem quoque *filii hominis, filii Mariæ* dicit nusquam personam in Christo propriè significare. Recoquit scilicet istam calumniam, quasi sentiat Chemnitius, *Filium hominis*, in Christo esse distinctam personam â Filio Dei. Chemnitius id se sentire negat: negat quoque, se hoc loco vocabula ista λόγῳ, *Filius Dei, Filius hominis*, confundere: dicit autem, & rectè, appellationem *Filii hominis* prædicari de Christo incarnato, & esse vocabulum totius & unius personæ, quæ constat divina & humana natura. *Filius hominis habet potestatem remittendi peccata, venit servare, ministrare*, personam Christi incarnati significari Danæus negabit? Cur autem sic calumniatur? ut attexat scilicet istam conclusionem: *id quamvis impiissimum, tamen ex hac Chemnitii tam ambigua phrasi & tam obscura thesi omnino sequeretur, siquidem semper verum est, Deus & homo sunt appellationes personarum.* Item: *ex quibus omnibus apparet, quàm multæ in paucis illis Chemnitii verbis vel obscuræ fraudes, vel manifesti errores lateant.* Nos quidem certè non dubitamus, quin divino judicio fiat, quòd Danæus tam crassis calumniis mox in ipso operis ingressu se prodit, unde prudens Lector intelligat, quid de reliquis hujus Examinis partibus statuendum sit. Et hoc scilicet erat, quod in vestibulo Danæus protestatus fuerat, *se Theses ex ipsismet Chemnitii verbis desumsisse.* Pag. 25. 30. Matth. 9. 18. 20. Pag. 10. Ista verò Chemnitii verba erant: *sunt appellationes personarum? Significant personas?*

De vocabulis Abstracti & Concreti.

Quæstionem de significatione & usu vocabulorum

Abstracti & Concreti Chemnitius non integram proponere, sed quantum satis erat ad explicationem doctrinæ de
In Es. cap. 53. & alibi. persona Christi, in pauca contrahere voluit, quòd etiam in ipsis Lutheri nostri scriptis non eodem modo usurparentur, & in quibusdam nostris Ecclesiis ante paucos annos mota essent periculosa certamina de diverso eorum usu, ut obiter moneret, quæ occasio materiam talibus disputationibus præbuisset, & quemadmodum certamen esset compositum, & qua ratione provideri posset, ne posthac inde similes turbæ moverentur.

Hæc aut ignoravit Danæus, aut astutè dissimulat se
Pag. 26. & sequentib. Et in præf. Pag. 21. scire: quare cùm de singulis apicibus libri Chemnitiani loqui proposuisset, ea tanquam de se suisque dicta accipit: & totas sex paginas implens disputando & æstuando, & de magnorum sophismatum & tenebrarum seminibus, de fraudibus & latebris vociferando seipsum fatigat, & ocio Lectoris impotenter abutitur.

Meminerat autem Chemnitius, quæstionem latiorem esse, quòd & Physici & Dialectici & cæteræ artes penè omnes abstracta & cõcreta distinguant. & poterat vel ex solo Collectore Gabriele generaliter hanc totam quæstionẽ explicare: sed non judicavit opus esse, eam ab ovo, quod ajunt, ordiri: itaque hoc loco de vocabulis illis istud tantùm dicere voluit, quod præsens tractatio postulare videbatur: Quod criminatur Danæus non alio pudore, quã quo posteà sæpe contrà criminabitur, Chemnitium multa addidisse, quæ potuerint prætermitti. Quid igitur? Sive dicit Chemnitius, quod ad explicationem utile videtur, sive brevitatis gratia prætermittit, ut non necessarium, semper sub hoc Examinatore vapulat.

Pag. 28. Fingit quoque Danæus, Chemnitium ideò generalem explicatio-

explicationem horum vocabulorum declinasse, ne ea, quæ dicit ex aliis artibus, facilè refutentur. Atqui licet Danæo, quæ Chemnitius prætermisit, afferre & ostendere, quàm facilè iis illa, quæ Chemnitius dixit, refutentur: sed neutrum præstat. Et omnia, quæ tanto promissor hiatu de vocabulis illis affert, Chemnitius & hoc loco, & in illa ipsa Thesi, quam Danæus recitat, & potissimùm cap. 13. dixerat. Cur igitur ista velut à se solo observata affert? Nisi ut suis perfuadeat, ignorantia vel negligentia Chemnitii ea esse prætermissa, quæ quia sint utilia, fuerint ab erudito Danæi acumine addenda.

De appellationibus Idiomatum, & vario eorum genere.

Danæus clamorem suum repetit de Synonymis: de quo suprà. Quis nobis persuadebit, ut quicquid Danæo displicuerit, quamvis placuerit vetustioribus, iisque multò etiam melioribus, tamen id mox abjiciamus ut aliquem teterrimum errorem? Thes. 1. Pag. 36.

Thesi secunda culpat Chemnitium, quòd paulò altiùs, quanquam brevissimè, de vocabulis Idiomatum quædam descripserat ex Damasceno. Suprà vapulabat Chemnitius, quòd explicationem quæstionis de Abstracto & Concreto non esset altiùs exorsus: hìc reprehenditur etiam ex occasione contraria. Non igitur hoc agit Danæus, ut utiliter aliquid in hac doctrina moneat, sed ut calumniandi libidinem satiet, quantum possit. Et habet in arte ista paratos indices, quomodo idem in eodem capite, sive fiat, sive non fiat, æquè, si videatur, possit reprehendere. Thes. 2. Pag. 38.

Thesi

Thes. 5. Pag. 53. Thesi tertia laudat, quod Chemnitius scripserat, *proprietates non egredi extra sua subjecta.* Probat hoc quoque, *quæ sunt divinæ Christi naturæ propria, ea esse in humana natura tantùm per gratiam unionis: attributionem Idiomatum alterius naturæ, si quando fiat alteri, fieri per œconomiam unionis:* quod reliqui adversarii nullo modo concedunt. Clamitant enim, hanc attributionem fieri tantùm personæ, non assumtæ naturæ. Quia verò Danæus istud ultrò concedit, poterat jam videri consensus aliquis futurus. Sed videamus, quid quibus rationibus mox subjiciat.

Pag. 19. & sequentibus. Thesi quarta tribuit Chemnitio absurdas ἀπιλογίας, & tantùm non tota plaustra criminum congerit, *de interpretatione falsa, sophistica, superioribus Chemnitii verbis planè contraria, de contradictionibus, de falsis, de absurdissimis, de maximæ blasphemiæ plenis, de* ἀσυσκίοις, *de inauditis, de Eutyche illo sceleratissimo ex orco reviviscente, de tota blasphemorum Monophysitarum & Monothelitarum caterva, de veritate Dei, quam Chemnitius oppugnet.* Videt Lector, quàm sint ista pulchra elogia. Et hercle, si maledictorum atrocitas sufficit ad probationem criminis, quod infertur, vicerit Danæus. Sed argumentorum bonitate, non conviciis & maledictis res tanta disceptanda est & judicanda. Quàm veræ autem sint istæ tam portentosæ accusationes, suo loco videbimus: & quum Danæus de rebus ipsis hîc multa misceat, nos singula suis locis tractabimus & refutabimus: quod putamus nobis licere, si Danæo licuit de iis disputare loco alieno.

Igitur hîc cum Chemnitio hactenus consentit, *quòd proprietas essentialis divinæ naturæ in æternum non fiat essentialis proprietas naturæ humanæ.*

Thes. 5. Thesi quinta Chemnitius instituit distributionem Idiomatum,

matum, quæ ſint vel Eſſentialia, vel accidẽtalia, vel perſonalia. Eſſentialia vocat etiam Naturalia, & dividit in οὐσιαλικὰ τῶν φύσεων & παρεπόμενα τῇ φύσει. Syſtatica definit, quæ naturas ipſas conſtituant. Addit, in natura divina omnia Idiomata eſſe οὐσιαλικὰ vel eſſentialia, nec aliquid diſtinctum ab ipſa Eſſentia Dei. Danæus hactenus conſentit. Illud ſolùm miratur, quòd Eſſentialia Idiomata non putet Chemnitius eſſe aliquid diſtinctum ab ipſa Eſſentia. Et multis declamitat: Quemadmodum veriſſima mentis cogitatione vel ἐπιλογισμῷ diſtinguantur, ut illa ſint ἰδιώματα, hæc οὐσία: illa ſint οὐσιας neceſſaria effecta vel conſequentia, quorum cauſſa, radix & fundamentum ſit οὐσία, quam ἐπινοίαν prorſus hîc tollat & confundat Chemnitius. At erant iſta Chemnitio non ignota: judicavit autem, Lectorem non eſſe onerandum iis omnibus, quæ de hoc argumento ex Damaſceno, Baſilio, & aliis afferri poterant, ſed hoc ſufficere, dixiſſe, quod Danæus fatetur eſſe verum, *divinam eſſentiam & eſſentialia ejus idiomata reipſa minimè inter ſe differre, quicquid eſt naturæ divinæ eſſentiale idioma, idem quoque in ea eſſe ut eſſentiam.* Danæus ſuo more fingit, quas tenebras hîc adverſariis offundat Chemnitius: ſed fingit præter ipſius mentem, cui non opus eſt hinc aliquid concludere de locali circumſcriptione veri corporis, vel omnipræſentia Dei, nec de iis hîc ita concludit, nec diſcrimen inter Eſſentialia Idiomata rerum creatarum & Deitatis tollit, nec ignorat, quid *omnipræſens* & *ubique eſſe* ſignificent, de quibus non exiſtimaverat hîc eſſe prolixè declamitandum. Quid igitur Danæo in mentem venit ſic iſta fingere?

Pag. 49. 50. 55.

Pag. 36. 50. 51.

Chemnitius docet, quæ ſint Idiomata οὐσιαλικὰ naturæ humanæ. Danæus de magna ejus fraude queritur, qui

Thes. 6.

in rebus creatis ea tantùm vocet Idiomata essentialia, quæ coincidant in partes cujusque rei essentiales, quod pro-
Pag. 52. nunciat esse falsum, quia aliud sit ipsa rei essentia aut pars essentialis, aliud autem Idioma ipsum Essentiale. Sed id Chemnitius non negat: neque verò idioma essentiale & rei essentiam seu partes essentiales confundit, quando cum Damasceno voce *idiomatis* latissimè utitur. Et Danæus, quando sic loquitur, *Chemnitium ea tantum vocare Idiomata Essentialia, quæ coincidant in partes cujusque rei essentiales*, iis ipsis verbis fatetur, ea rectè vocari essentialia idiomata, quamvis non sola. Et verò Chemnitius non ea tantùm sic vocat, sed etiam ista sequentia, nimirum τὰ παρεπόμενα τῇ φύσει. Voluit autem bono consilio distinguere Idiomata Essentialia, quorum alia sint οὐσιαλικὰ, alia naturalia. οὐσιαλικὰ quæ naturas ipsas constituãt, & cum naturis suis convertantur, quæ quamvis λόγῳ possint ab essentia distingui, re ipsa non sint aliquid ab ea distinctũ: quæ si non possunt propriissimè appellari Idiomata, possunt tamen non incommodè, si vox generalissimè accipiatur, ut & Danæus ipse dicit, idioma humanæ naturæ Chri-
Pag. 55. sti esse, quòd est *creatura corporea*. Naturalia, quæ istam naturæ constitutionem necessariò sequantur. Ergo hæc ipsa quoque Naturalia vocat Essentialia, quamvis οὐσιαλικὰ non appellet. Viderat hoc Danæus, sed aut non intellexit, aut strenuè dissimulavit, ut haberet materiã reprehendendi.

Quandò itaque constat, quid velit Chemnitius, quum
Pag. 57. οὐσιαλικὰ vocat, jam evanescunt istæ tenebræ, quas *de Spiritu creato sigillatim aut conjunctim* nobis Danæus offundit. Chemnitius dicit, humanæ naturæ οὐσιαλικὸν ἴδιωμα esse, quod constat animâ tali, quæ est spiritus creatus, rationalis, immortalis, pars Essentialis humanæ naturæ; quod cur Danæus

næ is rectè carpere posſit, non intelligimus. Chemnſtius ea quoque vocat Idiomata, quæ ad conſtitutionem Eſſentiæ pertinent: & iſta certè pertinent ad conſtitutionem naturæ humanæ, quæ recitat: & ad animæ quoque Eſſentiam conſtituendam pertinent illa, quòd eſt ſpiritus creatus, rationalis. Igitur Danæus ſibi ſuas tenebras habeat, quas ſive ſigillatim ſive conjunctim habeat, noſtra nihil intereſt

Localem circumſcriptionem affirmat eſſe συσατικὸν humanæ naturæ, & Chemnitium hallucinari, qui eſſe neget. Sed non probat eſſe ex eorum numero, quæ rei eſſentiam conſtituunt, quæ verè ſunt συσατικὰ. Quî poſsit enim localis circumſcriptio videri naturam humanam conſtituere, ſicut eandem conſtituunt corpus & anima, vel ἐιδοποιητικαὶ vel συσατικαὶ differentiæ? Chemnitius majoris perſpicuitatis gratia ſic diſtinguit Idiomata eſſentialia, ut ea, quæ naturam conſtituunt, vel quæ ſunt partes eſſentiales naturæ, vel συσατικὰ, diſcernantur à reliquis, quæ συσατικὰ non ſunt: quæ diſtributio ſi Danæo ſordet, afferat meliorem: quam ſi non poteſt afferre (neque enim certè affert) deſinat iſtam Chemnitii ſugillare. διαφορὰν συσατικὴν, οὐσίαν & ἰδίωμα συσατικὸν vel οὐσιωδες. Chemnitius indifferenter & latiſsimè pro eodem accipit in hoc membro, nec judicat, ſibi opus eſſe Danæum conſulere, an liceat ita generaliter accipere. Atque hæc de συσατικοῖς. Pag. 52.

Reliqua Eſſentialia, quæ naturæ conſtitutionem vel eſſentiam conſtitutam ſequuntur, Chemnitius ſpecialiore nomine vocat Naturalia, ut ſunt natura humana, *quòd eſt viſibilis, palpabilis, circumſcripta.* Danæus ea, quæ Chemnitio prætermiſerat ex Damaſceno deſcribit, ut hoc Examẽ craſſius etiam faciat. Dicit, Chemnitiũ naturam humanam fruſtra conferre cum divina, eò, quòd, quæ Damaſcenus de Theſ. 7. Pag. 53.

divina dicit, ipse accommodat ad humanam. Quasi verò non liceat Chemnitio, quem commodè possit, vocabulis uti de natura humana, quibus Damascenus usus est de Deo.

Quia verò Chemnitii distributionem Idiomatum Danæus non valde probat, & ejus loco nobis aliam commiscitur, utramque Lectori spectandam velut in brevi tabella proponemus. Chemnitius triplicia facit Idiomata, quædam Essentialia vel naturalia, quædam Accidentalia, quædam Personalia. Essentialia vel naturalia dividit in συσταλτικὰ & παρεκτόμενα τῆ φύσει. Essentialia συσταλτικὰ vocat, quæ essentiam ipsam constituunt, ut in natura humana habere corpus & animam. Essentialia παρεκτόμενα τῆ φύσει, quæ naturam jam constitutam consequuntur, ut in eadem natura humana, quòd est visibilis, palpabilis, loco circumscripta. Accidentalia nominat infirmitates humanæ naturæ impositas propter peccatum, quas Christus volens sine peccato assumsit: item dona creata vel vires humanæ Christi naturæ præternaturales. Personalia, quæ personam τῦ λόγυ distinguunt à reliquis personis Trinitatis, ut esse à Patre ab æterno genitum.

Pag. 55. 56. Danæus contrà, ut probet, sibi nihil placere, quantumvis benè dicatur, aliter Idiomata distribuit & definit. Quædam vocat Essentialia, quædam autem minimè. Essentialia *quæ ex essentialibus rei principiis, veluti materia & forma, necessariò & inseparabiliter oriuntur, & toti speciei semper insunt, qualia sunt in divina Christi natura, esse æternum, infinitum, immutabilem, ubique esse &c: in carne Christi, esse creaturam corpoream, creatam, finitam, circumscriptam, habere suum ubi & situm in certo loco.* Sed Chemnitius ipse quoq; ista omnia nominarat Essentialia, & eleganter distinxerat

ex iis

ex iis οὐσιωδικὰ à naturalibus. Cur igitur iſtud potuit Danæus improbare? Nimirũ propterea, ut aliam nobis cuderet definitionem Idiomatum naturalium, & Chemnitium inſcitiæ inſimularet, tanquam perperàm intelligentem, quænam ſint humanæ naturæ eſſentialia, quæ naturalia Idiomata. Quod cujuſmodi ſit videamus.

Idiomata minimè eſſentialia definit, *quæ ſive rem hanc ſemper comitentur ſive non, tamen neceſſariò & inſeparabiliter, neque omni tempore toti ipſi ſpeciei non inſunt*, hoc eſt, ſive rem ſemper comitentur, ſive non ſemper comitentur, tamen neceſſariò & inſeparabiliter & omni tempore inſunt: vel, ſive inſint, ſive non inſint, tamen ſemper inſunt: quã tam puerilem contradictionem quia ineptum eſt nos Danæo tribuere, videatur ſanè hoc voluiſſe dicere: *ſive rem ſemper comitentur, ſive non, tamen non neceſſariò, nec inſeparabiliter nec omni tempore inſunt*: quod ſi voluit, aliter loqui debuit, ut intelligeretur. Exempla definitionis adfert, in natura humana peccatum, in corvo & homine Mauro nigredinem, cœcitatem, morbum etiam eum, qui dicitur naturalis, quòd hæc neque ex ipſis eſſentialibus rei principiis, neque neceſſariò & inſeparabiliter oriantur. Horum alia vocat Naturalia, qualis hodie mortalitas, infirmitas, peccatum in nobis: alia accidentalia, cujusmodi ſunt, ſanctificatio, reſurrectio, glorificatio carnis noſtræ.

Sed quid iſta Chemnitium movent? Et quis nobis perſuadebit, Danæum quàm Chemnitium commodiùs Idiomata diſtribuiſſe & deſcripſiſſe? Bezæ diſtributio alia eſt, & ab hac utrâque diverſa, quæ extat in hoc ipſo libro Danæi, ubi appellatio proprietatum naturalium loco generis ponitur, ejus ſtatuuntur ſpecies Eſſentiales & Accidentales: accidentales dicuntur vel à Deo conditæ, vel per Pag. 7.

peccatum invectæ. Cur eam non retinuit Danæus? Quomodo verò cum ista distributione & definitionibus Danæi consentiunt ea, quæ scribit pag. 52 *Calidum esse est essentialis ignis proprietas*, quam pag. 450 vocat *naturalem*. pag. 38. laudat Chemnitium, quòd easdem esse physicas & essentiales proprietates illîc intelligit: pag 73. hoc ipsum etiam reprehendit: pag. 13. laudat, quòd eas distinguit Pag. 14. 15. 61. vocat naturalia divinæ naturæ Christi Idiomata, *incorruptibilitatem, vim vivificandi supra Angelos esse*, quæ sunt certè essentialia, nec huic definitioni Naturalium conveniunt. Ita scilicet ipse sibi constat.

Quòd si vera est Idiomatum naturalium definitio Danæi, caro Christi jam glorificata nullas habebit proprietates naturales, quas Græci φυσικὰς appellant, nullam naturalem voluntatem vel operationem, quum non amplius sit mortalis aut infirma, nec unquam peccatrix fuerit: quod quorsum evasurum sit, ipse viderit. In impiis quoque nullæ erunt proprietates accidentales, præter resurrectionem, nec in piis in hac vita aliæ. præter sanctificationem: quæ omnia satis luculenter docent, quàm feliciter vel contrà Danæus Idiomata distribuerit & definierit.

Itaque Chemnitius intellexerat, quæ sint humanæ naturæ Idiomata essentialia, quæ naturalia, sed non intellexerat è mente Danæi. Reprehenditur quòd essentialia Idiomata vocat etiam ea, quæ ingrediuntur rei definitionem ut genus: sed vocat exemplo Danæi, Qui carnis Christi Idioma essentiale nominat, *esse creaturam corpoream.* Repre-
Pag. 55. hendítur etiam, quòd locum Damascenι nõ assequatur de
Pag. 57. παρεπομένοις τῇ φύσει. Quasi verò Chemnitius eum non assequatur, ut opus habeat ex Danæo discere, quid Damascenus velit, Atqui ea ipsa dixerat in eandem sententiam de

tiã de natura humana, quæ Danæus ex Damaſceno, velut aliquod acuminis ſui ſpecimen, nobis affert de natura divina, nec ita diſtinxerat Idiomata παρεπόμενα τῇ φύσει ab eſſentialibus, ut vociferatur Danæus. Nam eſſentialia vel Naturalia ſtatuerat genus τῶν συσσιτικῶν καὶ τῶν παρεπομένων, ut hæc quoque παρεπόμενα Chemnitio ſint eſſentialia, quamvis non eo modo, quo συσσιτικὰ: & quanquam in divinis etiã ea, quæ Damaſcenus vocat παρεπόμενα τῇ φύσει, ſunt συσσιτικὰ: tamen in natura humana Chemnitius eas diſtinxit à Syſtaticis, idqûe putavit ſibi per Danæum licere. Sed ut intelligimus, propterea magno errore errare dicitur. Nobis quidem certè videtur Danæus ipſe multò majore errore errare, qui prudens ſciénſque non videat, aut videre nolit, quid dicat Chemnitius, & quomodo Idiomata diſtribuat.

Et ex hoc errore ſuo cudit Danæus ſecundum errorem Chemnitii, quòd eſſe palpabile, viſibile, loco circumſcriptũ, putet eſſe naturalia duntaxat, ac non eſſentialia quoque humanæ naturæ Idiomata. Quid poſſet Danæus reprehendere, niſi clauſis oculis ſententiã Chemnitii, tanquã nulla talis illic eſſet, prorſus negligeret, & ex ſuo cerebro quidvis fingeret? Inde ſunt iſti clamores & collectiones *de definitione corporis*, *de tribus dimenſionibus*, *de certo ubi*, *de loco* &c. Sed æſtuat, et ſeipſum & nos quoque certè fatigat præter cauſſam. Chemnitius iſta profectò nominaverat Idiomata eſſentialia, & ad eorum genus manifeſtè retulerat. Pag. 58.

Pag. 14. lin. ult.

Quòd Chemnitius addiderat, *naturali ratione viſibile eſſe*, *phyſica locatione uno loco circumſcribi*, quid iſtud velit, pramonet Danæus, ſed fruſtra. Phyſicam rationẽ Chemnitius non intellexerat ê mente Ariſtotelis, ſed eam, qua res conſideratur,

consideratur, uti natura sua est, sive sit in cœlo, sive in terra. Non igitur ludit in hujus voculæ cavillo, nec physicum restringit ad hunc visibilem mundum, quod & hic ipse locus, ubi de natura humana Christi jam glorificati agit, & vel solum cap. 3. 13 & 17. docere Danæum potuit, ne cavillaretur.

Thes. 8. Pag. 60. Chemnitius definit Idiomata Accidentalia. Danæus ista superiora nobis reponit de naturalibus & Essentialibus, & de circumscriptione locali: quia scilicet obliti eramus.

Pag 9. De donis præternaturalibus in humana natura Christi monet Chemnitius, quæ sint Idiomata Accidentalia. Da-
Pag. 61. næus concedit esse. Cautionis autem loco addit, carni Christi quædam esse accidentalia, quæ divinitati ejus sint naturalia, ut esse evectam supra Angelos: quæ propterea toti personæ Christi diversa ratione tribuantur. Quod idcirco monet, ne quis concludat, Adversarios eas dotes supranaturales tribuere unicuique naturæ Christi velut accidens. Quasi verò Chemnitius aut alius quisquam nostrûm ita concluſurus erat, ut Danæus veretur.

Thes. 10. Chemnitius monet, ea, quæ carni Christi data sunt in tempore, quæ sunt ipsa Deitatis Idiomata propria: non
Pag 61. posse tamen humanæ naturæ Idiomata appellari. Danæus non de voce Idiomatis, sed de re ipsa quæri dicit: de qua suo loco.

Ex his omnibus hæc apparent: Primùm, Danæum, quũ de rebus ipsis utiliter explicare deberet, si posset, de vocabulorũ polyonymia λογομαχῆσαι. Secundò, de abstracto & concreto mentem Chemnitii non intellexisse, ideoq; multa præter rem quæstum, multa quoque addidisse, quæ Chemnitius ipse etiam asscripserat. Tertiò, Chẽnitium rectè

& bono

& bono consilio hîc annumerare Idiomata οὐσιωτικὰ, quæ naturas ipsas constituunt, nec propterea confundere rerũ ipsarum essentiam cum proprietatibus earum essentialibus. Quartô, Danæum nolle intelligere, quemadmodum Chemnitius essentialia vel naturalia Idiomata pro iisdem nominet & definiat, dividat autem in οὐσιωτικὰ τῶν φύσεων & παρεπόμενα τῆς φύσεως. Quintò, de rebus ipsis multa miscuisse loco alieno, quæ debuerat differre ad capita sequentia.

Ad Cap. 2.

Cap. 2, tractat Chemnitius de divina natura Christi. Danæus hactenus consentit. Illud autem denuo reprehendit, quòd Chemnitius dixerat, Idiomata Divinitatis nihil discrepare ab essentia Divinitatis. Sed reprehendit, ut solet, quæ ipse non fecit. Fuit de eo cap. 1. Pag. 65.

Chemnitius dixerat, quosdam cœpisse disputare, non ipsam naturam divinam τοῦ λόγου, sed solam hypostasin Filii unitam esse assumtæ naturæ: quod Danæus clamat esse falsum; neque enim eos istud voluisse, sed solam realem communicationem Idiomatum negasse. Atque Theses istæ extant impressæ, quæ quòd istud velint, Danæus ipse non obscurè testatur, ut apparet conferenti pag. 81. 82. 393. ubi contendit, potiùs dicendum, personã Filii assumsisse naturam humanam, ne tota Trinitas putetur esse incarnata: de quo cap. 4. respondebitur. De duobus autem istis argumentis erit cap. 23. Pag. 66.

Ad Cap. 3.

Cap. 3. Chemnitius agit de natura humana in Christo

incarnato. Danæus, quum initio primi capitis protestatus
Pag. 10. esset, se Theses ex ipsismet verbis Chemnitii desumsisse, id quemadmodum præstare studuerit, hîc nobis evidētissimo argumento probat, ubi dicit, Chemnitium pag. 50. ad-
Pag. 68, 70. dere, quæ tradidisset de humana natura, intelligi debere, *quatenus illa per se extra unionem, non autem in unione personali, cum Divinitate considerabatur.* At ista est manifesta calumnia. Chemnitius non scripserat: *Extra unionem, non autem in unione personali:* unde igitur nobis iste tam insanus clamor Danæi?

Totum caput dividit Danæus in tres Theses, quibus plurimùm assentitur. Thesi secunda Christus dicitur assumsisse etiam essentialia naturæ humanæ Idiomata: quæ Danæus putat Chemnitium restringere ad solas proprie-
Pag. 71. 72. tates animæ, non etiam corporis, & repetit de locali circumscriptione, finitione, & situ in uno loco, quæ sint essentialia idiomata naturæ humanæ, non pœna propter peccatum ingressa. Sed frustra seipsum fatigat, quia Chemnitius eas ipsas quoque dixerat esse proprietates essentiales, nec
Pag. 50. hîc excludit, quum nominat *omnes conditiones in corpore &*
Pag. 32. *anima*, & quum ex ad Heb. 2. dicit: *sicut pueri communicant carni & sanguini, eodem modo & Filius Dei eorum particeps factus est*: quod Danæus videre potuit, si voluit, ne reprehenderet.

Thesi tertia dicitur, naturam humanam & ejus essentiales proprietates mansisse & in exinanitione & in gloria:
Pag. 74. quo Danæus putat ea confutari, quæ nostri docent de majestate corporis Christi; sed frustra putat. Et quia Christus tempore suæ exinanitionis habuit corpus obnoxium passioni & morti, & animam, quæ potuerit περίλυπος εἶναι, putat Danæus, eos refutari, qui sentiunt carnē

Christi

Christi statim à momento unionis habuisse communicatã sibi gloriam & majestatem illam: sed frustra putat hoc quoque: de quo cap. 4. Thesi 5. pleniùs.

Chemnitius dixerat: *omnino certum est, totum beneficium redemptionis pertinere ad illam naturam, quæ assumta est*: quod quomodo vellet intelligi, mox explicaverat, quum adderet: *ideò enim Angelica natura lapsa non est reparata, quia non Angelorum, sed Abrahæ semen assumsit.* Vidit hoc Danæus, & intellexit. Sed ut aliqua specie Chemnitium obscuritatis vel falsitatis accusaret, strenuè dissimulavit se vidisse. Non igitur hoc agit, ut attendat, quid velit Chemnitius, sed ut quovis modo eliciat, quod accuset, & vel non curat intelligere, quid dicat Chemnitius, etiam ubi satis perspicuè loquitur, vel contra eõscientiam prudens sciénsque reprehendit, quod videt reprehensionem non mereri.

Pag 37.

Pag. 75.

Ad Cap. 4.

Hîc definitur unio personalis divinæ & humanæ naturæ Christi incarnati: quam Danæus libenter admittit esse hypostaticam, qualis est corporis & animæ in homine, quanquam non omnia, quæ de anima & corpore humano dicuntur, de divina quoque & humana natura Christi verè possint affirmari: de quibus Chemnitius quoque cap. 6. monuerat, vel ipso Danæo teste, & multò rectiùs, quã Danæus, qui penè nihil aliud discriminis adferre novit, quàm quòd Deitas sit infinita, nec contineatur humanitate Christi, quemadmodũ anima continetur corpore. Nonnulla quoque monet, ne quis fallatur hac similitudine, quibus nemo falli potest, quum sint in homine & Christo planè similia.

Pag. 77. 125.

Thes. 1. Definitionem unionis hypostaticæ sibi proponit examinandam. Quia verò agnoscit, hujus quæstionis duplicẽ esse scopum Chemnitio propositum: unũ, ut ipsam unionem hypostaticam definiat: alterum, ut doceat, quid ex ea unione naturæ humanæ communicatum sit à divina: quũ eæ disputationes sint distinctæ, & diversis capitibus à Chemnitio tractentur, nos quoque, ne quid perturbetur, singula suis locis videbimus: & quid de definitione Danæus contrà adferat, in his prioribus capitibus considerabimus: reliqua differemus ad sequentia.

Pag. 80. Queritur autem, Chemnitium expunctis aliorum definitionibus novam excogitare, ad invidiam Sacramentariis conflandam. Sed Chemnitius aliis suam laudem integram reliquerat, ne haberet Danæus; de quo jure queri posset. Thes. 55.

Pag. 79. 80. De definitione quoque monet, qui scopuli utrinque cavendi sint, inter quos navigantes rectum cursum teneãt, quid Nestorius, Eutyches, Monophysitæ, Monotheletæ, Acephali errarint: quibus annumerat etiam Brentianos, quorum maximum errorem Chemnitius ipse in toto hoc opere condemnet, & alium cursum navigãtibus monstret. Sed illud de Brentianis nondum probavit, & eo ipso conatur invidiam Chemnitio facere, sed frustra.

Pag. 81. In tota autem unionis hypostaticæ definitione Chemnitiũ falli dicit, quia non animadvertat varios ejus modos à Damasceno propositos, quia illos confundat, & multa perperàm misceat. Atque meminerat Chemnitius ex Damasceno non tres diversos uniònis hypostaticæ modos, Dial. cap. 48. sed unum eundémque tribus diversis rationibus à Damasceno definitum. *Secundum hypostasin quidem*, inquit, *unio est ex differentibus naturis subsistens res.* Addit autem: *Et rursus*, id

ſus, id eſt, ut aliter vel aliis verbis hanc ipſam etiam rem definiam: *Secundum hypoſtaſin unio eſt, quòd ex duabus quidem rebus, in una autem perſona.* Tertiò addit eodem ſenſu. *Et adhuc: Secundum hypoſtaſin unio eſt alteri hypoſtaſi accurrens natura.* Hos Danæus putat eſſe tres diverſos unionis hypoſtaticæ modos, quorum primus loquatur de unione corporis & animæ: ſecundus de variis partibus corporis in uno homine vivente: tertius de duabus naturis in Chriſto hypoſtaticè unitis. Sed fallitur, quum manifeſtum ſit, Damaſcenum nihil aliud iſtis verbis ſpectare, niſi unionẽ corporis & animæ in homine, & duarum naturarum in perſona Chriſti, quibus duobus rerum paribus ſolis iſtæ definitiones conveniunt, ita, ut hæc illâ ſit dilucidior & magis perſpicua, poſtrema verò propriè unionem duarum naturarum in perſona Chriſti incarnati deſcribat, priores duæ etiam unionem corporis & animæ: niſi volemus dicere, Damaſcenum prima illa definitione intelligere ferrum ignitum, quod ſubſiſtit ex differentibus naturis. Certè ſecunda, quam Danæus trahit ad membra corporis humani, nihil minùs quàm talem unionem docet, qualem ipſe putat. Inquit enim: *Ex duabus quidem rebus, in una autem perſona*: hoc eſt, unio hypoſtatica eſt, ubi duæ res unitæ unam perſonam conſtituunt. Num verò dicemus, perſonam hominis ex ſolis iſtis duabus rebus, capite ſcilicet & pede conſtare? Fruſtra igitur Danæus conatur nobis perſuadere, caput & pedem in homine vivente hypoſtaticè uniri, idque Damaſcenum velle tribus diverſis modis unionis hypoſtaticæ definiendis: quum nihil minus velit. Videantur Similitudines Danæi, cap. 6.

Deinceps ſigillatim monet, quid Chemnitius in iſta definitione perperàm miſcuerit. Primũ, quòd ait, *divinam*

naturam Filii DEI assumsisse humanam: quod etsi Danæus negare non potest esse verum, & S. Patres ita quoq; dixisse: tamen velut aliquis prætor è tribunali pronunciat, *dicendum scribendúmque potiùs esse, personam Filii, non autem naturam divinam Filii assumsisse nostram naturam*: quod affirmat Scholasticos quoque sensisse. Sed Lomb. disertè dicit, *etiam inter doctos scrupulosam esse quæstionem, utrum natura naturam assumserit, quia in hoc plurimum dissentire videantur non tantùm alii ab aliis, verùm etiam iidem à seipsis.* Ostendit tamen ex veteris Ecclesiæ doctrina, utrumque rectè dici, & *quòd persona Filii Dei assumserit humanam naturam*, & *quòd natura divina in persona Filii personaliter unita sit humanæ assumtæ*: & citat sententias Augustini & Hieronymi, quæ disertè loquuntur de natura divina Filii. Et in eandem sententiam citat dictum Augustini de fide ad Petrum. Durandus quoque de eodem disputans ait: *assumere competit tam personæ quàm naturæ divinæ.* Item: *per incarnationem nihil aliud intelligimus, nisi unionem humanæ naturæ cum divina*: Et: *ad hoc requiritur, quòd sit unio naturæ humanæ cum divina in eodem supposito.* Igitur Danæus frustra jactat consensum Scholasticorum.

Pag. 81. 124.

Lib. 3. dist. 5. cap. 1.

Ib. dist. 8. c. 1.

Lib. 3. d. 5. q. 1.

Ib. dist. 1. q. 1.

Probat hoc alio etiam argumento, quia Iohannes cap. 1. dicat: *Verbum caro factum est.* Et Heb. 2. αὐτὸς, *ipse Filius Dei assumsit semen Abrahæ*: quare de persona Filii potiùs quàm de natura divina λόγου dicendum, quòd naturam nostram assumserit. Sed istud nihil Danæum juvat. Eo enim damnat S. Patres, qui, quamvis ista dicta scripturæ meminissent, ideôque dicerent: *Filius Dei nostram naturam assumsit*: tamen dixerunt etiam, *Natura divina in persona Filii personaliter est unita naturæ humanæ.* Seipsum quoque damnat negligentiæ vel temeritatis, quòd sic scripsit; *Di-*

Pag. 82.

vinam

vinam λόγῳ naturam à natura humana assumta, & vicißim humanam naturam assumtam à divina natura inseparabilem & indissolubilem esse concedimus. Et manifestiùs etiam: *Sic enim à divina est assumta natura humana, ut quemadmodum divina nunquam humanam deserit*, &c. Nominat etiam divinam naturam assumentem: fatetur personam constare duabus naturis. Cur ergo contendit, istud potiùs, quàm hoc dicendum?

Pag. 87. Pag. 86. Pag. 88.

Tertiò, probat hoc ita quoque vel etiam potissimùm, quia divina illa natura, quæ est in Filio, sit eadem etiam numero cum ea, quæ est in patre, qui tamen nostram naturam assumsisse nequaquam dici possit: at persona Filii non sit eadem cum persona patris, ut propter Sabellianos tutissima sic hæc Phrasis: *Persona Filii nostram naturam assumsit*: Illa verò periculosa, *Divina natura Filii nostram assumsit*. Igitur temeritatis damnat sanctos Patres, ut qui Sabellianissimum non satis cautè vitarint, quando dixerunt, naturam divinam in persona Filii unitam esse naturæ humanæ. Chemnitius eleganter & rectè respondet in hanc sententiam: Essentia divina, quum sit numero una & eadem, quamvis in tribus distinctis personis, tota tamen in omnibus, & tota in singulis, consideratur vel absolutè, sicut toti Trinitati communis est, vel relatè, sicut est in una aliqua persona determinatè, quæ non essentialiter, sed personaliter hypostaticis & characteristicis suis proprietatibus à reliquis distinguitur non tantùm distinctione rationis, nec nudo respectu, sed realiter & verè. Ita in Patre est natura divina ingenita, in Filio genita, in Spiritu S. procedens, & est tamen numero una & eadem natura divina, sed quæ in persona Patris πρόσωπ ὑπάρξεως differt à Filio

Pag. 82.

Pag. 25. 326.

Filio & Spiritu S. Igitur natura divina incarnata est, non quatenus simpliciter & absolutè consideratur, ut communis omnibus personis Trinitatis, sed quatenus personalibus proprietatibus seu τρόπῳ ὑπάρξεως in persona Filii limitata & determinata est, nimirum ut à patre genita, hoc est, divina natura λόγος, non communiter in tribus personis, sed in solius Filii hypostasi naturam humanam assumsit. Ita probat Chemnitius, cur non putetur etiam Pater & S. Sanctus incarnatus, quamvis dicatur naturam divina τὸ λόγος nostram naturam assumsisse: quæ viderat Danæus, quum hæc scriberet: sed his ipsis illa nec refutat, nec refutare ullo modo potest, quicquid moliatur; immô ne quidẽ conatur refutare.

Denique respondet Chemnitius verbis Augustini:

Pag. 515. *Suscepit Filius carnem in proprietate personæ, sed tamen Pater & Spiritus S. non defuit majestate. Quum ergo una sit Deitas, implevit quidem carnem Christi Pater & S. Sanctus, sed majestate, non susceptione. Dicit enim, non sum solus, sed Pater mecum est:* quod Danæus disertè damnat ut Sabellianum, sed non probat, cur falsum sit. Ista quidem inter se commit-

Pag. 154. tit tanquam diversa: *Ipse qui natus est ex æterno Patre*, &, *illud quod est natum ab æterno ex Deo Patre.* Quasi verò ille, qui natus est ex æterno patre, non sit illud ipsum quod est natum ex æterno patre, vel quasi natura divina λόγος sit aliquid distinctum ab ipsius hypostasi. Quam autem veram & realem differentiam nobis hîc monstrabit, ut rectiùs dici posse videatur: *Persona λόγος assumsit nostram naturam*, quàm, *natura divina λόγος assumsit nostram*, & cur illa phrasis sit hac posteriore tutior? Certè quando natura divina Filii Dei nominatur, jam non ampliùs intelligitur absolutè, quatenus est communis tribus personis Trinitatis,

Pag. 77.

sed

ſed limitata eſt & determinata, & conſideratur in ſola perſona Filii, in qua characteriſticis ſuis proprietatibus realiter diſtincta eſt à reliquis perſonis, ut ne minima quidem mentis conſideratione diſtingui poſsit natura divina Filii Dei à perſona λόγου, ſed jam verè, realiter & eſſentialiter idem ſit: quod Danæus piè negare non poterit, niſi volet eadem opera etiam dicere, eſſentiam divinam eſſe aliquid realiter extra vel præter perſonas Divinitatis exiſtẽs, quod iis velut ab extrà communicetur, & volet quoque negare, Chriſtum verè perfectum Deum eſſe.

Et quid verò opus eſt aliis argumentis? Danæus ipſe ait: *Deitas vel natura divina relatè conſiderata nihil aliud eſt quàm divina hypoſtaſis.* Igitur mirari profectò licet, quid ipſum moveat, ut contra certiſsima Patrum teſtimonia nõ vereatur contendere, *minùs rectè dici: Natura divina Filii Dei, carnem noſtram aſſumſit: dicendum ſcribendúmque potiùs eſſe, perſonam Filii, non autem naturam divinam Filii aſſumſiſſe ſibi noſtram naturam: quia non natura naturam, ſed perſona naturam humanam in ſuæ* ὑπάρξεως *& ſuſtentationis unitatem aſciverit.* Chemnitius ex Damaſceno, Dionyſio, Athanaſio & Cyrillo citat, πὼ φύσιμ τὃ λόγυ σεσαρκῶθϑ. Pag. 21. 22. Pag. 81. 82. Pag. 20.

Denique quia videt ſuæ ſententiæ & objectionum imbecillitatem, non audet hunc errorem Chemnitii nominare, obſcuritatem definitionis nominat. Sed ne quidem obſcuritas ulla hîc eſſe poteſt, quum Chemnitius ſatis perſpicuè explicet toto hoc capite, quid velit. Et hoc primum fuit, quod in definitione perperàm Chemnitius miſcuerat, ſi Danæo credimus.

Deinde alterum, quem vocat manifeſtum errorem, nobis cudit è definitione Chemnitii, quòd perperàm dixerit, *naturam humanam à divina fuiſſe aſſumtam ad conſtituendum* Pag. 83.

unũ ex illis & in illis duabus naturis in Christo incarnato ὑφισάμενον: quod clamat favere Samosatenianis et Arrianis, quasi filius Dei tunc demũ cœperit esse seu cõstitui ὑφισάμενον, quum nostram naturam assumsit: quod quanquam fatetur Chemnitium non sentire, tamen contendit, è verbis in definitione Chemnitii sequi. Sed Chemnitius scripserat ὑφισάμενον σύνθετον, quòd scilicet is, qui ante incarnationem erat ὑφισάμενον simplex & perfectum, constans tantùm una divina natura, jam per incarnationem factus sit ὑφισάμενον σύνθετον, compositum ex duabus naturis. Viderat Danæus, Chemnitium istud vocabulum ea de causa eo sensu addidisse; quod nisi dissimulasset, non habuisset materiam cavillandi. Itáne verò præstitit, quod suprà tam splendidè promiserat? Cur autem seipsum fatigavit tota paginâ his clamoribus implenda?

Pag. 10.

Pag. 84.

Sed & tertium quoque errorem in definitione Chemnitiana apparere ait, quod dixerit, *naturam assumtam in Christo incarnato sustentari*: quum dicendum sit, *non in toto Christo, sed in persona divina* λόγου *naturam assumtam sustẽtari*. Solet ubique solicitè paginas Chemnitii notare; sed neque hîc neque in præcedente errore cudendo signavit, ne mox manifesta fraus appareret. Chemnitius hoc ipsum dicit, quod Danæus vult esse dicendum, *assumtam naturam suam subsistentiam habere non in seipsa, sed in persona* τοῦ λόγου. Quid igitur reprehendit? quid veretur, ne personæ Christi initium in ista assumtione statuatur? Et hoc quoque est argumentum fidei, quam dederat cap. 1. Igitur nullo jure tot fraudes ex Chemnitii definitione unionis hypostaticæ excutere potuit, quum ea sit & maximè perspicua & verissima, vel ipso Danæo teste, si sanior factus, & ad seipsum rediens diligenter observaverit, quid dicat Chemnitius.

Pag. 51.

Pag. 10.

Repetit

Repetit ex Chemnitio effecta unionis hypostaticæ, & ipsum ridet, quòd cap. 12. præcipuum ejus effectum ostendat κοινωνίαν, nunc autem aliud meditatus illud primarium proponat, quòd ex hac unione nascatur inseparabilis naturarum in persona Christi copulatio. Sed Chemnitius Thesi mox sequente addit de κοινωνία ἰδιωμάτων: quî possit igitur hîc videri aliud esse meditatus? Et aliud est inseparabilitas naturarum Christi, aliud κοινωνία ἰδιωμάτων, & ad hanc doctrinam utrumque pertinet: cur ergo Chemnitius non etiam de utroque seperatim moneat? Danæus concedit, contra Nestorium, naturas inseparabiles esse. Contendit autem, eas etiam post hanc unionem esse distinguendas, quia sint inconfusæ, quia non coëxtendantur nec æqualiter diffundantur. Sed quomodo illam inseparabilitatem intelligat, & à coëxtensione distinguat, mox apparebit. Thes. 2. Pag. 87. 88.

De communicatione Idiomatum, & de dotibus in humanam Christi naturam collatis, de quibus hic agitur Thesi tertia & quarta, videatur suo loco. Thes. 3. & 4.

Thesi quarta & alibi sæpe disputat de loco Col. 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*: de quo Chemnitius eleganter & prolixè monuerat, quemadmodum unionẽ hypostaticam describat, & singula vocabula diligenter expenderat cap. 9. & 24. Danæus eorum quæ Chemnitius disputaverat, nihil attingit, sed suo more declamitat, & suam ejus dicti interpretationem nobis inculcat, quam videamus, & huc aggregemus omnia, quæ passim aliis locis de hac sententia repetit, quia propriè ad descriptionem unionis hypostaticæ pertinet, quæ hisce prioribus capitibus potissimùm attendenda fuit. Pag. 89. & sequentib. Pag. 107. et sequentib. Item Pag. 372. 397. Pag. 111. 334.

Chemnitii explicationem breviter contractam repetimus. Paulus nominat non qualitates aut dona divina, sed omnem plenitudinem Deitatis, quæ est ipsa tota perfectissima divina natura Filii Dei cum omnibus ejus attributis, quam dicit inhabitare in Christo, non quòd in Deitate Christi inhabitet, quũ in Deo sint omnia essẽtialia, & nihil habitet in seipso: nec tantùm quòd tota plenitudo Deitatis Filii cum assumto corpore vel natura humana sit una personâ, sed quôd inhabitet in Christi corpore velut in vero & proprio templo, non sola ἐνεργείᾳ, nec tantùm χάρι vel participatione effectuũ, sed ὀυσιωδῶς seu per essentiam, non sicut essentia sua implet cœlum & terram, vel in sanctis habitat, sed σωματικῶς, ut intelligatur talis inhabitatio divinæ naturæ in assumta humana, qualis est animæ in corpore humano, in quo inhabitat nec mixtim nec divisim, sed per περιχώρησιν: in quo suo proprio corpore agnosci, quæri, apprehendi, & totam plenitudinem Deitatis suæ tanquam gloriam unigeniti exerere velit. Sententiæ suæ testes citat Augustinum, Theophylactum, Cyrillum, Canones Ephesinos, Athanasium, Theodoretum.

Pag. 108. 272. 307.

Danæus conatur Chemnitium premere eo, quòd scripsit, in assumto corpore Deitatẽ λόγ inhabitare *personaliter*, & affirmat, omnes Græcos illius loci interpretes Adverbium σωματικῶς explicavisse vocabulis *personaliter*, ὑποστατικῶς, ὀυσιωδῶς: quod etsi non negamus, tamen etiam videmus, Oecumenium & alios dixisse, τὸ σωματικῶς idem esse, quod ἐνσαρκῶς vel σεσαρκωμένως: unde nominata fuit ἐνσωμάτωσις vel ἐνσάρκωσις. Danæus autem Adverbium *personaliter* eò potissimum trahit, ut ostendat, ad ipsam unionem & per consequens ad personam potiùs, quàm ad humanam tantùm naturam referendum esse, quod à Paulo

dicitur

dicitur, nec in ipsa carne Christi, sed in ejus persona istã plenitudinem Deitatis inhabitare. Sed nonnihil consideremus, quid hoc sit dicere. Persona Christi constat divina & humana natura, extra quas et præter quas persõa aliqua Christi ne fingi quidé vel cogitari potest aut debet. Itaq; si plenitudo Deitatis inhabitat in persona Christi, non autem in carne vel assumta natura, sequitur, eam inhabitare in persona respectu naturæ divinæ, vel in ipsa divina natura inhabitare. At plenitudo Deitatis nihil aliud est, quàm natura divina, in qua dicere plenitudinem Deitatis inhabitare nihil aliud est, quàm plenitudinem Deitatis vel naturam divinam inhabitare in plenitudine Deitatis, idem scilicet in seipso: quod & ex hac interpretatione sequitur, & Chẽnitius pag. 270. negaverat dici posse, nec Danæus probat, cur rectè possit dici. Quorsum verò tum istud σωματικῶς? Tota plenitudo Deitatis inhabitat in divina natura Christi σωματικῶς? Deitas autem corporea est?

Vidit Danæus, hæc absurda ex ista interpretatione consequi, ideóque conatus est eam mitigare, *quia ratione unionis dictum sit, plenitudinem Deitatis inhabitare in persona Christi personaliter, quia constituat partem illius personæ, quæ Christus est*; quod hactenus quidem verum est: sed nisi addatur explicatio illa S. Patrum, quòd inhabitet in ipsa Christi carne, mitigatio ista Danæi non probat, superiora absurda ex ipsius interpretatione non consequi. Vt autem solet Danæus idem facilè negare, contráque mox etiam fateri, si libeat, negatis superioribus propiùs ad sententiam Chemnitii videtur accedere, quum fatetur, *plenitudinem Deitatis corporaliter in assumta seu humana natura habitare, in carne quoque Christi esse & habitare*. Sed quòd id valde lubricè dicat, ostendit cùm ista superior interpretatio, qua

Pag. 372. 397.

Pag. 109. 113. 116.

Pag. 109. istud diserte negat, tum hoc ipsum, quod addit: *quia hæc caro in illa persona subsistit, eique hypostatice est unita.*

Et ut manifestiùs etiam videamus quid velit, & quòd apertè neget, plenitudinem Deitatis inhabitare in carne Christi, negationis istius argumentum profert, quod est ejusmodi: quia ἀκαταλήπτῳ & infinita plenitudo Deita-
Pag 108 109. tis in carne Christi finita καὶ καταλήπτῳ, nequaquam con-
135. 137. tineri, comprehendi & concludi possit velut in carcere & ergastulo, vel quemadmodum vinum in dolio, vel arca fœderis in templo Solomonico, ut alibi quoque non sit, & extra eam se non extendat. Igitur Danæo, *inhabitare in carne Christi, & in ea contineri velut carcere*, idem valent. Sed nemo nostrûm dicit, sic inhabitare plenitudinem Deitatis in carne Christi, ut illic concludatur & contineatur sicut vinũ in dolio, vel arca in templo: quæ παραβάσεις fuerit, unionis hypostaticæ duarũ naturarũ Christi dissimilis.

Illud autem vel potissimùm hîc notetur, qualem unionem hypostaticam Danæus nobis describat, quia hæc ipsa descriptio sine dubio fons est omnium sequentium negationum, omnium quoque objectionum de transfusione vel effusione idiomatum in carnem Christi; quare nobis diligenter etiam attendenda est.

Pag. 274. Prolixè fatetur, se non constituere Deitatem ποσόν τι, & aliquid, quod quãtitatẽ, partes & dilatationem habeat, nec unionẽ hypostaticam naturarum in Christo facere partialem, ut in una quadam parte Deitatis humanitas assumta velut clavus rotæ affigatur atque adhæreat, sed quòd totum Verbum totam carnem assumserit. Hîc videri poterat sic loqui, tanquam cum veritate planè consentiens. Sed isto superiore negationis suæ argumẽto confessionem illã tam bonam prorsus evertit; nam contendit, plenitudinem

Deita-

Deitatis ita esse infinitã & ἀκαταλήπτου, ut in carne Christi finita nequaquam contineri possit: negat quoq; verum esse, quod Chẽnitius pag. 140. ex Origene citaverat: *Dei Verbũ, potentiã, sapientiã, in qua creata sunt omnia, intra circũscriptionem ejus hominis, qui in Iudæa apparuit, credendam esse:* contendit item, si caro Christi cũ ipsius Divinitate simul adsit in cœtu fidelium & in S. Cœna, eam in infinitas quasdam humanitates multiplicari, vel in universum extendi. Putat ergo, ipsam quoq; Deitatẽ λόγου, quia ubiq; præsens est, in infinitas quasdam divinitates multiplicari, vel in immẽsum extendi, ut aliquam vastam & stupendam molem, quæ essentiæ suæ vastitate, mole & magnitudine sit infinita et amplissima, & ita supra & ultra & intra omnes cœli & terræ angulos diffundatur & extẽdatur, ut angusto loco tota capi non possit, nec propterea intra circumscriptionem ejus hominis, qui in Iudæa apparuit, credẽda sit: sicut aẽr intra globũ terræ & maris & sphærã Lunæ dilatatur, extenditur, diffunditur, & patet in omnes mundi angulos, nec totus in unũ aliquem angustum locũ cogi vel contrahi potest: quã sententiam tam crassam manifestissimè prodit, quando ad hoc argumentũ explicandũ accommodat similitudinem illã de sphæra Solis, quæ cũ corpore Solari hypostaticè quidẽ sit unita, sed multò latiùs & vastiùs pateat & diffũdatur, quã corpo ipsũ Solis: quod quid sit agedũ nõnihil attẽdãus.

Pag. 108. 275.

Pag. 88. 174. 455.

Pag. 274.

Sphæram Solis nemo nostrũm vidit, ne Danæus quidem ipse, nisi quia sic pingitur in vulgaribus libellis Sphæricis, quòd ambitu suo per totum cœlum diffusa Sphæras inferiores omnes complectatur, cui Solis corpus inhærens quidem ac conjunctum non totum tamen ipsum suũ orbẽ occupet & impleat, sed uni soli eique minimæ particulæ orbis istius certo cœli loco velut clavus rotæ copuletur:

quod

quod nobis liceat etiam craſsiùs eloqui. Idem enim dicitur, atque ſi magnus aliquis & vaſtus Gigas ovum puſillum manu teneat, itaque totus Gigas totum ovum tenere dicatur. Vt igitur tota quidem ſphæra Solis totum ipſum corpus Solis capit, nec tamen tota totaliter & præſentiſsimè ipſi unitur, quum ſit multò vaſtior & amplior ſolari corpore: ſic ſtatuit Danæus, totum quidem λόγον totam naturam humanam aſſumſiſſe, non autem totum totaliter ita præſentiſsimè ipſi unitum, ut verum ſit, quod littera Pauli & S. Patrum ſonat, *totam plenitudinem Deitatis inhabitare in ipſa carne Chriſti.*

Et in præf. Pag. 19. Et hinc ſunt illæ voces toties in hoc Examine iteratæ, *de dilatatione, diffuſione, extenſione, multiplicatione, replicatione, naturas unitas non æqualiter diſtendi, diffundi, patere, non coëxtendi* &c. Hinc eſt, quòd negat divinam naturam humanæ ſic unitam eſſe, quemadmodum anima ſua corpori per περιχώρησιν, quanquam illa Deitas illi carni ſit hypoſtaticè copulata: ideóque ſimilitudines illas corporis & animæ, ferri igniti, lucis & Solis toti vetuſtati uſitatiſsimas explodit, & alias nobis comminiſcitur: de quibus cap. 6.

Pag. 109. 242.

Pag. 56. 298. Hinc eſt item, quòd unionem hypoſtaticam appellat *adjunctionem humanæ naturæ ad divinam*, quod dicit, λόγον *carni Chriſti annexũ*. Hæc eſt illa naturarũ inſeparabilitas, quam ſupra conceſſerat Theſi ſecunda: hinc illud, *humanam Chriſti naturam extra perſonam* λόγου *non ſubſiſtere: divinam naturã humanam non deſerere: Deitatem Chriſti non ſubſiſtere ſeorſim & ſeparatim extra naturam humanam aſſumtam, ſed cum eadem aſſumta natura in una perſona ſemper conjunctam & copulatam manere, quamvis caro Chriſti non ſiſtatur eo loco cum Deitate, ubi ſunt fideles, vel ubi S. Cœna celebratur*: quæ omnia ſic dicuntur, & mehercle ſatis caute & ad palatum

Pag. 96.

Pag. 416.

Danæi & ſociorum ejus, ut & Neſtorianiſmum fugere videantur, nec tamen cogantur admittere præſentiã carnis Chriſti in S. Cœna, Quãdo enim propterea Neſtorianiſmi accuſatur, ut qui eo perſonam diſſolvat, negat ſe diſſolvere, & negat hoc unico fundamento, quia Divinitas λόγος extendatur & diffundatur mole quadam in infinitum, quæ licet hîc alia ſui parte ſola adſit in terris, habeat tamen ſibi adjunctam humanitatem alia parte, quæ pateat ſupra cœlos uſque.

Hîc verô paulîſper conſiſtat, & videat, quid neget, & quid mox ipſe fateatur. Negat Divinitatem eſſe ποσόν τι, negat, habere quantitatẽ, partes & dilatationem: negat, in una parte Deitatis aſſumtã humanitatem adhærere: ſed idipſum cõtra fatetur etiam manifeſtiſsimè, quia divinitas diffundatur, extendatur, expandatur, pateat, quia naturæ non diſſolvantur, licet diſtent longiùs etiam, quàm diſtat ſupremum cœlum ab infima terra. Aut hoc eſt habere quantitatẽ, partes & dilatationẽ, aut neſcio quid ſit habere.

Ex hoc fonte mirificè quidem tecto, ſed tamen nonnunquam etiam manifeſtè prodito, fluunt omnes objectiones, quibus Danæus putat, ſe poſſe evincere, ipſa Deitatis Idiomata carni Chriſti nequaquã eſſe communicata.

Nos autem ex ſcriptura & S. Patribus didicimus, eſſentiam divinã eſſe ſimpliciſsimam, quæ non habeat partem extra partem, quæ cœlum & terram impleat non quadam mole & vaſtitate in omnes mundi plagas patens & diffuſa, quaſi aliâ ſui parte ſit in cœlo, aliâ in aëre, aliâ item in terra, ſed quæ ubique tota ſit, non tantùm quod ad totum numerum trium perſonarum, ſed etiam quod ad ipſam totam ſimpliciſsimã eſſentiam, tota in cœlo, tota in aëre, tota in terra, tota hîc, tota alibi non per modum dilatationis,

non expanſionis, non diffuſionis, non extenſionis, quia eſt ſimpliciſsima, nec habet partem extra partem, nec per modum multiplicationis aut replicationis, quia una eſt, non multæ: ſed eſſentiæ ſuæ ſimplicitate & unitate, quæ magna eſſe poſsit ſine mole, vaſtitate vel numero partium, contráque tota in anguſtum cogi non deminutâ ſui immenſitate, ut nihil ſit tam magnum, quin ipſa ſit multò major, nihil tam parvum, quin ipſa totaliter tota ſit multò minor, quæ ſit extra omnia non excluſa, & intra omnia nõ excluſa, quæ ſecundum ſe tota ſit ubique, *quia talis eſt, ut qualibet poſitione facta ſequatur, illam eſſe ubique, quod proprie convenit DEO*, ait Thomas. Sic Damaſcenus: τὸ θεῖον ἀμερές ἐσιν ὅλον ὁλικῶς πανταχοῦ ὄν, ἡ οὐ μέρος ὢν μέρει σωματικῶς διαιρόμενον, ἀλλ' ὅλον ὢν πᾶσι, ἡ ὅλον ὑπὲρ τὸ πᾶν. Lombard. *Deus non mole magnus eſt, ſed virtute.* Auguſtinus Deum eleganter confert cum ipſo noſtro intellectu. *Quo intellectu*, inquit, *Deum capit homo, qui ipſum intellectum ſuum, quo eum vult capere, nondum capit? Si autẽ hunc* intellectum *jam capit, attendat diligenter, nihil eo eſſe in ſua natura melius, & videat utrum ibi videat illa liniamenta formarum, nitores colorum, ſpacioſam granditatem, partium diſtantiam, molis diſtenſionem, aliquas per locorum intervalla motiones, vel quid ejuſmodi. Nihil certè iſtorum invenimus in eo, quo in natura noſtra nihil melius invenimus, id eſt, in noſtro intellectu, quo ſapientiam capimus, quantum capaces ſumus. Quod ergo non invenimus in meliore noſtro, non debemus in illo quærere, quod longè melius eſt meliore noſtro. Ut ſic intelligamus Deum, ſi poſſumus, quantum poſſumus ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine intelligentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco ubique totũ, ſine tẽpore ſempiternũ, ſine ulla ſui mutatione mutabilia*

Far. 1. quæſt. 8. art. 4.

Lib. 1. cap. 15.

Lib. 1. diſt. 8. cap. 4.

De Trin. lib. 5. cap. 1.

bilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondũ potest omnimodò invenire quid sit, piè tamen caveat, quantum potest, aliquid de eo sentire, quod non sit. Idem: *Deus in seipso substantialiter ubique totus est:* quæ volumus Danæum diligenter considerare, ut videat, Deo non posse piè tribui diffusionem, extensionem, expansionem vel multiplicationem.

Igitur modum ubique præsentiæ divinæ nemo mortalis unquam in hac vita capere & intelligere potest, ut Lombardus ait: *Deum esse ubique scimus & dicimus: quomodo autem ubique sit, non intelligimus. Nam præter scientiam & potentiam Dei plus aliquid præsentia ejus continet, quod homo vivens capere non valet:* quod verè est, Deum esse incomprehensibilem & inæstimabilem, quod quum S. Patres dicunt, non hoc tantũm volunt, stuporem mentis nostræ non satis posse comprehendere, quid & quæ sit illa augustissima essentia divina, sed ne ipsum quidem etiam modum ubique præsentiæ divinæ capere & intelligere posse: posset autem certè, si verum esset, Deum per modum multiplicationis aut dilatationis esse ubique.

Ex hoc igitur fundamento, quòd Deus totaliter & in seipso substantialiter ubique totus est, dicit Paulus: *In Christo omnem plenitudinem Deitatis inhabitare corporaliter.* Col. 2. quod ex hoc eodem fundamento S. Patres & sæpe & rectè de ipsa carne Christi interpretantur, in qua inhabitet, quæ totum λόγον capiat, ac Filii Dei plenè capax sit. Theodor. *Hæc tanquam de homine dicta sunt, qui tamen omnem in se continet Divinitatem.* Epiphan. *Quum templum verbi esset, plenum erat Deitate.* Tertullianus ait: *Totam plenitudinem Deitatis in assumta natu-* Lib. 7. Tom. 2.

tura Christi cum tota sua redundãtia cumulatè admissam. Leo: *Tota plenitudo divinitatis inhabitat in Christo personaliter: totum igitur corpus ejus implet tota divinitas, & sicut nihil deest illius majestati, cujus habitatione repletur habitaculum, sic nihil deest corpori, quod non suo habitatore sit plenum.* Et sic intelligi volunt, quod dicunt, divinitatem habitare in assumto corpore vel in ipsa carne Christi, nec tantùm, ut vult Danæus, ratione unionis vel in persona. Athan. Orat 4. cont. Arrian. Eustath. apud Theodor. dial. 2. Paul. Emiss. apud Cyrill. homil. 7. Cyrill. in Ioh lib 4. cap. 23. Sic Damascenus lib. 3. cap. 6 disertè τὸ σωματικῶς exponit τετέσι ἐν σαρκὶ αὐτοῦ, quod Danæus præter ejus mentem torquet ad unionem vel ad personam, quum profectò sciat, aliud esse, *in persona Christi inhabitare*, aliud, *in carne Christi*: & Damascenus, si voluisset intelligi personam, eâdem facilitate dixisset, ἐν ὑποστάσει αὐτοῦ, qua dixit, ἐν σαρκὶ αὐτοῦ. Aliis igitur istud persuadeat Danæus, si potest, nobis certè nunquam persuadebit. Neque enim Paulus hoc tantùm voluit dicere, personam istam esse plenum & perfectum Deum, sed aliquid amplius, in Christi scilicet corpore, quod assumsit ex virgine, tanquam in templo habitare, ut Deum illum sine hoc, quod homo est, & hominẽ sine hoc ne quidem cogitare liceat, quod Deus est, ut ait Leo. Si verò sola divinitas est in S Cœna & cœtu fidelium, humanitate Christi procul in cœlis absente, jam non tantùm cogitatur & cogitari potest, sed est reverâ Deus sine hoc, quod homo est, quod Leo negat cogitari posse: quod nos non possumus pro nihilo putare, quicquid contrà vociferetur Danæus.

Pag. 109.

Serm. 3. de pass.

Itaque toti plenitudini Deitatis Filii sic unita est assumta natura personaliter, ut eam λόγος intra arcanum, arctissimum

ctiſsimum, intimum, profundiſsimum & præſentiſsimũ complexum non alicujus particulæ, ſed totius plenitudinis Deitatis ſuæ, quæ ſupra & extra omnem locum eſt, ſecum intra ſe, apud ſe, & penes ſe perſonaliter unitam atque præſentiſsimam ſemper habeat ἀδιαιρέτως, ἀδιαστάσως καὶ ἀδιακρίτως: quæ tanta veritas has voces Danæo expreſ- Pag. 129.
ſit: *nemo noſtrûm unquam aut ſenſit aut ſcripſit, aliquam duntaxat Deitatis λόγῳ particulam unitam eſſe aſſumtæ naturæ:* Pag. 121.
non parti pars, ſed tota natura aſſumens toti aſſumtæ in qualibet ſui parte copulata eſt: unionem hypoſtaticam non facimus Pag. 274.
partialem, ut pars Deitatis parti humanitatis ſit unita. Quam admirandam, ſtupendam, arctiſsimam & præſentiſsimam unionem S. Patres ſimilitudinibus iſtis corporis & animæ, ferri ignitî, & lucis Solaris, ſi non per omnia convenientibus, attamen non prorſus incommodis nec inelegantibus, nonnihil explicare & exprimere conati ſunt: de quibus cap. 6. nec tamen propterea tam graviter hallucinati ſunt, quàm Danæus putat.

Hinc apparet, longè aliter de tanto myſterio incarnationis cogitandum eſſe & ſentiendum, quàm ſtatuit Danæus. Pag. 109.
Itaque noluerat Chemnitius iſtud à Paulo dictum eſſe tantùm ratione unionis, & intellexerat, quid ſit *ratione unionis* vel *perſonaliter* aliquid carni Chriſti tribui.

Negat autem Chemnitius, plenitudinem illam Deitatis inhabitare in carne Chriſti per eſſentialem inhæſionem: non quòd eo ipſo velit aliquam illius præſtantiſsimæ οὐσίας & οὐσιῶν omnium cauſſæ inhæſionem accidentalem ſtatuere: ſed quia divina eſſentia per illam inhabitationem non facta ſit etiam eſſentia naturæ humanæ, quum naturæ ipſæ in iſta unione manſerint inconfuſæ: non negat autem, ineſſe vel inhabitare ut eſſentiam; ex quo Danæus quidem

ſolicitè colligit naturarum confuſionem vel abolitionem eſſentialium cujuſque naturæ proprietatum, quæ inde ſequatur: ſed eam non probat inde conſequi. Neque enim
Pag. 197. ſic eſt illa plenitudo Deitatis in carne Chriſti, ſicut eſſentia Patris eſt in Filio, facta ſcilicet etiam Filij eſſentia: ſed ſicut anima inhabitat in ſuo corpore, & ignis in ferro, vbi animæ eſſentia non fit eſſentia corporis, nec corpus fit anima, nec ignis fit ferrum: quod videt Danæus noſtros velle, eòque multis infirmiſsimis objectionibus adverſariorum de effuſione, transfuſione, ſpoliatione Idiomatum Deitatis fortiter occurrere, ſed id ſtrenuè diſsimulat. Igitur hæc definitio intimæ, arctiſsimæ et præſentiſsimæ unionis hypoſtaticæ, quam Danæus nullo modo ſine manifeſta nota impietatis negare poterit, fundamentum eſt & verum & ſolidum totius noſtræ ſententiæ de perſona Chriſti, & de communicatione Idiomatum.

Quum autem verum ſit de Chriſto etiam in ſtatu exinanitionis, quod Ier. 23. dicitur: *Cœlum & terram ego impleo*, Deo commendamus, quî fieri potuerit, ut plenitudo Deitatis in ipſa carne Chriſti inhabitaret tota totaliter, nec tamen deſineret cœlum & terram implere, módò ne ſtatuamus talẽ dilatationem Deitatis λόγου, qualem nobis ſculpit Danæus, neque verò etiam incluſionem vel comprehenſionem, qualis eſt vini in dolio: quia ſcimus, unionem hypoſtaticam naturæ finitæ & infinitæ non poſſe ulla ratione comprehendi, ſed ſine controverſia magnum eſſe & inenarrabile myſterium illud, quòd Deus manifeſtatus eſt in carne: quod omnem intelligentiæ noſtræ modum excedit, ut teſtantur dicta S. Patrum, quæ Chemnitius colle-
Pag. 139. git cap. 10.

Thes. 5. Chemnitius dixerat, in ipſo primo momento unionis, quando

quando tota plenitudo Deitatis in Christo cœpit corporaliter inhabitare, humanam naturam accepisse majestatem, ditatam esse divinis virtutibus & operationibus. Danæus clamat, eum transire in castra teterrimorum hæreticorum, Pag 114.
Docetarum, Valentinianorum, Marcionitarum & Manichæorum, cujus hæreseos crimen effugere jam non possit. Sed nos de Chemnitio meliora speramus. Accipimus autem illud ac lubentes, quod Danæus tam benignè concedit, Pag. 113.
ab ipso primo conceptionis momento plenitudinem Deitatis in assumta natura corporaliter inhabitare: vnde dicimus verè consequi, Quantumvis illud ipse neget, propterea ab hoc eodem incarnationis momento humanam Christi naturã eam gloriã & majestatem habuisse, quam nunc habet post Resurrectionem & Ascensionem, quum majestas illa & gloria nihil aliud sit, quàm ipsa tota plenitudo Deitatis: quod sentire non est in Docetarum castra transire.

Danæus, ut aliqua plausibili specie Chemnitium istius insimulet, hæresin Docetarum sic describit, eos censuisse, Christum ita hominem effectum δοκίᾳ, ut tamen, quia λόγος erat, impassibilis esset, & ὁμοίωμα hominis, non infirmitatem humanæ carnis assumsisset. Sed fallitur, idque ipse animadvertit, ideoq; timidiùs pronunciat, istam Docetarum sententiam fuisse. Nam Valentiniani, qui ipsi δοκηταὶ isti fuerunt, Christum de virgine nihil corporis assũsisse, sed per eam quasi per fistulã transisse asseruerunt. Negarunt itaque, Christum δοκίᾳ hominem effectũ esse, quod hîc Danæus ait, eos affirmasse: contráque docuerunt, Christi corpus fuisse putativum vel φάντασμα, & omnes ejus actiones et passiones fuisse κατὰ δόκησιν καὶ φαντασίαν: quod Chemnitius nequaquam fingit. Et quanquã caro Christi gloriã illam habuit etiã in statu exinanitionis quam nunc habet ad dexteram Patris, tamẽ inde nõ sequitur, quicquã Pag. 116.
Isid. Etym. cap. 8
Athan. Serm. contra omnes hæres.

putati-

putativum in ipso fuisse, vel ipsum verum χῶμα nostræ carnis & verè nostram miseriam non induisse nec portasse, nec, si nihil in ipso fuit κατὰ δόκησιν, sed in rei veritate omnia, sequitur, gloriam illam in ipso non fuisse: negamus enim sequi, nisi eâdem ratione dicemus, etiam divinitatem ipsam in illo non fuisse.

Chemnitius autẽm distinguit gloriam vel majestatem divinitatis propriam & habitus creatos. Gloriam divinitatis ab ipso conceptionis initio in carne Christi habitasse cum ipsa Deitatis plenitudine docet, quæ in statu exinanitionis nõ semper sese exeruerit, nunc autẽ plenariè exerat, quam Ioh. 2. dicitur manifestã fecisse miraculo: igitur eam habuit. Habitus creatos per temporũ momenta sese paulatim exeruisse testatur cap. 33. Danæus ista confundit & negat: sed incertum est utrum neget. Citat
Pag. 115. dictum Psalmi. 8. *Fecisti eum paulisper inferiorem angelis*: quod sic interpretatur, verè dici non posse, Christum minorem Angelis fuisse, si eâdem illa gloria etiam tunc reverâ prædituS erat, quam nunc in cœlis habet. Sed cur non eodem modo negare possimus, ipsam quoque Deitatem λόγου, quæ fons est & causa istius gloriæ, vel potiùs est illa ipsa gloria, carni Christi fuisse unitam ante Ascensionem? Quomodo verò sibi constat Danæus? quum cap. 5 con-
Pag 124. cedat, *carnem Christi ab ipsa λόγου Deitate etiam gloriam & majestatem accepisse, quam etiam post depositam servi formam habuit.* Quibus ipsis verbis fatetur, etiam ante depositam servi formam habuisse.

Denique cum quo Danæus sibi videtur certare? non hic mehercle cum Chemnitio in omnibus. Neque enim dicit Chemnitius, nec Danæus ex ipsius verbis elicere potest, ipsum dicere carnem Christi ante Resurrectionem fuisse impassibilẽ, invulnerabilem, immortalẽ, dolores nullos,

ac de-

ac defatigationes nullas fensisse: sed prolixè testatur, Christum carnem peccati nobis ὁμοίωμα sine peccato cum omnibus ejus infirmitatibus, mortalitate, passibilitate &c. assumsisse, neque tamen naturæ necessitate, sed volentem, ut victima fieret pro nobis. Assumsit igitur carnem, eámque mortalem, eóque nomine minor factus est Angelis, quia & homo factus est, & mortalis. Quid ergo certat Danæus? Sed quia illi ipsi carni mortali hypostaticè unita fuit vita, majestas & gloria τοῦ λόγου, quod Danæus nunquam rectè negaverit, propter hanc gloriam, vitam & majestatem sibi hypostaticè per arctissimam περιχώρησιν unitam caro illa certè pati & mori non potuisset, nisi natura divina virtutem suam ab opere retraxisset, ut requiescente Verbo pati & mori posset, ut cum Irenæo loquuntur Cyrillus, Athanasius, & alii. Quid est enim mors, nisi separatio animæ à corpore? Quî verò potuisset illa anima ab illo corpore Christi separari, nisi Dominus ipse eam volens posuisset, ut ait Iohan. 10? Sicut neque in ferrum ignitum cadere ferrugo potest, ut inquiunt S. Patres. Ambros. Phil. 2. *Exinanivit se, hoc est, potestatẽ suam ab opere retraxit, ut humiliatus ociosa virtute infirmari videretur.*

Hoc quo pudore Danæus negare possit, aut Docetarum hæresin nominare, ipse viderit. Docetæ Christi passionem & mortem putârunt fictam fuisse vel κατὰ δόκησιν, quia carnem ipsam Christi non veram, sed phantasma fuisse dixerunt: quæ utraque vel alterutrum Chemnitio tribuere, est manifestè calumniari.

Igitur clamores Danæi Chemnitium nihil movent, ut qui satis perspicuè dicat, Christum verè δόλῳ μορφῷ, ipsam humanæ naturæ οὐσίαν, ὁμοίωμα ἀνθρώπου & carnis nostræ infirmitates sine peccato assumsisse, non per temporum

quædam intervalla, & ad certas tantùm actiones, sed ut infirmitates illas demum post mortem per resurrectionem et ascensionẽ deponeret. De majestate et gloria quod addit, rectè addit, quia caro illa cum divinitate, gloria & majestate λόγου, hypostaticè unita est ab ipso conceptionis initio, quicquid contrà luctetur & pugnet Danæus. Nec alia est gloria major ipsâ Deitate λόγου, quam caro Christi primùm acceperit post resurrectionem, non autem habuerit ab initio unionis, quamvis habuerit sibi semper hypostaticè unitam Deitatem. Fundamentum nõ erroris sed veræ hujus sententiæ est istud unicũ, quod diximus, quia tota plenitudo Deitatis inhabitat in assumta natura Christi velut in proprio templo, pérque eam majestatis suæ operationes exerit, ut exeruit tempore exinanitionis in miraculis, quando voluit, eámque divinis ἐνεργείαις ditavit, ut ajunt orthodoxi Patres, quibus virgam Mosis & carnem Apostolorum non ditavit, ut qui Divinitate λόγου non sint hypostaticè uniti.

Danæus autem istis tam insanis clamoribus non obscurè indicat, quem Christum Salvatorem suum in statu exinanitionis fuisse putet, nimirum nudum hominem, qui primùm post resurrectionem coronatus sit gloriâ & honore, ante mortem verò tam infirmus fuerit naturâ, quàm quisquam nostrûm; adeò, *ut omnus infirmitati contraria qualitas, majestas & gloria à carne Christi tunc prorsus abfuerit*. Abfuit igitur ipsa quoque Deitas, aut ea carni Christi tantùm astitit, ut Angelus lateri Petri, sine ullius boni communicatione; abfuerunt item vires hyperphysicæ, quas Danæus, hanc ipsam suam sententiam manifestissimè refutans concedit à λόγῳ collatas in humanam

pag. 117.

pag. 548.

nam naturam, validas, & immenſas, & ſupra naturalem humanæ naturæ conditionem & ſortem, quibus potuerit in paſsione judicium Dei perferre, etc. Quod ſi verum eſt, quid igitur hîc tam impotenter clamat de plenaria infirmitate carnis Chriſti, à qua omnis contraria qualitas prorſus abfuerit? Ita ſcilicet ipſe ſibi conſtat. Pag. 548.

Ad Cap. V.

Cap. 5. docet Chemnitius, quemadmodum è teſtimoniis Scripturæ colligi poſſint & confirmari ea, quæ ad deſcriptionem unionis hypoſtaticæ naturarum in Chriſto pertinent: Danæus ipſum prolixitatis & moleſtæ rerum earundem repetitionis accuſat, & ſtomachatur, & profitetur, ſe lectorum ocio nequaquam abuti: quod quàm verum ſit, apparebit cap. 22. præter alia. Tum ſignificat, in quibus ipſi cum Chemnitio conveniat. Pag. 120. 122

Quæ Theſi prima & ſecunda repetit de natura divina, & de ſimilitudine corporis & animæ, ſuprà quoque fuerunt. Pag. 124.

Hîc autem ita quoque argumentatur: *Humana natura non eſt mutata in divinam, ergo non ſolvitur perſona, etiamſi non ubicunque eſt natura divina, ibi ſit etiam humana.* Sed quî quæſo poteſt iſtud argumentum hanc quæſtionem probare? quum quamvis ſit, ut eſt, veriſsimum, tamen inde nequaquam ſequatur, quod Danæus concludit. Theſ. 2. Pag. 126.

Theodoreti dictum verum eſſe nemo negat: *Tantum diſtat Deitas ab humana natura, quantum quod recens eſt, ab æterno, & quod factum eſt, ab eo, qui fecit.* Danæus autem

non finget hîc nobis distantiam localem Deitatis ab humanitate, nisi manifestiùs etiam volet personam distrahere, quasi naturis ipsis intervallo locorum distantibus.

Thes. 1. Pag. 127. Repetit accusationem, quæ fuit cap. 4. thes. 1. quòd Chemnitius vel obscurè vel falsò scribat, *naturas in Christo copulari ad constituendum unum hyphistamenon*. Suprâ Chemnitium ab accusatione Danæi defenderat vox σὺ δὲτον, quam addiderat. Hîc ipsum, illud etiam manifestiùs ab ea vindicat, quòd distinctionis gratiâ hoc loco monet de hyphistameno uno: sequente paragrapho monituros de hyphistameno σωζέτῳ. Debuit igitur Danæus attendere, quid quâ caussâ diceret & distingueret Chemnitius, ne quid præter ejus meritum reprehenderet.

Thes. 5. Pag. 128. Chemnitius dixerat, *totam plenitudinem Deitatis λόγου unitam esse naturæ assumtæ, non sicut in Sanctis tota est, sed personaliter*. Hinc Danæus duplex Chemnitii peccatum fingit. Primum, quôd totam Deitatem, quæ est ipsa Trinitas, non discernat â Filii persona, quæ sola sit in Christo personaliter. At Chemnitius â Paulo didicerat ita loqui: quis autem Danæum docuerit dicere, *persona Filii est in Christo personaliter*, ipse viderit. Alterum, quòd quum Deus sit ubique, Chemnitius tamen dicat, eum esse in Sanctis, quasi istud sit Sanctorum proprium. Sic autem hoc reprehendit, quasi velit Chemnitius, Deum nusquam nisi in Sanctis esse, vel falsum sit, Deum esse in Sanctis, in quibus non *esse*, sed *habitare* dicatur.

Pag. 397. Iusta scilicet & hoc loco necessaria reprehensio. Danæus ipse dicit: *Deus in sanctis non tantùm inest, sed etiam inhabitat*. Fatetur ergo etiam inesse.

Quia verò videmur ipsi non toto genere, sed tantùm

tũm ſecundum plus et minus inhabitationẽ deitatis λόγȣ, quæ eſt in aliis ſanctis, ſeparare ab unione hypoſtatica, docet nos illud meliùs & accuratiùs: quod videamus. Dicit, *naturam aſſumtam à Deo non ſolùm regi, ut in aliis Sanctis,* Pag. 128. 129. *ſed etiam geri, & ſubiri, & geſtari, & ſuſtentari, & foveri.* Pag. 89. Et hinc eſt illa definitio unionis hypoſtaticæ: *Unio ſecundum hypoſtaſin eſt ea, per quam fit unita rei compoſitæ ſuſtentatio ac exiſtentia.* Hæc verò eſt illa toto genere facta ſeparatio, tanto nobis promiſsa hiatu? Atqui iſtud totum omnibus Sanctis à Deo poteſt obtingere, nec aliam differentiam conſtituit inter inhabitationem Deitatis λόγȣ in Sanctis, & unionem hypoſtaticam, quàm quæ ſit ſecundum plus aut minus Et Chemnitius ipſe quoq; iſtud dixerat: ſed viderat, eo non ſatis exprimi veram rationem unionis hypoſtaticæ, ideoq; addiderat, unitam eſſe perſonaliter, per περιχώρησιν, & ad conſtituendum unum hyphiſtamenon σώνδετον, & ſic, ut inde emergat communicatio ἐνεργειῶν ſine confuſione: quod nulli Sancto obtingit, & differentiam longè manifeſtiſsimam conſtituit, & toto genere res illas diverſas ſeparat.

Et hîc porrò Danæus cum Chemnitio conſentit in eo, Pag. 129. quòd non aliqua duntaxat Deitatis λόγȣ particula unita ſit aſſumtæ naturæ: ſed negat, ſimul eodem loco exiſtere humanam naturam cum divina, cui hypoſtaticè eſt unita, quia ſit contra ipſum Dei verbum, quia ſit item Eutychianorum & Monophyſitarum graviſsimus error, & efficiat carnem Chriſti ubique præſentem: quâ blaſphemiâ nulla major eſſe poſsit. Chemnitius autem ex Paulo didicerat, *Totam plenitudinem Deitatis inhabitare in Chriſto corporaliter:* didicerat ex Leone: *Nec Deum illum ſine hoc, quod homo eſt, nec hominem ſine hoc licet cogitare, quod Deus eſt:* item

ex eodem: *Hac fide Ecclesia vivit, hac proficit, ut nec sine vera humanitate credatur divinitas, nec sine vera divinitate credatur humanitas: qui enim fingit, se habere Deitatem nudam à corpore, anathema sit:* qui si prævidisset effugium, quod Danæus quærit è particula *sine*, dixisset etiam, *extra humanitatem non credendam esse divinitatem, contráque:* Nam vtrunque dicere voluit. Nec istud est de nihilo, quòd ait, *Deum sine hoc, quod homo est, ne quidem licere cogitare.* Danæus autem non tantùm cogitat Deum sine hoc, quod homo est, sed vult etiam nobis persuadere, nos Deum in terra habere sine hoc, quod homo est: quod ipsum Leo iste iis verbis non docuerat. Didicerat Chemnitius ex testamento filii Dei, corpus ipsum Christi non sic esse cum divinitate, ut longissimè supra cœlos absit, sed in terra distribui omnibus illis locis, ubi S. cœna administratur: didicerat è Matthæo, Christum totum fideliũ suorũ cœtui adesse: meminerat, id omne esse ex hoc solo fundamẽto, quia in natura humana inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter, quæ posit de corpore suo facere quod vult, teste Augustino. Nihil igiturhîc contra ipsum Dei verbum asseritur, quicquid cavilletur Danæus, nec Eutychianorũ aut Monophysitarum error confirmatur, quum propterea caro Christi nec sit nec dicatur in divinam naturam mutata: quam veritatem non patiemur nobis istâ grandiloquentiâ Danæi eripi.

Porrò colligit etiam alio argumento, propter vnionem non, ubicunq; divina natura fuerit, ibi etiam esse humanam, *quia consequitur*, ait, *quòd nefas est credere, abruptam fuisse in morte Christi unionem personalem, quoniam non ubicunq; erat corpus Christi, illîc erat ejusdem anima: quòd si anima Christi in morte fuit soluta à corpore, nec tamen vel corpus vel anima fuerunt soluta à Divinitate* λόγου, *sequitur, ea quæ*

Pag. 130.

persona

perſonaliter unita ſunt in Chriſto, nequaquam ita ſemper ſimul eſſe, ut ubicunque unum eſt, ſit & alterum. Argutias iſtas ex Lombardo didicit, quæ nihil prorſus ipſius ſententiam probant: imò potiùs ἄτοπον efficiunt multò etiam abſurdius, quàm eſt iſtud, quod hîc ex ſententia Chemintii colligit Danæus. Videat enim, ſi placet, an non manifeſtè ſequatur, conſtitui duas in Chriſto perſonas, unam quæ conſtet divinitate Chriſti & ejus corpore in ſepulcro, alteram, quæ conſtet eâdem Chriſti Divinitate & ejus anima extra ſepulcrum, quũ dicat, eam ipſam Chriſti animã cum Divinitate λόγου etiam tunc inſeparabiliter unitã fuiſſe. Hoc ἄτοπον diluat Danæus, & nos cõcedemus, Divinitatem λόγου eſſe vaſtam aliquam molem, quæ tota totaliter in aſſumta carne Chriſti corporaliter inhabitare non potuerit, etiamſi D. Paulus & Damaſcenus dicant inhabitare. Fatemur itaque, Deitatem λόγου proprietate naturæ & ratione infinitæ immenſitatis eſſentiæ ſuæ eſſe ubique, non autem ita ubique eſſe naturam aſſumtam. Cautè tamen dicimus cum Auguſtino, *Deum eſſe ſine ſitu præſentem, ſine loco ubique totum*, nec fingimus divinam naturam ſiſti aut locari, quibus verbis delectatur in hoc argumento Danæus. Dicimus autem etiam diſertè, animam Chriſti per mortem ejus eſſe â corpore, & propterea ab ipſa quoque unione hypoſtatica ſolutam, quod hîc Danæus negat, ſed ſine rationibus, & ita ut ex eo ſuperius iſtud abſurdum neceſſariò cõcludatur: cui ipſi Chriſti animæ, quatumvis videatur infinita λόγου Divinitas nihilominus adfuiſſe: tamen quid cauſſæ putabitur eſſe, cur illud inde cõſequatur, quod vult Danæus. Fatemur, animam Chriſti in morte â corpore ejus & ab unione perſonali ſolutam fuiſſe: quæ quantumvis putetur nihilo magis â Divinitate λόγου fuiſſe ſeparata, qua tamen ratione videatur hinc illud conſequi quod vult Danæus, totam plenitudinem Deitatis in ipſa

Lib. 3 diſt. 1.

De Trin. lib. 3. cap. 1.

carne

carne Christi non inhabitare? unionem personalem constare, quamvis alterâ naturâ absente & seorsim alicubi posita? non esse naturarum inter se præsentissimam vnionem? Christum cum suo corpore non posse præsentem esse, vbi se fore dixit? Aliis igitur & melioribus rationibus probet, quod tam pertinaciter negat, & solidè refutet, si potest quod Augustinus dicit: *Sine situ præsentem, sine loco ubiq; totum, in seipso substantialiter ubiq; totum, quod non invenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere, quod longè melius est meliore nostro*: & quod Tertullianus ait *Totam plenitudinem Deitatis in assumta natura Christi cum tota sua redundantia cumulatè admissam*: & quod ex Scriptura Chemnitius ait, Christi pedibus etiam secundum humanam naturam subjecta esse omnia, & propterea quoq; distantias & intervalla locorum, quæ non impediant, ne caro Christi cum ejus divinitate adsit in S. cœna & cœtu fidelium.

Pag. 501.

Thes. 5. Chemnitius tractat de naturarum inseparabilitate, nimirum post incarnationem nec personam λόγυ extra assumtam naturam & sine ea, nec carnem assumtam extra λόγου aut sine verbo seorsim & separatim piè & rectè vel cogitari vel credi posse. Danæus de fraudibus, technis & araneis clamitat, quæ sint magnarum fallaciarum semina. Videamus igitur, quas illas hîc ex Chemnitio probet. Primùm, quia dicere debuerit: *Nec persona λόγυ sine assumta natura piè cogitari potest*. Num verò Chemnitius ita non dixerat? ipsa Chemnitii verba Danæus non citaverat, *persona λόγυ sine assumta natura piè cogitari non potest*? hicciPag 131.

Pag. 10. ne Chemnitius *Deitatem* λόγυ scripserat? Ea verò fides est, quam Danæus suprà nobis dederat? vel potiùs, an non manifesta fraus est Danæi, ipsa verba Chemnitii ascribere,

quæ ta-

quæ talia sint, qualia esse debeant, & mox alia fingere, quæ reprehendat? Et quid verò reprehendit? Quum ipse dicat, *Deitatem* λόγου *jam sine humana natura esse non posse*. Pag. 135.

Deinde, quia debuerit dicere, *assumta natura aut* λόγος *seorsim & separatim existere non potest*, non debuerit omnem cogitationem damnare, quæ fit distinctè de assumta aut assumente natura. Sed cur non eâdem operâ fraudis accusat Leonem, sic loquentem: *Deum illum sine hoc, quod homo est, non licet cogitare?* Si Chemnitio venisset in mentem quærere ex Danæo, quid quomodo dicendum scribendûmve esset, quæsiisset procul dubio. Sed ejus oblitus scripsit ex sola mente Scripturæ & S. Patrum, quod judicavit ad asserendam veritatem, & ad premendos adversarios plurimûm facere. Meminerat itaque, Sacramentarios dicere, naturas unitas non seorsim & separatim existere, & intellexerat, quid vellent, nimirum Deitatem, quamvis sola sit in terra, tamen non separatim existere, quia supra cœlos expansa habeat sibi adjunctam naturam humanam. Voluit igitur sic dicere, quemadmodum vidit sibi per veritatem Dei licere dicere, vel prorsus esse dicendum, personam λόγου extra assumtam naturã & sine ea seorsim & separatim nec piè nec rectè vel cogitari vel credi posse aut debere: non ut eam cogitationem damnaret, quæ naturas in persona Christi distinguit, & quamque naturam ex sua essentia ac veris proprietatibus considerat vel explicat: sed ut doceret, separatim aut seorsim cogitandas non esse, quasi una possit esse in cœlo, altera sola præsens in terra, nec tamen persona propterea solvatur. Neque verò ita naturarum distinctionem cum personæ separatione ac divulsione confudit, nec Eutychianorum errore naturam humanam divinæ exæquavit. Pag. 132. 133.

Denique quia dixerit, *Deitatem* λόγου *extra & sine humana*

natura piè credi non posse: in quo contendit Chemnitium du-
Pag. 134. pliciter peccare: primùm, quòd has particulas *Extra & sine* i-dem significare putet, ut si Deitas λόγου extra naturam as-sumtam cogitetur, etiam sine ea cogitetur. At Chemnitius non putat, eas particulas idem significare, quamvis putet in his formulis, *sine joco, extra jocum, sine controversia, extra con-troversiam.* Sed hoc Danæum mordet, quia Chemnitius non sentit, quod ipse vult, sed utrumque dicit, *nec extra nec sine assumta natura personam* λόγου *piè cogitari posse:* quia negat, sa-tis esse, dixisse, quod dicit & concedit Danæus, Deitatem λόγου jam sine humana natura esse non posse, sed addit et-
Pag. 86. 223. 266. iam nec extra naturam assumtam posse. Et verò Danæ-us ipse dicit: *humana natura extra* λόγου *personam nec est nec subsistere fingi potest:* fatetur, Patres dixisse, *non agere unam in Christo naturam sepositam extra unionem cum altera: naturam assumtam non subsistere extra* λόγον *assumentem.* Igitur ex Leonis & ipsius quoque Danæi testimonio natura hu-mana nec extra nec sine Divinitate λόγου piè cogitari potest. Quid ergo reprehendit Danæus? Negat quoque Chemniti-us, ea, quæ sunt hypostaticè unita, sic esse copulata, ut unum extra aliud locum habeat & situm sit, nec unionem hypostá-ticam facit similem unioni vel adjunctioni thoracis & bra-chii, pedis & capitis, de quibus ineptissimis similitudinibus erit cap. 6. Nec tamen propterea dicit, naturas post unio-nem æqualiter distendi, diffundi & patere, & loci ratione coëxistere, quum Deo locum non tribuat, nec eum disten-dat, velut molem vel chaos aliquod: sed retinet hoc verissi-mum fundamentum: *Tota plenitudo Deitatis inhabitat in Chri-sto corporaliter:* & Deo commendat, quomodo natura infi-nita nihilominus sit & maneat infinita, & cœlum & terram impleat, quamvis totaliter tota sit in assumta finita carne

Christi

Christi: quòd Danæus citiùs, quàm debuit, prònunciat esse falsissimum & ineptissimum, quum sit verissimum. Pag. 134.

Alterum quoque hujus sententiæ Chemnitii vitium esse dicit, quia finitum infinito exæquet, hominem Deo, creaturam creatori, quod sit unicum horribilis blasphemiæ exemplum. Chemnitius autem negat, se exæquare, non eo tantùm argumento, quo putat Danæus, quia caro Christi hoc habeat à Divinitate, quod Divinitas habet â se, sed hac quoque verissima ratione, quia natura humana sit & maneat proprietate suâ finita. Quia verò in eam ipsam naturam finitã tota infinitæ Deitatis λόγου plenitudo sese totaliter immisit, ut Orthodoxi Patres loquuntur, in eaq; corporaliter inhabitat, ex hoc fundamento, quod adversus omnes inferorũ portas immotum constat, concludit Chemnitius & rectissimè, Christum cum finito suo corpore posse facilimè præstare, quod promisit, & adesse, ubi se adfuturum dixit: quod si Danæus nobis negat, Christo ipsi non negabit.

Danæus repetit dictum Col. 2. & concedit, quod suprà negârat, totam plenitudinem Deitatis λόγου in carne Christi habitare: sed negat in ea concludi velut carcere, ut & alibi quoque non sit, & extra eam non se extendat. Sed neque Chemnitius dicit, in ea concludi ut carcere. Conciliet autem nobis Danæus ista duo. Primum, quòd concedit, non aliquam duntaxat particulam Deitatis λόγου unitam esse naturæ humanæ, sed totam naturam assumentem toti assumtæ in qualibet sui parte copulatam esse: alterum, quòd toties repetit, Deitatem λόγου extra ipsius carnem etiam sibi hypostaticè unitam esse: & verò sic concilíet, ut probet, hinc non sequi, Deitatem habere partem extra partem, vel esse ποσόν τι. Thes. 6. Pag. 135.

Thesi septima dicitur de vivifica carne Christi, de qua quicquid hìc affert Danæus, id differemus ad cap. 24. Pag. 137. & sequentib.

Thes. 8. Danæus multas diversas quæstiones confundit velut unã eandémque. I. Quòd Chemnitius testimoniis Scripturæ probârat, nobis per carnem Christi aditũ patere ad Deum. II. Quòd dixerat, ex unione sequi κοινωνίαν ἰδιωμάτων. III. Quôd exemplis miraculorum Christi docuerat, assumtam naturã esse proprium, perpetuum & inseparabile Deitatis λόγου organon ad ejus operationes perficiendas: quæ omnia quia Danæus sic dicta putat, ut realem communicationem Deitatis
Pag. 150. & Idiomatum ejus carni Christi factam probent, ideò negat ea hac ratione, quia sic natura humana exæquetur divinæ: quod ita omnino consequi ex sententia Chemnitii necesse sit, ut hîc Chemnitius frustra effugium quærat ex eo, quòd dicit, essentialia Deitatis Idiomata in carnem Christi non esse effusa, non confusa, non formaliter inhærentia, sed nihilominùs constrictus teneatur. Quia autem nec Chemnitius istud hoc loco agit, & de eo sequetur cap. 22. pleniùs, eò quoque hanc rationem Danæi nostrámque responsionem differemus.

Fingit autem, Chemnitium hîc quatuor argumentis istud de plenitudine Deitatis carni Christi communicata probare.
Pag. 151. Primùm, quia Christus per carnem suam se ut Deum, & Patri æqualem, cernendum nobis præbeat: quod multis modis negat, sed præter rem prætérque mentem Chemnitii, qui isto argumento eã quæstionẽ nõ probat, quã putat Danæus: frustra igitur sese hîc & nos quoque ipsos fatigat totâ paginâ & ampliùs. Chemnitius hoc vult, quia nobis miseris peccatoribus ad nudam divinitatem non patet aditus, ideò assumtam esse humanitatẽ in unitatem personæ λόγου, ut Chri-
Pag. 67. stum fratrem respicientes per eum accedamus ad Deum. Nihil hîc de communicatione Deitatis. Apostoli ex operibus divinis & miraculis intelligebant, Christum Deum esse: inde

autem

autem non ſequitur, quod vult Danæus, carnem Chriſti divinis ἐνεργείαις non eſſe ditatam: ut ex hominis ratiocinatione & meditatione deprehendimus, animam in ipſo eſſe, unde nō ſequitur, corpus operationibus animæ nō eſſe locupletatum.

Verumenimverò in confirmatione ſententiæ ſuæ ſeipſū colligens Danæus videt quid velit Chemnitius. Ait ergo, *non ad carnem ſuam ſeu aſſumtam naturam nos revocat Chriſtus, ſed ad doctrinam & ad miracula ſua, id eſt, ad ipſam divinam naturam, cujus illa fuerunt effecta.* Pag. 154. Sed id manifeſtè falſum eſſe textus ipſe Iohan. 14 docet, etiam ſicut eum Danæus explicat. Nā revocat nos Dominus ad eam naturam, cujus miniſterio docuit & miracula edidit: quæ autē illa ſit, oſtendit hiſtoria Euāgelica, quādo os aperiens locutus eſt, & manu tangēs, expuens, vocem emittens ſanavit infirmos, mortuos excitavit.

Et ut ſtudium veritatis in Danæo agnoſcamus, pro Syllogiſmo Chemnitii, quem putat, alium veriſſimum, ſi Diis placet, reponit. *Illud omne, per quod Chriſtus & Deus, & Deo patri æqualis, cernitur, eſt æquale & ὁμοούσιον Deo & Deus. Per aſſumtam naturam Chriſtus & Deus & Deo Patri æqualis cernitur ex ſententia Chemnitii. Ergo natura aſſumta eſt æqualis Deo & Deus.* Pag. 156. Vbi verò vidit Danæus, Chemnitium ſic loqui aut ſentire, *per carnē Chriſtus & Deus & Deo Patri æqualis cernitur?*

Eſt illa diſputandi peſtis & pernicies fœdiſſima, & fraus ea quidem ad obruendam veritatem & ad premendum adverſarium accommodatiſſima, ſed quæ prudentes & doctos homines, eóſque ſtudiū veritatis præ ſe ferentes nequaquam decet, quum neglecto cujuſq; loci ſtatu, & præteritis rerum & argumentorum manifeſtiſſimis momentis & rationibus tantùm Theſes hinc inde pro diſputatoris arbitrio eliciuntur, quæ videntur ipſius inſtituto maximè ſervire, ut oblata quavis minima occaſione de iis potiſſimū prolixè declamitetur,

de quibus Adversarius eo loco tractare non instituit, vel ipsi præter ejus mentem alia sententia affingatur, ut Lector rationum & argumentorum ejus ignarus putet, nihil nisi manifestè falsum & absurdum ab ipso dici. Sic est istud præter alia, quod hîc Danæus fingit contra mentem Chemnitii.

Pag. 150. Secundum argumentum vel Syllogismum ex Chemnitio talem nobis comminiscitur. *Per quod Christus fecit miracula, illud habet plenitudinem Deitatis & majestatem sibi realiter communicatam. Per carnem Christus fecit miracula. Ergo caro habet plenitudinem Deitatis & majestatem sibi realiter communicatam.* Et ea demum est quidem Chemnitii sententia, eáque vera, sed hoc loco nihil ejus habet. Nam illud tantùm dicit,

Pag. 72. Christum, quum potuisset solo imperio miracula sua perficere, voluisse tamen adhibere naturam humanam, quæ jam erat ejus propria facta, ut ostenderet, se in, cum, & per illam, tanquam perpetuum & inseparabile organum, divinitatis suæ operationes perficere. Nihil igitur dicit de communicatione majestatis. Danæus negat, ipsam ἐνέργειαν divinitatis carni Christi esse communicatam: quibus autem rationibus neget, videbimus cap 25, ut huic vertigini medeamur, quantum possumus, quòd ista absurda de Mose & Prophetis adfert.

Hîc quoque nobis alium Syllogismum format, non dis-

Pag. 158. similem superioris. *Illud, quod edit miracula, est Deus. Ipsa caro Christi edit. Ergo est Deus.* Quî verò certa sit prior hujus Syllogismi propositio? Nam videatur exemplum simile. *Illud quod urit, est ignis. Ferrum ignitum urit. Ergo est ignis.* Quis concedet sequi? Caro Christi edit miracula, quia cum divina omnipotentiia λόγος personaliter unita est, ut ferrum ignitum urit propter arctissimam præsentiam ignis cum ferro. Nec tamen propterea caro Deus est, ut nec ferrum ignis.

Id

Id autem potiſsimùm Chemnitius hoc loco non ſpectaverat. Igitur Danæus hîc fruſtra ſudat.

Iam verò tertiam Chemnitii rationem examinat. *Illud, quod divinæ gloriæ radios emittit, habet plenitudinem Deitatis ac potentiam Dei eſſentialem ſibi realiter communicatam. Caro Chriſti emiſit in transfiguratione. Ergo habet ſibi communicatam.* Pag. 158.
Et hæc eſt Chemnitii ſententia, verbo Dei & Orthodoxæ Pag. 58.
antiquitati conſentiens: ſed hîc eam non propoſuerat: tantùm dixerat, naturas in Chriſto non conjungi per ſolam attingentiam vel aſſiſtentiam, ſicut Angelus aſtat lateri Petri, vel ſicut duæ laminæ conglutinantur: ſed ſicut ignis ferrum penetrat, ac totum ſubſtantiâ ſuâ implet: ita λόγος in tota aſſumta natura, ſalvo ſtatu exinanitionis, lucere, eámque velut accenſam illo lumine Verbo unitam eſſe: & tali forma Chriſtum viſum in trãsfiguratione Matth. 17. Hæc eſt longè alia ſententia, atque ea, quam Danæus hîc comminiſcitur: qui Pag. 159. 160.
majorem Syllogiſmi ſuperioris propoſitionem negat hac ratione, quia etiam Angeli, Stephanus, veſtimenta Chriſti emiſerint radios divinæ gloriæ, nec tamen habuerint plenitudinem Deitatis realiter ſibi communicatam, niſi veri quoquæ Dii fuiſſe dicantur. Eadem vertigo, quæ fuit in præcedente Syllogiſmo: idem igitur remedium hîc quoque adhibeatur. Angeli, Stephanus, veſtimenta Chriſti radiis emicuerint, quantis nulla creatura poſsit, certè cum Deitate λόγου per περιχώρησιν perſonaliter unitì non fuerunt, igitur nec plenitudinem Deitatis realiter ſibi communicatam habere potuerunt, ut habet caro Chriſti perſonaliter ipſi unita per περιχώρησιν, ut jam hîc homo verè DEVS ſit, quum Angeli, Stephanus, veſtimenta

Chriſti

Christi Dii non sint. Et mirum est, quid moveat Danæum, ut istis exemplis tam pertinaciter pugnet, quæ possit videre, si velit, esse inepta & absurda, & ab hoc argumento tam remota, quàm quæ maximè.

Igitur rectè sentit Chemnitius, illam ipsam totam plenitudinem Deitatis, quæ corporaliter in carne Christi inhabitat, sicut ignis in ferro ignito, sed hactenus & aliquandiu pòst etiam umbraculo carnis velut nube tectâ fuerat in statu exinanitionis, in monte sese nonnihil conspiciendam exhibuisse discipulis. Nazianzenus in tractatu de Fide, & Ambros. de fide contra Arrian. cap. 8. *Vt Sol quum nube tegitur, claritas ejus comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, parvo obstaculo nubis includitur: sic homo ille, quem Deus induit, Deum in homine non intercepit, sed abscondit: denique quum se in morte paululum extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis ejus penè obcæcati sunt Apostoli.*

Pag. 160. Ex his piorum Patrum verbis agnoscat Danæus imbecillitatem sequentis etiam negationis, ubi dicit, illam lucem in transfiguratione fuisse quiddam extraordinarium, quod etiam statim evanuerit, neque perpetuò carni Christi adhæserit, ideóque hujusmodi gloriam ab initio incarnationis Christi non fuisse, nec ipsi carni realiter communicatam, nec in ea perpetuò fuisse. Cur enim negat veritatem vel suo ipsius testimonio certissimam? quum suprà de hoc facilè nobiscum

Pag. 113. consenserit, *in ipso primo unionis, incarnationis ac conceptionis momento plenitudinem Deitatis corporaliter in assumta seu humana natura habitare cœpisse, ex eóque tempore semper in ea habitasse, & nunc quoque habitare.* Quid quæso hoc aliud est, quàm hujusmodi gloriam & majestatem divinam semper in carne Christi realiter fuisse, quæ hactenus in statu exinanitionis tecta

tecta in monte seſe nonnihil exeruerit? Num verò dicet Danæus, istos radios in monte conspectos ab extrà in carnẽ Christi defluxisse? semper in carne Christi non fuisse? Si dicet, sequetur, Christum verè Deum semper non fuisse, vel carnem Christi cum ejus Deitate non semper fuisse personaliter unitam, vel Deitatem λόγȣ non semper adfuisse carni Christi: fatetur enim certè, radios illos fuisse divinæ gloriæ. Dicimus igitur, istos divinos radios, qui in ea transfiguratione apparuerunt, semel quidem, & propter statum exinanitionis extraordinariè conspectos, attamen fuisse perpetuam carnis Christi conditionem & statum, ac inseparabile unionis hypostaticæ effectum; quod jam quilibet intelligere per se potest, nedum Danæus, vir quidem non parùm pugnax, qui nisi sibi præjudicio quodam oculos excæcasset, verum nobiscum videre poterat.

Restat autem quarta ratio seu Syllogismus Chemnitii, quem Danæus ejusmodi facit: *Qui docet omnino* ἀκοινωνήτȣς *esse naturas in Christo, est hæreticus Samosatenianus. Qui negant, plenitudinem Deitatis* λόγȣ *carni Christi realiter esse communicatam, illi docent, naturas in Christo esse omnino* ἀκοινωνήτȣς. *Ergo illi sunt hæretici Samosateniani.* Sic scilicet sentit Chemnitius, necdum probavit Danæus, quantum absit à blasphemia Samosateni. Quamvis enim concedat contra Samosatenũ, naturas in unius personæ unitionem copulari, quamvis item contra eundem concedat primum & secundum gradum communicationis: tamen hocipsum valde lubricè concedit, nec è mente sanctorum Patrum, quod docent exempla toties repetita de virga Mosis, de Prophetis & Apostolis ad divina miracula cooperantibus. Denique vel potissimùm etiam cum Samosateno negat eam communicationem, quam Scriptura & S. Patres in tertio gradu una mente unóque ore do- Pag. 151.

cebunt cap. 24. & 25. Constat igitur & verus est Chemnitii Syllogismus, nec eum Danæus unquam refutabit, quicquid moliatur: pro quo nobis alium jam proponit, ut doceat, nos hæreticos esse ex miro quodam monstro, Eutychiano nimirum & Nestoriano cœno conflatos, quia doceamus, plenitudinem Deitatis, & essentiales ejus proprietates esse carni
Pag. 163. Christi per οἰκονομίαν unionis realiter cõmunicatas, propterea̅que naturam assumtam Deitati exæquemus: de quo pleniùs etiam nobis dicendum erit cap. 22. Ex his autem omnibus habet Danæus perspicuum ad omnes suas objectiones, debiles illas quidem, sed tamen adamatas, responsum.

Thes. 9. Thesi nona tractatur, quid sit *dici actu primo vel secundo*. Chemnitius de nullis nisi Scholasticis hoc dixerat, & sententiam ipsius Danæus probat, quando de persona Christi in-
Pag. 164. telligitur, *hic homo Deus est*, quia per se, reipsâ, naturâ & propria definitione talis est, ideóque actu primo Deus est. De S. cœna hîc non agitur, ubi si caro Christi per se vel naturaliter non adest, adest καὶ ἄλλο, ex alia caussa, quia scilicet λόγῳ hypostaticè per περιχώρησιν unita est, & ideò reipsâ verè & realiter adest & adesse potest, quicquid contrà declamitet Danæus.

Ad Cap. VI.

Suprà monuimus, in hoc de persona Christi argumento tractando duplicem quæstionem Chemnitio propositã esse, primam ut ipsam unionem definiat, quæ & qualis ea sit: alteram, ut explicet, quid ex ea consequatur, nimirum communicatio Idiomatum, quid ea sit, & quot ejus gradus. Primã quæstionem undecim prioribus capitibus tractat, quæ totius operis prima pars est: alteram sequentibus, quæ est item pars altera. Quando igitur hactenus de duabus naturis

dixit.

dixit, & earum unionem hypostaticam in persona Christi definivit, & Scripturæ testimoniis comprobavit; deinceps cap. 6. docet, quemadmodum veteres eam cõnati sint nonnihil explicare similitudinibus lucis & Solis, ferri igniti, & corporis & animæ: ubi etsi quædam etiam admiscet de communicatione Idiòmatum ex altera hujus argumenti quæstione: tamen illud hîc potissimùm sibi tractandum proponit, quod ad intelligendam ipsam definitionem unionis hypostaticæ ex his similitudinibus peti potest. Hoc quum Danæus, vir alioquin valde acutus, non videat, aut videre nolit, suo more fingit, Chemnitium nihil aliud agere in toto hoc libro, nisi de reali communicatione Idiomatum probare & inculcare.

Quia igitur Chemnitius de diversis quæstionibus diversis quoque locis explicavit, debuit Danæus hîc tantùm de definitione unionis cum ipso considerare, de communicatione Idiomatum cap. 33. adferre: sed hîc de utraque respondet. Quum autem de luce & Sole, de corpore & anima, cap. 23. non repetat, ut repetit de ferro ignito, agedum concedamus nonnihil ipsius Methodo, & attendamus, quid in exemplis lucis & Solis, corporis & animæ, contrâ adferat, etiam quod ad hanc alteram quæstionem. De ferro ignito illud hîc potissimûm notabimus, quod ad definitionem unionis intelligendam faciet: quemadmodum autem illa similitudo doctrinam de communicatione Idiomatum illustret, peculiari cap. 23. dicemus, eóque pauca ista de illo argumento ex hoc capite differemus.

Danæus novem articulos recenset, in quibus Chemnitio assentiatur. In secundo damnat cum Chemnitio similitudines *accidentis & subjecti, stipitis & rami illi insiti, mariti & uxoris*, ut absurdas, vel longè ab hoc argu- Pag. 167.

mento remotas. Sed ut mox apparebit, unionem hypoſtaticam nobis explicat ſimilitudinibus non multò melioribus,
Pag. 253. 290. & illam de marito & uxore ab hoc argumento non longiſſimè removet.

In tertio dixerat Chemnitius, quamvis in obſeſsis inhabitet ſimul & anima & diabolus, tamen ſolam animæ in ſuo corpore inhabitationem facere unionem hypoſtaticam. Danæ-
Pag. 168. us conatur eo Chemnitium premere, quia ex coëxiſtentia rerum unitarum unio hypoſtatica non ſit definienda, ideóque Chemnitius fallatur, qui eam ex illa metiatur, & unionem ſolvi putet, ſi naturæ unitæ non realiter coëxiſtant. At Danæus ipſe fallitur & graviſsimè qui nolit intelligere, quid Chemnitius dicat, qui unionem definit eam eſſe, quum duæ naturæ in Chriſto conjunguntur per περιχώρησιν ad conſtituendum unum hyphiſtamenon σώμενον, ſicut anima & corpus unam perſonam conſtituunt: & quanquam addit, unionem eſſe inſeparabilem, tamen non talem fingit coëxiſtentiam, qualem putat Danæus, quaſi natura humana finita in infinitam molem extendatur vel multiplicetur, quum ne ipſa quidem infinita natura divina ſic extendatur vel multiplicetur. Præterea ſi rerum tam propè conjunctarum, quales ſunt diabolus & homines obſeſsi, coëxiſtentia nondum facit unionem hypoſtaticam, vel ipſo Danæo teſte, ſequitur, multò arctiorem & profundiorem eſſe coëxiſtētiam, quæ faciat veram unionem hypoſtaticam, vel ex ea ſequatur.

In ſexto dixerat Chemnitius, hanc eſſe ſummam dignitatem naturæ humanæ, quia eſt unita divinæ in perſona Chriſti. Danæus ait, ex hoc effici, non conſiſtere in eo digni-
Pag. 170. tatem carnis Chriſti, ut ſemper cum illius Deitate coëxiſtat. Elegans verò collectio.

In nono

In nono de περιχωρήσει monet Danæus, ne scilicet lectorum ocio abutatur, quum de ea hoc ipso capite idem, quod hîc dicit, repetiturus sit.

Deinceps ad ea venit, in quibus à Chemnitio dissentit. Summam verò futuræ Chemnitianæ disputationis esse ait, quòd ipsa plenitudo Deitatis λόγου, illiúsque essentialia Idiomata carni assumtæ realiter communicata sint, etiam quod ad ἐνεργείας propria, um divinæ naturæ virtutum, ac operationum, in quarum societatem perpetuam & inseparabilem Pag. 172. natura humana sit à Christo ascita. Clamat sententiam esse absurdam, quam nemo nisi manifestè hæreticus vel fando unquam audiverit vel dixerit. At ipsa S. Scriptura, & tota vetus Ecclesia non ea hæretica, non Eutychiana, sed pia & orthodoxa Chemnitium docuit sic sentire, quemadmodum apparebit cap. 24. & 25. Eadem orthodoxa Ecclesia ex Scriptura dixit, carnem Christi esse in S. cœna in his terris, nec tamen eam proinde in immensum extendit, ut nec Deitatem ipsam molem aliquam vel chaos immensum fecit.

Quid autem Danæo videatur Chemnitium fefelliſſe, agedum videamus. *Pauca certè quidem*, ait, *eáque etiam omnino levia argumenta: primùm, formulæ quadam loquendi: deinde tres* Pag. 174. *illæ, quæs sæpius commemorat, similitudines.* Quî verò vel istæ loquendi formulæ vel hæ similitudines Chemnitium quicquam vel minimum sentire in hoc argumento docuerint? quomodo fefellerint? quum, quicquid hîc sentit, id ex Scriptura & S. Patrum certissimis testimoniis didicerit: ad quam sententiam Scripturæ, per se quidem intellectu difficilem, artamen cognitu necessariam, facilius intelligendam, quia S. Patres istas & loquendi formulas et similitudines accommodarunt, Chemnitius quoque eas retinere & hûc accõmodare certè debuit.

Hîc autem non de ferro calido dicitur, ſed eo, quod ipſam ignis ſubſtantiam arctiſſimè ſibi unitam habet: & cap. 23. tam illuſtri támque evidenti argumento docebitur, nõ tan; tùm calorem vel ignem in iſto ferro, ſed ipſam quoque ferri maſſam unitam igni accepta vi ignis urere, ut nemo ſanus ulla vera ratione negare, nec Danæus ſuo ἀλωνεκδοχῆς vel μεταλήψεως vel ὑπερβολῆς tropo refutare poſsit, quantumvis clamet, illud eſſe ἀσύλλογον. Neque enim tropus ullus eſt vel eſſe poteſt, quando dicitur, ferrum ignitum urere, quum nec ſubjectum ponatur pro ſua qualitate, quæ hîc nulla eſt (eſt enim ipſa ignis ſubſtantia, non aliqua ignis qualitas) nec plura ſimul conjuncta, nempe ferrum & ignis uno vocabulo, ſed pluribus comprehendantur: ſunt enim duæ voces, *ferrum*, *ignitum*: quare tropus hîc eſſe non poteſt, qui eſt in una ſola voce, & ea quidem voce, quæ mutatur à propria ſignificatione in aliam: quod nec ipſum hîc accidit. Fallitur ergo Danæus, quoties hîc & in ſimilibus tropum molitur.

Pag. 176. Sic in iis etiam exemplis, *quum anima dicitur pati, quando laceratur corpus, oculus videre, auris audire, lingua loqui*, tropum fingit tam ineptè quàm ſæpe. Nam tropus eſſe non poteſt, ubi voces omnes proprias ſuas ſignificationes apertè retinẽt, nec una aliqua vox hîc tropicè aecipi intelligitur, ſed multæ conjunctæ, quod eſt contra omnes omnium Rhetorum definitiones tropi. Certè quando oculus dicitur videre, *oculus* id ſignificat, quod ſua propria notione vocem iſtam ſignificare omnes intelligunt: *Videndi* quoque verbum id hîc ſignificat, quod propriiſſima vi & notitione ſua ſemper ſignificavit. Et Danæus hîc nobis vertiginem ſuam prodit, qui adverſus veritatem tam pertinaciter pugnans ab ea manifeſtè

ſuper-

ſuperatus neſcit quid dicat. Diſtinguit ἀποτελέσματα ſentiendi ex ἐνεργείαις inſtrumenti & animæ propriis, & expreſsè fatetur, *eſſe* ἐνέργειαν *oculi propriam obiecta viſibilia apprehendere, animæ verò* ἐνεργειαν *eſſe ea dijudicare*. Tum contrà negat, *in oculo eſſe vim* ἐνεργητικὴν *ipſius* ὄψεως, & imperitè addit de colorum diſcretione, quaſi quiſquàm ſit tam iners, qui dicat, oculum colores diſcernere vel dijudicare. Nos autem voces iſtas accipimus ac lubentes, quas Danæo manifeſta veritas in iſta vertigine expreſſit, & conſtanter affirmamus, in oculo, vel in ipſis oculi nervis, mẽbranis & humoribus ineſſe φύσειαν videndi vel obiecta viſibilia apprehendendi: ſed quum quæritur, unde ea ſit, dicimus, eſſe ab anima corpori hypoſtaticè per περιχώρησιν unita communicatam oculo, ideóque in cadavere, vbi anima abeſt, eam quoque abeſſe ab oculo, quia cauſſa communicationis jam ſublata eſt. Itaque oculus proprium eſt & perpetuum & ſolum organon, cui facultatem videndi anima ſuppeditat, quo læſo vel eruto facultas quoque iſta non communicatur, quum non ſit, cui communicetur, nec anima videt, quùm ſit inſtrumento videndi ſpoliata. Neque enim ſic videt anima per oculum, ut in cantico Solomonis ſponſus per cancellos perſpicit, ubi nulla videndi facultas eſt in cancellis, ut qui cũ ſponſo ipſo per περιχώρησιν hypoſtaticè non ſint uniti, ſed ſolus homo perſpicit, ipſis cãcellorũ tigillis nihil omnino vidẽtibus. Quòd ſi ſic anima perſpiceret per oculum, ſequeretur, eam poſſe multò etiam acutiùs videre oculo eruto. Athanaſius inquit: *Oculorũ ſolum eſt videre, & aurium audire, oris guſtare &c: Sed quæ ſpectari, audiri &c. debeant, ſenſuum non eſt, ſed animi.* Item: *qua ratione illud fit, ut oculus ſecundum naturam conditus ad videndum, auriſque item ad audiendum alia averſentur, alia deligant?*

Pag 218.

Pag. 176.

quis

Quis oculum à videndo retorquet? aut quis aurem, cujus officium naturale est audire, ab audiendo secludit? Respondet verò, animam retorquere, quæ imperet corpori.

pag. 177. Quòd autem Danæus dicit, viventibus sæpe accidere, ut aut cogitatione aut vi morbi impediti apertis atque integris etiam oculis & auribus tamen neq; videant neque audiant, eóq; conatur probare, non oculum, sed animam ipsam videre, audiat contrà, quid Augustinus sentiat. *Vnde fit*, inquit,

De Trin. lib. 11. cap. 8. *ut sæpe perlectâ paginâ vel Epistolâ nesciam, quid legerim, & corã loquentem mihi aliquem aliud cogitando non audivisse mihi videar. Vidi tamen & audivi, sed non memini: in aliud quippe intenso nutu voluntatis non sic est adhibita memoria sensui corporis, quã ipse sensus adhibitus est litteris.* Sic Danæus ipse dicit, *corpus esse instrumentum sentiendi, oculum videndi &c.* Vt autem, quum corpus laceratur, quantumvis animo aliud cogitante tamen sentitur dolor: ita quamvis animus cogitationibus suis alibi vagetur, tamen videt oculus, auris audit, sed homo non meminit, quid viderit vel audierit: aut si ne tum quidẽ videt oculus, sequitur, corpus etiam acerbissimè laceratum non sentire dolores, si animus ab iis ad alia cogitanda avocetur. Non ergo fallitur Chemnitius, quum dicit, corpus sentire, oculum videre: sed fallitur Danæus, qui ista tropicè dicta putat, nec scit, aut dissimulat se scire, quid sit tropus.

Figuratum quoque genus dicendi constituit, *quum corpus*

Pag. 177. *animatum dicitur pati, dolere, lætari*, quia non ipsa corporis compago propriè sentiat, sed sit instrumentum animæ ad sentiendum: quod tamen fatetur esse obscurius, quia scilicet veretur, ut id possit probare, nisi manifestus Stoicus evadat, qui lacerationes corporis etiam acerbissimas nihil esse nisi opinionem dicebant. Facultas sentiendi dolores vel voluptates inest ipsis nervis corporis, quibus communicatur ab ani-

ma propter arctiſsimam ejus unionem cum corpore: qui quum lacerantur, non ſola anima dolorem ſentit, ſed ipſi quoque nervi: quod tam evidenter verum eſt, ut nemo ſanus rectè negare poſsit: cur enim non ſentit anima, quando corporis alicujus adhuc viventis membrum mortuum laceratur, quum poſsit meherclè nihilominus dolorem ſentire, ſi ſola ſentiat? Nimirum quia ſenſus organo mortuo nihil eſt, quod beneficio animæ ſentiat nihil eſt, cui ſentiendi facultatem anima poſsit communicare. Sentit igitur ipſum quoque membrum, non ſola anima: & Danæus ipſe ſanior factus ex Iuſtino citat & probat, *animam cum ſuo corpore ſæpe compati & κοινωνεῖν.* Fatetur ergo, etiam corpus ipſum pati. Quando verò anima à corpore ſeparatur, facultas ſentiendi nervis non communicatur, quia cauſſa communicationis ſublata eſt: & quum membrum à corpore vivo reſectum eſt, vis ſentiendi ne tunc quidem ipſi ineſt, quum ſit avulſum ab unione animæ, quæ unio ſola communicationis iſtius eſt & fons & cauſſa: quam veriſsimam ſententiam ſi Danæus potuiſſet certis Nyſſeni, Nemeſii, itémque Damaſceni teſtimoniis refutare, profectò aſcripſiſſet ipſa verba, nec ſolo nominum iſtorum fulgore oculos noſtros perſtringeret. Pag. 210. Pag. 177.

Et hæc quidem de formulis iſtis omnia loco alieno diſputavit, quum potuiſſet ea commodiùs hoc ipſo capite tractare in examine ſequentium ſimilitudinum.

Sæpe verò & pol valde impotenter flagellat, & reprehendit, et taxat Chemnitii definitionem unionis hypoſtaticę, tanquam non ad ſuum palatũ factam: cavillatur quoque tres Chemnitii ſimilitudines, contráque declamitat quantùm poteſt: ſed nullam nobis ſubſtituit definitionem meliorem & veriorem, nec meliores ſimilitudines, unde unio duarum naturarum

turarum Christi & communicatio Idiomatum rectè, qualis ea reverâ sit, cognoscatur: quod non est inquisitionem veritatis velle disputando juvare, sed omnia prorsus obruere clamoribus, & veritatem ex oculis hominum eripere. Vt autem Lector intelligat, quomodo Danæus unionem hypostaticam interpretetur, quamvis ipse nullam ejus expressam & veram definitionem ullibi in toto hoc opere proponat, notentur in primis ea, quæ cap. 4. in explicatione dicti Col. 2. monuimus. Prætereà sparsæ sunt ab ipso in toto hoc Examine similitudines, unde non obscurè cõlligi potest, quam & qualem unionem hypostaticam naturarum Christi intelligat, & quo fundamento realem cõmunicationem Idiomatum neget.

Pag. 118.119. 157. 335. Certat exemplis virgæ Mosis, & ipsius quoque Mosis, Propheterarum & Apostolorum, ipsorum quoque hypocritarum & diabolorum, per quos Deus multa miracula ediderit, qui tamen virtutem divinam non participaverint. Igitur, non multò aliam unionem nobis hîc comminiscitur, quàm quæ est Dei & fidelium, vel Mosis & virgæ ejus, ut de reliquis taceamus. Pag. 253. 280. Exemplo quoque viri & uxoris unionem ipsam & κοινωνίαν interpretatur: ergo eam non toto genere distinguit à cohabitatione mariti & uxoris. Pag. 81. 88. 134. 135. 160. 176. 194. 197. 198. 217. 241. 274. 245. 370. 403. 413. 428. 454. Vtitur etiam exemplo pedis & capitis, Solis & sphæræ solaris, quæ dicit esse hypostaticè unita, Sic exemplo thoracis & brachii, quinque digitorum lignum apprehendentium, Solis vel candelæ & ferri vel cornu in lucerna, manus & gladii, fabri & ferræ, Regis & Vicarii vel regii diadematis, Pastorum Ecclesiæ Euangelium docentium, Angelorum, Stephani, vestimentorum Christi, Elizabethæ, & aliorum Sanctorum doctrinam de communicatione Idiomatum negat. Iam igitur

igitur manifestum est, ipsum non aliam intelligere unionem hypostaticam & communicationem Idiomatum, quàm quæ simpliciſsimè ex istis rerum paribus explicari possit: in quibus similitudinibus & proram & puppim totius suæ sententiæ sitam esse putat, iisq; tantùm non semper contra nos, id est, contra veritatem & realem communicationem Idiomatum pugnat, & luctatur, & æstuat, iisque confidit, quàm quibus maximè, ut vehementer opus sit, ut & lectori veritatis studioso, & Danæo quoque ipsi tam protervè pugnaci ostendamus, nisi molestè fert, se de re permagna moneri, quantum à via veritatis aberret, & quàm falsò iis tam ineptis similitudinibus unionem hypostaticam definiat, vel communicationem Idiomatum neget: quod ut facilius intelligatur, nonnihil eas consideremus.

Vt autem reliquas omnes ineptiſsimas quidem illas, attamen in hoc argumento à Danæo probatas, mittam, nego pedem cum capite, aut Sphæram Solis cum corpore Solari hypostaticè uniri: nam reliquarum rerum inter se unionem ne Danæus quidem ipse audet dicere hypostaticam. Fingit autem, eam esse unionem hypostaticam, *per quam fiat unica rei compositæ sustentatio ac existentia:* cujus definitionis tanquam perfectæ testem citat Damascenum, sed falsò; nullam enim talem definitionem unionis hypostaticæ Damascenus etiam locis à Danæo citatis constituit. Hunc quoque secundum modũ unionis hypostaticæ definit, *quum ex pluribus rebus in una persona jam existentibus aliquid conflatum cernitur.* Sic ex variis partibus unum corpus hominis viventis hypostaticè componi dicit, & cjus quoq; modi testem Damascenũ citat, sed falsò, ut suprà ostẽdimus, Secũdũ has Danei descriptiones

Pag. 81.

Pag. 82.

Cap. 4. The. 1.

verum quidem videri posſit, in his rerum paribus esse unionem hypostaticam. Sed constanter & verè dico, res istas tantùm inter se conjungi, vel cohærere. Ratio est, ut infinitas omittam, quia Damascenus dicit: *Secundum hypostasin unio est, quòd ex duabus quidem rebus, in una autem persona.*

Dial. cap. 48.

Corpus Solis & Sphæra solaris duæ quidem res sunt, quæ totum compositum constituunt, non autem in una persona, si verum est, quod Danæus agit, *personam esse solùm in natura intellectuali.*

Pag. 19. 20.

Pes & caput ipsæ quoque duæ res sunt, & quidem in persona hominis, in natura scilicet intellectuali, sed totum suum compositum non constituunt: sunt enim multò plura membra, quæ concurrant oportet ad constituendum solum corpus, quod ipsum tamen totam personam hominis nondum constituit. Sic & multò etiam magis in unione thoracis & brachii, quinque digitorum, manus & gladii, Regis & vicarii, mariti & uxoris &c. Præterea non alia est harum rerum conjunctio, quàm duorum asserum conglutinatio, vel assistentia Angeli ad latus Petri, vel Antuerpiæ ad oceanum occidentalem adjunctio vel attingentia, vel ipso Danæo teste, in hoc argumento repudianda & damnanda: quibus rerum paribus unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo velle definire, quemadmodum nonnullis earum alii eam definire conati sunt, nihil aliud est, quàm prorsus nescire, quid sit unio hypostatica. Et si Danæus non aliam unionem hypostaticam naturarũ Christi esse vult, quám eam, quæ possit ex istis rerum paribus intelligi, pueris ipsis puerilius ineptit in hoc tanto mysterio explicãdo. Denique in omnibus istis rerum paribus sunt duo, eaq; etiam manifestè distincta individua, non unum: duæ distinctæ personæ, non una: quum in Christo natura divina & humana unum individuum, unam personam constituant, vel ipso Danæo teste.

Pag. 218.

Quan-

Quando autem vetus Ecclesia in quærenda & constituenda definitione unionis hypostaticæ duarum naturarum in persona Christi similitudine corporis & animæ, lucis & Solis, ignis & ferri usa est, non sphæræ solis & corporis solaris, nec capitis & pedis, nec aliis ejus generis, intelligit Danæus, si vult, qualem velint eam unionem esse, & nisi tam ineptis opinionibus oculos ipse sibi prorsus excæcavit, videt, suas istas tã absurdas similitudines à S. Patribus omnino explodi.

Quum igitur conjunctio solis & orbis ipsius, capitis & pedis nequaquam sit unio hypostatica, quum brachium thoraci, digitus digito, cãdela lucernæ, manus gladio, serra fabro, maritus uxori, vicarius aut diadema Regi, virga Mosi, Moses, Prophetæ, Apostoli, Diaboli, Hypocritæ, Pastores, Angeli, Stephanus, Elizabetha, Sãcti Deo, vestimẽta Christo nequaquam hypostaticè uniantur, & ne quidem tam profundè támque arctè per περιχώρησιν in unum individuũ uniantur quàm vel lux Soli, vel ignis ferro, vel anima corpori, negamus, ullam minimam rationem esse in iis rerum paribus, cur inde unio hypostatica naturarum Christi intelligi aut definiri possit vel debeat, ut quæ sit non tantùm θαυμασία, μονότροπος, ἐξαίρετος & ὑπερφυὴς, sed etiam toto ipso genere unitionis ab ista rerum illarum conjunctione diversa, quod manifestè apparet ex unione corporis & animæ, quæ cum unione naturarum Christi proximè convenit, etiam Danæo teste, ideóque à S. Patribus ad eam explicandam adhibita est, pag. 214. et verò ab istarũ rerum inter se copulatione totò genere unitionis distincta est. Quomodo igitur Danæus ex rebus tam diversis & ab hoc argumento dissentaneis & ἑτερογενέσι colligendum putat, quæ & qualis sit unio naturarum in Christo? cujus quum ratio sit omnino rerum illarum dissimilima, sequitur, ipsam quoque communicationem Idio-

matum unionis istius effectum similitudinibus istis illustrari nullo modo posse, multóque minus negari: quod penè solùm Danæus hic & mehercle satis solicitè molitur, sed irrito conatu.

Consideret hoc nobiscum quod dico, & consideret diligenter, ut agnoscat, se nullo jure similitudinibus istis in hoc argumento uti, quia sunt ineptæ, nec ullo modo doctrinam de unione hypostatica duarum naturarum in persona Christi, vel de communicatione Idiomatum, illustrant, imo potiùs eam tenebris involvunt, nec unquam ulli Orthodoxi Patres ulla earum usi sunt in hac doctrinæ Christianæ parte ad unionem ipsam definiendam, vel ad negandam communicationem, quemadmodum definit & negat Danæus.

Verumenimverò Chemnitius, quum non ignoraret istas tam putidas similitudines, præsertim Solis & Sphæræ solaris, capitis & pedis, thoracis & brachii, virgæ Mosis &c. recèns inventas, nec usquam ab ullis Orthodoxis Patribus ad hujus argumenti tractationem adhibitas, maluit illas lucis Solaris, ferri igniti, animæ & corporis ut veriores & meliores & certiores, & penè solas toti orthodoxæ antiquitati usitatissimas retinere, quæ doctrinam totam de unione hypostatica, quæ & qualis ea sit, & de ipsa quoque communicatione Idiomatum non parùm illustrant: quas mirum est qua fronte audeat Danæus exagitare, & exibilare, & reprehendere, & cavillari, quũ, quicquid hîc reprehendit, certè non in Chemnitio reprehendat, qui nequaquam primus est earum autor, sed in tota Orthodoxa antiquitate cavilletur, quæ similitudinibus istis multùm in hoc argumento delectata est. Profectò manifestè prodit, se nolle doctrinam hanc tam difficilem quidẽ, attamẽ tanti momẽti è sensu scripturæ et S. Patrũ intelligere, sed omnẽ eorum sententiã unâ operâ semel dãnare: ideóque

parciùs

parciùs iſtis ſimilitudinibus utitur ad explicandã definitionẽ unionis hypoſtaticæ duarum naturarum in perſona Chriſti: Communicationem autem Idiomatum tantum abeſt ut iis illuſtret, ut eam etiam adhibitis aliis ineptiſsimis ſimilitudinibus neget, vel ad eam negandam in his rerum paribus ea quoque neget, quæ manifeſta experientia teſtatur eſſe veriſsima.

Videamus igitur, quibus modis eas ſimilitudines flagellet. Quinque à Chemnitio petit, quibus ipſe vices Chemnitii ſupplens reſpondet: quod quid ſit attendamus, & pro Chemnitio nos quoque reſpondeamus, quantum poſſumus. Primùm, an lucem cum Sole, & ignem cum ferro hypoſtaticè uniri putet. Danæus negat, hypoſtaticè uniri, *quia non ſint illîc duæ ſubſtantiæ vel* οὐσίαι, *ideóque non ſit* ἕνωσις, *ſed* κρᾶσις, *vel* μίξις *accidentis cum ſuo ſubjecto, cum quo ſit permixtibile, & neque natura vel eſſentia cum alia, cui hypoſtaticè eſt unita, neque earum naturarum proprietates ſint inter ſe permixtibiles, ſed inconfuſæ mancent etiam in ipſa unione.* Pag. 48. 180. Pag. 82. Chemnitius autẽ è definitione Danæi veriſsimè evicerit, eſſe unionem hypoſtaticam, *quia hîc fiat unica rei compoſitæ ſuſtentatio ac exiſtentia:* eámque unionem multò arctiorem, propinquiorem & certiorẽ eſſe, quàm pedis & capitis, vel ſphæræ Solis & corporis ſolaris. Doceat verò nos Danæus differentiam, cur pes capiti, & ſphæra Solis corpori ſolari magis hypoſtaticè uniatur, quàm vel lux Soli, vel ignis ferro. Sed Chemnitius, quia nec iſtam Danæi definitionem unionis hypoſtaticæ probat ut falſam vel minùs ſufficientem, & meminit, unionem hypoſtaticam eam propriè eſſe, quæ ſit in eſſentiis rationalibus, ubi duæ diverſæ naturæ concurrant ad conſtituendum unum hyphiſtamenon intellectuale, ideò non dicit, hic eſſe unionem hypoſtaticam; neque verò Danæus

næus probat, istis similitudinibus nihil hic illustrari posse, nisi sit in iis rerum paribus unio hypostatica: quid igitur eas flagellat? Nec Chemnitius propterea his exemplis more veteris Ecclesiæ utitur, quasi vel ipse velit, vel S. Patres dicant, unionem Solis & lucis, ignis & ferri esse hypostaticam, sed quia unio hypostatica naturarum Christi & ipsarum Idiomatum inter se communicatio illis commodissimè colligi, probari & illustrari potest, contrà quàm putat Danæus. Nec tamen concedit, hîc esse κρᾶσιν accidentis cum suo subjecto, sed verissimè dicit, unionem esse diversarum essentiarum. Neque enim agit de ferro calido, vel cui calor ut accidens adjunctus est, sed de eo ferro, cui ipsa ignis essentia arctissimè est unita: nec lucem in Sole nudam qualitatem esse agnoscit, ut posteà dicetur. Et qualis est istarum diversarum essentiarum unio vel inter se permixtio & communicatio ἐνεργῶν ex arctissima unione orta, sine tamen confusione vel abolitione, talem videt Chemnitius S. Patres istis similitudinibus in hoc argumento usos intellexisse unionem hypostaticam naturarum Christi, & communicationem Idiomatum ex arctissima unione ortam, sine confusione vel abolitione, nec à vocabulo μίξεως initio abhorruisse: quo tamen posteà abstinendum fuit propter Eutychianos. Quoties igitur Danæus pronunciat, Chemnitium falli, & res omnino ἑτερογενεῖς atque ἀλλοτρίας inter se conferre & componere, meminerit Lector, eum toties ipsos S. Patres erroris insimulare, à quibus ista Chemnitius didicit.

Secundum, an eodem modo uniantur lux et Sol, ferrum & ignis, quo anima & corpus. Danæus negat, *quia animæ & corporis unio sit hypostatica, non item illa altera.* Chemnitius autem verissimè respondet, ipsum unionis modum in

Pag. 161.

istis

in iſtis rerum paribus eſſe omnino eundem, nimirum per περιχώρησιν, vel mutuam naturarum penetrationem: quòd autem in homine unio dicitur hypoſtatica, id nequaquam eſſe ex diverſitate modi unionis, ſed ex rebus ipſis, quæ uniuntur, quæ poſt unionem conſtituunt hyphiſtamenon intellectuale, quod non fit ſimiliter in reliquis rerum paribus, quamvis ipſa rerum inter ſe unio prorſus eodem modo fiat. Neque verò Chemnitius exempla iſta propterea hîc adhibuerat, quaſi illæ ſint ſimilimæ & unius generis unitiones, vel quaſi omnino ſimilimas eſſe oporteat, ſi quid hîc probare debeãt: ſed quia quælibet ſuo modo unionem hypoſtaticam naturarum Chriſti & communicationem Idiomatum nonnihil illuſtrat: quod quia damnat Danæus, cur non eâdem operâ etiam totam antiquitatem damnat? Reſpondet, quia vetuſtas illis ſimilitudinibus in alio argumento uſa ſit. Quo autem alio? Certè iis unionem hypoſtaticam duarum naturarum in Chriſto definire vel nonnihil explicare voluit, non aliter atque Chemnitius, & aliquando Danæus quoque ipſe. Quid ergo cavillatur?

Tertium, an in iſtis rerum paribus eadem ſit ratio & ſpecies unionis cum unione hypoſtatica divinæ & humanæ naturæ in Chriſto. Danæus negat, eſſe uniones ὁμοιδεῖς & ſimiles, *quia hæc duarum naturarum in Chriſto ſit* ἐξαίρετος & μονότροπος & ἴδιοφυὴς. Chemnitius quoque ipſe non dixerat, eſſe ὁμοιδεῖς & ſimiles, quanquam modum unionis non diſſimilem etiam putat, res autẽ ipſas uniendas omnino eſſe diſſimiles, ideóque eſſe diſſimile conſequens ex unione, quòd quædam res unitæ conſtituant hyphiſtamenon intellectuale, quædam autem minimè. Meminerat quoque illam in Chriſto eſſe ἐξαίρετον καὶ μονότροπον, & in quo ſingularis illa ratio & diſſimilitudo poſita ſit, ſatis perſpicuè explicârat: Pag. 181.

neque totum ſuæ ſententiæ fundamentum collocat in his ſimilitudinibus, nec eas proram ac puppim ſuæ probationis facit, nec iis per omnia comparat unionem naturarum Chriſti,
Pag. 47. 109. ut fingit Danæus: ſed quia Scriptura & S. Patres de naturis Chriſti & participatione Idiomatum ſic docent, & Orthodoxa antiquitas id ad illuſtrandum has ſimilitudines adhibuit, debuit eas Chemnitius retinere, quod putavit ſibi per Danæum licere. Nec tamen eas nimis urget, non ſanguinem ex illis elicit, quando in unam eandémque ſententiam repetit & accommodat, ubi opus eſt.

Pag. 182. Quartum, an Idiomata Deitatis carni Chriſti communicentur ut Subſtantia vel ut Accidens; de quo cap. 21.

Quintum, an Divinitas & Idiomata Divinitatis carni Chriſti communicentur, quemadmodum & lux Soli, & calor ferro. Danæus negat, plenitudinem Deitatis λόγου ſeſe in carnem aſſumtam inſerere, immittere & realiter communicare, *quia non ſit Accidens, quia neque Deitas aut illius eſſentiale Idioma ſit cuiquam rei creatæ communicabile, niſi ipſi ſoli Deo.* Chemnitius quoque ipſe negat, plenitudinem Deitatis eſſe Accidens, aut alii rei creatæ poſſe communicari: nec judicat, Scholaſticorum diſputationes hîc eſſe recoquendas,
Durand. lib. 3. diſt. 2. quæſt. 1. qui docent, fieri poſſe, ut una perſona divina aſſumat naturam irrationalem: quod nihil aliud eſt, quàm, totam plenitudinem Deitatis poſſe communicari naturæ irrationali. Et tamen cum Scriptura & tota Orthodoxa antiquitate contendit, plenitudinem Deitatis cum omnibus attributis eſſentialibus totam totaliter in carne vel aſſumta natura Chriſti, cum tota ſua redundantia cumulatê admiſſam inhabitare velut in proprio templo, quod jam non eſt nuda creatura, ſed Dei Verbi proprium corpus, & inhabitare, ſicut ignis in ferro, non per modum Accidentis in ſubjecto, quum ignis ipſe

quoque

quoque Accidens non sit, sed ut essentiam in essentia per οἰκονομίαν unionis sine conversione aut exæquatione: quod quid sit intelligit Danæus, sed strenuè dissimulat, & pertinaciter negat, quia palato ipsius parùm istud etiam arridet.

Fatemur itaque, unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo ab istis rebus plurimùm differre. Res ipsas tamen prorsus ineptas esse vel dissentaneas non dicimus, nisi volemus etiam totam antiquitatem damnare. Nobis quidem certè in hoc argumento tam difficili támque necessario istud percommodum accidit, quòd ex hac tam effrenata reprehendendi libidine verissimè deprehendimus, Adversarios non de veritate solicitos esse, nec veritatem defendere, quum petulanter illa ipsa quoque flagellent, quæ Patres ab ipso sancto Dei Spiritu docti consentientibus animis in hoc argumento tractaverant. Optamus igitur ipsis ὑγιαίνειν.

Sed jam quid de singulis istis similitudinibus Chemnitius scribat, sigillatim excutit Danæus: quod consideremus & breviter, ac primùm de luce & Sole, quæ est Iustini Martyris. Danæus hîc tria tractare proponit: primùm, quid dicat Iustinus ipse: demum, quàm extra ipsam Iustini mentem locus iste detorqueatur: denique, quot sint in hujus similitúdinis explicatione peccata Chemnitii. Thes. 1. de Luce & Sole. Pag. 185.

Primùm fatetur, sententiam Iustini hanc esse, ut ineffabilem illam duarum in una Christi persona naturarum unionem illustret. Fateatur ergo, sese eam suprà immeritò flagellasse. Vnionem hypostaticam duarum naturarum Christi quatuor difficilia habere ait, quæ totidem in hac lucis cum corpore Solari conjunctione reperiri, doceat Iustinus. Primùm, quòd sint in Christo duæ diversæ οὐσίαι, sicut in Sole aliud est lux, aliud corpus solare, quod Pag. 187.

lucem complectitur: quod ipsum etiam dixerat Chemnitius; quid igitur opus erat repetere? supra contenderat Danæus, lucem in sole esse accidens: hîc dicit, esse naturam vel essentiam: clamaverat, Chemnitium falli, qui unionem naturarum Christi comparet unioni lucis & solis; hîc ipse etiam eam illi comparat ex Iustino: cur igitur clamaverat, nisi ex proterva calumniandi libidine? Notetur autem hîc specimen diligentiæ Danæi. Iustinus ait: νοείσθω τοίνυν ὁ λόγος φῶς εἶναι πρὸ ἀρχέγονον &c. *intelligatur igitur* λόγος *vel secunda persona Trinitatis esse lux primæva*, hoc est, λόγος vel divina natura Christi nobis comparetur luci primævæ. Ea verba sic vertit: *Consideret igitur sua mente ratio originariam esse lucem*: satis scilicet diligenter & eleganter: nisi volet se excusare exemplo ejus, qui in oratione Athanasii contra Idola, verba Joh. 1. sic vertit: *In principio erat Ratio, & Ratio erat apud Deum, & Deus erat Ratio*. Quid autem tum illa, *Consideret sua mente?*

Pag. 180. 181. 190. 200.

Pag. 186.

Secundum quoque illud esse in naturis Christi ait, quòd in unum hyphistamenon coierint, ut in uno isto individuo solis lux & corpus ipsũ Solis. Sed & hoc Chemnitius dixerat. Notet autem Danæus, quod addimus. Fatetur, naturas Christi coiisse in unum hyphistamenon, ut lucem & corpus Solis. At lux soli unita est nõ ut pes capiti, nec ut sphæra Solis corpori solari &c. sed arctissima et præsentissima unione per περιχώρησιν, quia lux ipsa tota totum ipsum corpus Solis permeat, penetrat & pervadit, ut nihil sit corporis illius, cui lux illa non arctissimè adsit: ut ex hoc Iustini & suo ipsius testimonio concludat & fateatur, simili περιχωρήσει unitas esse quoque naturas Christi, nec porrò repetat & inculcet in hoc argumẽto ista superiora rerum paria, quæ nequaquã per talẽ περιχώρησιν uniuntur, itaque dissimilima sunt unionis naturarum Christi.

Tertium

Tertium, quòd neutra earum separatim & absque alia jam existat, ut neque lux primæva sine corpore solari, neque corpus solis absque illa luce. Hoc demùm rectè Danæus, contrà quã sæpe declamitat in toto hoc Exãine, Aspiciat ergo Solem, & consideret sua mente, quemadmodum illæ naturæ lucis et corporis solaris jam post unionem seorsim & per se non existant: & ne usitatum istud effugium quærat è particula *sine* vel *absque*, notet hoc, quod Iustinus addit: *Si enim lux primæva colligata non esset cum corpore Solis, sed tota toto aëre circumfusa esset, nobis nec diei spacia definisset, nec motũ æquabilem definitúmque, & eum, qui effecit, præ se tulisset*: ut idem quoq; ex hoc suo ipsius testimonio statuat de naturis in Christo hypostaticè & inseparabiliter unitis, & Deo commendet, quî possit infinita & immensa Christi Deitas nihilominus manere & esse infinita & immensa, non tantùm quoad potentiam, verùm etiam quo ad ipsam essentiam.

Quartum, quòd inconfusæ maneant, & suas quæque proprietates retineat, ut & in unione lucis cum corpore solari. Hîc jubet Danæus quiescere: & Chemnitius quoque fatetur, ista vera esse, & nisi præterea à de Christo alia quoque S. Patres è Scriptura docerent, & hac similitudine explicarent, ipse etiam acquiesceret. Sed de communicatione Idiomatum vel ἐνεργειῶν in persona Christi scriptura tradiderat, & S. Patres hac similitudine illustraverant. Igitur judicavit, illud quoque addendum. Iustinus de eo sic ait: ὥσπερ ἐπὶ τοῦ φωτὸς φῶς ἐστι τῆς ἐνεργείας, ὃ οὐκ ἄν τις χωρίσειε τοῦ σώματος αὐτοῦ τοῦ δεικτικοῦ, τῷ λόγῳ δὲ διελὼν γνωρίσειε τῇ φύσιν, ἧς ἐστιν ἰδία ἡ ἐνέργεια: οὕτως ἐπὶ τοῦ ἑνὸς ἡμῶν τοῦ θεοῦ πᾶσαν μὲν ἐνέργειαν οὐκ ἄντις χωρίσειε τῆς μιᾶς ὑπόστασις, τῆς δὲ φύσεως, ἧς ἐστιν οἰκεῖον τὸ γιγνόμενον τῷ λόγῳ γνωρίσειεν. Videt Danæus, quid Iustinus velit, *lucem vel* ἐνέργειαν *lucendi reipsâ à corpore Solari non posse separari, sola cogitatione posse intelligi, cujus natura* ἐνέργεια *propria sit*: *sic* ἐνέργειαν

& operationem λόγῳ reipsâ sejungi ab una filialitate non posse, sola cogitatione posse intelligi, cujus naturæ propria sit. Danæus re-
Pag. 189. clamat, nec corpus ipsum Solis lucere etiam post istam unionem, nec in ipsa carne Christi esse divinas ἐνεργείας οἰκονομίᾳ τῆς ἑνώσεως ipsi communicatas: Itáque lucem à corpore Solis, & omnem ἐνέργειαν Divinitatis à carne Christi non tantùm λόγῳ vel cogitatione separat, quod solùm fieri posse Iustinus concedit, sed reipsâ sejungit, quod Iustinus negat posse fieri. Certè ἐνέργειαν Divinitatis propriam à carne Christi disertè removet, & longiùs etiam, quàm abest supremum cœlum ab infima terra: quod facere Iustinus ipsum non docuerat.

Mirum autem cuiquam videatur, qua ratione verè possit Danæus negare, corpus ipsum Solis lucere. Nam si corpus lucidum flammulæ ex igne micantis lucet, cur non luceat etiam ipsum lucidissimum corpus Solis? Et si lumen è corpore Solis effluẽs totum aërem potest illustrare & lucidũ efficere, cur non etiam lux illa primæva possit ipsum totum corpus Solis illustrare? cui tota totaliter per περιχώρησιν unita est, & quod non foris ambit, ut color albus nigro ligno foris adhæret, sed totũ penetrat, et intra omnes intimos corporis istius recessus tota recipitur. Reddit igitur lucidum ipsum quoque corpus Solis: quod quia jam verè ipsum quoque lucidum est vel potiùs lucidissimum, quod nemo sanus negare potest, nec tantùm lux ipsa lucida est in Sole, certè nisi planè vesanus est & excors Danæus, negare nullo jure poterit, ipsum corpus Solis lucidissimum lucere non aliqua alia luce, sed ea ipsa primævæ lucis propria lucendi ἐνεργείᾳ, quam sibi communicatam habet ex unione sine confusione & exæquatione. Quòd Danæus tandem sanior factus

agno-

agnoſcit, & ſeipſum manifeſtè reſutat. Fatetur enim, lucem Soli communicari, & quidem ſic fatetur, ut neget, eo modo idiomata Divinitatis propria carni Chriſti communicari. Fatetur ergo, quod res eſt, non tantùm lucem primævam, ſed ipſum quoq; corpus ſolis accepta per communicationem ἐνεργείας lucẽdi lucis primævæ propria lucere. Niſi enim ſic intelligeret, quid opus erat negare, idem fieri in perſona Chriſti? Pag. 179. 182.

Igitur iſta quidem in Sole veriſſimè fiunt, vel omnium ſanorum judicio, quicquid contrà vociferetur Danæus. Inde verò non concludimus, idipſum propterea ſtatuendum eſſe de naturis in perſona Chriſti unitis, quia ſic iſta fiant in Sole: ſed quia Scriptura & ſancti Patres docent, idem fieri in Chriſto, ideo exemplo Iuſtini huc accommodamus iſtud de luce & Sole, ut quod per ſe difficile eſt, noto exemplo fiat intellectu facile. Hoc modo contra Simonianos, Cerinthianos, Ebionitas, Samoſatenianos, Arrianos, Neſtorianos, Eutychianos, Monotheletas & veteres & recentes Eccleſia iſta Patrum tela contorſit, & nunc etiam vibrat.

Cæterùm Chemnitius quoque agnoſcit, unioni naturarum in Chriſto non per omnia ſimile eſſe iſtud exemplum lucis & Solis. Danæus quatuor differentias monſtrat. Prima, *Quia in Sole ſit tantùm copulatio, non unio hypoſtatica.* Necꝙ verò Chemnitius dicit, eſſe unionem hypoſtaticam, etſi ex definitione Danæi certiſſimè poteſt evincere, hypoſtaticam eſſe. Sive igitur copulatio ſive unio lucis et ſolis nominetur, & Pag 150. Pag. 85.

& Chemnitius & vetus Ecclesia docet, ut lucem cum Sole, sic divinam naturam cum humana arctissimè & præsentissimè uniri: quod Danæus quoque ipse fatetur. 2. *Quia*

Pag. 88.

corpus Solis finitum cum luce primæva finita possit quidem coëxtendi, nec tamen coëxtendatur, quòd lux primæva latiùs diffundatur.

Pag. 191.

Id autem Iustinus suprà negaverat. Nam lux primæva tota totaliter unita est corpori Solis, nec extra corpus illud existit. Quicquid autem in aërem istum & lunam diffunditur, non est ipsa lux primæva, sed species corporis Solaris, lucis istius primævæ effectum quoddam vel lumen secum vehens, & aërem illustrans: quòd ex hoc certissimo documento Physico potest intelligi. Nam terra & corpora omnia terrestria sui quasdam species in aërem fundunt, quæ sunt ipsorum suorum corporum similimæ, & fluunt in omnes adversos oculos, itaque iis corpora ipsa conspicienda exhibent, ut explicatur in doctrina de modo visionis: quúmque ea corpora pleraque omnia sint obscura, species eorum similimæ ab iis effluentes & in aëre hærentes ipsæ quoque sunt obscuræ, nec propterea possunt aërem & reliqua corpora illustrare, unde sunt tenebræ nocturnæ absente Sole. Sed Sol in cœlo, & ignis in terra sunt corpora lucidissima, quæ ipsa quoque species sui similimas in totum aërem circumfusum spargunt, quæ species lucem secum vehunt non illam primævam, vel quæ in ipsis corporibus lucidis hæret, sed ejus aliquod effectum, quod Physici, & Danæus quo-

Pag. 195.

que ipse φωταγωγὰ nominant, hoc est, species ipsę lucidę sunt, quia sunt à corporibus lucidis emissæ, & aërem & alia corpora illustrant, itaque corpora, à quibus effluunt, & alia omnia videnda oculis adversis præbent. Quod si igitur, ut Sol & ignis, ita reliqua etiam corpora omnia essent lucida, species ab iis effluentes ipsæ quoque lucidæ essent, & totum

aërem

aërem illuſtrarent, nec ullæ unquam eſſent tenebræ. Non illuſtrant autem, quia corpora lucida non ſunt, à quibus effluunt, nec propterea ipſæ quoque lucidæ. Quicquid igitur in aëre illuſtrato cernitur, non eſt illa lux primæva, ſed ſpecies corporis Solaris lucida è lucido corpore fluens, & aërem & reliqua corpora illuminans: & Danæus ipſe agnoſcit, eſſe lumen vel effectum lucis primævæ, non ipſam lucem. Fallitur ergo, quum lucem primævam latiùs extendi putat, quàm corpus ipſum Solis. Pag. 195.

3. Tertiam differentiam hanc conſtituit, *quia lux illa primæva ſit in unum corpus Solis contracta & concluſa: Deitas autem λόγυ non poßit in aſſumta natura cohiberi & conſtringi.* Sed iſtud de luce Solis articulo præcedente diſertè negaverat: qua igitur conſtantia hîc affirmat? Nihil non homo iſte molitur, etiam manifeſtè ſibi contradicens, ut quod vult quoquo modo tueatur, nec iſta diſputat, ut poſtulat veritas, ſed ut libet, & ut putat labaſcentem ſuam ſententiam poſſe nonnihil fulciri. Si neganda eſt coëxiſtentia carnis & Deitatis Chriſti in S. Cœna, negat eam hac ratione, quia corpus Solis non coëxiſtat cum luce latiùs diffuſa: itaque divinam naturam Chriſti ſimilem facit luci Solis latiſsimè ſparſæ. Si comminiſcenda eſt differentia inter unionem naturarum Chriſti & copulationẽ lucis & Solis, illam etiam ſtatuit, quia lux in corpore Solis ſit contracta, non autem ſimiliter Deitas Chriſti in ipſius carne conſtringatur. Itaque Deitatem Chriſti dicit eſſe diſſimilem lucis Solaris jam contractæ quæ paulò antè latiſsimè diffundebatur. Sic idem de eodem in eadem pagina nega: & affirmat Examinator iſte, ut libet. Pag 191.

4. *Quia corpus Solis poſt unionem ſit fundamentum* ὑπάρξεως *lucis primævæ, non autem natura humana ſit fundamentũ* ὑπάρξεως *Deitatis* λόγυ: quod Chemnitius ipſe quoque agnoſcit.

Pag. 192, 193. Deinceps Danæus veterem accusationem de communicatione repetit iisdem argumentis, quæ & antè sæpe inculcaverat, & posteà quoque ad fastidium usque reponet. Sed, ut suo loco dicetur, Chemnitius naturas non confundit: ideò enim hac similitudine exemplo veteris Ecclesiæ utitur, ut monstret, ipsam divinam essentiam carni communicatam cum omnibus attributis ejus propriis, & tamen naturarum differentiam in tam arcta unione manere integram & inconfusam. Nec operationes confundit, sed hac ipsa similitudine monstrat, quomodo in unione περιχώρησις possit communicari, & nihilominùs propria manere, quomodo possit sciri, cujus naturæ propria sit, & naturarum sua cujusque & οὐσία & operatio distingui.

Exemplò Solis & lucernæ usus fuerat Athanasius, & quidem ad probandam communicationem operationum, quam Danæus eo conatur negare. Sed id minus est, quàm reliqua, commodum, quia non est hîc talis támque arcta unio, quàm lucis & Solis: ut istud quoque de candela & lucerna incommodum est, quia est illîc tantùm πρόσασις vel assistentia, ideóque nulla vera communicatio operationum esse potest, quum ejus caussa nulla sit, nulla scilicet unio per περιχώρησιν. Nihil itáque Danæus eo potest probare. Videt igitur, Chemnitium rectè & è mente S. Patrum ista similitudine uti, & ad unionem ipsam declarandam & ad communicationem Idiomatum, & ad monstrandam naturarum & operationum ipsarum differentiam, quia ista omnia Scriptura & sancti Patres dicunt esse & fieri in persona Christi.

Et adhuc duo fuerunt, quæ Danæus proposuerat. 1. quid dicat Iustinus ipse. 2. quemadmodũ Chemnitius extra mentem Iustini locum istum detorqueat; quod cujusmodi

mòdi fuerit vidimus. Demum percurrit, quot peccata committat Chemnitius in hac ipſa ſimilitudine exponenda. Duplíciter ipſum peccare ait: primùm, quòd dicat, in corpore Solari non eſſe duo lumina, ſed unicum, quod proprium ſit & maneat primævæ lucis. Danæus negat, *quia aliud ſit lux, aliud lumen, lucis ipſius effectum.* Sed quid aut cur negat? Chemnitius hoc ipſum vult, quod dicit Danæus, lucem primævam & lumen Solis & aëris non eſſe numero eadem: intellexerat enim diſcrimen lucis & luminis: ſed meminerat, in corpore Solis eſſe quidem lumen, id eſt, qualitatem à luce primæva accenſam, præterea autem eſſe in eo ipſam quoque primævam lucem, & lucere corpus Solis non tantùm iſta qualitate luminoſa, verùm etiam ipſa vi lucendi, quæ eſt primævæ lucis propria, corpori autem Solis communicata per οἰκονομίαν unionis: in quo certè non hallucinatur, quicquid clamet Danæus. Alterum ſententiæ Chemnitii vitium in eo poſitum eſſe ait, quòd dicat, eſſentialem λόγου proprietatem carni Chriſti communicari: de quo ſuo loco. Quòd ex iſta communicatione caro Chriſti non fiat Deus, monſtrat Chemnitius hac ſimilitudine, quia corpus Solis non fit ipſa lux primæva, quamvis participans ejus ἐνέργειαν lucendi. Pag. 195. Pag. 196.

Denique figuratam loquendi rationem eſſe putat, *Sol emittit radios*: de quo quia certiſsimus non eſt, procul dubio eſſe dicit. Sed fallitur, quum hîc nulla vox ſit, quæ à propria ſua ſignificatione mutetur in aliam. Nam *Sol* id ſignificat, quod omnes homines Solem eſſe dicunt: *radios emittere* ſic intelligitur, ut littera ſonat: itaque Danæus ipſe populares loquendi phraſes ſua explicatione corrumpit. Et inepta ſunt exempla de foco & ciatho quæ adfert, quum Pag. 199. Pag. 199.

focus igni, ciathus vino arctiſsimè per περιχώρησιν cõnjũctus non ſit, ut lux Soli, nec propterea focus propriè calefaciat, ſed ignis, nec ciathus ſitim expleat, ſed vinum: itaque illîc quidem manifeſtè propria vocis ſignificatio per tropum mutatur, & ex Subjecto intelligitur Adjunctum, quod non etiam ſit in Sole.

Quomodo aër illuſtretur ſpecie corporis Solaris in aërem ſparſa paulò antè mõnuimus, nec id eſt abſurdiſsimum, ut Danæo videtur. Lucem primævam eſſe extra ipſam corporis Solaris eſſentiam Danæo pernegamus: toto genere ab ipſo diverſam eſſe concedimus: fatemur quoque, diſtinctas eſſe utriuſque operationes. Inde autem non ſequitur, corpus Solis non participare etiam vim lucendi ex unione ad lucem primævam. Sic de Chriſto etiam ſtatuimus, divinam naturam operari divina, humanam humana: carnem tamen domini prętereà divinis ἐνεργείαις ditatam eſſe, quemadmodum ait Magnus ille Damaſcenus: quod tamen non vult Danęus.

Theſ. 2. de ferro ignito.

Ex ſimilitudine ferri igniti repetetur cap. 23. quicquid ad illuſtrandam doctrinam de reali communicatione Idiomatum faciet. Meminerit autem Lector, non agi de ferro calido, ſed eo, quod ipſam ignis eſſentiam ſibi arctiſſimè unitã habet, ut agnoſcit etiam Danæus. Fruſtra igitur toties urget de conjunctione Accidentis & Subjecti.

Pag. 175. 202.

Vnionem ferri & ignis & illam divinæ & humanæ naturę in Chriſto res ἑτερογενεῖς eſſe fatemur: contrarias eſſe non dicimus, quum iſtud de ferro ignito veteris Eccleſiæ exemplo ad hoc argumentum explicandum rectè poſſit adhiberi, ut doceatur, diverſiſſimas naturas in unicum individuum arctiſſimè per περιχώρησιν uniri poſſe, eáſque cum ipſis ſuis eſſentialibus proprietatibus & operationibus manere inconfuſas: quam eſſe conſtantem Chemnitii ſententiam memine-

rat.

rat Danæus. Nihil igitur opus erat istud probare testimoniis Athanasii & Damasceni. Quia verò hæretici negabant κοινωνίαν ἰδιωμάτων in naturis unitis, Danæus ipse testatur, eos â Patribus hoc exemplo manifestissimè confutatos; fatetur quoque, *copulationem ac inhærentiam ignis & ferri admittere & pati communicationem operationum*: quę verba veritas ipsa Danço quãtumvis invito expressit: quo tã illustri testimonio refutantur illa omnia, quæ reliquis paginis contra nos detonat: de quibus posteà. Pag. 204. 20. Pag. 201. Pag. 209.

Tria discrimina subjicit inter unionem ferri & ignis, & eam, quæ est duarum naturarum Christi. Primum quia unio ferri & ignis non sit hypostatica, sed tantùm copulatio, quæ patiatur & admittat communicationem operationum, mixtionem & coëxtensionem: in Christo autem naturæ unitæ non confundantur nec coëxtendantur, nec operationes cõmunicentur. Discrimen istud Danæus fingit ex suo cerebro, non è mente S. Patrum. Naturas confundi negamus, idque demonstramus exemplo ferri igniti, vbi duæ essentiæ uniuntur sine cõfusione. De coëxtẽsione fuit cap. 4. in dicto Col. 2. De communicatione operationum sine confusione & exæquatione S. Patres expressè hac similitudine usi fuerant. Et quod hîc Danæus concedit, ignis & ferri copulationem admittere communicationẽ operationum, id pagina proximè præcedẽte, & illa altera proximè sequente disertè negat. Tam facile est ipsi negare & affirmare idem, ut libet. Pag. 209. Pag. 208. 210. 211.

Alterum, quia ignis sit in ferro subjectivè: Chemnitius autem neget, Deitatis λόγου operationes esse in humana natura Christi subjectivè, ideóque non insint. Clamor iste sæpissimè clamatur à Danæo, de quo cap. 21. Pag. 201.

Tertium, quia ferrum sit admovendum, si ignis debeat

Pag. 211. urere, quod non ita ſtatuendum ſit de Deitate λόγϑ, ut quæ in carne non conſtringatur & coërceatur. At S. Patres dicunt, ipſum ignem divinum ſubſtantialiter requieviſſe in anima Chriſti, ex quo ad cæteros calor aliquis veniat totam plenitudinem Deitatis in aſſumta natura Chriſti cum tota ſua redundantia cumulatè admiſſam: quas ipſorum voces quia negat Danæus, probet cur falſæ ſint. De reliquis videatur cap. 23.

Danæus pronunciat, hanc ſimilitudinem à Iuſtino & Auguſtino repudiatam eſſe. Mallet ille quidem certè, eam omnino nullam eſſe, quia videt, doctrinam de unione hypoſtatica naturarum in Chriſto & de communicatione Idiomatum ea ſimilitudine omnium pulcherrimè illuſtrari contra Sacramentarios: ideóque ut eam ſuſpectam faciat, & è piorum manibus eripiat, ita pronunciat. Sed Iuſtinus & Auguſtinus eam, licet non per omnia reſpondeat, tamen laudarunt, ut quę magna ſit, & elegãs, & conveniẽs, et ad rem intellectu difficilem ſed cognitu neceſſariã explicandam percommoda, & nobis familiariſsima. Et Danæus ipſe fatetur, eam propiùs quàm ſuperiores duas, ad illam unionem hypoſtaticam duarum naturarum in Chriſto accedere.

Thes. 3. de corpore & anima. pag. 214.

Sanctos Patres ait hîc unum iſtud ſpectaſſe, ut docerent,

Pag. 215. unum hyphiſtamenon duabus diverſiſſimis eſſentiis, iiſque etiam manentibus inconfuſis conſtare poſſe: quod Chemnitius quoque dixerat: ideóque ſi brevitati ſtuderet Danæus, potuit & hoc & iſtud teſtimonium Iuſtini prætermittere. Communicationem Idiomatum realem nullam eſſe dicit, idque à Iuſtino ex hac ipſa ſimilitudine doceri, qui eam vel una hac maximè de cauſſa rejiciat, *quòd anima cum ſuo corpore ſæpe compatiatur: in ipſo autem Chriſto naturæ unitæ non item.* Sed Iuſtinus hoc tantùm dicit, non ita pati vel affici Divinita-

tatem Christi, sicut anima afficitur & immutatur propter affectionem corporis. De participatione verò ἐνεργειῶν animæ sic idem Iustinus: οὐ σωμεργίᾳ τοῦ σώματος αἱ ψυχαὶ τῶν αἰσθητῶν λαμβάνουσι τὴν αἴσθησιν, ἀλλὰ αὐτὴ ἡ ψυχὴ αἴσθησιν παρέχουσα τῇ αὐτῆς παρουσίᾳ αἰσθητικὸν τὸ ζῶον ποιεῖ. Dicit item: τὸ ἔμψυχον *animatum corpus esse* κατὰ μετουσίαν *participatione, quod anima est* κατ' οὐσίαν. Quid potest dici manifestiùs? *animam non apprehendere sensilia ministerio corporis tanquam instrumenti inanimati, sed eam suâ præsentiâ sensum suppeditare corpori, idque efficere sensitivum*: quod Athanasius ad naturas Christi accommodat hoc modo: *Sicut anima rationalis suas ipsius operationes perficit in corpore humano; ita Deus* λόγος *unitus homini per & in & cum assumta humana natura propriam suam divinam potentiam exerit.* Quæst. 71.

Danæus autem negat, operationes animæ communicari corpori, potissimùm eas, quæ facultatis rationalis propriæ sunt. Sed negat vertigine multarum aliarum similima. *Chemnitius*, inquit, *non tantùm* ἀποτέλεσμα, *sed ipsam quoque vitæ, sensus & motus* ἐνέργειαν *collocat in mole, compage & materia corporis. verbi gratiâ, virtutem videndi & objecta oculorum discernendi & dijudicandi communem statuit compagini oculorum & animæ, quod verum esse non potest, quia ipse fatetur, eam* ἐνέργειαν *in oculo nullam esse, si anima absit, quamvis tunicæ & humores oculi maneant.* Quis autem hominem decepit, ut ista fingeret? Chēnitius nō dicit, ipsam corporis molem quoquomodo per sese habere ἐνέργειαν sentiendi, sed habere tantùm ex unione hypostatica cum anima, ut ait Iustinus: αὐτὴ ἡ ψυχὴ αἴσθησιν παρέχουσα τῇ αὐτῆς παρουσίᾳ αἰσθητικὸν τὸ ζῶον ποιεῖ. Igitur si anima abest, nulla est in membris corporis ἐνέργεια. quia caussa communicationis sublata est. Deinde non dicit Chemnitius, Pag. 216. 217.

facul-

Pag. 213. facultatem diſcernendi objecta eſſe oculo communem cum anima, ſed cum Danæo ipſo hoc tantùm dicit, ἐνέργειαν ipſius oculi eſſe externa objecta viſibilia apprehendendi: dijudicationem autem eſſe animæ quidem, ſed quam ipſam tamen ea efficiat non ſine inſtrumento ſenſus communis & imaginationis, cui hanc dijudicandi ἐνέργειαν communicarit per ſuam ad corpus unionem. Itaque Metonymiam in his phraſibus non agnoſcit, *quando oculus dicitur videre, auris audire*: & exempla de Timotheo & prædicatione Euangelii repudiat ut inepta, & ab hoc argumento diſſentanea, quum Timotheus & Euangelium non ſint Deo hypoſtaticè per περιχώρησιν uniti, ut corpus animæ.

Duplicem ſignificationem vocabulorum *ſentiendi, videndi, audiendi, guſtandi* Chemnitius non negat. Danæus autem hîc manifeſtè prodit, quo animi candore totam hanc tam nobilem tantique momenti cauſſam agat. Fingit enim, Chemnitium non diſtinguere energias inſtrumenti et animę proprias. Sed fallitur, & ſeſe ipſe hîc manifeſtiſsimè refutat. Nam modò negat, in mole oculi eſſe ἐνέργειαν videndi:

Pag. 216. mōdò contrà etiam diſertè affirmat, ἐνέργειαν ipſius oculi eſſe, objecta viſibilia externa apprehendere: mox etiam iterum iſtud negat,

Pag. 218. pag. 219. lin. 2. tum ibidem lin. 6. affirmat, tantâ incōſtantiâ & vertigine, ut hominis propterea miſerendum videatur. Ait, *rerum creatarum qualitates eſſe com-*

Pag. 183. *municabiles*: contrà autem, *virtutem ipſam* τὸ ὄπτιμον *eſſe animæ*

Pag. 219. *propriam*, & *oculo* ἀκοινώνητον: tum contrà *oculi propriam actionem eſſe, eámque etiam animæ* ἀκοινώνητον, *ut per ſe objecta apprehendat*. Tum hoc ipſum etiam negans ait, *oculum ipſius objecti apprehendendi duntaxat inſtrumentum eſſe, nec organon ipſum ſentire*. Tum contrà fatetur, *operationes animæ, velut ſentire, in corporis* αἰσθητηρίοις *& membris ineſſe ſubjectivè*, nimi-

Pag. 48. rum

rum ſicut accidẽtia ſunt in ſubjecto, quod inexiſtendi genus ait admittere communicationẽ Idiomatum. Quæ poſsit eſſe ulla calamitoſior vertigo? τὸ ὁρᾶν, *videre & objecta viſibilia apprehendere* omnibus ſanis idem ſignificat. Id & tribuit oculo, & de eodem mox etiam contrà negat. Sic & de auditu. Quis igitur putet, homini veritatem curæ eſſe? Quæ quum omnia ſibiipſis tam manifeſtè contradicant, quomodo iis realem communicationem operationum divinarum carni Chriſti factam θεονομίᾳ unionis negare poſsit, quam S. Patres hinc illuſtrant & probant, judicent omnes ſani.

Vnum etiam illud addit, quod ex Athanaſio deſcriptum Chemnitius non intellexerit: *ut anima corpori humano unita cum corpore, in corpore & per corpus operatur, ſic divinam naturam operari in carne aſſumta, cum carne & per carnem*: quia non Pag. 222.
ſenſerit Athanaſius, animam humanam omnes ſuas operationes, potiſsimùm ratiocinationem, per corpus operari, vel virtutem ſuam corpori re ipſâ communicare; ſed poſt unionem cum corpore quãvis proprias ſuas actiones tamen non exerere ſeorſim & ſeparatim à corpore: quod ipſum quoque ſit in perſona Chriſti. Sed fingit iſtud Danæus præter mentem Athanaſii, qui dicit, τὸ λογικὸν animam rationalem ſua opera cum corpore, in corpore & per corpus edere. Eſt autem etiam ratiocinatio opus animæ, quam propterea vult Athanaſius animam cum corpore, in corpore & per corpus perficere. Num verò dicet Danæus, Athanaſium nobis fingere talem actionem animæ in corpore, quæ regat membra corporis, ut nauta clavum tenens in puppi navim regit, lignis & inſtrumentis navalibus nihil omnino de virtute nautæ propria participãtibus? vel quemadmodum faber ſerram trahit, quæ de facultate fabri propria nihil ipſa

quoque participat? Oratione contra Idola ait; *Oculorum solùm est videre, & aurium audire*, &c. *sed quæ spectari, audiri* &c. *debeant, sensuum non est, sed animi.* Videt Danæus, quid oculis & auribus, quid animo tribuat Athanasius. Respondeat igitur, unde hoc habeant oculi, ut videant: aures, ut audiant: an non ex unione cum anima, quæ istam ἐνέργειαν oculis communicavit, ἄιδηκσιν παρέχουσα τῇ ἀυτῆς παρουσίᾳ, ut ait Iustinus: quam facultatem nec nauta lignis navalibus, nec faber serræ communicare ullo modo potest, quum caussa communicationis illîc nulla sit, nulla scilicet arctissima unio per περιχώρησιν.

Certè propter intimam ac profundissimam animi præsentiam corpus ipsum dicitur animatum, sicut corpus Solis lucidum dicitur, ferrum dicitur ignitum. Animatum autem esse nihil aliud est quàm vires & ἐνεργείας vitæ, sensus & motus habere. Nec enim sola anima in corpore animatur, quasi corpus ipsum maneat inanimatum: sicut in Sole non tantùm lux primæva lucida est, sed ipsum quoq; corpus Solis: in ferro ignito non solus ignis ignitus est, sed ipsum quoque ferrum: & Danæus fatetur, *vigorem ex anima in corpus ipsi unitum defluere.*

Pag. 289.

Quòd autem de ratiocinatione & hîc & alibi sæpe inculcat, negans, animam per corpus ratiocinari, meditari, &c memi-

Pag. 106. 152. 222. 291 & 329.

nerit Lector, saniores Philosophos in homine nominare actiones animæ inorganicas ratiocinationem, deliberationem, judicium, meditationem & alias, quòd anima etiam à compage corporis soluta eas ipsas perficiat, non quòd eas, quamdiu est in corpore, exerceat sine omni ministerio organorũ, veluti si quis Rex in aulæ suæ fastigio ociosè desidẽs delicias agat, ipsius aulæ tecto, parietibus & tabulatis nihil de Regis operatione propria participãtibus. Est enim certè manifestissi-

nifeſtiſsimũ, animã in iis actionibus perficiendis uti miniſterio ſpirituum animalium, qui propterea dicuntur proximum animæ inſtrumentum: quod veriſsimum eſſe apparet in phreneticis, ubi certũm eſt, animam ipſam eſſe talem, qualis eſt in ſanis: quia verò turbati ſunt ſpiritus animales, anima non deliberat, non cogitat, non ratiocinatur, ut poterat, ſi ſpiritus iſti meliùs haberent. Sic in ægrotis vel ebriis viri- Pag. 216.
tus ratiocinandi debilitatur & impeditur, teſte Danæo, quia ſpiritus animales ſunt perturbatiores, quamvis integrâ animâ. Sic in hominibus ſanis quòd diſcrimen eſt & varietas ingeniorum, nec eadem in omnibus facultas deliberandi, judicandi, meditandi, ratiocinandi, id non ſolũm eſt ab anima, ſed etiam à ſpirituum animalium bonitate, ſubtilitate & tenuitate in aliis alia meliore vel deteriore. Didicerat iſtud Danæus è libellis Phyſicis, & meminerat, eſſe veriſsimum: ſed quia vidit ſuæ ſententiæ maximè obſtare, judicavit eſſe fortiſsimè diſsimulandum, contráque declamitandum, quàm validiſsimè, animam non ratiocinari per corpus, ut rudiores intelligerent, quod verum quidem eſt, animam per oculos, aures, manus vel pedes non ratiocinari, atque inde porrò etiam concluderent, quod vult Danæus, nullis omnino partibus corporis uti ad ratiocinationem, & de divina quoque Chriſti natura idem ſtatuerent. Fallitur ergo, & quidem ſciẽs volénſque, quum putat, animam ſolam ſic ratiocinari, ut eam facultatem corpori nequaquam communicet.

De coëxtenſione repetit, de qua cap. 4. Chemnitius non dicit, naturam finitam eſſe ubique, quemadmodum eſt ubique infinita: quid igitur probet? Aſſumtam naturam ſub- Pag. 223.
ſiſtere extra λόγον aſſumentem Danæus negat ſe dicere.

At suprà disertè affirmaverat, *De naturis Christi dici posse, unam extra alteram locari posse*: in quæ constantia constantē dis-
Pag. 134. 135. 137. putatorem non arguit. Et quid verò opus est, ipsum nobis istum tam insanum clamorem de coëxtensione toties támq; impotenter clamare? Deitas λόγȣ proprietate essentię suæ est infinita, quis negat? Caro Christi circumscriptione partium suarum est finita, quis negat? Deitatem λόγȣ extendi & diffundi ut aliquam vastam & stupendam molem quis dicit? nisi Danæus cum suis, nulla probabili ratione, nullo Scripturę, nullo S. Patrum exemplo. Carnem Christi coëxtendi quis dicit? nisi Danæus nos fingit dicere, sed frustra fingit. Neq; enim Deitatem ipsam dicimus extendi, quid igitur dicamus carnē Christi coëxtendi? Paulus & Damascenus dicunt, *totā plenitudinem Deitatis inhabitare in carne Christi corporaliter*, quis negat? nisi Danæus cum suis: qui quod dicit, Deitatem λόγȣ esse extra vel sine carne Christi, id Paulus ipsum non docuerat, nec ratio immensitatis naturæ divinæ λόγȣ cogit ita loqui: quis igitur putet Danæum sic loquentem rectè loqui?

Et quantumvis videatur verum esse, quod tamen Danęus nondum probavit, Deitatem λόγȣ ratione immensitatis sue esse etiam extra carnem Christi, quis propterea putet esse falsum vel impossibile, quôd Filius Dei certo verbo nobis presentiam carnis sue promisit in S. Cœna & cœtu fidelium. Tristissimę sunt istę angustię hominum, sine caussa pręterq; rem seipsos miserrimo vanissimóque conatu fatigantium, ut inæstimabilem & toti rerum universitati incomprehensibilem ubique præsentiæ divinæ rationem cæca sua mente complectantur & definiant, quum debeant ori digitum imponere, & ad tanti támque stupendi mysterii cogitationem potiùs obticescere, quàm quicquam temerè pronunciare: debeant piè cavere, quantum possint, ne quid de Deo sentiant,

quod

quod non ſit, quemadmodum ſapientiſſimè monet Divus Auguſtinus. Sed nihil cavent, multa temerè pronunciant, & tandem eò audaciæ provehuntur, ut non vereantur ipſa manifeſtiſſima verba Filii Dei Teſtatoris negare vel eludere, nulla alia ratione moti, niſi præconceptis iſtis ineptiſſimis & abſurdiſſimis interpretationibus ubique præſentiæ divinæ, quas S. Patres jam olim damnaverant, ut ſuprà monuimus. De Trin. lib. 5. cap. 1.

Iam ad ipſam Chemnitiani præſidii arcem ſe pervenire Danæus dicit, in quã ille omnes hujus ſuæ diſputationis opes, arma & munimenta contulerit, ex qua tamen nullo negotio dejici poſſit, ut ſe omni ſpe victoriæ pro ubiquitario regno obtinendæ excidiſſe fateatur. At Chemnitius nullum ubiquitarium regnum molitur, nec arcem præſidii ſui collocat in voce περιχωρήσεως, ſed in certiſsimis Scripturæ & S. Patrum teſtimoniis: ex qua nondum dejectus eſt â Danæo, & ne quidem territus quantumvis inſanis æſtuantis ipſius clamoribus. Igitur Danæus triumphum agit ante victoriam. Theſ. 4. de περιχωρήσ. Pag. 224.

Duo verò proponit. Primum, quemadmodum Damaſcenus hanc περιχώρησιν intelligat: poſteâ autem, quot quantáque peccata in hac περιχώρησει deſcribenda ab ipſo Chemnitio committantur. Primùm hîc ex Dionyſio & Damaſceno affert, quo ſenſu περιχωρήσις intelligatur in perſonis Trinitatis: ubi ſuo more extenſionem atque æquè patentem ſingularum perſonarum diffuſionem & collocationem tanquam vaſtę alicujus molis imaginatur contra mentem ſcripturę & S. Patrum. Tum monet, quo ſignificato hæc eadem vox in hoc de unione naturarum Chriſti argumento â Damaſceno ſumatur, nempè pro ea tantùm prædicatione, qua proprietas vni naturæ conveniens tribuitur toti perſonæ in Pag. 226.

Pag. 171. 227. 232. & in præf. Pag 25.

concreto: qui Chemnitio est primus gradus communicationis Idiomatum: in quo probando Danæus valde fatigatur, tres paginas implens ex Damasceno præter rem, quum Chemnitius nihil eorum neget, quæ dicit Damascenus, sed ea ipse quoque tradat in primo & secundo gradu communicationis, & in tertio de donis creatis.

Damascenus autem περιχώρησιν istam non tantùm intelligit de communicatione Idiomatum vel unionis hypostaticæ effecto, quemadmodum contendit hoc loco Danæus: sed ea voce ipsam quoque unionem describit, ut significet, qualem eam esse S. Patres docuerint. Nam disertè dicit, *tres personas Trinitatis* τὴν ἀλλήλαις ἀσυγχύτως περιχωρῆσαι *invicem inconfusè immeare: eodémque modo naturas Christi, quamvis uniantur, inconfusè tamen uniri,* καὶ τὴν ἀλλήλαις περιχώρησιν *sine conversione vel transmutatione:* cujus unionis exemplum simile adfert *de carbone ignito.* Nominat etiam τὴν τῶν ἀλλήλοις τῶν φύσεων περιχώρησιν, ὡς φαμὲν καὶ τὸν σιδήρου πύρωσιν. *Sicut dicimus ferri ignitionem.* Commentator ait: *sanè in Christo natura divina & humana unitæ sunt ut ignis et lignum in carbone.* Basilius: *Deitas est in carne, sicut ignis in ferro.* Cyrillus: *sicut ignis carboni affixus in illum penetrans comprehendit ipsum &c. idem intellige & de Christo.* Quomodo autem ignis sit in ferro, testantur omnium sanorum oculi, si ante eos ferrum ignitum ponatur, & Origenes eleganter explicat, *massam scilicet ferri, si semper in igne posita sit, omnibus suis poris omnibusq; venis ignem recipere, & totam ignem fieri.* Cyrillus ait: *ignis carboni affixus, in illum penetrans comprehendit ipsum.* Basilius: *ignis ita reddit ferrum sui particeps, ut seipso impleat totum ferrum.* Pervadit igitur, & permeat & penetrat & complectitur ferrum

Lib. 1. cap. 5.

Ibid. cap. 17.

De Incar. unig. cap. 8.

Lib. 2. περὶ ἀρχῶν.

rum totus totum, & ei sine confusione quasi miscetur, ita, ut nihil sit ferri, quod ignis sua substãtia non impleat, eamq; Damascenus nominat περιχώρησιν, penetrationem, permeationem vel immeationem ignis in ferrum, vel πύρωσιν ignitionem, quæ tã profunda támque arcta unio vel περιχώρησις facit, ut & ipsa tota essentia ignis & ejus essentialis urendi facultas ferro communicetur, quæ non communicatur, ubi περιχώρησις, penetratio vel immeatio ignis & ferri non est, ut quum ferrum juxta ignem tantùm ponitur.

Quia verò S. Patres dicunt, idem & de Christo intelligendum, Deitatem esse in carne, sicut ignis est in ferro, περιχώρησιν vel immeationem naturarum Christi talem esse qualis est πύρωσις ignitio ferri, jam manifestum est, eos hoc verissimè velle, quicquid neget aut tergiversetur Danæus, naturam divinam sic esse vnitam humanæ, ut eam permeet, & penetret, & complectatur, & pervadat tota totam, eique sine confusione quasi misceatur, & totam seipsâ impleat, ut nihil sit corporis, quod non suo habitatore sit plenum, ut ait Leo, qualis est etiam περιχώρησις vel permeatio lucis & Solis, corporis & animæ: Et hoc est, quod Paulus & Damascenus dicunt, *In Christo, hoc est, in carne Christi tota plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter*: quæ penetratio vel immeatio naturarum Christi vel tam profunda támque arcta unio facit, ut & ipsa tota λόγου divinitas & eius essẽtiales proprietates hũanæ naturæ communicentur sine confusione, quæ communicari non possent, si περιχώρησις ista vel penetratio naturarum non esset, quæ sola fons est & causa communicationis Idiomatum: quam ipsam περιχώρησιν non possumus non libentissimè ex sententia S. Patrum in hac doctrinæ parte retinere & asserere, & ex ea declarare & defẽdere, quicquid ab adversariis hîc negatur vel eluditur: quę facit etiam, ut ineptæ sint

omnes

omnes ſuperiores ſimilitudines, quibus Danæus contra nos pugnat, quum in iis rerum paribus nulla ſit talis περιχώρησις vel inter ſe permeatio vel penetratio, qualis eſt πύρωσις ferri, cujus ſimilem penetrationem vel περιχώρησιν naturarum Chriſti S. Patres eſſe docent.

Pag. 172. 172. Danæus autem, quanquam fatetur, unionem naturarum Chriſti eſſe hypoſtaticam, tamen hanc earum περιχώρησιν vel mutuam penetrationem non admittit: neque verò ullam minimam rationem adfert, cur admittenda non ſit, hoc eſt, ipſos S. Patres, qui talem naturarum Chriſti περιχώρησιν vel mutuam inter ſe immeationem ſtatuunt, nec refutat, nec refutare poteſt vel audet, neque tamen eorum ſententiam probat, ſed cerebri ſui ratiocinationes ipſi manifeſtiſsimę & certiſsimæ veritati præponit. Agnoſcat igitur, ſi vult, S. Patres longè aliam, atque ipſe putat, conſtituere rationem unionis naturarum Chriſti, & deſinat Chemnitium tam impotenter reprehendere, quòd eam ex hac ipſa Damaſceni & S. Patrum ſententia talem intelligit, qualis eſt ignis & ferri, corporis & animæ, lucis & Solis: deſinat porrò nobis occinere lepidam illam ſimilitudinem de ſphæra Solis multò etiam latiore, quàm eſt corpus ipſum ſolare, cui ſit hypoſtaticè unitum, cum qua πύρωσις ferri, propterea àque περιχώρησις iſta Damaſcenica naturarum Chriſti nequaquam convenit.

Et hæc quidem de ipſa unione Damaſcenus: de cujus effecto quoq; ipſo vel communicatione Idiomatum non illud tantùm dicit, quod adfert Danæus, ſed addit: *Caro Domini divinis operationibus ditata eſt*: quæ verba Danæus ad ea, quæ citaverat ex Damaſceno, addere debuit, ad quæ apud Damaſcenum proximè conſequuntur: ſed oculos ipſius illuſtri veritatis lumine perſtrinxerunt, quam quum nollet, verba ipſa prætermiſit, quaſi non viderit. Igitur iſto unico

lib. 3. cap. 17. Pag. 232. lin. 12.

verbulo

verbulo Damaſceni tanquã machinâ fortiſsimâ tota vis explicationum Danæi ſubvertitur, quibus contra nos inſurgit, propriam Deitatis λόγου operationem cárni Chriſti nullo modo realiter communicati, quia nec naturæ confuſæ ſint, nec earum proprietates eſſentiales permixtæ. Reſpondet Damaſcenus: *Manent etiam poſt unionem tum naturæ ipſæ incõmixtæ, tum earum proprietates illabefactæ: Caro autem Domini divinis operationibus ditata eſt:* quod quid ſit & nos intelligimus, & credimus, Danæum poſſe intelligere, niſi ipſe ſibi oculos præjudicio fanaticarum opinionum excæcavit. Quare rectè Chemnitius iſtam περιχώρησιν intellexerat ex Damaſceno.

Tum alia quinque peccata à Chémnitio hîc commiſsa oſtendit. Primum, quia hanc naturarũ in Chriſto περιχώρησιν ſic interpretetur, velut mutuam unius naturæ in alteram penetrationem, inſinuationem & ingreſſum ſignificet, qualis in iis rebus fit, quæ mutuo quodam contemperamento coaleſcunt, unde tertia quædam natura vel actio ex utriſque mixta naſcatur, velut in humoribus confuſis. Quis autem Danæo dedit iſtam quidvis pro arbitrio fingendi licentiam? Quî poteſt enim probare, Chemnitium talem mixtionem ſtatuere? Quum propter hanc ipſam cauſſam iſta de ferro ignito & corpore animato adferat, ut doceat, quomodo naturæ & earum proprietates manſerint inconfuſæ, quarum tamen talem περιχώρησιν vel mutuam inter ſe penetrationem & ingreſſum exemplo veteris Eccleſiæ ſtatuit, qualis eſt ignis & ferri, corporis & animæ: unde ſi cõmixtio vel infuſio velut cujuſdam tertiæ naturæ ſequitur, cur non etiam ſequatur ex interpretatione Danæi de perſonis Trinitatis? Peccata Chemnitii fingit Danæus, quantùm poteſt: ſed interim ſua ipſe vel tegit vel nõ videt nec corigit. Pag. 171.235.

Mox autem ſanior factus quia videt, Chemnitium non
Pag. 172, 234. ita ſentire, alterum etiam hoc vitium eſſe ait, quia eodem ſignificato περιχώρησιν in hoc argumento ſumat, quo in diſputatione de S. Trinitate accipi ſoleat, nimirum de naturarum coëxiſtentia & exæquatione: de quo ex Damaſceno paulò antè fuit, & mox iterum ſequetur. Tertium, quia ſibi non conſtet, quòd effuſionem & transfuſionem Idiomatum Divinitatis in humanam naturam ſemper anteà damnaverit,
Pag. 235. nunc autem ſtatuat, eo, quòd citet ex Origene: *In illa tota humana natura Chriſti ipſe ignis divinus ſubſtantialiter requieviſſe credendus eſt, ex quo ad cæteros calor aliquis veniret*: & quòd carnem Chriſti in ſocietatem divinarum ἐνεργειῶν aſcitam putet. Sic quidem ſentit Chemnitius, nec id ſolùm ex Origene, ſed
Pag. 88. aliis quoq; ſanctis Patribus probaverat: necdum probavit Danæus, cur id falſum ſit, aut quomodo ſibi Chemnitius in eo non conſtet. Aliud autem puerilius etiam adfert pro eo
Pag. 236. probando. *Si perſonæ ipſi fit iſta communicatio, naturis per ſe conſideratis non fit. At per Chemnitium fit perſonæ: non igitur naturis.* Probat verbis Chemnitii, qui dicat, *eam communicationem fieri in perſona.* Hoc verò erat tantum Chemnitii peccatum, unde colligeret Danæus, hominem ſibi non conſtare? Num quod autem poteſt eſſe majus peccatum, quàm eſt iſtud ipſius Danæi? qui diſertè teſtatur, Chemnitium non ſcripſiſſe, *Communicationem fieri perſonæ*, ſed, *in perſona*. Cur ergo verba Chemnitii tam manifeſtè depravat? & quo jure poteſt hîc fingere peccatum vel inconſtantiam Chemnitii, qui ſic evertat, quod de communicatione naturæ ipſi humanæ facta dixerat? qui ſi vel maximè ſcripſiſſet, *communicationem fieri perſonæ*, tamen & rectè dixiſſet in primo gradu communicationis, nec eo tamen everteret ea, quæ de natura humana dicit in tertio gradu, quum gradus iſti ſint diſtincti, &

in pri-

in primo communicatio fiat perſonæ, in tertio naturis ipſis in perſona. Clamat etiam Danæus, ex reali communicatione Idiomatum conſequi naturarum cõfuſionem, & quidem tam neceſſariò, ut negari à Chemnitio non poſſit. Chemnitius autem negat cõnſequi, & negat argumentis veriſſimis, de quibus cap. 22. Negat quoque exemplo harum ſimilitudinum, ubi eſt communicatio ἐνεργάων in ferro ignito & corpore animato, nec tamen eſt naturarum confuſio.

Quartum Chemnitii errorem eſſe ait, quia exiſtimet eandem eſſe vitam, potentiam & ſapientiam, qua Chriſtus vivit ut Deus, & qua vivit ut homo, quum iſta ſit cauſſa, hæc effectum, iſta increata, hæc creata, quæ non poſſint eſſe idem. Quid poſſet Danæus reprehendere, niſi quidvis pro arbitrio fingeret etiam contra conſcientiam? Chemnitius duplicem vitam &c. in Chriſto docet, cap. 17. 18. 19. 20. quarum altera ſit alterius cauſſa, quas non confundit, nec propterea naturas quoque confundit, nec errorem Monotheletarum probat. Sed addit ex ſcriptura & S. Patribus: *qua Chriſtus ſemper habuit ut Deus, ea accepit ut homo*: quod quid ſit intelligit Danæus, & intelliget pleniùs etiam cap. 25. Pag. 237.

Denique & hoc quoque eſſe quintum Chemnitii peccatum ait, quòd ſcribat, corpus ſolare emittere radios, organa corporis uti potentiis animæ. Iſtud de Sole fortaſſe non erat ſatis inculcatum, nec Examen ipſum ſatis craſſum. Ridet autem Chemnitium, qui neſciat, animam uti corpore, non corpus animâ. Sed Cyrillus quoque dixerat, *Corpus ejúſque organica membra anima virtute uti*: Et de recta fide ad Theodoſ. ait, *animam Chriſti divina virtute & efficacia uti*. Fruſtra igitur ridet. Pag. 238.

Primam Chemnitii rationem probandæ realis communicationis Danæus eſſe dicit de facie Moſis et Chriſti diverſimodè Thes. 5.

ſplendentibus: quòd Chemnitius velit, ſplendorem in facie Moſis fuiſſe tantùm qualitatem creatam, non autem etiam
Pag. 239. in facie Chriſti: contrâque ſic urget, iſtum in facie Chriſti ſplendorem fuiſſe vel participatum, id eſt, ad ipſam carnem Chriſti præter ejus eſſentiam adventitium, vel illi eſſentialem. Chemnitium autem negare, participatum eſſe: fuiſſe igitur illi eſſentialem, ex eóque fieri, ut, quandoquidem is ſplendor non ſemper in facie Chriſti fuit, ea non ſemper ſuam eſſentiam retinuerit, idque eſſe impoſſibile. Ratiocinatur hîc Danæus, & colligit, & concludit, ſed neſcit profectò, quid concludat. Chemnitius negat, eam, quæ in transfiguratione apparuit in facie Chriſti, fuiſſe participatam qualitatem: dicit autem, gloriam ipſam divinam, non aliquam creatam qualitatem, perſonaliter inhabitantem luxiſſe è facie Chriſti: quam non dicit eſſe carni Chriſti eſſentialem, vel ipſam carnis ejus eſſentiã: participatam autem dicit οἰκονομίᾳ unionis: quę quum hactenus velut nube tecta fuiſſet, ut S. Patres loquuntur, in Transfiguratione nonnihil foras emicuit. Danæus dicit, ſplendorem fuiſſe adventitium, ut veſtimentorum Chriſti in eadem Transfiguratione, Angelorum & Stephani. Sed fallitur: quia veſtimenta Chriſti, Angeli & Stephanus cum Deitate λόγῳ non ſunt hypoſtaticè
Lib. 3. cap. 10. per περιχώρησιν uniti. De veſtimentis ait Aug. de Mirab. S. Script. *Vt per carnem divinitas foris illuxit, ſic et caro illuminata de divinitate per veſtimenta radiavit.*

Probat ſuam ſententiam Danæus, quia Petrus ejus Transfigurationis teſtis ocularis ſcribat, fuiſſe gloriam & honorem Chriſto datum à Patre *in monte*. Ergo non ubique neque ſemper. Sed ea eſt manifeſta textus depravatio. Petrus hîc
2. Pet. 1. dicit, diſcipulos cum Chriſto fuiſſe in ſancto monte: non dicit, gloriam Chriſto datam in monte. Denique differentiam

tiam monſtrat inter ſplendorem Chriſti & Moſis: utrumque dicit eſſe creatum: ſed in Chriſto à cauſſa intrinſeca, quæ ſit pars perſonæ Chriſti; in Moſe à cauſſa extrinſeca, quæ non ſit pars perſonæ ejus. Chemnitius reſpondet ex Auguſtino de Mirab. Script. *Divinitas latens in corpore luminis ſui portiunculam foris videntibus, quantum poterant, conceſſit.* Et ex Theophyl. *Deitas parvos quoſdam radios ſuos per corpus declarat.* Et judicat, lumen Divinitatis & radios Deitatis non eſſe ſplendorem creatum. Lib. 3. cap. 10.

Quæ verò poteſt eſſe conſtantia Danæi, qui modò ait, Pag. 161. modò negat idem? modò dicit, hos fuiſſe divinę gloriæ radios, quos caro Chriſti non participaverit, ut nec Angeli nec Stephanus, nec veſtimenta Chriſti: modò contrà, fuiſſe Pag. 242. ſplendorem creatum, ſimilem ejus, qui fuit in facie Moſis, qui inhæſerit in facie Chriſti, ſicut Accidens in ſubjecto, Deus prohibeat â nobis tam miſerandam vertiginem.

Dicit, hanc eſſe alteram Chemnitii rationem pro tuenda Theſ. 6. περιχωρήσει vel reali communicatione Idiomatum, ab unione animæ & corporis ductam, ubi non diſſimulet, quo ſenſu περιχώρησιν in duabus Chriſti naturis accipiat, nempe pro earum coëxiſtentia, & ut una ſit in altera, atque æqualiter Pag. 242. diffundãtur, ex quo fieri ait, ut corpus quoq; immeet in animam, quod ſit abſurdũ. Videt Daneus, quã περιχώρησιν Chẽnitius intelligat. Ex eóne autem fit, ut corpus immeet in animam, quia illæ duę naturę inter ſe περιχωρῦσιν in homine? aut ſi corpus non immeat in animam, quid eo putat Daneus ſe poſſe contra nos in hoc argumento probare? Anguſtiæ ſunt iſtæ hominis moleſtiſſimè obluctantis adverſus veritatem, ſed irrito conatu. Quid autem faciet Damaſceno? Lib. 3. cap. 5. qui talem περιχώρησιν naturarum Chriſti conſtituit, qualis

est personarum Trinitatis inter se immeantium. Item: *Etsi*, inquit, *in se invicem immeare Domini naturas dicimus, scimus tamen ex divina natura immeationem provenire: nam ea omnia*
Cap. 7. *pertransit, quemadmodum vult, & permeat omnia: per ipsam autem nihil*: quod Commentator sic explicat; *Immeationis efficacia ex divina potissimùm natura provenit, ut quæ sit spiritualior, purior, subtilior & penetrantior: & eam ob caussam permeat naturam humanam efficacia suæ immensæ virtutis. Et propter hujusmodi permeationem natura humana & crassior & corpulentior dicitur etiam immanere naturæ divinæ propter inseparabilem unius cum altera connexionem. Quemadmodum anima primùm permeat corpus ob spiritualem ejus & incorpoream naturam. Et subinde corpus etiam ipsi animæ immanet in se junctæ, ut nihil sit corporis, quin illi assit anima. Præcipua tamen immeandi ratio ex anima pendet.* Hæc omnia Danæus diserte negat, & malè. Sicut igitur in Trinitate est inconfusa distinctarum personarum περιχώρησις in unitate essentiæ: ita in Christo est inconfusa diversarum naturarum περιχώρησις in unitate personæ.

Alterum absurdum est, ait, *quia, ut maximè verum sit, animam esse totam in toto corpore, & in qualibet parte totam: tamen*
pag. 243. 244. *propterea non efficitur, ut essentiales animæ operationes (qualis est ratiocinari, vigorem & calorem membris infundere, audita, gustata, odorata discernere, irasci, cupere, cibos concoquere, &c. hujusmodi) in oculo insint, ac illi reipsâ communicentur, quum ne ea quidem virtus, quæ colores objectos dijudicat, & quæ, si qua alia, maximè oculo communicari posse videtur, ei tamen communicetur, tantum abest, ut aliæ omnes essentiales animæ operationes uni oculo communicentur.* Negat igitur, sese in eo vel Augustino vel Chemnitio assentiri, dicentibus, animam humanam totam

tam esse & in toto ipso corpore, & in singulis ejus membris, quia jampridem huic sententiæ contradicatur, & res ipsa demonstret, propriam animæ sedem esse cor, primum vivens & ultimum moriens. Sed quid opus erat, Danæum næniis istis examen ipsum crassius etiam faceret? Quis enim nostrum ex eo quòd anima tota dicitur esse in qualibet parte corporis, concludit, uni oculo omnes essentiales proprietates animæ communicari? cur verò nõ eodẽ modo sequatur etiã, eas omnes uni cordi cõmunicari, si id est propria sedes animæ, ut vult Danæus? Quod autẽ dicit Augustinus id dicit quoque Damascenus, *animã copulari corpori totam toti, non partem parti.* Et Lõgobardus ex Augustino repetit & probat: *animã esse in unoquoq; corpore totam & in qualibet ejus parte totam.* Et Augustinus rationẽ addit: *quia anima non mole diffunditur per spacium loci: & ideò quum sit aliquid in quavis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamvis non sit in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet.* Viderat igitur istud absurdum, quod Danæus hîc objicit, & meminerat naturas creatas incorporeas ὁρισικῶς esse in uno aliquo certo loco: nec tamen propterea putârat negandum, animam esse in qualibet parte corporis totam, non quia mole diffundatur, sed quia sit indivisibilis, & tota sentiat, quicquid fit in quavis exigua particula corporis, tota videat, tota audiat, tota gustet, tota deniq; ratiocinetur: tota autem sentire in singulis mẽbris sui corporis non possit, nisi sit tota in singulis. Hoc sensu dixit, totam animam esse in qualibet parte corporis, quia tota ipsa sentiat, quicquid singula sigillatim sentiunt.

Lib. 1. cap. 17. Lib. 1. dist. 8. cap. 4.

De Trin. lib. 6. cap. 6.

De spir. & anim. cap. 18.

Porrò tertium hujus rationis Chemnitii vitium esse ait, quod unam & eandem virtutem, potentiam, sapientiam esse putet eam, quæ in Deitate λόγου, & eam, quæ in assumta carne operatur, quod sit falsissimum: de quo suprà sæpe, Sed

Pag. 245.

&

& in eo quoque peccare, quòd ſtatuat, in homine eſſe unicam virtutem & animæ & organi, quum ſit ἀπότελεσμα utriuſque commune, propria verò cujuſque ἐνέργεια. Sed de hoc quoque ſuprà fuit: eôque ſeipſum refutat Danæus, ut qui toties negaverat, in oculo eſſe ἐνέργειαν videndi, nunc autem concedat, corporis membra habere vires: quas quidem dicit eſſe ab anima, negat tamen eandem numero eſſe virtutem animæ & corporis. Quî verò poſsit corporis alia quaſi propria vis eſſe, quum ſeparatum ab anima nihil omnino virium retineat, poſsit autem certè retinere, ſi quid habeat proprium? Sequitur ergō, totum eſſe ab anima, idque totum eſſe etiam animæ eſſentiale & proprium, corpori autem communicatum propter unionem. Mirum verò, qualem cooperationem animæ & organi fingat Danæus, quum putat membris corporis ab anima vires dari, quibus illa utantur ut nuda inſtrumenta, & animam interim ſuas eſſentiales ἐνεργείας ſibi retinere, itaque conjunctis diverſis operationibus animæ & corporis unum aliquod certum ἀπότελεσμα perfici, fortaſſe ſicut duo æqui currum trahunt. Quæ poteſt autē eſſe diverſitas ἐνεργῶν oculi & animæ in uno hoc apoteleſmate, quod eſt, objecta viſibilia apprehendere? Nam ſæpe diſertè ipſe etiam oculo ἐνέργειαν tribuit Danæus. Chemnitius dicit, ἐνέργειαν iſtam, quæ eſt in oculo, qua poteſt objecta viſibilia apprehendere, eſſe illam ipſam animæ propriam ἐνέργειαν oculo communicatam per unionem, quæ abeſt ab oculo, quum anima diſceſsit è corpore.

Pag. 237.

Pag. 218. 238. 245.

Chemnitius docet, quomodo Origenes περιχώρησιν explicet ſimilitudine ferri igniti, quam Danæus dicit eſſe tertiam rationem Chemnitii, ſed eam refutari ab ipſo Origene his verbis: *Si quis tractare ferrum ignitum tentaverit, non ferri ſed ignis vim ſentit*; quòd doceat Origenes, inconfuſas manere

Thes. 7.

Pag. 247.

nere cujuſque operationes. Sed id quoque Chemnitius dicit: non igitur eo refutatur, etſi addit ex Damaſceno, ferrum propter unionem poſſidere vim uſtricem. Quod autem ſæpe proteſtatur, communicationem Deitatis & ejus Idiomatum carni Chriſti fieri non ſubjectivè, hoc vult, iſta non ſic ineſſe in carne Chriſti ut accidentia in ſubjecto: non negat, ineſſe ut eſſentiam in eſſentia. Fruſtra igitur Danæus putat, ſententiam Chemnitii jugulari eo, quòd Origenes ait, *ignem divinum ſubſtantialiter requieviſſe in anima Chriſti*, tanquam ſic loquens Origenes dicat, in ea ſubjectivè requieviſſe vel ineſſe, quum profectò nequaquam ipſe quoque velit, ineſſe ut Accidens in ſubjecto. Quid ergo neceſſe ſit, ut Chemnitius hanc Origenis ſententiam ipſe improbet, ſi conſtanter neget, Idiomata Divinitatis ineſſe in carne Chriſti ſubjectivè?

Tum ut hanc ſententiam Origenis ſuſpectam reddat, ejus errores aliquot recenſet, irrito mehercle conatu. Si enim quæ S. Patres rectè ſenſerunt, ea repudianda ſunt propter nonnulla ipſorum errata, nihil prorſus erit recipiendum, quũ in omnibus errata occurrant, eâque etiam ſæpe non levia: Vergilius ajebat, ſe gemmas è ſtercore Ennii legere, propterea que laudatur & meritò. Quod autem dicit Origenes, *animam Chriſti totam capere totum* λόγον *& totam ac eſſentialem ejus ſapientiam, juſticiam & Deitatis plenitudinem*, Danæus exclamat, eo nihil eſſe horribilius. Sed ſi vult, ita etiam exclamet ad verba Pauli, *in Chriſto inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*; & ad Damaſceni, qui hoc ipſum explicans ait, *in carne Chriſti*: & ad reliquorum Patrum, de quibus Theſi proximè ſequente, qui hoc ipſum dicunt, quod Origenes.

Pag. 248. 249. 250.

Col. 2.

Thes. 8. Chemnitius recitat testimonia sanctorum Patrum, quòd assumta natura totum λόγον capiat, non quasi Divinitas cocludatur ut in vase, sed per περιχώρησιν: quam Danæus
Pag. 251. dicit esse quartã rationẽ Chemnitii, & cõtendit, S. Patres ista de Christo dixisse ratione personæ, quia λόγος ut Deus & impartibilis totus, non autem illius pars quædam duntaxat carnem nostram assumserit, non quòd caro finita Deitatem infinitam possit comprehendere: de quo cap. 4. thesi 4. S. Patres expressè de carne Christi loquuntur, nõ tantùm de persona, nec Deitatem faciunt aliquam vastam molem, quæ tota totaliter loco angusto capi non possit, de quo solo Chemnitius hic agit, non de communicatione Idiomatum, quemadmodum fingit Danæus.

Denique totum hoc caput concludit Danæus superioribus repetendis, quia scilicet sancti Patres omnibus similitudinibus, quibus usi sint in hoc argumento, nihil aliud voluerint dicere, nisi quòd naturæ duæ concurrerint ad unum hyphistamenon constituendum, & quòd in eo ipso hyphistameno singularum proprietates manserint inconfusæ: quod quamvis meminerit Chemnitium ipsum quoque sentire, tamen, quasi ille istud neget, prolixè probat octo totas pagi-
pag 267. nas Patrum testimoniis implens, & concludit, *aut hoc testium satis esse, aut se nescire quid sit satis.* Aut igitur nescit, quid velit Chemnitius, aut, quia nescire non potest, flagitiosè dissimulat se scire, ut imperitis persuadeat, Chemnitium istis S. Patrum vocibus & Conciliorum decretis contradicere, aut ocio Lectorum impotenter abutitur, ista tam multa præter rem hîc accumulans. Quòd verò addit, sanctos Patres de reali communicatione proprietatum Divinitatis, carni Christi facta, nihil ex iis similitudinibus vel dicere vel colligere,

colligere, id cujuſmodi ſit & ſuprà fuit, & ſequetur cap. 23. & 25.

Ad Cap. VII. VIII. IX. X. & XI.

Sequuntur quinque capita, in quibus Danæus cum Chemnitio plurimùm conſentit. Alicubi tamen nonnulla addit, quæ nequaquam ſine diſtinctione conceſſurus ſit: ut quòd Chemnitius dicat, Spiritum S. in hac vita poſſe ab electis amitti: quod Danæus dicit de donis quidem verum eſſe, quæ non ſemper eodem tenore in nobis appareant, non autem de ipſo S. ſancti ſignaculo. Sed quid opus erat iſtas argutias conſectari ex eo, quod eſt in hoc argumento ἐπιγονὲς? Chemnitius quoque de ſanctis ſcripſerat, & rectè, non nominaverat Electos. Saulus aliquandiu ſanctus poſteà & dona Spiritus S. & S. ſanctum ipſum amiſit. Et David quamvis electus, tamen Spiritum S. amiſit committendo adulterio & homicidio, quem ad Deum converſus recepit. Sed hîc veſtigia quædam apparent ejus, quemadmodum Sacramentarii prædeſtationem vel electionem ad ſalutem intelligant: de quo alibi. Item, quòd dicat Chemnitius, λόγῳ operari omnia potentiæ & bonitatis ſuæ opera per aſſumtam â ſe humanitatem, quia *operatur quidem cum aſſumta natura*, ait Danæus, *non autem per eam, nec omnia.* Chemnitius reſpondet ex Athanaſio. *Chriſtum & per, & cum, & in aſſumta natura* τὼ ἑαυτοῦ θείαν δύναμιν ἐνεργεῖν, qui quũ in definitè θείαν δύναμιν nominet, certè omnia Divinitatis opera intelligit. Et Cyrillus: *Communes facit tanquã cũ ſua carne divinæ ſuæ majeſtatis operationes.* Ad cap. 8. repetit de vivifica carne Chriſti, ne nihil iſthîc dixiſſe videatur. Ad cap. 9. de loco. Col. 2.

Cap. 7. Pag. 268. Pag. 269.

gratulatur Chemnitio, quasi tandem è mente Danæi illud *corporaliter* concedat esse interpretandum *personaliter*: de quo cap. 4 thes. 4: ubi de iis quoq; satis abundè, quæ Danæus habet pag. 274. itémque ex cap. 10. de dicto Origenis.

Ad Cap. XII.

Adhuc totius operis prima pars fuit, de singulis naturis & earum hypostatica unione in persona Christi: quæ quòd adversus Danæi rationes immota consistat ostendimus. Sequitur, quid ex illa unione oriatur, doctrina scilicet de communicatione Idiomatum, de qua suprà etiam apud Danæum sæpe fuit, sed loco alieno: quæ cujusmodi sit, & quòd Chemnitius arcana Monotheletarum non prodat, nec superioribus hæresin aliquam superstruat, restat ut porrò videamus. Præterimus autem bilem Danæi molestè ferentis, quod de Nestorianis & Sacramentariis, & quæstione de vocabulis ab Adversariis sibi mota Chemnitius asscripserat. Potiùs de rebus, quid Danæus contrà adferat, attendimus. pag. 277.

Semper autem sui similis scopum duodecimi capitis nec observare nec directè refutare voluit Chemnitius, quum de rebus ipsis posteà pleniùs esset explicaturus, hoc capite tantùm proposuerat agere de vocabulis, & quorundam graduum communionis apellationibus. Hæc aut probare debuit Danæus, aut adductis veris rationibus contrariis improbare, si potuit: de rebus autem suo loco cum Chemnitio considerare. Sed ut Lectorem turbet, & disputationis seriem pervertat, & sua sapius inculcet iis potissimùm locis, ubi Chemnitius expressè de iis tractare non instituit, arrepta quavis minima occasione de aliis prolixè declamitat: quæ fraus est non parùm periculosa.

Sed

Sex theſes recenſet, in quibus inter ipſum & Chemnitium conveniat, quas prætermittimus. Pag. 278. Supereſt unum caput, in quo diſſideant, ex quo dicit multa conſequi abſurda & blaſphema, quòd Chemnitius vocem κοινωνίας accipi velit pro reali participatione & diſtributione non tantùm operis & effecti, ſed etiam ipſius operationis & virtutis agentis: quod ut oſtendat eſſe falſum, tria monet. 1. Quorum Pag. 281. ἀποτελέσματα ſunt communia, eorum ἐνεργείας eſſe proprias & incommunicabiles. 2. vocabuli κοινωνίας ſignificationes eſſe varias. 3. Accommodat hæc ad inſtitutũ argumentũ. De primo ut attendamus, meminerit Lector, præcipuum caput Danæi eſſe adverſus Chemnitium penè toto hoc opere, ut oſtendat, in quibus operibus caro Chriſti cum Deitate λόγου concurrit, in iis effecta, quæ Græci vocant ἀποτελέσματα, eſſe quidem utriuſque Chriſti naturæ communia, non autem etiam communes eſſe ipſas ἐνεργείας ſeu vires operandi, ſed eas manere cujuſque naturæ proprias & incommunicabiles: ubi quidem non eſt eadem ſententia Chemnitii, quæ Danæi. Sed Chemnitius de hoc argumento nihil hîc agit: incipit enim iſtud tractare cap. 21. Vnde igitur huic homini in mentem venit, ut hîc tam prolixè de probanda ſua ſententia laboret, & non potiùs omnes iſtas rationes ad ſequentia capita refutanda conferat? Quid autem velit, & quid ſibi negandum proponat, dicemus cap. 25.

Secundò, recitandis variis ſignificationibus vocabuli Pag. 286. κοινωνίας tres propemodum paginas implet: quia ſcilicet neſciebamus, ipſum Lexica legiſſe, niſi nos præter rem oneraſſet hoc tam prolixo tot ſignificationum & diſtinctionum cumulo. Chemnitius S. Patrum teſtimoniis oſtenderat, omnes gradus eorum, quæ ex unione hypoſtatica oriuntur, poſſe comprehendi uno generali vocabulo κοινωνίας, addita

singulis perspicua declaratione. Nec pugnat, si quis eos gradus distinctionis caussa nominet singulos suis commodis vocabulis specialibus. De rebus enim ipsis potissimùm proposuerat agere. Totum igitur istum laborantis hominis sudorem jam antè prævenerat uno verbo: *ego de vocabulis, si modò rebus ipsis non struantur insidiæ, cum nemine litigabo.*

Pag 169.

Danæus autem non nisi duas species Communicationis agnoscit, alteram rei, alteram nominis. Communicationem rei intelligit eam, quæ Chemnitio est tertia species de donis creatis in humanam Christi naturam realiter collatis. Communicationem nominis eam tantùm debuit intelligere, quum, quod unius naturæ proprium est, tribuitur toti personæ in concreto, ut quum filius hominis dicitur mundum creasse, vel in cœlis fuisse, quando loquebatur cum Nicodemo: qui est Chemnitio primus gradus Communicationis. Sed longiùs eam trahit, admiscens etiam, quæ Chemnitius in tertio gradu dicit de attributis Deitatis, quæ carni Christi realiter communicata sint per οἰκονομίαν unionis, quam communicationem Danæus negat esse realem, ideóque tantùm nominis & honoris participationem vocat, idque in primo gradu communicationis, & eam solam communicationem Idiomatum agnoscit, & sic definit:

Pag. 289, 291.

Nominis donum dico, quum nomen duntaxat & appellatio, quæ unius rei propria est, alteri sibi conjunctæ propter eam unionem tribuitur, ut quum caro Christi dicitur vivifica, mortuos excitasse. Et eam intelligit μετάδοσιν & περιχώρησιν dici à Damasceno. Sed fallitur. Etsi enim Damascenus μετάδοσιν interdum sic definit, ut intelligat primum gradum commu-

communicationis Idiomatum: tamen quòd eam quoque vel etiam potiſsimùm de tertio eóque diverſo gradu accipiat, hac certiſsima ratione demonſtro. *Proprias*, ait, *gloriſications Divinitas corpori tradit* μεταδίδωσιν, *at ipſa permanet paſſionum carnis immunis.* Hîc ex ſententia Danæi Damaſcenus hoc dicere voluit: In primo gradu communicationis Idiomatum divina natura tribuit humanæ appellationem rerum Divinitatis propriarum, ut rectè dicitur, Filius hominis vel hic homo mundum creavit, quod eſt, ἡ θεότης τῶν ἰδίων ἀυχημάτων τῷ σώματι μεταδίδωσι: Non autem contrà humana tribuit divinæ appellationem eorum, quæ ſunt humanitatis propria, ut non rectè dicitur, Dominus gloriæ crucifixus eſt, Deus paſſus eſt, quod eſt, ἀυτὴ δὲ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν διαμένει ἀμέτοχος. Iſtud autem concedet Daneus? Nequaquam verò. At qui idipſum inde neceſſariò conſequitur, quia μετάδοσιν Damaſceni interpretatur de ſola nominis & honoris participatione. Quid igitur Damaſcenus? Hoc ipſum ſcilicet veriſſimè dicit, quod nos, in tertio gradu divinam Chriſti naturam communicare carni ſuæ Divinitatis Idiomata propria, non autem etiam à carne accipere ejus infirmitates & paſſiones: quod Daneus ipſe quoque agnoſcit, quum fatetur, in tertio gradu communicationis rectè dici μετάδοσιν. De περιχωρήσει videatur cap. 6. & cap. 25. manifeſtum fiet, ſanctos Patres nominibus abſtractis uſos diſertè ſignificare, quid ipſa caro Chriſti acceperit ex unione præter creata dona, non quid tribuatur perſonæ.

Lib. 3 cap. 7. & 15.

Pag. 315.

Pag. 416.

Tertiò, demum hæc ſuperiora ad præſens argumentum accommodat, ut intelligatur, quantum diſſentiat à Chemnitio in explicatione κοινωνίας & eius graduum.

Chem-

Chemnitius dixerat, propter unionis veritatem, quæ ipſa quoq; eſt realitas, communicationem vocari non verbalem ſed realem, ut diſtinguatur à communicatione ficticia ſeu putativa. Danæus concedit, ea, quæ unius naturæ propria ſunt, de tota perſona prædicari realiter, ut in primo gradu communicationis: ſed negat, omnem κοινωνίαν, quæ ex unione reali naturarum in Chriſto naſcitur, eſſe ipſam quoq; realem. Et ut lectorem turbet, ſeipſum implicat. Quæ enim Chemnitius diſtinxerat, ea confundit, tantùm ut in omnibus paginis ſuum iſtud inculcet: *quod alteri realiter communicatur, deſiit eſſe proprium*: Quaſi Chemnitius in omnibus κοινωνίας generibus doceat talem communicationem, qua unius naturæ Idiomata eſſentialia tribuantur alteri realiter: quam calumniam Danęus paſſim repetit, quum Chemnitius id de ſolo tertio gradu dicat addita juſta explicatione. Fruſtra igitur hîc laborat Danæus.

Pag. 295.

Pag. 305. 309. 312. & ſequen.

De primo genere κοινωνίας dicit Chemnitius: *Deus non verbaliter, ſed realiter eſt homo, Filius Dei non verbaliter, ſed realiter eſt mortuus*: & explicationem veram ſubjungit, quòd divina natura non ſit humana natura, quòd mors realiter tribuatur perſonæ, non ipſi divinæ naturæ in ſeſe. Videt Danæus, quid velit Chemnitius, & quàm circumſpectè ſcribat. Sed ne nihil dixiſſe videatur, & tanquam Chemnitius iſta non ſatis explicaverit, monet, quomodo ſententiæ iſtæ ſint intelligendæ, de tota ſcilicet perſona realiter dici, *Deus eſt homo, Filius Dei mortuus eſt*: de ſingulis tamen illius perſonæ naturis verbaliter tantùm enunciari. Et rationem addit, *quum unius naturæ idiomata alteri naturæ realiter nõ competant, de ea quoque realiter prædicari non poſſe: quòd ſi non prædicentur realiter, non eſſe igitur realem hujusmodi prædicationem, ſed tantùm verbalem ſeu Dialecticam.* Quis malus genius hominem

Theſ. 2.

nem imprudentem in tantam vertiginem præcipitavit? *Deus est homo, Filius Dei mortuus est*, teste Danæo, sunt prædicationes reales: at *divinitas est humanitas*, *Deitas λόγϖ mortua est*, eodem Danæo teste, prædicationes sunt verbales & Dialecticæ, quia alterius naturæ idioma de altera tantùm verbaliter prædicetur. Dialectica verò prædicatio est in Theologia, quæ nulla talis est, vel potiùs quæ manifestè falsa est? Quis docuit Danæum, hanc esse prædicationem verbalem: *Deitas λόγϖ mortua est*? Quis unquam in Ecclesia sic locutus est, *Deitas mortua est*? quod etsi scio Danæum non sentire dicendum esse, & video, ipsum sic loquentem alia exempla intelligere: tamen quia hîc de primo gradu communicationis Idiomatum quæritur, & in eo prædicationem verbalem generaliter ita definit, ut ostendimus, verba ista profectò manifestè volunt, sic esse dicendum, *Deitas λόγϖ mortua est*, eámque esse prædicationem verbalem. Et in hoc eodem scopulo naufragium istud etiam fecerat cap. 6. pag. 217. iterúmque faciet pag. 307. 308. Non videt homo, quantumvis acutus, quid intersit, si dicas? *Idiomata hujus naturæ tribui alteri naturæ, & idiomata naturarum tribui personæ*. Nam propter unionem hypostaticam duarum naturarum in persona Christi fit in hoc primo genere communicationis, ut alterius naturæ idioma tribuatur non alteri naturæ verbaliter, sed toti personæ realiter.

Multò autem etiam admirabilior vertigo apparet, ubi ait, *passio Christi non nisi prædicatione Dialectica tribuitur Deo, quatenus divinam ejus naturam hæc vox Deus significat*. Nos ex scriptura & S. Patribus didicimus, vocem *Deus* totam personam Christi incarnati significare, quæ constat duabus naturis, quúmque Deus dicitur passus, passionem istam divinæ naturæ nulla omnino nisi falsissima prædicatione tribui posse, Pag. 322.

toti ipſi perſonæ tribui, addita neceſſaria explicatione, ſecundum quam naturam tribui intelligatur,

Pag. 296. Paralogiſmum Chemnitio affingit non ſatis pol pudenter. Neque enim Chemnitius ſic concludit: *Filius Dei realiter dicitur mortuus: Ergo de utraque natura Filii Dei mors illa dicitur & enunciatur.* Imô iſta ſatis diligẽter adverſus omnes calumnias muniverat, nec hîc ſubterfugium quæſiverat eo, quòd non ſit proprium alterius naturæ Idioma. Sudat igitur hîc Danæus & cavillatur præter rem. De vivifica carne

Theſ. 3. Chriſti, de qua hîc Theſi tertia, videatur cap. 24.

Theſ. 4. Chemnitius dixerat, ſe de vocabulis nolle litigare. Danæus ipſe fatetur, gradus communicationis eſſe plures & diſtinctos. Igitur fruſtra paginas iſtas implevit. An unum genus ſit vel plura ejus κοινωνίας, quæ dicitur communicatio Idiomatum, oſtendet Chemnitius cap. 17. 24. & 25, nec tamen illic tantum molietur, quantum Danæus ipſi tum moliendum putat.

Theſ. 5. Chemnitius expreſsè dicit, propter unionem fieri mutuam quandam alternationem ſeu communicationẽ Idiomatum *in perſona*: quod Danæus fatetur eſſe verum: quid igitur toties iſta nobis recoquit *de naturis*, quarum alteri alterius idiomata non poſsint realiter tribui, nec tamen perſona Chriſti diſſolvatur? quum de iis Chemnitius hîc nihil agat.

Theſ. 6. Sextæ theſi, quòd propriè loquendo dici non poſsit: *hæc agit divina natura Chriſti, illa facit humana natura Chriſti*: Danæus hactenus aſſentitur, ſi de perſona poſsit intelligi: ſin intelligatur de naturis, quaſi in una Chriſti perſona divina natura diſtinctè non agat, quæ merè divina ſunt: &

Pag. 304. humana viciſsim, quæ merè humana ſunt, planè falliſsimum eſſe hoc dictum pronunciat. Atqui de perſona

Chemnis

Chemnitius quoque intelligit, ita tamen, ut addat ex Damasceno: *non divisas dicimus actiones, neque divisè agentes naturas, sed unitè.* Et: *neque humana humanè operabatur, quandoquidem non nudus erat homo, neque divina secundum Deum solùm, nam non erat nudus Deus* &c. Et ex Athan: *Quæ sunt propria Verbi, ea quoque corporis ministerio peragebantur.* Neque tamen verentur sancti Patres, ne propterea videantur statuere, Deitatem in Christo passam esse. Lib. 3. cap. 19. Serm. 4. contra Arrian.

Chemnitius dicit, discrimen esse inter tertium gradum communicationis & primum. Danæus fatetur, species esse diversas. Sed contendit, tertium gradum non appellari κοινωνίαν ἰδιωμάτων, & Chemnitium peccare, quòd eum sic appellet: peccare quoque in eo, quòd in primo genere, quæ verè κοινωνία ἰδιωμάτων nominetur, contendat fieri ipsorum unius naturæ essentialium Idiomatum realem cum altera communicationem. Duplex istud Chemnitii peccatum est, si Danæo credimus. At Danæus ipse hîc dupliciter peccat, & gravissimè. 1. Quòd κοινωνίαν ἰδιωμάτων in primo genere nec intelligit, nec rectè describit. Dicit enim, *per eam illud, quod unius naturæ proprium est, alteri naturæ tribui per vocabulum concretum significans personam: nomina communicari in concreto ab una natura in alteram: unius naturæ idioma essentiale aut operationem alteri naturæ in Christo tribui:* quum in hoc genere, quod unius naturæ proprium est, id alteri naturæ neque per vocabulum abstractum tribuatur, quia falsæ sunt tales locutiones: *Deitas λόγος passa est*, neque per concretum tribui possit, quia vocabula concreta naturas non significant, sed toti personæ tribuatur, *Deus est passus.* Similis vertigo suprà fuit. Discat igitur in hoc gradu κοινωνίαν ἰδιωμάτων rectiùs intelligere, & cautiùs Thes. 7. Pag. 305. Pag. 304. 308. Thes. 2.

tiùs definire. Etsi enim & Scholastici & Philippus aliquando sic locuti sunt, *propria unius naturæ tribuuntur alteri in*
Pag. 195. *concreto*, ut annotat Chemnitius: tamen hic tam severus omnium verborum Chemnitii censor non debuit ipse incau-
Lib. 3. cap. 4. tiùs loqui. Viderat enim, Chemnitium istud Damasceni,
Pag. 207. *Hic est modus Antidoseos, utrâque natura tribuente alteri suas proprietates*, referre ad ea veterum exempla, ubi minùs aliquando diligenter & propriè locuti sunt.

2. Peccat in eo quoque, quòd fingit, in hocipso primo genere κοινωνίας Chemnitium facere ipsorum unius naturæ
Pag. 305. 309. 312. 313. 315. essentialium Idiomatum realem cum altera communicationem. Mirari liceat, quis hîc Danæo persuaserit, ut tam putidam calumniam adversus Chemnitium cum non verissima fronte evomeret. Legatur Chemnitius pag. 158. & superior thesi secunda; nihil minus illic apparebit, quàm quod hîc Danæus fingit.

Pag. 305. Quod attinet ad istam vocem Danæi, Chemnitium in æternum non probaturum, in tertio genere communicationis dici, κοινωνίαν ἰδιωμάτων, sciat Lector, quòd ipse quoque
Pag. 63. Danæus fatetur, non esse quæstionem de vocabulis, num tertius ille gradus debeat vel nō debeat appellari κοινωνία ἰδιωμάτων, sed de re ipsa, num verum sit, carnem Christi non tantùm donis creatis, sed etiam divinis operationibus esse ditatam, vel ipsa essentialia Divinitatis idiomata per οἰκονομίαν unionis sibi communicata habere. Danæus negat. Sed quàm verè neget, & quibus rationibus, id contrâ Chemnitius probet, apparebit infrâ, non post æterna secula, sed post pauca capita.

Pag. 307. Postremò tres illos gradus communicationis recenset, quos Chemnitius constituerat, & omnes generali vocabulo κοινωνίας ἰδιωμάτων appellaverat. Primus est, quando ea,

quæ

quæ uniùs naturæ propria ſunt, tribuuntur toti perſonæ in concreto, ut Deus paſſus eſt: quam ſolam ſpeciem Danæus nominat κοινωνίαν ἰδιωμάτων, & tam verè deſcribit, quàm ſuprà oſtenſum eſt. Secundus eſt, quando in officiis redemtionis utraque natura agit cum communicatione alterius, quod cujuſque proprium eſt: ut quum humana natura patitur & moritur, & divina per illam mortem regnum mortis deſtruit. Danæus vocat κοινωνίαν ἀποτελεσμάτων: neque tamen ſatis cautè. Debuit enim eo ipſo ſenſu, quo nominavit κοινωνίαν ἀποτελεσμάτων appellare κοινωνίαν ἐνεργειῶν: quia diſtinctæ naturarum ἐνέργειαι concurrunt ad unum ἀποτέλεσμα noſtræ redemtionis producendum, non cojungũtur naturarum ἀποτελέσματα, niſi volet manifeſtè duo diſtincta redemptionis ἀποτελέσματα conſtituere, quæ hîc concurrerint. Tertius quando natura humana præter eſſentiales ſuas proprietates ex unione cum λόγῳ ſortitur alia immenſa dona, & ipſa quoque Divinitatis Idiomata participat, ut quum puer Ieſus dicitur creviſſe ſapientia, quum caro Chriſti dicitur vivifica, accepiſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Danæus illud de donis immenſis in carnem Chriſti collatis agnoſcit eſſe verum, & nominat κοινωνίαν δώρων ſeu χαρίτων: hoc de attributis Divinitatis perpetuò negat; de quo cap. 21. & ſequentibus videbitur. Theſ. 2 & 7.

Ad Cap. XIII.

Cap. 13. Chemnitius ait de primo gradu Communicationis Idiomatum, *quum unius naturæ propria tribuuntur toti perſonæ in concreto.* Danæus nominat *prædicationem Dialecticam & verbalem, gratiam vel* κοινωνίαν *unionis, donum, communicationem vel participationem nominis & honoris.* Quo

Pag. 62. 93. 100. 185. 219. 227. 289. 290. 295. 296. 301. 308. 385.

modo verò definiat, & admisceat etiam tertium gradum de
Pag. 174. 185. attributis Deitatis, fuit capite præcedente. Videt igitur, quã falsò pronunciet, Chemnitium gratiam unionis explodere, vel cum gratia habituali confundere.

Debuit autem in hoc potissimùm capite cum Chemnitio de isto primo gradu communicationis agere, non debuit loco alieno perturbare. Sed perturbavit alibi & sæpe: hîc nihil ejus agit. Tantùm cavillatur, quòd Chemnitius titulum
Pag. 311. capitis fecerat, *de primo gradu communicationis Idiomatum*, quia dicere debuerit, *de primo gradu generalis communicationis, quæ ex unione hypostatica consequitur, & quæ communicatio idiomatum appellatur*, ne suam ipse distinctionem confunderet. Fingit quoque, Chemnitium in hoc primo gradu statuere realem communicationem Idiomatum carni Christi factam, eámque fraudem apparere ex fine hujus capitis. Quibus cavillationibus tam nihili támque putidis occurrerat jam antè Chemnitius, quum capite præcedente diceret, omnes gradus communicationis ex sententia veterum posse generaliter appellari κοινωνίαν ἰδιωμάτων, & quum manifestissimis verbis hoc ipso capite scriberet, *non necesse est ea, quæ in hoc genere prædicantur de persona, convenire utrique naturæ*;
Pag. 178. & quum moneret, distinctionis gratiâ hãc distributionem ita institui, *ut in hoc primo gradu seu genere explicentur essentiales cujusque*
Pag. 179. *naturæ proprietates, quæ docentur non ita communicari, ut in unione & per unionem fiant & sint alterius etiam naturæ proprietates, sed communicantur personæ.* Cautionis autem tantùm gratiâ adderet ista, quemadmodum quidam hanc doctrinam sinistrè accipiant, volens scilicet innuere, hunc communicationis gradum non sic intelligendum, tanquam posteà nulli alii futuri sint, in quibus doceatur, quid humana natura acceperit ex unione hypostatica cum λόγῳ.

Viderat

Viderat hæc Danæus, & profectò meminerat. Igitur fruſtra cavillatur & fingit: quæ calumniæ meherclé ſunt indignæ, quibus legendis bona ingenia tempus perdant, & multò etiam indigniores, quas pluribus refutemus. Satis eſt, mentem & verba Chemnitii monſtraſſe, quæ diverſum clamant. Et certum eſt, Adverſarios in toto hoc primo genere cum noſtris luculenter conſentire, ut in eo majore odio eſſe piis omnibus debeat iſta tam iners Danæi petulantia toties præter rem caviſſantis.

Bezæ quoque Chemnitius hoc ipſo capite reſponderat, & ejus rationes refutaverat, contrà quàm ſtatuit Danæus. Pag. 316. Legant ſtudioſi veritatis & judicent, & faciant, quod Chemnitius petierat, accipiant iſta ſcilicet abſque caviſſatione. Pag 176. Chemnitius modos iſtos è Scriptura collegit, & huc retulit, neque pol adeò ineptè, propter uſitatam hujus gradus communicationis definitionem Scholaſticorum, *quod communicatio Idiomatum ſit prædicatio, qua proprietas uni naturæ conveniens tribuitur perſonæ in concreto.* Neque verò hoc tantùm vult, quòd Beza putat, eam ſolam eſſe communicationem Idiomatum in hoc primo genere, quum, quod unius naturæ proprium eſt, tribuitur perſonæ in concreto, ab altera natura denominatæ: ſed ſimpliciter intelligit perſonam, ſive ab alterutra natura denominetur, ſive ab utrâque: & ad hanc definitionem ſex priores modos convenire oſtendit; ſeptimum ipſe refert ad ſecundum genus communicationis. Igitur iſtud Beza præter meritum Chemnitii taxaverit.

Catalogus quoque iſtorum modorum alius eſt in Chemnitio, alius in repetitione Bezæ, qui cum è priore libello Chemnitii deſcripſerat; quod etſi perexiguum eſt, monendũ tamen

Pag. 516. tamen putavimus: quia Danæus id obſervare neglexit, ideò que repetiit è Beza.

Ad Cap. XIIII. XV. & XVI.

Sequuntur tria capita, in quibus etſi Danæo cum Chem-
Pag. 518. 521. nitio prolixè conveniebat, tamen ſibi temperare non potuit, quin hîc etiam arriperet, quod flagellaret, *de novem Regulis Scholaſticorum*, *de dicto Lutheri*, *de eo, quòd paſſio Chriſti non tantùm relatione tribuatur Deo*, &c: quæ quum ſint omnia diligenter à Chemnitio in iſtis capitibus explicata, videat Lector ſuo loco. Neque enim noſtri inſtituti eſt hîc res ipſas prolixè repetere.

Ad Cap. XVII.

In hoc capite Chemnitius agit de ſecundo genere communicationis Idiomatum, & hoc ipſum vult, quod Danæ-
Pag. 94. 95. 220. 324. 325. us, *in officiis Mediatoris utramque naturam, quod ſuum eſt, agere cum communicatione alterius, quod ad apoteleſmatis effectionem, non quod ad ἐνεργείας conſortium* ex altera natura factum alteri, de quo in tertio gradu; quod in eandem ſententiam perſpicuè declarat pagina 218. itáque de duplici horum verborum ſenſu, & de teterrima Monotheletarum hæreſi Danæus hîc fruſtra laborat. Cum Athanaſio quoque, quem
Pag. 353. Danæus citat, dicit: *Vt homo tetigit, ut DEVS ſanavit.*
Pag. 96. 97. 353. Et cum Damaſceno & Thoma, quos ipſos etiam citat Danæus, diligenter diſtinguit diverſas ἐνεργείας & voluntates carnis & Deitatis Chriſti, nec ex iis unam aliquam compoſitam conſtituit, nec propriam humanæ naturæ actio-
Pag. 97. 198. nem negat, ut fingit Danæus. Et ex hoc fundamento cum S. Patribus nominat actiones θεανδρικὰς, quia Chriſtus operatur hu-

ratur humana, neque tamen ἀνθρωπίνως, quia non est tantùm homo, sed etiam Deus: operatur quoque divina, non tamen θείκως, neque enim solùm Deus est, sed & homo: quod Danæus sua interpretatione corrumpit, *quòd persona ipsa agens etiam per & secundum unam suam naturam erat tamen homo & Deus*: quia non hoc volunt sancti Patres, quod Danæus, in Christo unam personam sic agere, ut ipsius solius operatione quicquam fiat, quæ tamen maneat unita alteri quamvis ociosæ nihilque cooperanti: sed utriusque naturæ proprias & naturales ἐνεργείας, quamvis eas etiam inconfusas, concurrere ad unum ἀποτέλεσμα producendum: quod vel solus Leo Danæum docere potuit, *Verbo operante, quod est Verbi: & carne exequente, quod est carnis*: Et Athanasius: *Quæ sunt propria Verbi, ea quoque corporis ministerio perage-bantur.* Quod similitudine ferri igniti declarant, ubi est καῦσις πεπαυμένη, καὶ τομὴ κεκαυμένη, ita, ut nec ustulatio fiat sine incisione, nec incisio sine ustulatione. Damasc. lib 3. cap. 15.

Distinctionis autem gratiâ Chemnitius ab hac specie diserte removet dona hyperphysica & paraphysica, quæ per οἰκονομίαν unionis in humanam naturam collata sunt à Divinitate λόγου: & de ipsis ἀποτελέσμασιν hîc disserit potissimùm, quid in iis producendis quælibet natura agat suis naturalibus ἐνεργείαις: de participatione ἐνεργειῶν sequetur in tertio gradu: quod si Danæus observare voluisset, capitis hujus molem dimidio vel ampliùs minorem feciſſet.

Reprehendit Chemnitium, quòd non suo loco scripserit de humana natura Christi ab ipsius Deitate sustentata in passione, & quomodo Deus passus dicatur. Reprehendit scilicet, ut solent, qui nihil rectum putant, nisi quod ipsi fecerunt. Danæus ipse profectò pleraque omnia non suo loco scripsit & disputavit. Id igitur potiùs reprehendat. Pag. 326.

Superiorem ſuum clamorem repetit, quòd hîc gradus non rectè nominetur κοινωνία ἰδιωμάτων, quia Patres eum non ita nominarint. Atqui ut maximè videatur incommoda appellatio κοινωνίας ἰδιωμάτων in hoc genere, certè Chemnitius proteſtatus fuerat, ſe de vocabulis nolle litigare; & tamen rationes addiderat, eáſque non contemnendas, cur hic quoque gradus poſsit appellari κοινωνία ἰδιωμάτων: quas Danæus ridet. Conferat tamen hæc, quæ addimus.

Pag. 169. 217.

Pag. 287. *Activa ſignificatio* κοινωνίας *eſt*, ait Danæus, *quum hoc vocabulo ipſe rerum inter ſe conjungendarum actus denotatur.* At, inquam hîc ego, in hoc genere conjunguntur ἴδια, quæ ſunt ἰδιώματα vel χωρίσεσθαι, naturarum ad unum ἀποτέλεσμα producendum. Eſt ergo κοινωνία ἰδιωμάτων. Item, *paſſiva*

Pag. 288. *ſignificatio vocabuli* κοινωνίας *eſt*, ait idem Danæus, *quum pro ipſarum rerum diverſarum conjunctione jam facta ſumitur.* Sed hîc eſt facta diverſarum rerum, diverſorum ſcilicet ἴδιον vel ἰδιωμάτων conjunctio ad producendum commune apoteleſma. Eſt igitur κοινωνία ἰδιωμάτων vel χωρισμῶν. Et hoc ſenſu Chemnitius eam vocat & accipit pag. 218, lin. 6. nec propterea diverſas ejus ſignificationes confundit, ut Danæus cavillatur, qui ſuo more fingit, Chemnitium velle, in hoc genere χωρίσεσθαι Divinitatis propriam carni Chriſti communicatam realiter, ideóque vocare κοινωνίας ἰδιωμάτων. Sed fingit præter mentem Chemnitii.

pag. 312. 323. 328. 347. Et in Præf. Pag. 21. & ſequent.

Et quî verò poſsit Danæus videri mentem S. ſancti in Scripturis & Orthodoxis Patribus tenere, vel intelligere velle? quum non intelligat, aut prudens ſciénſque nolit intelligere, quid dicat & ſentiat Chemnitius, etiam quando ſatis perſpicuè loquitur. Gradus Communicationis Chemnitius

ita

ita distinguit, ut in nullo nisi tertio statuat realem communicationem attributorum unius naturæ in alteram: in primo autem ea, quæ alterius naturæ propria sunt, non alteri naturæ, sed toti personæ tribuat: in secundo quoque dicat, idiomata naturarum manere incommunicata, concurrere autem in una persona Christi ad commune apotelesma producendum. Quid potest apertiùs dici? quid dilucidiùs distingui? Nec tamen Danæus veretur fingere, Chemnitium in omnibus tribus gradibus facere realem communicationem proprietatum unius naturæ in alteram. Quod nobis profectò satis est argumenti, ut credamus nec veritatem Danæo cordi esse, nec ipsum hîc Scripturas & sanctos Patres intelligere. Quid enim intelligat: quum violentis detorsionibus ex scriptis Chemnitii sententiam eliciat à mente Chemnitii atque à manifestissimis verbis ipsius multò etiam alienissimam. Quòd si hîc fingit contra mentem contráque ipsa verba Chemnitii, fingit quoque certè multa contra mentem contráque verba Scripturæ & sanctorum Patrum, nec vult intelligere, quid Scriptura & sancti Patres dicant, quum nolit intelligere, quid dicat Chemnitius. Nobis hercle ista inter se conferentibus non potest non videri sententia Danæi sæpissimè toto cœlo aberrare à mente Scripturæ & sanctorum Patrum, quum videamus, ipsum volentem scientémque tanto intervallo aberrare à mente Chemnitii, & fingere, Chemnitium sentire, quod ille nequaquam sentiat, imo quod in suo libello manifestissimis verbis, distinctionibus apertiss. & descriptionibus perspicuis disertè testetur, se non sentire: quod quũ adhuc ipse vivens apertè profiteatur, & clamitet, è verbis suis aliud apparere,

parere, contrâ quâm fingit Danæus, profiterentur id quoque certè S. Patres, si reviviſcerent, quos ipſos etiam Danæus fingit multa ſenſiſſe, ubi illorum manifeſta verba clamitant, eos omnino diverſum ſtatuiſſe.

Quid velit Chemnitius, quum dicit, *unam naturam Chriſti ſic agere, ut altera tamen natura non ſit otioſa, & vel nihil vel aliud agat*, rectè diſtinguit & explicat, nec ulla fraus & deceptio ſubeſt. Cavillatur itaque Danæus hîc quòque.

Pag. 218.

Quòd λόγος opera divinæ potentiæ ſuæ poſsit quidem, ſed non velit ſine humana natura efficere, ſicut anima, quamdiu eſt in corpore, potentias ſuas non exercet ſine corpore, id Danæus, etſi rectè negare non poteſt, tamen carpit, ne non ubique ſui ſimilis ſit. Suprâ cap. 6. fuit hoc argumentum, & ſequetur capite vigeſimo quarto, de vivifica carne Chriſti in dicto Athanaſii.

Pag. 226. Pag. 328.

Pag. 129.

Ad Cap. XVIII.

Monotheletarum controverſiam dixerat Chemnitius. Id reprehendit Danæus, tanquam Chemnitius ſentiat, rem quandam potiùs dubiam, quàm verè blaſphemam fuiſſe Monotheletarum iſtorum ſententiam. Sed controverſiam quoque Sacramentariam nominare ſolemus, non tanquam rem quandam potiùs dubiam, quàm verè blaſphemam, Sacramentariorum ſententiam putemus. Igitur fruſtra reprehendit.

Pag. 136.

Magna verò vehementia magnòque ſed vaniſſimo aſtu Monotheletarum errorem Chemnitio Danæus affingit non in hoc tantùm capite, ſed infinitis aliis locis totius hujus operis, & velut de eo refutato ſplendidè ſibi gratulatur, ut quem ſibi videatur iſtius erroris certiſsimè convicisſe. Sed quòd

Et in Præf. Pag. 14, 22, &c.

fruſtra

frustra gratuletur, & triumphum agat ante victoriam, nisi ipsi molestum est, breviter & placidè audiat.

Chemnitium Monotheletam esse hoc argumento probat, quia statuat, essentialem & propriam divinæ Christi naturæ sapientiam, voluntatem & operationem fuisse reipsâ & verè communicatam humanæ ejus naturæ, quod ipsum quoque docuerint Monotheletæ; nec Chemnitium defendat ab hoc errore, quòd dicit, in hoc differre suam & Monotheletarum sententiam, quòd Monotheletæ voluerint, operationem divinam factam esse humanæ naturæ essentialem, ipse verò contrâ non essentialem, sed tantùm communicatam esse doceat. Negat enim Danæus, Monotheletas istud voluisse, quia nec Damascenus nec Patres sextæ Synodi uspiam dicant, eos hanc limitationem addidisse, de voluntate & operatione, quæ naturaliter & essentialiter facta sit humanæ naturæ propria, sed simpliciter & in universum dixisse, operationes naturarum ita communicari, ut utriusque naturæ una sit operatio & ἐνέργεια: quod ipsum quia Chemnitius quoque eodem modo doceat, sit ergo manifestus Monotheleta. Pag. 336. & sequent.

Quid nos igitur, ut ab hoc tam fœdo errore Chemnitium vindicemus? Nihil aliud dicimus, quàm quod Chemnitius jam antè dixerat, quod ipsum ab isto errore tam evidenter támque verè defendit, ut Danæus Christiani pudoris oblitus esse videatur, qui eum istius toties insimulet. Damascenus & Patres sextę Synodi contra Monotheletas sæpe repetunt hoc decretum, *In Christo esse duas naturales vel essentiales voluntates & ἐνεργείας*. Significant ergo, Monotheletas, etsi duas distinctas naturas in persona Christi retinebant, tamen voluntatum & operationum discrimen sustulisse, & unam eandémque voluntatem & operationem, & eam qui- Lib. 3. cap. 14.

dem naturalem vel essentialem statuisse: quod quid est aliud, nisi hoc ipsum, quod Chemnitius dicit Monotheletas finxisse, divinæ naturæ idiomata facta esse etiam humanæ naturæ essentialiter & formaliter propria? Danæus, ut Chemnitium premat, in descriptione erroris Monotheletarum astutè omittit vocabulum *naturalis vel essentialis operationis* vel ἐνεργείας, quod Monotheletas voluisse certum est ex isto decreto Damasceni & sextæ Synodi.

Pag. 137. 140.

Chemnitius autem nequaquam ex eo solo differentiam suæ & Monotheletarum sententiæ quærit, quod est, operationem essentialem esse vel tantùm communicatam, neque enim statuit, quod Monotheletæ, unam & eandem naturalem vel essentialem voluntatem & operationem esse in Christo, quæ quum hactenus divinæ naturæ propria fuerit, post unionem facta sit humanæ quoque naturæ essentialis & naturalis: sed cum Damasceno, quem Danæus citat, ait: *Impossibile est, unum quidpiam compositum esse ex duabus voluntatibus hunc in morem, quo duabus ex naturis compositam dicimus hypostasin*: nec ex duabus voluntatibus divina & humana unam tertiam componit, ut fingit Danæus. Et ne quidem unam solam voluntatem, sapientiam & operationem in Christo agnoscit. Ideò enim secundum gradum communicationis constituit, & à reliquis distinguit, ut humanæ naturæ suam naturalem voluntatem, sapientiam & operationem salvam relinquat & astruat: & hoc ipso capite Monotheletarum errorem refutat, qui negata & sublata omni voluntate, sapientia & operatione humanæ naturæ propria unam naturalem facultatem & vires esse utriusque naturæ contendebant: & in tertio genere communicationis prolixè fatetur, humanam naturam Christi habere dona creata & finita, quã-

Pag. 96.

vis by-

vis hyperphysica & paraphysica. Fatetur itáque, eam habere voluntatem, sapientiam & operationem creatam & finitam, nec propterea unam esse eandémque Christi incarnati voluntatem & operationem. Denique cum Danæo ipso, vel potiùs cum sanctissimis illis Orthodoxorum Patrum & piarum Synodorum decretis de duabus distinctis voluntatibus & operationibus Christi prolixè consentit, quæ Danæus citat in fine cap. 6. penè totis octo paginis. Quæ omnia luculentissimè testantur, Chemnitio hæresin Monotheletarum falsò affingi. Pag. 253. &c. & in præf. Pag. 26.

Sed occurritur nobis â Danæo, Chemnitium dicere, essentialem & propriam divinæ naturæ Christi sapientiam, voluntatem & operationem fuisse propter unionem hypostaticam reipsâ & verè communicatam humanæ Christi naturæ, idque ipsum esse verè Monotheleticum. Nos contrà repetimus hoc, quod diximus, Monotheletas unam solam voluntatem & operationẽ, non duas distinctas in Christo agnovisse, quas Chemnitius agnoscit & fatetur. Si verò Chemnitius, quia cum S. Patribus insuper docet, per οἰκονομίαν unionis carnem Christi sine naturarum confusione aut exæquatione ad ipsam virtutem Spiritus conscendisse, Monotheleta propterea dicendus est, erit Damascenus ipse quoque Monotheleta, qui etsi duas naturales voluntates & operatiónes in Christo contra Monotheletas defendit, addit tamen, *carnem Christi divinis operationibus ditatam esse.* Erunt Monotheletæ sancti Patres omnes, quorum testimonia cap. 25. recitabuntur, qui carni CHRISTI divinæ tribuunt efficaciam gloriæ. Erit denique Monotheleta, qui contra Monotheletas duas naturales volun-

voluntates & operationes in Christo agnoscit, hoc est, erit Monotheleta, qui quum sic sentiat, Monothcleta esse nullo modo potest. Atque hinc intelligit Danæus, quàm verum sit, quod toties inculcat, Chemnitium Monotheletarum delira renovare.

De Agnoëtis Danæus hic addit loco alieno; de quibus videatur capite vigesimo quarto, dicto sexto.

Ad Caput XIX.

Chemnitius proponit tertium gradum communicationis Idiomatum, & in hoc capite generaliter monet, divinam naturam, præterquàm quòd homo accessit Deo, nihil ex unione accepisse novum vel majus, quod anteà non habuerit: humanæ verò pluríma accessisse: eáque distribuit in duo capita, quorum prius est de donis hyperphysicis & paraphysicis humanæ naturæ formaliter & essentialiter inhærentibus: alterum de attributis ipsius Divinitatis, quæ non formaliter &c. sed per dispensationem unionis humanitati Christi communicata sint. Danæus, quum ista de donis hyperphysicis & paraphysicis prolixè concedat, eáque sola inesse in humana natura Christi putet, & quidem inhærenter & subjectivè, hæc certè de attributis Divinitatis pertinaciter negat. Quicquid autem de natura humana dicitur, id omne more suorum refert ad primum gradum. Sed de hoc argumento posteà dicendum erit. Igitur hic frustrà laboratur.

Pag. 341. 346. 350. 551.

Chemnitius secundum gradum Communicationis eum fecerat potissimùm, quum natura humana in operibus Mediatoris consideratur cooperans ex naturalibus suis viribus: tertium, quando eadem consideratur cooperans ex donis hyperphysicis, vel quando quæritur, quid ipse præter & ultra na-

tra naturales proprietates accesserit per οἰκονομίαν unionis. Eam differentiam si non agnoscit Danæus, & aliam è suo cerebro fingit, quid hoc ad Chemnitium? qui gradus istos secundum mentem Scripturæ & sanctorum Patrum ex suo non ex Danæi ingenio distinxerat & descripserat. Vnde intelligitur, quo jure quáve injuria reprehendat hoc Danæus, quod scripserat Chemnitius: *In tertio gradu cooperatur humana natura cum divina non naturalibus tantùm suis viribus & operationibus, sicut in secundo genere, sed ex hyperphysicis illis, quæ ex hypostatica unione accepit.* Itaque clamor iste Danæi indignus est, qui refutetur pluribus. Pag. 349. Pag. 348.

Danæo Chemnitius istud benignè condonat, quòd fingit, ipsum longo circuitu verborum, longo circumductu capitum, rectè rationibus longissimè petitis hunc finem sibi in hoc certamine proponere, ut doceat, carnem Christi in S. Cœna realiter & suâ substantiâ præsentem esse, etsi aliò tendere videatur. Quasi verò non toti mundo jam nota sit sententia Chemnitii de S. Cœna, ut ipsi opus sit, eam aliquandiu variè tegere, quæ tandem ex hoc loco manifesta esse incipiat. Voluit hoc libro totam doctrinam de persona Christi complecti & tradere, ad quam pertinent & ista superiora, & hæc sequentia, quicquid contrâ stomachetur Danæus, cujus istas tam jejunas cavillationes Chemnitius nihil curat. Pag. 343. & in præf. Pag. 14. 15.

Ad Cap. XX.

Hîc Chemnitius explicat doctrinam de donis hyperphysicis & paraphysicis in humanam naturam Christi collatis ex unione hypostatica. Danæus ex Scholasticis cum Chemnitio nominat *gratiam habitualem*, & prolixè cõcedit, propter Pag. 62. 90. 100. 101. 123. 301. 391.

unionem hypoſtaticam tot & tantas gratias humanæ naturæ Chriſti collatas eſſe, quòd & quantas nulla alia creatura capere poſsit, eámque ornatam & ditatam gloria, etiam ipſis
Pag. 289. beatis Angelis incomprehenſibili. Nominat etiam *communicationem rei, ſeu reale effectum unionis & donum reale*, quæ gratiæ in Chriſti carne velut *in ſubjecto & ſubjectivè, habitualiter vel inhærenter inſint*. Reprehendit autem Chem-
Pag. 62. nitium, quòd dixerat etiam, eas ineſſe *formaliter*. Negat enim, ſcholaſticos dixiſſe, *formaliter ineſſe*: negat, eos illas nominaſſe *formales carnis Chriſti gratias*, ne res diverſiſsimas, nimirum habitum & eſſentialem rei formam, confunderent. Sed imprudens reprehendit, quod in hoc Examine
Pag. 90. 100. 101. 125. ſæpe ipſe admiſit, quando dicit, *aſſumtam naturam donis creatis formaliter ornatam eſſe*. Vnde autem didicit ita loqui? Ni-
Lib. 3. diſt. 14. quæſt. 5. mirum ex Durando ſcholaſtico, qui non ſemel nominat potentiam, quæ eſt in anima Chriſti *formaliter*. Igitur aut negligentiam ſuam nobis hîc prodit Danæus, aut animum nimis præcipitem ad pronunciandum, de quibus nondum certò cognovit.

Pag. 352. Quædam etiam judicat in hoc capite prætermittenda fuiſſe, quædam falſa, niſi Chemnitius ea ex Dei verbo poſteà confirmaverit. Atqui quum Danæus ſcribet de duabus naturis in Chriſto, vel de gradibus communicationis Idiomatum, per Chemnitium ſanè & addat, & ſubtrahat, & prætermittat, & mutet, quicquid volet. Hæc ſcripſit Chemnitius, nec credidit, ſibi opus eſſe ex homine Gallo quærere, quid putaret prætermittendum.

Pag. 259. Quid de explicationibus dicti Luc. 2. *Puer creſcebat & confortabatur ſpiritu*, ſentiat, ex Damaſceno & Luthero ſatis evidentibus verbis addidit, quod videre Danæus potuit, ſi voluit, ne criminaretur.

Quòd

Quòd falſum non ſit iſtud de majeſtate hominis Chriſti à donis hyperphyſicis diverſa, & quòd dicta Origenis & Gerſonis juxta præſcriptum verbi divini & teſtimonia S. Patrum vera ſint, probabitur cap. 25. ut ne porrò opus ſit Danæum iſta falſa pronunciare, ſi modò volet veritatem agnoſcere.

Ad Cap. XXI.

Hoc verò caput eſt & pauca quædam ſequentia, de quibus potiſsimùm noſtro tempore cum non contemnendo Eccleſiæ Chriſti detrimento controvertitur, ad quæ refutanda Danęus omnes ſuas machinas adhibet: debuit certè, ſi potuit, neqꝫ has tantùm, ſed eas quoqꝫ, quas ſuprà toties admoverat, ut ſuis quæque locis tractarentur. Imò mavult iſta capita omnia prætermiſſa, quia præter ſuperiora de donis hyperphyſicis & paraphyſicis nihil ampliùs in humana natura Chriſti agnoſcit, quibus adhuc explicatis nihil opus eſſe putat addere novam diſputationem, vel veterem novis coloribus veſtitam repetere. Sed meherclè non valdè verè pronunciat, hæc ſequentia nihil aliud eſſe, niſi ſuperiorum omnium repetitionem moleſtiſsimam: quum profectò vel cæcus videat, hîc longè aliud & à ſuperioribus diſtinctum doceri. Sed calumniandi cacoëthes hominem tenuit, quum iſtud ſcriberet. Pag. 355.

Vt autem inſtituti noſtri rationem perſequamur, res ipſas ex Chēnitio non prolixè repetemus: tantùm rationes Danæi videbimus quales ſint. Volumus verò hominem confidentē benè meminiſſe duorum iſtorum, quæ hîc præfatur, & inprimis ejus, quòd ait, *ſe habere mentem veritatis cupidam.* Neqꝫ enim vel ex hoc capite vel pleriſqꝫ aliis locis intelligimus, ipſum ſtuduiſſe præſtare, ut videretur habere. Λογομαχίας Pag. 355. 356

quoque captandisque vocabulis non tam abstinet, quàm
Pag. 12.120. 312. hîc promittit, quum *Synonyma, opus, operationem*, & similia carpit ut improprie dicta.

Chemnitius in hoc secundo membro tertii gradus communicationis idiomatum docet, quomodo propter hypostaticam cum Divinitate unionem humana natura in Christo communionem habeat cum attributis, quæ divinæ naturæ Verbi propria sunt, & addit, ea ipsa attributa nequaquam sic communicata esse, ut assumta natura illa habeat *essentialiter seu per essentiam* ϖ ἑαυτῇ καὶ καθ' ἑαυτὸ, *formaliter, subjective aut habitualiter inhærentia*, sed ita, ut communicatio respondeat unioni naturarum.

Ex his & similibus particulis Danæus passim varia colligit & argumentatur, quas rationes omnes etiam ex superioribus capitibus in hunc locum conferemus. Intelligit autem, quid velit Chemnitius, sed sic intelligit, ut veritatem nihilo magis amplectatur. Imò formulas istas trahit ad dona creata,
Pag. 391. & opponit τοῖς φανταστικοῖς καὶ τοῖς κατ' ἐνεργ. Chemnitius autem ipsa Divinitatis propria idiomata intelligit, quæ negat essentialiter esse carni Christi communicata, vel ei inesse per inhæsionem physicam vel essentialem, vel ut substantiam carnis Christi, quia non facta sunt essentia humanæ naturæ, sicut essentia Patris communicando facta est etiam essentia Filii, nec ita sunt carni essentialia, sicut ipsi Deitati λόγου, hoc est, negat humanam naturam, factam Deum. Manet enim etiam post unionem inconfusa et salva naturarum differentia.
Pag. 90. Quo negat hoc etiam, quod ipsum sentire Danæus fingit, quasi communis majestas, communis omnipotentia, communis efficacitas & virtus sit in humana & divina Christi natura propter unionem hypostaticam, quæ solâ habendi & inhæ-

inhærendi ratione differant, quòd quæ divina natura & á se & velut proprium subjectum habet, ea habeat humana natura, non à se, sed à Deitate, nec ut proprium eorum subjectum. Nam si Danæus *majestatem communem* sic intelligit, tanquam etiam humanitatis Christi essentialem factam, negat Chemnitius, sese ita sentire. Neque enim statuit communem majestatem & omnipotentiam, quæ hactenus Deitatis propria fuerit, post unionem autem communis vel essentialis facta sit etiam naturæ humanæ: et cõstanter dicit, Idiomata Divinitatis nullo alio modo carni Christi esse communicata, nisi quia ipsa essentia divina cum attributis Deitatis in carne Christi per περιχώρησιν inhabitat corporaliter, nec tamen carni illi cum Divinitatẽ λόγου communis facta est, vel ipsius carnis essentia est. Et tamen hac inhæsione essentiali remota cum Cyrillo dicit: *Communes facit tanquam cum sua carne divinæ suæ majestatis operationes.*

Formaliter quoque communicata esse negat, quia Idiomata illa Deitatis non constituunt formam humanæ naturæ Christi, sicut ratio constituit formam hominis, vel specificam differentiam, qua homo distinguitur à bruto. Danæus Pag. 45.
fatetur, nec nostros tribuere, nec se suósque unquam sensisse à nostris idiomata Divinitatis carni Christi tribui velut ipsius carnis formam. Igitur illic sese frustra fatigat quærendis aliis hujus voculæ significationibus in hoc membro.

Neque verò insunt subjectivè vel inhæsione accidentali, sicut albedo hæret in pariete ut accidens in subjecto: quum idiomata ista non sint accidentia. Nec habitualiter inhærent; ut Plato doctus est habitualiter, quia studiorum assiduitate & diligentia comparavit sibi eruditionem: quum non sic acquisita sint Idiomata Divinitatis, ab humana Christi natura, ut habitus scientiæ vel virtutis ab intellectu.

ctu. Nec dicit esse transfusa vel physica effusione communicata, quia nec extra suum subjectum vel extra ipsam essentiam divinam τὸ λόγε egrediuntur, nec carni Christi fiunt essentialia.

Pag. 44. 45. 54. 92. 93. 111. 182. 202. 210. 356. 372. 387. Hinc Danæus ita ratiocinatur, istas descriptiones sese ipsas evertere, quòd iis omnibus significetur inesse nec ut accidens nec ut substantiam, ideóque non inesse, quia nullo alio modo inesse possint: esse igitur istud ἀσύσατον, eóque Chemnitium ipsum sibi contrarium esse, ut qui dicat inesse, & mox idem inesse neget. Postulat igitur doceri illud tertium verum inexistendi genus, si non ut substantia nec ut accidens insit, quia neque Basilius, neque Augustinus, neque Damascenus aliive Patres Orthodoxi alios communicationis seu inexistẽtiæ modos noverint præter hos duos,

Pag. 44. 178. ut aliud alii communicetur vel ut substãtia, vel ut accidens, qui sint soli realis communicationis modi. Denique distinctiones illas ait, se nihil morari de physico vel essentiali modo inhæsionis aut infusionis.

pag. 102. Imò dicit, nulla opus esse

Pag. 105. distinctione inter modos, quia nullus sit modus communicationis, nec ulla talis communicatio facta sit. Sed Chemnitius certissimis Scripturæ & sanctorum Patrum testimoniis evincit, communicationem factam esse, ideôque certè de modo considerandum, quid Scriptura & sancti Patres statuant.

Negat autem hoc, quod vult Danæus, nullos alios modos communicationis istius esse posse, quàm qui sint Accidentis aut substantiæ. Ipsa enim unio hypostatica neutro duorum istorum modorum facta est. Neque enim essentia divinæ naturæ facta est etiam essentia naturæ humanæ, nec ideò rectè dici potest, naturam divinam unitam esse humanæ per modum substantiæ, quasi scilicet jam factam ipsius

quoque

quoque naturæ humanæ essentiam: neque verò etiam est ejus accidens, quum divina natura nequaquam sit accidens, ideôque nec per modum accidentis unio facta est, & tamen verè facta est per περιχώρησιν, qualis est corporis & animæ, vel κρᾶσις ferri: ita cōmunicatio, quæ ex unione ista sequitur, neutro horum modorum fit, & tamen verè fit, eo modo, qui est & supra illos duos, & supra totam denique naturam qui scilicet unioni respondet. Sicut enim ipsa Divinitas λόγου in carne assumta habitat non ut accidens in subjecto, nec ut ejus forma, nec ut ejus essentia &c. & tamen verè inhabitat eo modo, qui nobis & incomprehensibilis est & intolerabilis: ita eodem modo à reliquis duobus accidentis & substantiæ distincto Divinitatis attributa carni Christi communicantur τῆς ἑνώσεως οἰκονομίᾳ. Et hoc est illud tertium communicationis & inexistendi genus à reliquis duobus modis distinctum, quod Danæus doceri postulaverat: quod similitudines, à Chemnitio toties in hoc argumento laudatæ, confirmant, non evertunt, ut putat Danæus. pag. 45. Est enim etiam in iis rerum paribus communicatio, eáque non aliunde, nisi ex arctissima rerum ipsarum inter se unione, quando & ipsa essentia & essentialis proprietas ignis ferro, animæ corpori, lucis Soli communicatur non per modum substantiæ vel accidentis, sed alium, qui est ab his duobus diversus, nimirum per modum unionis, quia & ignis ferro, & anima corpori, & lux Soli arctissimè & præsentissimè per περιχώρησιν, penetrationem vel permeationem unitur.

Secundò, ex his formulis objicit Danæus, Chemnitium hoc tertium communicationis genus planè confundere cum primo, atq; ita sibi ipsi manifestè repugnare: *quia*, inquit, ea,

pag. 350.351. *ea, quæ humanæ naturæ Christi tribuuntur propter unionem hypostaticam, neque tamen ipsi insunt, ad primum genus communicationis pertinent: hoc autem tertium ea tantùm dona complectitur, quæ in carne Christi inhærenter & subjectivè insunt. Chemnitius autem ipse dicit, ad hoc genus communicationis referri quoque ea dona, quæ naturæ humanæ inhærenter & subjectivè & formaliter nequaquam insint, quæ tamen idem etiam apertè scribit, eam habere in sese ex unione hypostatica præter, ultra & supra essentiales suas proprietates. Quòd si hoc tertium* κοινωνίας *genus ea dona complectitur, quæ natura humana habet in sese, continet ea tantùm, quæ naturæ humanæ vel subjectivè vel formaliter & inhærenter insunt: ea verò, quæ nec subjectivè nec formaliter insunt, ad hoc genus referri non possunt: quò si Chemnitius ea refert, ipse sibi manifestè contradicit.* Atqui Chemnitius non è mente Danæi, sed ex observatione testimoniorum Scripturæ & S. Patrum gradus communicationis distinxerat, & ad tertium genus retulerat ea, quæ humana natura ex unione hypostatica habet *in sese*, sive formaliter, subjectivè & habitualiter, ut dona creata hyperphysica, & paraphysica, sive tantùm per οἰκονομίαν unionis, quæ etsi nec formaliter, nec habitualiter, nec essentialiter, nec subjectivè habet, habet tamen *in sese* eo modo, quo tota plenitudo Deitatis in carne Christi corporaliter inhabitat. Vnde Danæus contradictionem verè fingere non potest. Quia *in sese habere* (in cujus formulæ ambiguitate vis est argumenti Danæani pro contradictione Chemnitii probanda) non tantùm est *subjectivè, formaliter & inhærenter habere*.

Pag. 41.47. 83. 105. Tertiò, ex his ipsis formulis objicit, ignem in ferro, potentias animæ in corpore inesse subjectivè, formaliter, habitualiter vel physica inhæsione vel effusione, idque Chemnitium negare, sed falsissimè; negare quoque, idiomata Divinitatis

vinitatis carni Christi ineſſe ſubjectivè, habitualiter vel phyſica inhæſione, igitur ipſum fruſtra iſtis ſimilitudinibus uti. Sed Danæus ipſe ſeſe fruſtra fatigat. Nam ignis eſt in ferro non ut accidens in ſubjecto: neq; enim eſt accidens: potentiæ animæ in corpore animato, non ut accidentia in ſubjecto: nec enim ſunt accidentia, teſte Thoma: nec ut habitus à ferro vel corpore acquiſiti: quia non ſunt habitus: nec phyſica inhæſione, quia non ſunt nec fiunt eſſentia ferri vel corporis. Ita neq; idiomata Divinitatis ſic inſunt aſſumtæ naturæ Chriſti. Sicut autem ſubſtantia ignis eſt in ferro velut in ſubjecto, & potentiæ animæ ſunt in corpore velut forma vel eſſentiæ in eſſentia, ſine confuſione, converſione vel abolitione, quamobrem iſta quidem rectè dici poſſunt ineſſe ſubjectivè vel formaliter: ita idiomata Divinitatis & ipſa tota plenitudo Deitatis inhabitat in carne Chriſti corporaliter, ut eſſentia in eſſentia, ſine confuſione, converſione vel abolitione: quod ipſum tamen Chemnitius non vult nominare ſubjectivè ineſſe, ne putentur eſſe accidentia, vel extra ſuum ſubjectum egreſſa in alio hærere.

Par. 1. quæſt. 77. art. 1.

Non intelligit igitur Danæus, aut ſtrenuè diſſimulat ſe intelligere, quid velit Chemnitius, qui quum dicit, *non eſſentialiter*, *non formaliter*, *non ſubjectivè*, *non habitualiter*, *non inhærenter*, de proprietatibus divinæ naturæ loquitur, quæ non iis modis inſint carni Chriſti, non negat, ignem ferro, potentias animæ corpori alicui eorum modorum ineſſe. Vult igitur hoc dicere, proprietates divinæ naturæ communicari humanæ quodam tali modo, qui poſſit ſimpliciſſimè intelligi exemplis animæ & corporis, & ferri igniti, ubi quocunq; tandem modo alia aliis inſint, certè videre eſt, teſtante id omnium ſanorum experientia, modum communicatio-

nis ἐνεργείων in iſtis rerum paribus eum eſſe, unde poſsit intelligi communicatio idiomatum in perſona Chriſti, quia ſcilicet illîc eſt unio arctiſsima animæ & corporis, ignis & ferri, per περιχώρησιν, quę facit, ut operationes animę cõmunicẽtur corpori, quæ non cõmunicantur, quando anima excesſit corpore: vis urendi & lucendi communicetur ferro, quæ non communicatur, quando ignis â ferro ſeparatus eſt: in qua communicatione manet etiam inconfuſa naturarum & operationum diverſitas, nec altera alteri exæquatur: quòd ipſum quoque fit in perſona Chriſti.

Videamus contrâ, quid Daneus de communicatione Idiomatum ſentiat. Duo quędam concedit: Primum, *Quæcunque Chriſto Deo ab æterno inſunt, eadem Chriſto homini competere ex tempore, non quòd Deitas λόγος, ea ipſi carni ſuæ tribuerit, ſed quòd perſona λόγος maſſam illam humanæ naturæ ſibi in tempore hypoſtaticè univerit*: ideòque ſanctorum Patrum ſententias, quæ de iis loquuntur, tantùm docere, *unam eſſe Chriſti perſonam ex utraque natura conſtantem.* Notet Lector hoc vaniſsimum effugium. Videt Danæus, nec tamen vult videre, S. Patres expreſsè dicere & urgere de ipſa Chriſti carne, quæ ſententiæ cap. 25. repetentur, ubi ne verbulo quidem ſignificant, ſe hoc tantùm velle, quod eos velle Danæus tam pingui Minerva pronunciat, unam ſcilicet eſſe perſonam Chriſti; ſed diſertè docent, quid ipſa caro Chriſti in tempore acceperit ex unione hypoſtatica.

Pag. 158. 359.

Alterum quoque iſtud concedit, nempe, *quæ unius duntaxat naturæ Chriſti propria ſunt ac eſſentialia, de tota quidem Chriſti perſona realiter ac verè enunciari, de altera verò ejuſdem perſonæ natura prædicari* κατ' ἄλλο: quod de primo gradu communicationis verum eſt, de quo quum hîc non agatur, notet

Pag. 159.

Lector

Lector hoc etiam effugium. Non audet Danæus negare, quòd viderat S. Patres evidentiſsimè de ipſa Chriſti carne loqui, cui ſint in tempore data ea, quæ Chriſtus Deus ab æterno habuit. Sed eodem, quo anteà, pudore dicit, ea de perſona realiter ac verè enunciari, de carne Chriſti autem κατ' ἄλλο. Et hoc ipſum κατ' ἄλλο non accipit è mente S. Patrum, qui eo cauſſam notant, unde caro Chriſti ea habeat, nimirum ex unione hypoſtatica: ſed hoc vult, carnem quidem nominari à Patribus, id autem tantùm ſignificari, quòd perſona Chriſti ea acceperit, vel quòd caro iſta λόγῳ ſit hypoſtaticè unita, ideòque tantùm nomen & honorem participet, non rem ipſam: de quo poſteà.

His omnibus explicatis accedit ad refutanda argumenta Chemnitii. Refutationes iſtas attendamus.

Generalis ſententia Chemnitii fuerat, quia Scriptura teſtatur, ipſa quoque divinitatis idiomata carni Chriſti tributa eſſe, ideò rectè tribui poſſe & debere: & de modo communicationis paucis monuerat, ſicut ſcilicet vis lucendi & urendi communicatur ferro ignito. Danæus ſuo more cavillatur. Syllogiſmum Chemnitii redigit in legitimam for- Pag. 360.
mam: *Quecunque Scriptura carni Chriſti tribuit, ea ſunt illi tribuenda, ſicut vis lucendi & urendi ferro ignito. Scriptura tribuit carni Chriſti propria Divinitatis* λόγου *idiomata. Ergo ſunt tribuenda ſicut vis urendi ferro ignito.* Majorem negat, quia vis urendi ſit à ferro ſeparabilis, non autem dona carni Chriſti data poſſint ab ea ſeparari: pulchra meherclè ratio, digna quam Danæus contra Chemnitium adferat, & quam laboriosè refutemus, quum Chemnitius nuſquam dicat, ſimile eſſe idem, & ferrum intelligat, quatenus eſt ignitum, non quatenus ignis eſt ab eo ſeparabilis. Aſſumtionem

quoque negat eâ cantilenâ, quam ſæpiſsimè nobis hîc occi-nit. Quibus ſic negatis pronunciat, falſam eſſe Chemnitii collectionem. Falſa ſcilicet ſunt, quæ Scriptura & S. Patres dicunt eſſe veriſsima. Neque verò Chemnitius ita collegerat, ut oſtendimus: unde igitur nobis iſte tam lepidus Syllogiſmus?

Ad ſequentia argumenta acceſſurus prolixè benignéque Chemnitio largitur, *ea, quæ Chriſto donata dicuntur, reſpectu humanæ ipſius naturæ aut ſecundum humanam naturam duci donata*: ſed negat, è Scriptura poſſe probari, ea eſſe ipſa Divinitatis idiomata eſſentialia. Duplex nimirum Danæi κεφαλαιωτὸν hîc agnoſcimus. Quando enim de ipſis Divinitatis attributis manifeſtiſsimè probatur, ut negare non poſsit, eò confugit, ut dicat, illa perſonæ tribui realiter, non autem carni Chriſti, niſi κατ' ἄλλο, ſolo ſcilicet titulo honoris: quando contrà de ipſa carne Chriſti ſic probatur, ut negare nec poſſet nec audeat, alias latebras habet, quò confugiat, ut neget, ea eſſe ipſa Divinitatis eſſentialia idiomata, quæ carni Chriſti tributa dicuntur. Quis igitur poteſt hominem tam lubricum támque verſutum Prothea tenere? Quum probatur, eſſe ipſa Divinitatis idiomata, negat eſſe tributa carni: quum probatur, carni realiter eſſe tributa, negat eſſe idiomata Divinitatis propria.

Pag. 360.

Et hîc Danæum rogamus, ut nobis non è ſuo cerebro, ſed ex Scripturæ & S. Patrum manifeſtiſsima ſententia probet illam diſsimilitudinem, quam fingit in iis teſtimoniis, quæ dicunt, quid Chriſtus in tempore acceperit: è quibus alia vult unitatem perſonæ notare, vel ſignificare, quid perſonæ tribuatur, alia, quid ipſi carni Chriſti: quum nos ex iis aliud nihil intelligere poſsimus, niſi quod unanimi conſenſu dicant, quid ipſa caro Chriſti acceperit. Doceat ergo

nos

nos differentiam, quam hîc somniat: neque verò putida ista nobis reponat, quia caro Christi non possit idiomata Divinitatis propria participare, dona creata possit, quia carnis natura destruatur communicatione attributorum Deitatis, non autem destruatur donis hyperphysicis, ideóque Divinitatis idiomata tribuenda sint personæ, dona creata carni Christi. Nihil enim nos ista possunt movere, quum videamus S. Patres expressè de nullo alio nisi ipsa Christi carne loqui, quæ acceperit ea quoque, quæ Christus semper habuit ut Deus: quæ certè sunt ipsa Deitatis Idiomata propria: quod nos non possumus pro nihilo ducere.

Chemnitius autem dicta quædam Scripturæ breviter cita verat, quibus ut certissimis argumentis probaret, ipsa Deitatis attributa propria carni Christi esse communicata. Primum, *de omni potestate in cœlo & in terra*: secundum, *de vita & judicio*: tertium, *de gloria quam Filius habuit apud Patrem priusquàm mundus fieret*: quartum, *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato*: quæ Danæus variis rationibus & hîc & alibi conatur refutare. Quia verò Chemnitius justis eorum explicationibus propriam sedem tribuit cap. 24. nos omnia, quæ Danæus hîc loco alieno contrà disputat, illuc differemus, & considerabimus, quantùm posterimus.

Quintum, Col. 2. fuit explicatum suprà cap. 4. Sextum ex Athanasio, *humana, infirma & mortalis caro atque natura divinam profecit in gloriam*: quod Danæus sic salvat: *Athanasius non confundit duas naturas in Christo: Ergo nusquam carnem Christi propria Deitatis gloria vestit, sed intelligit gloriam creatam, quam vocat, Divinam, quasi summam & excellentissimam.* Athanasius autem utrumque præstat: primùm, naturas in Christo non confundit: nec nos eas confundimus: sum,

De Arrian. & Cath. confess. Pag. 573.

Deinde expresse dicit: *Nihil eorum, quæ dicit se accepisse, ita accepit, quasi non habuisset: habebat enim illa utpote semper & Deus & Verbum. Nunc autem dicit, humanitus se accepisse, ut carne ejus in ipso accipiente, in posterum ea ex carne illius in nos firmiter possidenda traderentur.* Et quæ sit gloria, quam divinam nominat, explicat his verbis, quæ subjungit: *ita ut omnem potestatem in cœlo & in terra habeat*: quam ipsam potestatem dicit Christum semper habuisse ut Deum: quæ certè non est creata, sed ipsa Deitatis propria potestas & gloria, quam Athanasius hîc carni Christi tribuit, nec tamen eo voluit naturas ipsas confundere. Gloriam, de qua dicitur Ioh. 17. Danæus intelligit increatam & Divinitatis propriam, quæ carni Christi non sit communicata: hîc in Athanasii dicto creatam interpretatur, quæ carni Christi data sit. Probet igitur, Athanasium de alia gloria loqui, quam de qua Christus Ioh. 17. Num verô nos tam inertes esse putat, qui non soleamus ista inter se conferre? vel cæcos, qui non videamus, quid Scriptura, quid S. Patres velint?

Orat. 4. cont. Arrian.

Septimum fuerat ex Augustino: *majestate divinitatis glorificatam novimus carnem Christi:* quod Chemnitius interpretatus fuerat de reali communicatione idiomatum divinitatis in humanam Christi naturam. Danæus clamitat, Augustinum id intellexisse ratione unionis, quoniam utraque natura facta sit una Christi persona. Sententiam suam probat, quia Augustinus eodem illo capite urgeat, *singulis servata esse propria*. Sed neq; nos negamus, proprietates naturarum manssisse salvas. Cupimus autem doceri à Danæo, cur non possint salvæ manere, si juxta Scripturæ & S. Patrum manifestissimam sententiam ipsa divinitatis idiomata dicantur carni Christi communicata. Neq; enim nos movet,

pag. 325.

quòd

quòd totiès nobis occinit, *naturam deſtrui, proprietates confundi*, Occinit enim tantùm, nec probat.

Hæc duo dicta Athanaſii & Auguſtini potiſsimùm Danæus elegit, quæ refutaret, quia maximè viſa ſint Chemnitii ſententiam probare. Reliquos Patrum locos ait ne longa quidem manu hoc argumentum attingere. Cur id autem? Quia multò faciliùs hæc dicta eludere potuit, quàm ſequentia. Quòd enim Cyrillus ait, *Caro Chriſti totam Verbi operationem ſuſcepit*, id contendit dici propter unionem perſonæ, non propter idiomatum participationem. Atqui ſic etiam dictum Auguſtini fuerat interpretatus: Cur igitur hoc Cyrilli dictum non attingat argumentum Chemnitii, quũ ejus ſimile dictum Auguſtini, id, vel ipſo Danæo teſte, attingat? At Cyrillus non tantùm loquitur de unione perſonæ, ſed docet, quomodo, unde, quáve cauſſa ipſa vocabulo abſtracto ſignificata caro Chriſti facta ſit vivifica, nimirum *quia ad virtutem Spiritus per conjunctionem conſcendit, quia totam vim Spiritus hauſit, quia λόγος dedit homini, in quo habitat, vivificandi virtutem.* Id eludit Danæus, ſed herclè valde infeliciter, quia tantùm de unione perſonali intelligatur. Quis non credat, hominem inſanire, qui ſciens volénſque veritatem nolit videre? Pag. 375.

Oſtendit porrò Danæus iſtius erroris fontem: ſed multùm fallitur. Neq; enim Chemnitius ideò eſſentialia Divinitatis idiomata realiter carni Chriſti communicata vult, quia putet, quod Danæus ipſum fingit putare, non poſſe alio modo majeſtatem hominis Chriſti ſatis exprimi; ſed ideò, quia creata dona nullo modo aſſequantur aut exprimant excellẽtiã, præeminentiã & majeſtatem omnium illorum, quæ ſcriptura tradit, & exſcriptura vetus Eccleſia aſſeverat, Chriſto Pag. 375. Pag. 266. 267.

ſecun-

cundum humanam naturam in tempore ex unione hypostatica donata esse, quæ non tantùm sunt creata dona, sed ipsa Divinitatis attributa propria.

Ad Cap. XXII.

Chemnitius, quia non ex suo cerebro, sed ex certissimis Scripturæ & S. Patrum testimoniis dedicerat, ipsa Deitatis idiomata, quæ sunt divina potentia, sapientia, majestas &c. carni Christi esse communicata, veris & solidis argumentis ostendit in hoc capite, non esse statuendam talem communicationem, quæ facta sit per conversionem, confusionem, exæquationem aut abolitionem naturarum, sed quæ respondeat unioni hypostaticæ. Danæus objicit, ipsum non spectare verum scopum, quia sit ipsi in eo laborandum, ut doceat, quamvis hujusmodi communicatio tribuatur carni Christi, non sequi tamen, ut propterea naturæ exæquentur vel confundantur: Id autem ipsum non docere, sed tantùm verbis testari, se nolle, ut id consequatur: ideóque, quod se efficere nolle verbo ait, efficere reipsâ, quod improbat, probare. Videamus igitur, quibus rationibus doceat Danæus, naturas exæquari vel confundi per realem communicationem majestatis, ut contrà quoque videamus, num Chemnitius probet, eas non exæquari nec confundi.

Pag. 378.

Fundamentum verò ponamus non in nostris ratiocinationibus, sed in testimoniis Scripturæ & S. Patrum, de quibus erit cap. 24. & 25. quæ dilucidè docent, ipsa Divinitatis idiomata carni Christi esse communicata, quod Danæus non potest non videre, si mentem veritatis cupidam habet. Ipse igitur doceat, quomodo communicata sint sine confusione vel exæquatione naturarum, neq; porrò manifestam

Scripturæ & S. Patrum sententiam tam pertinaciter negat hoc argumento, quia non possint communicari sine confusione vel exæquatione: sed quia videt, verè communicata esse, debet, ut Chemnitius considerat, sic ipse quoque dispicere modum communicationis, ne naturæ videantur esse confusæ vel exæquatæ. Debet quidem certè: sed mavult ea, quæ S. Patres affirmant, negare, quàm putidas & veritati planè contrarias cerebri sui ratiocinationes abjicere.

Quia verò & hîc & alibi sæpissimè in toto hoc Examine impotenter quidem, attamen argumentis pauciss imis variè præsertim locis alienis, iisdémque cum magno legentium fastidio repetitis communicationem idiomatum negat, nos hîc ea omnia in unum fasciculum colligemus, quum pleraq; nihil aliud nisi confusionem vel exæquationem naturarum urgeant, quam Chemnitius hîc à communicatione idiomatum removet.

Pronunciat itaque, sententiam Chemnitii falsam esse, qui ex unione hypostatica duarum naturarum in Christo colligit communicationem idiomatum & ἀντιδόσεως, idque probat his argumentis: Primùm, *Idiomata Divinitatis non possunt carni Christi communicari, quia sunt idem quod essentia, quam ipsam quoque communicatam esse consequitur. Si dicantur communicata ejus idiomata, quæ propterea sunt & nominantur essentialia, quòd extra suum subjectum, id est, extra ipsammet divinam essentiam esse vel subsistere vel egredi non possint, ut si cui Deus suam proprietatem communicet, ei communicet etiam, quod ipse est: communicare autem nulli rei potest, nisi Deo, quia solus Deus ejus capax est. Et intolerantissimè quidem sed frustra gloriatur de isto velut Achilleo argumento: Quicquid est* ἀνοικώδητος, *id est prorsus* ἀκοινώνητον, *quæ sit machina subruens omnia Chemnitiana substructionis fundamenta, quæ denig; sit invicta & im-*

Pag. 97.

Pag. 41. 46. 63. 92. 104. 196. 396.

Pag. 47.

mota in æternum veritas. Et est istud quidem verum, quia quod alicui rei essentiale est, id impossibile est, alii quoque extra proprium subjectum communicari: neq; enim potest illa proprietas essentialis manere, si ex uno subjecto in aliud dimoveatur. Chemnitius autem non dicit, essentiales Divinitatis proprietates extra suum subjectum egredientes alii communicari, sed cum ipsa divina essentia cúmque ipso suo subjecto per περιχώρησιν inhabitantes in carne Christi communicari, quod Danæus quoque memminerat Chemnitium velle, ut videre est in libello Chemnitii pag. 327. Nihil igitur opus erat hoc modo isto argumento pugnare.

Pag. 235.

Deinde verò, si idiomata Divinitatis cum ipsa essentia τοῦ λόγου dicuntur carni Christi esse communicata, tum demùm sese aperit vastum & objectionum & accusationum mare *de exæquatione, diffusione, extensione, coëxtensione, dilatatione, multiplicatione naturæ humanæ tantæ, quanta sit divinæ, quia sic caro fiat DEVS, essentiæ divinæ verè & realiter particeps, Deitas ipsa omnipotens, Deitati æqualis, nascatur novus Deus, Deus ascititius, recens, sit à Divinitate absorpta, conversa in naturam divinam, ejusdem essentiæ atque ipsa Deitas, fiat una tertia natura composita, non sit verè creatura, non sit creata, hoc modo carni Christi communicata sint ἀνυφορικὰ, quæ eam destruant & evertant, effusæ sint omnes Deitatis proprietates essentiales in assumtam naturam, facta jam sit duplex Deitas vera, una quæ sit ex se, altera autem creata, quod sit absurdum, & falsissimum, & blasphemum, quo jam ex orco reviviscat & Eutyches ille sceleratissimus & tota blasphemorum Monophysitarum & Monothelitarum caterva: quoniam maneat illa Regula in æternum firma & immota: Nunquam fuit aut fiet creator creatura, neque creatura creator: itáque consequatur, propria idiomata creatoris nunquam*

Pag. 46. 63. 74. & 89. 91. 52. 94. 96. 97. 102. 103. 104. 110. 123. 136. 138. 143. 150 151. 174. 192. 197. 220. 233. 234. 236. 279. 291 314. 332. 333. 342. 356. 379. 382. 384. 388. 387. 452. 457. 458. Aut hoc est Lectorum ocio abuti, aut nescio quid sit abuti.

quam posse realiter tribui creaturæ, proprietates Deitatis essentiales esse ἁπλῶς, & omni modo realiter ἀκοινωνήτως.

Horum tot argumentorum una hæc est; eadémque sententia humanam naturam destruit, naturas exæquari & confundi, si idiomata Divinitatis dicantur esse realiter communicata carni Christi. Fons autem omnium harum objectionum est & verus & unicus, quòd Daneus ipse sibi sua sponte oculos excæcãs dicta Scripturę & certissima sanctorũ Patrum testimonia de reali communicatione idiomatum Divinitatis carni Christi facta negat, & in alium sensum detorquet; unde consequitur, ut nec ipsam unionem personalem, qualis ea sit, intelligat, nec eam rectè definiat, ut suprà fuit, Cap. 4. & similitudines illas toti antiquitati ũsitatissimas in hoc argumento explodat, unde ista tam difficilis, at cognitu necessaria doctrina, facilé quodammodo intelligi potest: quæ omnia quia Danæus negligit, sic fit, ut iis infirmis objectionibus adversus ipsam veritatem tam confidat, quàm libenter & sæpe eas repetit.

Contrà verò, Chemnitius autoritatem Scripturæ & S. Patrum secutus ait, communicationem istam realiter & verè factam esse; & quia eadem Scriptura & S. Patres negant, propterea vel consequi vel statuẽdam esse confusionẽ, eversionem vel exequationem naturarum, negat eam ipse quoq; & de modo considerat, cur non consequatur. Respondet igitur, naturas non exequari nec confundi, nec humanã destrui, per istam realem communicationem, idq; probat hoc brevissimo quidem, sed verissimo argumento, quia si Divinitatis attributa facta essent humanę naturę essentialia, sicut essentia Patris communicando facta est etiam essentia Filii, tum demum humana natura certò destrueretur, vel naturæ ipsæ confunderentur aut exæquarentur. Quia verò humanitatis

essentialia facta non sunt, ut sunt essentialia Divinitatis, sed tantùm communicata τῆς ἑνώσεως οἰκονομίᾳ, sic fit, ut humana natura non evertatur, nec naturę confundantur aut exęquentur: quod eleganter declarat similitudo ferri igniti, ubi ferrum ipsum participat quidem ἐνέργειαν urendi propriam ignis, nec tamen natura ferri destruitur, nec ferrum fit ignis, nec cum igne in unam aliquam tertiam vel compositam naturam confunditur, nec igni exæquatur, sed est & manet ferrum, quod erat ante unionem. Danęus hanc exceptionem
Pag. 375. Chemnitii rider, ut qua ille Adversariis tantùm os oblinat & tenebras offundat. Sed vera est, & Chemnitium ab accusatione Danæi luculenter defendit.

Probat istud Chemnitius etiam alio argumento, quia natura humana non destruitur, nec exæquantur aut confunduntur naturæ per unionem hypostaticam, quæ multò est sublimior & augustior ista communicatione idiomatum, utpote cujus fons est & causa. At verò ne ipsi quidem Adversarii verentur dicere, λόγον essentiam suam per unionem
Pag. 331. hypostaticam communicasse naturę assumtę, ait Chemnitius: & idiomata Divinitatis communicantur naturę humanę, sicut ipsa Deitas λόγου communicatur. Et sicut hæc sola massa carnis humanæ, non alia ulla creatura, tam propè tamq; arctè assumta est in unitatem personæ λόγου, per ἀφθίτου
Pag. 113. χώρησιν, vel penetrationem naturarum, ut vel ipso Danæo teste, tota plenitudo Deitatis inhabitet in assumta humana natura corporaliter; ita eadem quoque massa non alio ullo mo-
Pag. 379. do nisi per eam ipsam οἰκονομίαν unionis potuit reverâ particeps fieri propriorum Deitatis attributorum, contrà quàm sentit Danæus: cujus sententiam veram esse concedimus de alis rebus creatis, quę nullo modo nullâque ratione participes esse possunt essentialis creatoris sui proprietatis. Hîc

verò nō est nuda creatura, sed Dei creatoris propriū corpus, in quo ipsa tota plenitudo Deitatis inhabitat per penetrationem permeationem, vel περιχώρησιν ἀδιαιρέτως, ἀδιακρίτως, ἀδιασάτως καὶ σωματικῶς, quæ similiter in alia creatura non inhabitat unione personali. Et hæc ipsa tam arcta, tâmque profunda, tâmque præsens & indissolubilis unio fons est & caussa illius communicationis, quæ ex illa unione consequitur, ut effectum proximum, necessarium & inseparabile ex sua caussa: quæ unio si non efficit confusionem vel exęquationem naturarum, non etiam ea metuenda est ex ista idiomarum Divinitatis communicatione, quæ cum unione ipsa modum intelligentiæ nostræ excedit. Danæus clamat quidem, plenitudinem Deitatis esse quiddam supra naturale, quod assumtam naturam prorsus aboleat, si ei dicatur esse communicata: sed id non probat, & in eo Scripturæ, S. Patribus & ipsis suis sociis contradicit, qui fatentur, λόγον essentiam suam per unionem carni suæ communicasse. Pag 124.

Sic probat Chemnitius & verè, non sequi naturarum confusionem vel exæquationem ex ista reali communicatione idiomatum, & probabit porrò pluribus etiam, quum de ferro ignito explicabit.

Danæus certat dicto Athanasii, *Natura creaticia neutiquam capax est eorum, quæ propria sunt Dei*: Sed non probat, Athnasium his verbis intelligere ipsam carnem Christi. Nam in compendio de Spiritu Sancto disertè loquitur de eo, quòd Patres Nicænæ Synodi considerantes hoc, quòd Dominus ait, *omnia quæ pater habet mea sunt*, vocarint Filium coëssentialem Patri, quia satis perspexerint, creatam substantiam nunquam sibi posse hoc dictum Christi arrogare, quia item natura creaticia neutiquā capax esse possit eorum, quæ propria sunt Dei: quæ si quis volet etiam ad ipsam Christi car- Pag. 379. & in præf. pag. 26.

nem trahere, hoc dicet Athanasius, quod Chemnitius, ea, quæ propria sunt Dei, non facta esse carnis Christi essentialia, quasi natura assumta accessionem fecerit ipsi Divinitati, & pro Trinitate jam sit quaternitas. Quia verò caro Christi non est nuda creatura, sed Dei Verbi proprium corpus, ideò ea sola, non alia ulla creatura capax est, in qua tota plenitudo Deitatis, quæ certè proprium DEI est, inhabitet corporaliter. Athan. *Natura corporis CHRISTI accipiendæ gratiæ idonea & capax erat.* Cujus autem gratiæ? Respondet: *quam Verbum semper possidebat secundum suam ex Patre Deitatem*: quæ certè proprium Dei est, cujus hoc corpus capax esse Athanasius testatur.

Orat. 2. cont. Arrian.

Certat quoque dicto Cyrilli: *omnia sursum atque deorsum evertuntur, si Deitatis natura ad creaturam deducitur, & creaturarum substantiam per insaniam ad supremæ naturæ locum scandere creditur.* Sed neque hîc probat, Cyrillum istis verbis docere, quid & quantum caro Christi sortita sit ex unione hypostatica, quem manifestum est hoc agere, ut astruat Filio Dei suam divinitatem naturalem, & Patri consubstantialem, non adventiciam nec acquisitam, nec quasi creatura substantialiter Deus facta sit. *Nihil enim firmum*, inquit, *ac stabile, nihil perpetuum soli DEO attribuetur, si creatura quoque ea substantialiter & per naturam suscipere poterit, quæ in DEO substantialiter sunt.* Neque verò nostrûm quisquam tam impius est in Deum, qui dicat, ullam creaturam vel ipsam quoque carnem Christi ea substantialiter & per naturam suscepisse, quæ in Deo sunt substantialiter. Igitur istis dictis Danæus frustra luctatur ad refutandos ipsos sanctos Patres, quòd alibi disertè de carne Christi loquentes doceant, eam in tempore accepisse ea, quæ Christus semper

In præfatione pag. 26.

In Iohan. lib. 2. cap. 141.

habuit

habuit ut Deus, ita ut eam λόγος in propriam ſublimitatem (eſt autem is ſtatus majeſtatis λόγου) evexerit, teſte Greg. Nyſſeno.

Denique ad objectiones iſtas Danæi hoc quoque reſpondemus ex ipſius Danæi teſtimonio, *Deitatem non eſſe* ποσόν τι, *& aliquid, quod quantitatem, partes & dilatationem habeat*: unde Danæo pernegamus, eſſentiam divinam tanquam vaſtam aliquam molem diſtendi, extendi, diffundi, dilatari aut multiplicari: cur igitur humana natura Filio Dei perſonaliter unita verè dici poſsit coëxtendi, æqualiter diffundi vel multiplicari, ſi idiomata Divinitatis realiter communicata habeat? Pag. 274.

Tertiò, negat Danæus blaſphemiam Chemnitii excuſari eo, quòd plenitudo Deitatis & ejus idiomata carni Chriſti tantùm ſint communicata, *quia quantumvis*, ait, *dicantur eſſe tantùm communicata, tamen nihilominus facta ſunt ei eſſentialia, et propterea conſequitur everſio, confuſio vel exæquatio. Eſt igitur inevitabile abſurdum, quòd Chemnitius eſſentiale & communicatum ita inter ſe committit, quaſi nihil eſſe poſsit utrumque, quum vita animæ ſit à Deo communicata, & illi tamen eſſentialis, eſſentia divina ſit à Patre Filio communicata, & tamen ei eſſentialis, ut Filius quoque Deus ſit, ut etiamſi concedatur Chemnitio, naturam aſſumtam habere plenitudinem Deitatis non niſi per communicationem, tamen ex eo non conſequatur, illam non eſſe verè & realiter Deum factam.* Exempla iſta ſunt in hoc argumento incommoda. Nam Pater & Filius non ſunt duæ diverſæ naturæ, quæ per περιχώρησιν in unam perſonam coaleſcant: Deus & anima diverſæ quidem naturæ ſunt, at in unam perſonam per περιχώρησιν hypoſtaticè non uniuntur, quæ arctiſsima unio diverſarum naturarum faciat, ut ex carum altera quicquam communicetur alteri, Pag. 46. 91. 92.

quod

quôd tamen eidem non sit essentiale, ut sit in duabus naturis in persona Christi. Præterea Danæus hîc imperitè concludit è particularibus: Vtut enim verum sit, vitam animę communicari, & ipse eidem quoq; essentialem, ipsam item divinam essentiam esse à Patre communicatam Filio, & tamen eidem essentialem, certè non sequitur, id in universum de omnibus, & propterea quoq; de carne Christi verum esse, quasi omnia communicata sint etiam essentialia ei, cui communicantur: quod exemplo ferri igniti tanquam evidentissimo documento probatur, cui vis urendi communicatur
Pag. 354. ab igne, teste Danæo, nec tamen illa propterea sit ferro essentialis; quam ipsam similitudinem rei tam illustris támque notæ Deus in natura nobis proposuit, & S. Patres in hoc argumento libentissimè considerarunt, ut intelligatur, quemadmodum tota plenitudo Deitatis & omnia ejus essentialia idiomata carni Christi communicentur, nec tamen fiant ipsa carnis ejus essentia, nec humanã naturam destruant aut convertant in essentiam divinam. Sic anima suas potentias communicat corpori, quæ ex ea communicatione certè non fiunt etiam corpori ipsi essentiales.

Quartò, contendit, orationem Chemnitii manifestè implicare contradictionem, nempe, *ut idiomata essentialia extra suum subjectum non egrediantur, & tamen aliis rebus etiam verè communicentur, ut idem sit unius naturæ proprium, & tamen alteri rei reipsa communicetur, id est, ut idem sit proprium & commune, quia omnino consequi necesse sit, ut proprietates Deitatis essentiales extra suum subjectum egrediantur, si verè ipsi humanæ naturæ Christi insint, hoc est, alii rei, præter eam, cujus sunt essentiales proprietates: itaque tantùm creata dona posse communicari, propria Deitatis attributa non posse, quia Deus dicat: Gloriam meam alteri non dabo.* Respondet Chemnitius,

Pag. 40. 41. 47. 63. 104. 126. 294. 323. 356. 352.

Deita-

Deitatem λόγου attributa ſua communicare humanitati, non ut propria Deitatis eſſe deſinant, nec ut extra Deitatem tanquam extra ſubjectum ſuum egrediantur in humanam naturam, quod Danæus pulchrè intellexerat, nec ut Deitatis & humanitatis communia fiant, ſed per οἰκονομίαν unionis, quia ſcilicet ipſa Deitas Filii cum ſuis illis attributis in aſſumta carne per immeationem vel περιχώρησιν inhabitat corporaliter, & per eam lucet, & per hujus inhabitationis & unionis οἰκονομίαν attributa ſua carni communicat: ſicut ignis & ſe. ipſum & urendi & lucendi vim propriam ferro ignito communicat, non ut ea ignis propria eſſe deſinat, nec ut extra ignem velut extra ſubjectum ſuum egrediatur, nec ut jam communis fiat ignis & ferri, ſed τῆς ἑνώσεως οἰκονομίᾳ, quia ſcilicet ipſe ignis cum iſta ſua propria urendi facultate ferro arctiſsimè per περιχώρησιν unitus eſt. Pag. 235.

Et hîç profectò mirari licet, quid Danæo in mentem veniat, ut iſtud toties tâmque impotenter urgeat, *quod eſt alicui proprium, id alteri communicari non poſſe, niſi deſinat eſſe proprium.* Quando enim Filius Dei Divinitatis idiomata & gloriam ſuam carni ſuæ communicat, certè non communicat alteri, ſed ſibi ipſi. Leo Romanus ait: *quæ Chriſtus in forma ſervi à Patre accepit, eadem in forma DEI etiam ipſe donavit*, ipſe ſcilicet ſibi. Etſi enim caro Chriſti eſt aliud, aliud item eſt ipſius Deitas, tamen in Chriſto caro ejus non eſt alter vel alius, nec alter vel alius Deitas, ſed divina & humana natura ſunt unus & idem Chriſtus. Cur ergo deſinant eſſe propria, quæ Filius Dei carni ſuæ communicat, cum qua tota totus unum factus eſt? cui ipſam ſuam eſſentiam cum iſtis attributis ejus communicavit ſine ipſius deſtructione vel confuſione vel exæquatione, tantùm per οἰκονομίαν unionis. Epiſt. 81.

Denique, quid faciat Danæus Cyrillo? qui ſic inquit:

De Incarn. Vnig. cap. 7. *Communes facit tanquam cum sua carne divinæ suæ majestatis operationes*: divinę majestatis operationes sunt profectò Deitatis λόγου proprię, quas Cyrillus disertè dicit cum carne Christi communes factas.

Pag. 74. Quintò *ista*, inquit, *inter se manifestè pugnant, quòd humana Christi natura in unione hypostatica simul retineat essentiales suas proprietates, & proprietates essentiales Deitatis participet.* Quomodo verò ista inter se pugnent, quum Scriptura & sancti Patres testentur, utrumque verum esse? Ferrum retinet suas proprietates essentiales, & tamen participat essentiales proprietates ignis ex unione: quod in persona Christi similiter fieri dicimus, non quia sic fit in ferro ignito, sed quia Scriptura & S. Patres dicunt fieri.

Pag. 42. 317. Sextò, *idiomata Deitatis essentialia idem sunt, quod ipsa divina essentia, quæ quum sit ἀμέτοχον vel ἀδιαίρετον, sequitur, vel simpliciter omnia, vel prorsus nulla idiomata Divinitatis esse assumtæ naturæ communicata. Sed omnia communicata non sunt, quia caro Christi non facta est æterna, increata & infinita, igitur nullum idioma communicatum est.* Danæus istud insidiosè recitat & inculcat, *esse increatum, esse æternum, esse infinitum*, non communicari carni Christi, ut hoc velut aliquo capite Gorgonis objecto nos in lapides convertat, ne Scripturæ manifestam veritatem de reliquis attributis Divinitatis agnoscamus: & hoc ipsum suo more sic urget, quasi Chemnitius non explicarit, quomodo illa etiam carni Christi sint communicata: quod certè viderat in libello Chemnitii: quæ accurata & verissima explicatio prolixior est quàm ut in pauca contrahi possit, & nos brevitati studemus: itaque Lector eam videat apud ipsum Chemnitium. Danæus eam conatur refutare, sed frustra. Dicit, quorundam

Pag. 327. & sequentibus.

Pag. 43.

Divinitatis

Divinitatis idiomatum effecta & qualitates creatas in quibusdam rebus creatis apparere, non autem ipsa essentialia idiomata Divinitatis ulli rei creatæ posse communicari: quod verum quidem est de aliis creaturis. In carne autem Christi ipsa æterna λόγου majestas, infinita potestas & increata sapientia corporaliter inhabitat, per περιχώρησιν, & per eam sese exerit, quemadmodum in Angelis & hominibus non inhabitat, nec per eos sese exerit, ut qui cum ipsa æterna essentia λόγου hypostaticè non sint uniti, sicut caro Christi, cui λόγος per hujus unionis οἰκονομίαν sese totum, hoc est, ipsam totam plenitudinem Deitatis suæ & omnia atttributa Divinitatis propria personaliter communicavit, nec quicquam prætermisit incommunicatum: sed in modo communicationis discrimen ostenditur, quod æternitas & immensitas πρὸ τὸ ἄκτιστον λόγου pro se peculiares ἐνεργείας in & per assumtam naturam non exerunt, ut potentia, sapientia, vita & reliqua, quæ ipsa quoque sunt æterna, increata & infinita idiomata Divinitatis, & cum æternitate & immensitate λόγου inseparabili nexu cohærent, ipsas autem suas operationes per assumtam naturam exerunt, non autem qualitates creatas, ut putat Danæus: de quibus plenius apud Chemnitium.

Itáque si Scriptura contenta fuisset dona ὑποστατικὰ & θεοφυσικὰ carni Christi tribuisse, certè nos quoque prætereà nihil tribueremus: nec quicquam comminiscimur propter gloriam Dei, nec Christo impropria addimus, nec ejus humanitatem tollimus, nec dicimus, Christum naturam carnis suæ propter ejus gloriam abstulisse, ut fingit Danæus, nec communicationem istam majestatis eò extrahimus, ut carni Christi quicquam tribuamus, de quo non extent expressa Pag. 557.

Scripturæ & S. Patrum testimonia: sed intra metas in Scriptura & S. Patribus propositas nos continemus, & quæ videmus carni Christi communicata esse, etsi modum non intelligimus, tamen non leviter eludimus, sed veré data esse, libentissimè confitemur. Quis enim nobis persuadebit, ut audeamus negare, quæ S. Patres ex Scriptura manifestis verbis affirmant? Rogamus Danæum, ne putet hoc pro nihilo.

Cum Cyrillo, quem citat, dicimus, *nunquam creaturaca, quæ sunt infinitæ virtutis, suscipiet.* Verùm cum eodem Cyrillo dicimus etiam, carnem Christi non esse nudam creatu-
Pag. 158. ram, sed Dei Verbi proprium corpus, quod ad ipsam virtutem Spiritus per unionem conscenderit, ad quam nulla alia
Pag 193. creatura possit similiter conscendere. Damasceni quoque dictum non negamus, quod ibidem citat: *fieri non posse, ut natura aliqua consistat absque suis proprietatibus essentialibus.* Cupimus autem Danæum nobis probare, per attributorum Divinitatis communicationem destrui proprietates essentiales naturæ humanæ. Nec dictum Prosperi contra nos facit: *Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit:* neque enim agit de eo, quod putat Danæus, utrum natura miraculis destruatur nec ne: sed *quod miracula*, ut ait, *nobis videantur contra naturam insolita, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit.* Itáque etsi cum Cyrillo fatemur, naturæ carnis Christi proprium esse, quòd termino circumscribitur: tamen si quid Scriptura de eadem carne Christi prædicat, quod nobis videtur esse contra naturam insolitum, cum Prospero dicimus, Deo non esse insolitum, cui hoc est natura, quod fecerit.

Pag. 381. Deinceps argumenta Chemnitii refutat. Ad primum re-

ponit

ponit ea, quæ ſuprà quoque ſæpiſsimè repetierat, de quibus erit cap. 24. Negat, quod Scriptura & S. Patres affirmant, carnem Chriſti eſſe vivificam, non tantùm quia medium eſt & inſtrumentum, ſed etiam quia totam vim vivificandi hauſit, & quia ad virtutem Spiritus per conjunctionem conſcendit: ad quam quia non conſcenderunt inſtrumenta λογικὰ & θελητικὰ, homines ſcilicet, qui alios docent, non mirum eſt, ſi Divinitatis idiomata non participant. Igitur rectè ratiocinatur Chemnitius: Scriptura non admittit confuſionem naturarum, & tamen docet, idiomata Divinitatis eſſe carni Chriſti communicata: Ergo non ſequitur exæquatio vel confuſio naturarum.

In ſecundo ſic colligit Chemnitius. *Non ſequitur: iſta communicatio non fit hoc modo, non per converſionem, non per confuſionem aut exæquationem, ergo nullo modo fieri poteſt*: innuens, eſſe alium modum, quo fiat. Danæus iſtam quæſtionem Chemnitii perturbat. Neque enim hoc vult illic Chemnitius, Adverſarios noſtris objicere, ſi attributa Divinitatis propria reipſâ communicentur humanæ naturæ, induci confuſionem aut exæquationem naturarum: ſed hoc, ſi utrinque concedatur, non fieri iſtam communicationem per confuſionem aut exæquationem, inde Adverſarios cõcludere, nullo modo fieri poſſe, quia nullus alius modꝰ ſit, quo fiat: idq́, dicit, eſſe argumẽtari à dicto ſecundum Quid. Hæc Chemnitii concluſio alia eſt, atque iſta Danæi, quia molitur confuſionem naturarum, quæ ſequatur ex ſententia Chemnitii. Debebat igitur contra Chemnitium probare, ſi poterat, præter iſtos modos confuſionis, converſionis & exæquationis nullum alium realis communicationis eſſe. Pag. 384.

In tertio non Chemnitii ſed Danæi inanes anguſtias agnoſcimus. Chemnitius negat, attributa Divinitatis pro-

Scripturæ & S. Patrum testimonia: sed intra metas in Scriptura & S. Patribus propositas nos continemus, & quæ videmus carni Christi communicata esse, etsi modum non intelligimus, tamen non leviter eludimus, sed veré data esse, libentissimé confitemur. Quis enim nobis persuadebit, ut audeamus negare, quæ S. Patres ex Scriptura manifestis verbis affirmant? Rogamus Danæum, ne putet hoc pro nihilo.

Cum Cyrillo, quem citat, dicimus, *nunquam creaturam, quæ sunt infinitæ virtutis, suscipiet.* Verùm cum eodem Cy-
Pag. 158. rillo dicimus etiam, carnem Christi non esse nudam creaturam, sed Dei Verbi proprium corpus, quod ad ipsam virtutem Spiritus per unionem conscenderit, ad quam nulla alia
Pag 173. creatura possit similiter conscendere. Damasceni quoque dictum non negamus, quod ibidem citat: *fieri non potest, ut natura aliqua consistat absque suis proprietatibus essentialibus.* Cupimus autem Danæum nobis probare, per attributorum Divinitatis communicationem destrui proprietates essentiales naturæ humanæ. Nec dictum Prosperi contra nos facit: *Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit:* neque enim agit de eo, quod putat Danæus, utrum natura miraculis destruatur nec ne: sed *quòd miracula*, ut ait, *nobis videantur contra naturam insolita, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit.* Itáque etsi cum Cyrillo fatemur, naturæ carnis Christi proprium esse, quòd termino circumscribitur: tamen si quid Scriptura de eadem carne Christi prædicat, quod nobis videtur esse contra naturam insolitum, cum Prospero dicimus, Deo non esse insolitum, cui hoc est natura, quod fecerit.

Pag. 181. Deinceps argumenta Chemnitii refutat. Ad primum re-

ponit

ponit ea, quæ suprà quoque sæpissimè repetierat, de quibus erit cap. 24. Negat, quod Scriptura & S. Patres affirmant, carnem Christi esse vivificam, non tantùm quia medium est & instrumentum, sed etiam quia totam vim vivificandi hausit, & quia ad virtutem Spiritus per conjunctionem conscendit; ad quam quia non conscenderunt instrumenta λογικὰ & θελητικὰ, homines scilicet, qui alios docent, non mirum est, si Divinitatis idiomata non participant. Igitur rectè ratiocinatur Chemnitius: Scriptura non admittit confusionem naturarum, & tamen docet, idiomata Divinitatis esse carni Christi communicata; Ergo non sequitur exæquatio vel confusio naturarum.

In secundo sic colligit Chemnitius. *Non sequitur: ista communicatio non fit hoc modo, nos per conversionem, non per confusionem aut exæquationem, ergo nullo modo fieri potest*: innuens, esse alium modum, quo fiat. Danæus istam quæstionem Chemnitii perturbat. Neque enim hoc vult illic Chemnitius, Adversarios nostris objicere, si attributa Divinitatis propria reipsâ communicentur humanæ naturæ, induci confusionem aut exæquationem naturarum: sed hoc, si utrinque concedatur, non fieri istam communicationem per confusionem aut exequationem, inde Adversarios cõcludere, nullo modo fieri posse, quia nullus alius modo sit, quo fiat: idq; dicit, esse argumẽtari à dicto secundum Quid. Hæc Chemnitii conclusio alia est, atque ista Danæi, quia molitur confusionem naturarum, quæ sequatur ex sententia Chemnitii. Debebat igitur contra Chemnitium probare, si poterat, præter istos modos confusionis, conversionis & exæquationis nullum alium realis communicationis esse. Pag. 384.

In tertio non Chemnitii sed Danæi inanes angustias agnoscimus. Chemnitius negat, attributa Divinitatis pro-

pria sic communicari carni Christi, ut in ea sint formaliter,
subjectivè aut habitualiter inhærentia. Danæus hîc facit,
Pag. 18. quod in præcedente quoque argumento facere debuit, ne-
gat scilicet, ullo alio modo inesse posse, si non sic insint. At
ipsa Divinitas cum humanitate unita est non formaliter,
non subjectivè, non habitualiter, non ut facta sit essentia
carnis Christi, nec ut accidens, & tamen realiter: & ex ista
unione sequitur communicatio non formalis, non subjecti-
va, non habitualis, non essentialis, nec accidentalis, & tamen
realis: Danæus quærit, quomodo communicatio possit esse
realis, si non sit talis: respondemus, sicut unio realis est, nec
tamen talis, ut diximus.

Quartò concludit Chemnitius, nisi ipsa Divinitatis
attributa reipsâ insint humanæ naturæ Christi, tribui carni
Pag. 388. Christi duntaxat titulum, non rem ipsam. Danæus conten-
dit, solum titulum tribui; nos cum Chemnitio negamus.
Etsi enim per unionem hypostaticam naturæ non sunt con-
fusæ, nec earum essentialia idiomata confunduntur, aut extra
sua subjecta egrediuntur: tamen ut ipsa essentia divina
communicata est assumtæ naturæ non solo titulo, neque
verò etiam per conversionem, confusionem vel exæquatio-
nem naturarum, & tamen realiter & verè, sic etiam Divi-
nitatis attributa propria per unionem hypostaticam com-
municata sunt: nec ea est blasphemia vel impietas.

Notetur autem, quemadmodum Danæus dicto Na-
zianzeni abutatur: *qualis est unio, talis est communio.* Vult
Pag. 388. enim sic colligere: in unione natura humana non facta est
divina, de persona autem dicitur, DEVS est homo: Er-
go neque in communione natura humana participat idio-
mata

mata divina, sed de persona verum est, Christus vel hic homo vivificat. Nos autem contrà sic colligimus: per unionem tota plenitudo Deitatis inhabitat in carne Christi corporaliter: ergo ipsa quoque Deitatis idiomata: quia qualis est unio, talis est communio.

Ad Cap. XXIII.

Cap. 23 docet Chemnitius, propria Divinitatis attributa sic inesse carni Christi, quemadmodum vis urendi & lucendi inest ferro ignito. Danæus hoc isthic potissimùm contra Chemnitium urget, quòd sancti Patres illa similitudine non sic usi sint, quemadmodum Chemnitius, ut docerent, essentialia unius naturæ idiomata reipsa communicari alteri posse, sed tantùm docuerint contra Samosatenianos, res etiam genere prorsus dissimiles uniri in unum hypostasin non posse: immò ex ea ipsa similitudine demonstrare voluerint, manere in tali unione inconfusas & incommunicatas proprias cujusque rei sic unitæ operationes & vires: Ideòque similitudinem istam Chemnitius prorsus in contrariam sententiam detorserit contra mentem sanctorum Patrum. Restat igitur, ut ostendamus, & rectè, nec contra mentem S. Patrum feciſſe Chemnitium, quòd ista ferri ignitii similitudine sic usus est. Pag. 391.

Nam quamvis luculentissimè concederetur, nullos Orthodoxos Patres ista similitudine in eam sententiam usos esse: tamen Chemnitius contra Danæum sese verè & rectè tueretur hoc illustri argumento, quia Sacramentariis nondum litigantibus non venisset S. Patribus in mentem ista simi-

similitudine in eam sententiam uti: & propterea posset eam commodè & appositè adhibere ad explicandum hoc argumentum contra Sacramentarios, sicut S. Patres ea usi sunt in alio argumento contra suos adversarios: idque propter has causas. I. quia Scriptura & S. Patres expressè dicunt, Christum in tempore secundum carnem accepisse ea, quæ semper habet ut Deus: quæ certè sunt ipsa propria Deitatis idiomata. II. quia addunt, naturas ipsas & earum essentiales proprietates nihilo magis esse confusas vel exæquatas. III. quia ista omnia possunt verè, commodè & rectè ex hac similitudine demonstrari, ita, ut palàm sint ante oculos omnium. Illud enim de naturis & earum proprietatibus essentialibus inconfusis in ferro ignito Danæus nobiscum libenter agnoscit & fatetur: alterum verò de reali communicatione essentialium proprietatum unius naturæ in alteram quanquam strenuè negare conatur in ferro ignito: tamen videre est, ut hominii invito manifesta veritas has voces expresserit: *ignis*

Pag. 209. *& ferri copulatio ac inhærentia communicationem operationum*

Pag. 376. *patitur & admittit: quis ignorat, priùs calorem inseri ferro, ac*

ferrum calefieri, quàm urat & caleat? Vis urendi & lucendi tri-

Pag. 361. *buitur ab igne ferro ignito veluti aliquid reipsâ, verè & omnino*

ab eo ferro χωρισὸν: *illa vis urendi & lucendi in ferro mera qua-*

Pag. 383. *litas est & accidens, & ferro communicari potest.* Hæc omnia de ferro ignito sic fatetur, ut neget in humana Christi natura simile fieri: concedit igitur, ipsam quoque massam ferri urere τῆς ἑνώσεως οἰκονομίᾳ: nisi enim concederet, quid opus erat negare, idem fieri in persona Christi?

Et hæ voces Danæi hactenus veræ sunt, quia vis urendi & lucendi, quæ ignis propria est, ferro ignito communicatur propter istam unionem. Nec audebit Danæus negare, quod manifestissima experientia testatur esse verissimum. I. In

ferro

ferro ignito non esse solam caloris alicujus qualitatem: neq; enim hîc de ferro calido dicitur, sed eo, quod habet ipsum ignem sibi arctissimè conjunctum. II. In ferro calido calefacere non tantùm calorem, quemadmodum putat Daneus, sed ipsum quoque ferrum vel ipsam massam ferream incalescere, itáque calefactam accepta ab igne qualitate calefacere; quod nemo sanus negaverit, si modò verum est, quod est verissimum, ea, quæ calida sunt, calefacere quoque. III. Si verò in ferro non tantùm fuerit aliqua caloris qualitas ab igne separata, sed ipsa quoque ignis essentia, quis negabit, propter hanc unionem urere non tantùm ignem, sed ipsum quoque ferrum, non tantùm illa qualitate caloris, qua anteà, sed ea ipsa vi, quæ ignis quidem propria est, nec extra subjectum suum egreditur, in hac autem tam arcta unione ferro communicatur sine confusione, conversione vel exæquatione? Nam si ferrum calidum verissimè calefacit et urit, certè ferrum ignitum ipsum quoque uret ea facultate urendi, quæ ignis propria est, & cum igne ut subjecto suo per arctissimam unionem ferro communicata est. Rogamus Danæum, ne leviter huic tam manifestæ veritati contradicat, & verò ne refutare præsumat, quum refutare nullo modo possit.

Hæc autem non eò dicuntur, ut putat Danæus, quasi in iis omne sententiæ nostræ præsidium collocemus, & inde sic concludamus: ita fit in ferro ignito, ergo necesse est, idem fieri in persona Christi: Sed quia Scriptura & S. Patres affirmant, idem in persona Christi fieri, idque potest hac similitudine nonnihil illustrari, ut & naturarum & essentialium proprietatum inconfusa diversitas retineatur, ideò hanc similitudinem huc accommodamus, & judicamus nos rectè facere. Danæus exagitat Chemnitium, quòd hac similitu-

ag. 205.207. dine realem communicationem, quam S. Patres ex Scriptura docent, aliquantulùm conatur illustrare, atque interim ipse nihil aliud inculcat, nisi hac ipsâ similitudine realem communicationem negat, contrà quàm volunt S. Patres: cui si istud licet, cur non liceat etiam Chemnitio inde eam illustrare & probare?

Et hæc quidem Danæo responderemus, si nulla testimonia S. Patrum extarent, qui in eam sententiam hac similitudine usi essent. Sed ea Chemnitius jam collegerat, ubi sancti Patres expresse de ferro ignito loquuntur in hanc sententiam, quòd ut ignis vim suam ferro, sic λόγος idiomata Divinitatis carni suæ communicet. Basil: *Deitas est in carne Chri-*
Homil. de at. Christi. *sti, sicut ignis in ferro, communicans ipsi propriam suam facultatẽ, ac totum ferrum implens seipso.* Item, *Sicut ignis ferri proprietates non transumit, sed ferrum ignitum splendidum fit, non nigrefaciens ignem, & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammam: sic sanè etiam humana DOMINI caro ipsa particeps facta est Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem. An forsan non concedes, Deitatem hoc posse efficere & præstare in propria assumta carne, quod ignis hic mortalis*
e incarn. ul ig. cap. 8. *potest in ferro?* Cyrill: *Quamvis ignis esse non desinat, vim tamẽ suam speciémque transmittit omnem in lignum, & cum ipso jam*
ib. 3. cap. 17. *quasi unum æstimatur: idem intellige & de Christo.* Damascen. *Ferrum ignitum urit, non quòd physica ratione possideat ustricem*
ial. cap. 3. *energian, sed quia ex unione ad ignem eam obtineat: ita caro Domini &c. divinis operationibus locupletata est.* Theodor: *Si mixtio ignis cum ferro, quæ ferrum ostendit ignem, ita ut etiam ea faciat, quæ sunt ignis, non mutat naturam ferri: neque igitur Dei cum corpore unio mutatio corporis est, licet corpus divinas operationes præbeat.*

Hæc testimonia tam illustria sunt, ut Danæum pudere

debeat, qui tam confidenter negat, S. Patres in hoc argumẽto iſta ſimilitudine ſic uſos eſſe, ut Chemnitius utitur; quum profectò videat, nisi cæcus eſt, S. Patres hæc tria docuiſſe & declaratile hac ſimilitudine. I. Quemadmodum res genere diverſæ per περιχώρησιν arctiſsimè uniantur, quę talis ſit in naturis Chriſti, qualis in ferro ignito. II. Vires & ἐνέργειαι ab una re communicentur alteri. III. Et tamen illæ ipſæ vires maneant inconfuſæ, & ſuorum ſubjectorum propriæ. Primum, quamvis id quidem non totum, & tertium Danæus agnoſcit: ſecundum negat: ſed negat contra conſcientiam & contra manifeſtam veritatem. Et hîc notetur iſtud ipſius non inelegans artificium. Aliquando concedit Pag. 209.
in ferro ignito operationum communicationem: ſed negat, in naturis Chriſti ſimilem eſſe, idque hac ſpecie, quia in ferro ignito ſit κρᾶσις accidentis cum ſubjecto, in Chriſto autem duæ eſſentiæ uniantur. Quòd ſi urgeatur, ut negare non poſsit, in ferro non eſſe accidens, ſed ipſam ignis eſſentiam, ne cogatur admittere communicationem operationum in perſona Chriſti, mox etiam negat, eam in ferro ignito eſſe. Sic idem affirmat & negat, ut libet, & ut putat, ſeſe infirmæ ſuæ ſententiæ nonnihil poſſe mederi, quamvis etiam ſibi manifeſtè contradicat.

Ex hac quoq; ſimilitudine intelligit, quàm verè Chemnitio affingat talem opinionem, quòd eſſentia divina ſuis proprie- Pag. 312.
tatib. ſeſe exuat, & iis velut ſpoliis carnẽ Chriſti veſtiat. Chẽnitius realem communicationem conſtituit ex Scriptura & S. Patribus, & rectè, ſed non aliã, quã quæ ſimpliciter intelligi poſsit ex iſta ſimilitudine ferri igniti, ubi ignis non exuit ſe ſuis proprietatib. eſſentialibus, ut iis tanquam ſpoliis ferrũ veſtiat: ſed quia ipſe totus cum omnibus ſuis proprietatibus eſſentialibus ferro ignito unitus eſt per περιχώρησιν, & ut

ipſam ſuam eſſentiam, ſic etiam proprietates ſuas eſſentiales ferro communicat. Hunc eſſe Chemnitii ſententiam Danæus meminerat: neque tamen veretur, hanc tam manifeſtam calumniam adhibere, fingens, Chemnitium ſentire, quod videt ipſum diſertis verbis non tantùm negare ſe ſentire, verùm etiam damnare cum rationibus aliis, tum vel potiſsimũ
Pag. 313. & ſæpe iſtâ; *Propria non egrediuntur extra ſua ſubjecta.*

Chemnitius ex ſua mente dixerat, non eſſe duplicem Di-
Pag. 392. vinitatem in Chriſto incarnato, non affinxerat iſtud Adverſariis: igitur fruſtra vociferatur Danæus de mera calumnia.

Argumentis Anhaltinorum reſponderat Chemnitius.
Pag. 393. Danæus pronunciat, ea eſſe fortiſsima & ἀδιάλυτα, & Chemnitii conatum hîc prorſus eſſe inanem. I. *Quia ſic loquatur, ut ne quidem à ſeipſo, nedum ab aliis intelligi poſſe videatur*: ſic ſcilicet ab aliis, ut qui ad manifeſtam lucẽ ſuapte ſponte cæcutientes eam videre vel nolunt vel nõ poſſunt. II. Tum hoc ipſum corrigens ait, *etiamſi arlucidè loquatur Chemnitius, tamẽ iis ab errore Monotheletarum liberari non poteſt, quòd ex ipſius ſententia ſequatur, vel totam Trinitatem eſſe incarnatam, vel unionem hypoſtaticam ab inexiſtentia Deitatis λόγου in nobis non toto genere, ſed ſecundum plus aut minus differre.* Non eſt iſtud ineptum Danæi artificium pro Danæo ſublevando, qui, quod videt ex ſua ſententia manifeſtiſsimè conſequi, ſed eſſe falſiſsimum, id gnaviter contendit conſequens eſſe noſtræ ſententiæ, hoc dico de unione hypoſtatica, quomodo differat ab inexiſtentia λόγου in nobis. Tertullianus ait: *Si accuſaſſe ſufficiat, quis innocens erit?* III. Reprehendit Chemnitium, quòd hæc argumenta ſolvere laborarit, quum adverſus effuſionem omnium divinorum idiomatum in humanam naturam Chriſti prolata ſint, quam hîc Chemnitius condemnet. Atqui viderat Chemnitius, iſtis argutiis ipſam veram

doctrinam

doctrinam de communicatione majestatis impugnari. Cur ergo non solveret?

Denique remittit Chemnitium ad Anhaltinos, *qui responsiones istas*, ait, *facilè uno verbo exsufflabunt*. Vno verbo exsufflabunt? Veritas autem uno verbo potest exsufflari? Cur igitur Danæus istud unum verbum non asscripsit? Nã ipse certè, non Anhaltini, libellum Chemnitii examinandum sibi proposuit. Vidit nimirum, se nihil posse contra tam evidentem veritatem: ut autem stimulos aliquos relinqueret in animis legentium, quasi permulta posset, ideò sic ista nobis effutire voluit, ne nihil respondisse videretur. Sed ad Anticyras ea cum ipso Danæo. Chemnitii responsiones invictæ constantissimè perstant, & perstabunt contra quosvis ejusmodi vel validissimos flatus. Pag. 394.

Vt autem Lector intelligat, quid Danæus cavilletur & quàm frigidè, videamus argumenta ipsa, et solutiones Chemnitii breviter contrahamus. Argumenta duo sunt, quæ recitat Danæus cap. 1: nos majoris perspicuitatis gratiâ tria faciemus. Primum, *Idiomata sunt aut personalia aut essentialia. Sed personalia idiomata Filii Dei non communicantur naturæ assumtæ in sese. Sic enim essent duo Filii Dei, & introduceretur quaternitas personarum in Divinitate. Deinde nec essentialia idiomata, συσαλικὰ τῆς φύσεως dicuntur, realiter communicantur naturæ creatæ. Sic enim διτὸτης Divinitatis introduceretur, hoc est, duplex Divinitas efficeretur, altera æterna, altera creata, quæ cæperit in tempore æqualis esse Deo. Ergo nulla idiomata naturæ humanæ Christi realiter communicantur seu in eam transfusa sunt.* Chemnitius respondet, quæstionem esse de eo, quod Scriptura & S. Patres affirmant, *Caro Christi est vivifica, carni Christi data est omnis potestas in cælo & in terra, Caro Christi divinis operationibus ditata est*: quod hoc argumento diserte negatur. Pag. 66. 67

negatur. Id quidem verum est, idioma λόγȣ personale non posse carni Christi communicari, hoc est, ipsa caro Christi non est nec fit Filius Dei à Patre ab æterno genitus: ita enim fierent, duo Filii Dei, & quatuor personæ Trinitatis. Verum est hoc quoque, idiomata Deitatis propria, propriam Filii Dei potentiam, vim vivificandi et similia non posse ulli creaturæ vel ipsi quoque carni Christi absolutè à Deitate tribui, vel à Deitate separari, & in aliud subjectum transfundi: sic enim certè duplex efficeretur Deitas. Sed quamvis ista sint verissima, tamen Scriptura & S. Patres nihilominus docent, idiomata Divinitatis propria carni Christi esse communicata, nullo autem alio modo, nisi per ὀικονομίαν unionis, hoc est, quia caro illa personaliter per περιχώρησιν, ut corpus animæ, unita est Filio Dei, qui à Patre ab æterno genitus est, cujus tota plenitudo Deitatis cum omnibus attributis propriis in tẽpore cœpit in assũtã natura inhabitare corporaliter, quemadmodum in nulla alia creatura inhabitat, & per hanc inhabitationis ὀικονομίαν ipsam suam essentiam, itaque suæ quoque Divinitatis Idiomata carni suæ communicat. Quòd autem̃ inde non sequatur abolitio naturæ humanæ, demonstravimus capite præcedente & hîc similitudine ferri igniti.

Alterum argumentum est: *Idiomata Divinitatis sunt communia toti Trinitati: Ergo non constituunt differentiam specificam unionis hypostaticæ duarum naturarum in Christo.* Chemnitius respondet: nos in nostris Ecclesiis unionem hypostaticam non definimus communicatione, quasi communicatio ista sit caussa vel specifica differentia unionis, sed dicimus, eam ex unione consequi, ut effectum ex caussa.

Tertium: *Idiomata Divinitatis, quatenus talia sunt, communia sunt toti Trinitati, quæ si carni Christi sunt communicata, non poterit ostendi, cur magis Filius, quàm Pater aut Spiritus S. fuerit*

fuerit incarnatus. Chemnitius eleganter & rectè respondet: Idiomata Divinitatis essentialia, ut essentia ipsa divina, considerantur vel absolutè, sicut sunt communia toti Trinitati, vel relatè, sicut in una persona suis characteristicis proprietatibus limitantur, & realiter ab altera distinguuntur: ut in Patre est potentia ingenita, in Filio sapientia genita, in S. sancto vita procedens, & tamen eadem est potentia, sapientia & vita, quæ solo τρόπῳ ὑπάρξεως differt in Patre à potentia Filii & S. Sancti. Itaque potentia, sapientia, vita & majestas divina non sicut absolutè communis est omnibus personis Trinitatis, sed sicut hypostaticâ differentiâ in solius Filii persona determinata est, nimirum potentia, sapientia, vita & majestas genita carni Christi communicata est eo modo, quo tota natura divina genita in Christi carne inhabitat corporaliter.

Hæ Chemnitii solutiones & accuratæ sunt & veræ: quas Danæus solidis rationibus refutare debuit, si potuit, non debuit istò jejunæ calumniæ vomitu consputare, quòd ista Chemnitius eludere tantùm voluerit, quòd involvere conatus sit, nec tamen præstiterit, quòd Anhaltini responsiones ipsius facilè uno verbo sint exsufflaturi. Vnum & idem argumentum quadraginta duabus diversis paginis cum magno legentium fastidio repetiit & inculcavit, ut ostendimus cap. 22. de quo semel uno loco monuisse satis erat. Reliquum conatum omnem & omnes reliquas paginas debuit, imò potuit multò etiam pauciores impendere hujus tam necessarii & utilis argumenti explicationibus, si bono animo veritatis inquisitionem juvare voluit: non debuit è suo tripode tam frigidè nullis adductis rationibus effari, argumenta Anhaltinorũ esse ἀδιάλυτα. Quis hic non verissimè credat, eo

Pag. 67. 394.

animo

animo ipsum esse, quo olim Sadducæi; qui quum de Re-
Matth. 22. surrectione mortuorum tam manifestè essent à Domino convicti, ut ne hiscēre quidem contrà possent, tamen concedere tantæ veritati noluerunt.

Ad Cap. XXIV.

Hîc recitantur undecim dicta Scripturæ de communicatione majestatis, è quibus nonnulla jam apud Chemnitium superioribus aliquot locis sparsa fuerant, qua occasione Danæus de plerisque suprà cupiosè declamitavit locis valde profectò alienis, quæ nos hîc in propriam sedem restituemus.

Primum autem dictum Col. 2. cum omnibus objectionibus Danei, quæ & hoc & 21. capite & alibi cumulantur & repetuntur, explicatum fuit cap. 4.

Secundum est ex cap. 28. Matth. *de omnipotestate in cœlo & in terra*, quæ carni Christi data est. Danæus concedit, datam esse; negat autem, esse ipsam Divinitatis propriam potentiam: probat septem argumentis. Primum est istud perpetuum ipsius effugium: *si ista potentia Deitatis propria est, non potest alii rei reipsâ communicari, nisi propria esse desinat*: cujus
Pag. 361. solutio fuit cap. 22. Quando Christus essentialem Divinitatis suæ potestatem communicat carni suæ, non communicat eam alii rei, sed sibiipsi; cur igitur propria esse desinat? Athanasius ait, *A seipso dicitur accipere, non aliunde*.

Pag. 362. 363. Secundum: *potentia, quæ Christo in tempore data est, patri subjecta est, non igitur Divinitatis propria, ut quæ sit in omnibus personis Trinitatis æqualis*. Non negat Chemnitius, carni Christi datam esse potentiam finitam, juxta quam seipso minor est, & patri subjectus erit etiam in vita æterna. Sed præterea docet ex hoc dicto & S. Patrum testimoniis, ipsam

Deitatis

Deitatis λόγȣ propriam potentiam per οἰκονομίαν unionis carni Christi esse communicatam. Athan: *dicit se potestatem accepisse ut hominem, quam semper habet ut Deus.* Videt Danæus, quid velit Athanasius, neque nos tam inertes sumus, ut nesciamus, quæ sit potestas, quam Christus semper habet ut Deus. Orat. 4. cont. Arrian.

Tertium, *caro Christi, quum sit creatura, non est capax increatæ potentiæ*: ex quo eodem argumento non etiam capax est cum Divinitate λόγȣ in unam personam copulari. Dicimus igitur, increatam potentiam Divinitatis eo modo carni Christi communicatam esse, quo tota Deitatis plenitudo, cujus est ista propria potentia, in carne Christi inhabitat corporaliter. Athanas: *Natura corporis Christi accipiendæ gratiæ idoneæ & capax erat: sed Verbum hoc ipsum semper possidebat secundum suam ex Patre deitatem & perfectionem.* Videat igitur Danæus, an non Athanasius diserte dicat, carnem Christi creatam increatæ λόγȣ gratiæ & potentiæ capacem esse. Pag. 362. Orat. 2. cont. Arrian.

Quartum admirabile est, ne dicam puerile. Sic enim concludit: *Potentia, quæ Christo homini data est, cœli & terræ nominibus velut certis limitibus definita est: itaque non æqualis illi omnipotentiæ divinæ, quæ supra & præter & ultra cælum & terram se extendit.* Atqui Christus, ut significaret, sese ipsam Deitatis propriam potentiam intelligere, descripsit eam modo Scripturis usitato, nominibus scilicet cœli & terræ. Id homo iste contra conscientiam eò detorquet, quasi significet potentiam finitam. Quid si ex eodem tam puerili argumento concludamus, *Cælum & terram ego impleo, igitur essentia divina est finita, solis, cœli & terræ limitibus circumscripta?* Veritatis studium Danæus suprà præ se ferebat: hîc certè non probat. Videt autem, quid ex isto argumento secuturum Pag. 365. fer. 23.

fit, quum Dei quoque ipsius potentia nominibus *cœli & terræ* definiatur: ideóque maturè conatur occurrere, quia tota Divinitatis omnipotentia non sit ita æstimanda, quasi Deus nihil plus efficere possit, quàm quæ in cœlo & in terra videmus producta. Sed cur non liceat eodem modo concludere, potentiam illam, quæ carni Christi data est, & nominibus cœli & terræ definitur, non ita æstimandam esse, quasi nihil plus efficere possit, quàm quæ videmus producta in cœlo & in terra? Certè mentem veritatis cupidam hîc non agnoscimus.

Pag. 353. Quintum, *Potentia, quæ data est homini Christo, respicit caetum duntaxat & tamen liberrimum mundi reparationis & Ecclesiæ instaurationis decretum. Ergo non simpliciter est infinita.* Verè, constanter & solidè respondemus, nullam finitam potentiam tantam esse posse, quæ mundum reparet & Ecclesiam instauret. Et hîc notetur miseranda sudantis hominis vertigo. Pag 400. Prolixè fatetur, potestatem ministerii Christi, quæ est hæc ipsa potestas instaurandi Ecclesiam, esse ipsius Deitatis Christi propriam, sed negat, carni Christi Pag. 363. datam esse. Mox contrà fatetur, eandem carni Christi datam esse, sed negat esse simpliciter infinitam vel Deitatis propriam. Quis igitur persuaderi possit, ut credat, huic homini veritatem cordi esse? Modò negat, omnem potestatem, quæ carni Christi data est, esse ipsam Deitatis propriam potestatem: modò contrà fatetur, Deitatis propriam esse, sed negat, carni Christi datam esse: quæ cujus pietatis significatio sit, ipse viderit. Certè quando Christus affirmat, sibi datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra, intelligit etiam hanc ipsam potestatem ministerii sui, qua convertuntur homines, & credunt veritati & resipiscunt. Cur enim non intelligat, quum nullam excludat, qui

omnem

omnem dicit, & hæc ipsa potestas ministerii Christi in terra, hoc est, in cordibus hominum potissimùm exeratur? Et Danæus quidem fatetur, ipsum eam intelligere, eámque ipsi carni Christi datam esse: fatetur verò etiam, esse Deitatis propriam potestatem. Fateatur ergo nobiscum, Deitatis proprium idioma carni Christi communicatum realiter, ne porrò nobis idem de eodem neget & affirmet. Pag. 363. Pag. 400.

Sextum: *Cœlum & terra, in qua datum est illud imperium, & natura quoque ipsa humana Christi, cui datum est, initium habuerunt.* Admirabilis est istius hominis cæcitas. Putat, nos ideò tribuere carni Christi potestatem & regnum æternum, quia caro Christi, & hoc ipsum cœlum & terra fuerint absque temporis principio: quæ quum principium habuerint, negat, potestatem carnis Christi esse æternam. Sed quis ferat nugatorem sic disputantem: *Cœlum & terram Deus implet: at cœlum & terra non fuerunt ab æterno: igitur neque Deus fuit?* Nos non dicimus, regnum & potestatem carnis Christi ideò esse æterna, quia ipsa caro Christi ab æterno fuerit: neque enim necesse est eam ab æterno fuisse, si debeat habere communicatam æternam λόγου potestatem: sed quia tota plenitudo Deitatis, quæ est æterna, & cujus potestas est infinita, cum illa ipsa sua potestate cœpit in tempore per περιχώρησιν in assumta natura inhabitare, pérque eam & in ea & cum ea suam istam potestatem exerere. Pag. 393. 399.

Septimum: *Increata natura ab ea subjectione, per quam omnia Christo homini subjiciuntur, libera est: igitur potestas homini Christo data differt ab essentiali Dei omnipotentia.* At eadē natura increata libera est ab ipsa essentiali Dei omnipotentia, nec ei subjecta est, quia Deus non est sui ipsius dominus: unde simili modo concluditur, essentialem Dei omnipotentiā esse essentiali Dei omnipotentia inferiorem, quum ei natura Pag. 410.

increata non sit subjecta: quæ collectio quantum valet, tantum valet ista quoque Danæi.

Matth. 28. Pag. 399. De eo, quòd Chemnitius dixerat, in monte Galilææ sententiam istam à Christo fuisse pronunciatam, falsè ipsum taxat Danæus, quòd temporis circumstantia evincat id factum esse in monte Olivarum Hierosolymis vicino. At imprudens Chemnitius fortasse non viderat, Matthæum loqui de monte Galileæ, non Olivarum Hierosolymis vicino, nec eodem tempore accidisse ea, quæ Matthæus narrat cap. 28. & quæ Lucas Act. 1. Igitur Danæus hîc nobis industriam suam probat in considerandis Scripturæ locis, ut intelligamus, quid aliis ipsius interpretationibus tribuendum sit.

Pag. 543. Pag. 199. Chemnitius blasphemiam Sacramentarii cujusdam vocem cum justa indignatione recitaverat. Danæus nihil respondet: tantùm dicit, se illam splendidam bilem prætermittere, quòd Chemnitius eum vocat Satanam. Probat igitur istam blasphemiam. Et sic quidem refutaverat secundum dictum Chemnitii.

Hîc Chemnitius tertio loco subjunxerat *de Sessione Christi ad dexteram Dei*: cui posteà dabitur proprium caput 28 quò referemus ea, quæ Danæus hîc objicit.

Quartò, de communicatione majestatis & gloriæ divinæ, potissimùm ex dicto Iohan. 17. ubi expressè nominatur ea gloria, *quam Filius habuit apud Patrem, priusquàm mundus fieret:* quæ certè non est creata nec finita. Danæus hoc nõ

Pag. 366. 367. negat: sed ad alterum suum κρισφυγετὸν jam se proripit, quia Christus hîc non dicat, eam carni suæ datam esse, à qua participari non possit, quum ea demum post ter mille annos & amplius à condito mundo existere cœperit. Contendit igitur, Christum petere restitutionem æternę illius gloriæ, quòd

Christi

Christi forma divina fuerit quodammodo per formam servi & statum exinanitionis evacuata, & in nihilum redacta: ideóque intelligatur tantûm patefactio ejus gloriæ, quæ hactenus ad tempus tecta fuerit. Et in hanc sententiam videtur detorquere verba Cyrilli, quæ citat nec ascribit: *Quoniam ad dignitatem pristinam cum humanitate rediit, glorificationem accepisse intelligitur.* Quasi verô Cyrillus sentiat, Deum posse mutari, formam divinam evacuari & in nihilum redigi, vel à λόγῳ gloriam Divinitatis amitti, quam necesse sit restitui. Quis hîc Danæum defendat â manifesto Arrianismo? Sancti Patres contra Arrianos citant hoc dictum, & de ipsa Christi carne interpretantur. Cyrillus: *Gloriam suam, quam semper habet ut Deus, ut homo petiit, nec quia gloriæ unquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicuntur, sed quia in gloriam, quæ sibi semper adest ut Deo, proprium templum subducere volebat.* Hinc videt Danæus, quid velint illa superiora verba Cyrilli. Qua fronte igitur pronunciat, hoc esse falsissimum, de æterna λόγου gloria carni Christi communicata? Idem: *Non sibi à Patre gloriam petebat, quæ sicut natura Deus non indigebat, sed paternam gloriam in hominem quem assumsit, petendo ut homo traducit.* Non igitur distat toto genere gloria Divinitatis propria ab ea, quam Christus hîc dicit sese in tempore accepisse, ut putat Danæus.

In Iohan. lib. 5. cap. 20.

In Iohan. Lib. cap. 17.

Lib. 10. Thes. cap. 10.

Pag. 174.

Quomodo Christus & qua sui parte evectus fuerit in æternam gloriam, docet D. Paulus, *quâ scilicet Patri fuerat obediens usque ad mortem crucis:* non igitur secundum divinam naturam, quam sic patefactam & revelatam Danæus dicit.

Philip. 2. Eph. 4.

Pag. 366.

Denique ludit dictis istis: *Pater glorifica nomen tuum: Sanctificetur nomen tuum.* Quid autem possit iis in hoc argumento probare? In Patre non sunt duæ distinctæ naturæ, quarum alterius gloria communicetur alteri propter unio-

Pag. 567.

nem. Remittimus igitur Danæum ad testimonia S. Patrum, qui dictum istud Iohan. 17. explicant non ex ipsius mente, sed ut vult Scriptura.

Pag. 368. Deliciis Danæi, quibus sese oblectat, opponimus ea ipsa testimonia sanctorum Patrum, qui quum istud acumen Danæi non vidissent, per imprudentiam fortè sic scripserunt. Lib. 4. cont. Eunom. Basilius: *Si gloriam quam habuit, priusquàm mundus fieret, secundum divinam & non secundum humanam naturam petit, ergo gloriam, quam petit, amiserat: quòd si gloriam amisit, ergo & Deitatem. Inseparabilis enim est gloria à Deitate. Apparet ergo, quòd talia dicta sint* κατ' οἰκονομίαν ἀνθρωποτητος, *non secundum defectum Deitatis.* Epiphanius: *Scriptura de recenti quidem parte Christi, hoc est, de assumta natura dicit: Glorifica me Pater illa gloria, quam habui apud te, antequàm mundus fieret. Pater verò duarum partium Christi inter se comparatarum gloriam predicans, de priori, quæ est secundum Spiritum, dicit, Glorificavi, ut indefinitum ostendat, de recenti verò propter adventum in carne dicit, Et rursus glorificabo.* His Danæus suas argutias regerat, & nobis persuadeat, si potest, cur potiùs ipsius, quàm S. Patrum sententiam debeamus amplecti.

Absurdum verò est, eandem Christi carnem eodem momento glorificatam esse propter unionis οἰκονομίαν, & infirmam fuisse per εὐδοκίαν divinæ voluntatis propter nos homines & propter nostram salutem? Optamus hîc Danæo meliorem mentem.

Quinto loco Chemnitius *de unctione Spiritus* addiderat: Sexto *de Sapientia & Scientia Christi*: de quibus Danæus neq; hîc neque alibi nominatim monet, nisi quòd vocabulum Pag. 405. προκόπτειν Luc. 2, examinat, quòd ex eo non possit colligi, humanam Christi naturam factam esse reipsâ participem Idiomatum Divinitatis; quia nec Stephanus nec Elizabetha Luc. 1. Act. 6. & 7.

facti

facti sint participes, quos tamen Scriptura dicat πλουσίους πλήρεις S. Sancto: quarum argutiarum frigiditas similis est multarum aliarum. Aliud profectò est loqui de carne Christi, quæ hypostaticè per περιχώρησιν in unum individuum unita est Divinitati λόγου, aliud de Sanctis, non tantùm quia carni Christi major donorum cumulus accessit, sed etiam quia Sancti omnipotentiam, omniscientiam, omnivirtutem, & divinitatem quoque ipsam sibi hypostaticè per περιχώρησιν unitam non habent, quemadmodum habet caro Christi, per quam ea sese exerit, sicut vis ignis per ferrum ignitum, cum quo arctissimè in unum individuum unitur, non autem etiam per aquam, quæ quantumvis intensissimum calorem accipiat ab igne, vim tamen ignis propriam non accipit, quia cum illo nec unitur arctissimè, nec uniri potest.

Sic etiam Sapientiam creatam carni Christi tribuit, quæ toto genere differat ab illa Dei propria scientia: quo certè non refutat ea, quę Chemnitius habet pag. 356 et sequentib. quibus probat, animã Christi omnia cognoscere ac videre, ipsam essentialem Sapientiam Dei personaliter possidendo: quam possidet ex unione, quamvis habeat etiam sapientiam creatam. Pag. 204.

Molestissimè quoque fert, Agnoëtarum hæresin sibi tribui quòd negat, humanam naturam Christi cum divina omniscia fuisse: contendit enim, neminem unquam hanc velut impiam hæreticámque sententiam damnavisse. Cavillatur itáque in Agnoëtarum hæresi describenda Nicephorum à seipso refutari, hoc est, sibiipsi contradicere. Sed id falsum esse docet ipsa capitis ejus inspectio. Quòd Isidorus scribit, *Gnoitas adjicere, quòd Christi Divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora novissima*, id verum esse non negamus; neque verò Danæus audebit dicere, falsum Pag. 338. Pag. 340. Lib. 13. cap. 50. Etym. Lib. 8.

fallum esse, quod scribit Nicephorus de Agnoëtis, qui istud senserint de Christi natura humana. Neque enim iis temporibus vixit, ut scire possit, quid vel hi vel illi docuerint: sed oportet credat, & Nicephoro & Isidoro de ipsorum hæresi testantibus. Collatis itáque diversis eorum descriptionibus intelligimus, duplices Gnoitas vel Agnoëtas fuisse, quorum alii Divinitatem Christi, alii ejus Humanitatem multa ignorasse dixerint, & utrosque pronunciatos ab Ecclesia hæreticos. Hæretici igitur etiam Sacramentarii.

Septimo, *de vivifica carne Christi*; de qua Danæus cùm alibi sæpe, tum vel potissimùm etiam cap. 5. Thesi. 7. & cap. 12. Thesi 3. locis valde alienis prolixè negat: cujus rationibus omnibus nominatim jam respondit Apologia Formulæ Concordiæ. Nos, ne Lectori molesti simus, capita refutationis breviter contrahemus.

Chemnitius è sexto capite Iohannis, & ex Cyrillo & concilio Ephesino docet, non tantùm per vocabula concreta rectè dici, *Christus homo vel Filius hominis vivificat*, verùm etiam per abstracta, quæ disertè carnem Christi significant, *Caro Christi vivifica est vel vivificat*: eámque tamen non ita vivificare, sicut ipsa Deitas, quæ essentialiter est vita ipsa, nec ita, quasi vis vivificandi sit carnis Christi proprietas essentialis, sed quia caro illa personaliter unita est Filio Dei, ideóque habet vim vivificandi non à sese nec effusione physica, sed per οἰκονομίαν unionis. Danæus, etsi pronunciat, id esse ἀφόρητον & falsissimum, etsi contendit, quoties propria Deitatis humanitati tribuuntur, nunquam abstractis pro concretis locum esse, itáque unâ eadémque operâ, Cyrillum & totum Concilium Ephesinum, & Christum quoque ipsum damnat: tamen aliquando etiam seipsum nonnihil colligens fatetur, ipsam quoque carnem Christi rectè dici

Pag 30. & in præfat. Pag. 26. Pag. 320.

vivificam

vivificam vel vivificatricem: sed negat, ipsam Divinitatis propriam ἐνέργειαν vivificandi esse carni Christi communicatam, quam illa habeat per οἰκονομίαν unionis, quem ait esse errorem Monothelitarum. Itaque differentiam nobis interpretatur, quomodo & caro Christi & Deitas ipsius sit vivifica: quam videamus. Pag. 297.

I. *Quod caro Christi non sit illius succi vivifici fons & caussa efficiens, sed tantùm organum vitæ nobis communicandæ: Deitas autem* λόγου *sit ipsa caussa efficiens, &* κυρίως *vivificet: caro Christi sit sanctissima selectissimaq; à Deo canalis ad illud beneficium in nos conferendum: Deitas autem* λόγου *sit fons, & habeat ipsum vitæ succum.* Chemnitius non negat, carnem Christi esse organum vitæ nobis communicandæ: sed addit ex Epiphanio, *esse organum sanctificatum, perfectè omnia habens.* Et quanquam non eodem modo Deitas & caro Christi vivificat, quum Deitas per se vivificet, caro tantùm ideò, quia Deitati personaliter per περιχώρησιν unita est: tamen S. Patres ex Scriptura docent, carnem Christi non esse brutum instrumentum vel inanimatum, quòd nihil sentiat, nec nudum canalem, per quem nihil ipsum quoque sentientem nec coopetantem vita fluat: sed efficaciam & virtutem vivificandi ipsi tribuunt, ut quæ, etsi vita ipsa essentialiter non est, habeat tamen eam sibi realiter communicatam, quia personaliter λόγῳ unita est, quomodo canalis cum aqua perfluente nequaquam unitur. Hinc sunt illæ piissimæ S. Patrum voces. Damasc: *Quid propter hypostaticam unionem & humana & divina unius Christi facta sunt, gratiam & sapientiam & omnium bonorum plenitudinem* πηγάζουσα *velut fons caro Christi scaturit mundo*: quod Danæus diserte negat. Cyrillus: *Quamvis natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat: facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem suscepit. Corpus enim est non* Pag. 141. 220. 270. 298. 305. 381. 398. 401. 409. Cont. Dimær. Lib. 3. cap 22 In Iohan, lib. 4. cap. 3.

falsum esse, quod scribit Nicephorus de Agnoëtis, qui istud senserint de Christi natura humana. Neque enim iis temporibus vixit, ut scire possit, quid vel hi vel illi docuerint: sed oportet credat, & Nicephoro & Isidoro de ipsorum hæresi testantibus. Collatis itáque diversis eorum descriptionibus intelligimus, duplices Gnoitas vel Agnoëtas fuisse, quorum alii Divinitatem Christi, alii ejus Humanitatem multa ignorasse dixerint, & utrosque pronunciatos ab Ecclesia hæreticos. Hæretici igitur etiam Sacramentarii.

Septimo, *de vivifica carne Christi*; de qua Danæus cùm alibi sæpe, tum vel potissimùm etiam cap. 5. Thesi. 7. & cap. 12. Thesi 3. locis valde alienis prolixè negat: cujus rationibus omnibus nominatim jam respondit Apologia Formulæ Concordiæ. Nos, ne Lectori molesti simus, capita refutationis breviter contrahemus.

Chemnitius è sexto capite Iohannis, & ex Cyrillo & concilio Ephesino docet, non tantùm per vocabula concreta rectè dici, *Christus homo vel Filius hominis vivificat*, verùm etiam per abstracta, quæ disertè carnem Christi significant, *Caro Christi vivifica est vel vivificat*: eámque tamen non ita vivificare, sicut ipsa Deitas, quæ essentialiter est vita ipsa, nec ita, quasi vis vivificandi sit carnis Christi proprietas essentialis, sed quia caro illa personaliter unita est Filio Dei, ideóque habet vim vivificandi non à sese nec effusione physica, sed per οἰκονομίαν unionis. Danæus, etsi pronunciat, id esse ἀφόρητον & falsissimum, etsi contendit, quoties propria Deitatis humanitati tribuuntur, nunquam abstractis pro concretis locum esse, itáque unâ eadémque operâ, Cyrillum & totum Concilium Ephesinum, & Christum quoque ipsum damnat: tamen aliquando etiam seipsum nonnihil colligens fatetur, ipsam quoque carnem Christi rectè dici

Pag 30. & in præfat. Pag. 26. Pag. 320.

vivificam

vivificam vel vivificatricem: sed negat, ipsam Divinitatis proprtiam ζωοποιΐαν vivificandi esse carni Christi communicatam, quam illa habeat per οἰκονομίαν unionis, quem ait esse errorem Monothelitarum. Itâque differentiam nobis interpretatur, quomodo & caro Christi & Deitas ipsius sit vivifica: quam videamus. Pag. 297.

I. *Quod caro Christi non sit illius succi vivifici fons & caussa efficiens, sed tantùm organum vitæ nobis communicandæ: Deitas autem λόγου sit ipsa caussa efficiens, & κυρίως vivificet: caro Christi sit sanctissimus selectissimusq; à Deo canalis ad illud beneficium in nos conferendum: Deitas autem λόγου sit fons, & habeat ipsum vitæ succum.* Chemnitius non negat, carnem Christi esse organum vitæ nobis communicandæ: sed addit ex Epiphanio, *esse organum sanctificatum, perfectè omnia habens*. Et quanquam non eodem modo Deitas & caro Christi vivificat, quum Deitas per se vivificet, caro tantùm ideò, quia Deitati personaliter per περιχώρησιν unita est: tamen S. Patres ex Scriptura docent, carnem Christi non esse brutum instrumentum vel inanimatum, quòd nihil sentiat, nec nudum canalem, per quem nihil ipsum quoque sentientem nec coopetantem vita fluat: sed efficaciam & virtutem vivificandi ipsi tribuunt, ut quæ, etsi vita ipsa essentialiter non est, habeat tamen eam sibi realiter communicatam, quia personaliter λόγῳ unita est, quomodo canalis cum aqua perfluente nequaquam unitur. Hinc sunt illæ piissimæ S. Patrum voces. Damasc: *Quid propter hypostaticam unionem & humana & divina unius Christi facta sunt, gratiam & sapientiam & omnium bonorum plenitudinem* πηγάζουσα *velut fons caro Christi scaturit mundo*: quod Danæus diserte negat. Cyrillus: *Quamvis natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat: facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem suscepit. Corpus enim est non* Pag. 141. 220. 270. 298. 305. 381. 398. 401. 409. Cont. Dimær. Lib. 3. cap 22 In Iohan, lib. 4. cap. 3.

cujusvis hominis, cujus caro prodesse non potest: nō enim Pauli aut Petri aut ceterorum, sed ipsius vitæ corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. Nam si mel, cùm naturaliter dulce sit, ea dulcia faciat, quibus immiscetur, nónne stultum erit, vivificam Verbi naturam putare non dedisse homini in quo habitat, vivificandi virtutem? Videat Danæus, quo pudore possit illud eludere usitato isto effugio, quia dictum sit tantùm propter unionem personæ, non propter communicationem virtutis & ἐνεργείας.

Quàm verò periculosum sit Fidei nostræ, quòd Adversarii canalem vitæ in nos derivandæ, videlicet carnem Christi, in cœlo statuunt, fontem ipsum, nimirum Deitatem λόγου collocant in terra, de eo videat Lector Admonitionem nostram infrà positam.

Pag. 139. 140. 220. 298. 2. *Quòd caro Christi tantùm merito obedientiæ ejus nobis per fidem imputando vivificet: Deitas λόγου præterea vitæ æternæ succum in nos transfundat.* S. Patres de merito obedientiæ carnis Christi non negant: addunt autem etiam diserte de efficacia vivificandi non creata vel habituali, sed ipsius Deitatis λόγου propria, ad quam propter unionem caro Christi reducta sit & elevata. Cyrill: *Videre est, ubi tribuitur carni Christi divinæ efficacia gloriæ.* Idem: *Quoniam caro cum vivificante Verbo conjuncta est, tota effecta est vivifica.* Item: *Christi caro, quia in ipsa unigenitus Dei Filius habitat, sola vivificare potest.* Item: *Ad virtutem Spiritus caro per conjunctionem consciendit.* Hippolyt. apud Theodor: *Corpus Domini magnam habet in se potentiam vitæ, ut possit nobis profundere ea, quæ sunt vitæ caussa.*

De recta fide ad Theodos. In Iohan. lib. 4. cap. 13. Cap. 24. Dial. 3.

Pag. 298. 3. *Quòd caro Christi ne suam quidem illam vitam æternam à seipsa, sed à λόγῳ sibi unito sumat velut à fonte sibi annexo, & quod eam habeat, velut donum creatum, idq; essentialiter: Deitas autem*

autem Christi per se carnem suam, & nos per eam sibi unitos vivificet. Chemnitius non negat, carnem Christi habere quoque vitam creatam, quæ ipsi essentialiter inhæreat: sed addit ex Cyrillo: *Propter seipsum Spiritus vivificat, ad cujus virtutem per conjunctionem caro conscendit.* Item: *Quum vivificans Dei Filius in carne habitaverit, ad suum bonum eam, id est, ad vitam reformavit, & totus toti ineffabili modo unionis conjunctus vivificantem ipsam efficit.* Item: *Mortalem carnem assumsi, sed quia naturaliter vita existens habito in ea, totam ad vitam meam reformavi. Caro vitæ facta unigeniti caro ad virtutem vitæ reducta est.* Bonum λόγου, virtutem Spiritus, virtutem vitæ unigeniti non esse donum creatum, Danæus, si vult, facilè potest intelligere.

In Iohan. lib. 4. Cap. 24. Cap. 12. Cap. 18. Lib. 10 cap 1.

4. *Quòd caro CHRISTI vivat eodem, quamvis perfectissimo, attamen creato vitæ genere, quo fideles: Vita autem λόγου sit toto ipso genere diversa ab ipsa carnis Christi & nostra vita æterna: itáque Christus ratione duarum naturarum duplici vita vivat.* Neque hoc negat Chemnitius: sed prætereà dicit ex Cyrillo: *Immisit illi suam vitam ipsa per unionem dispensatione: Caro vivificat secundum unionem cum vivente Verbo, quòd & suæ naturæ bona proprio corpori communia solet facere.* Vitam autem & bona naturæ λόγου non esse creata dona videt Danæus, nisi volet ad manifestam lucem prudens sciénsque cæcutire.

Pag. 299. De recta fide ad Theod.

Corruit igitur istud discrimen inter carnem & Deitatem Christi nos vivificantem, quod Danæus nobis hîc ostenderat. Vnde manifestè apparet, non solùm ἀποτέλεσμα nostræ vivificationis esse commune carnis & Deitatis Christi opus, sed etiam carnem Christi ad ipsam Spiritus vivificantis ἐνέργειαν & virtutem per conjunctionem conscendisse.

Quod Cyrillus autem dicit, *Carnem Christi esse vivificam*

non καθ' ἑαυτὸν, sed κατ' ἄλλο, δι' ἄλλο ἡμᾶς καθ' ἕνωσιν, rectè explicat Chemnitius, in tertio genere Communicationis significare cauſſam, cur & quomodo ſit vivifica, & unde vivificandi ζωόεργειαν habeat, nimirum ex unione cum Verbo vivente; quod ſi Danæus etiam ſentiret, nobiſcum, ideſt, cum veritate ſentiret. Sed ludit æquivocatione phraſis, quaſi caro Chriſti vivificet κατ' ἄλλο, quia non ipſa caro verè vivificet, ſed ſola Divinitas λόγου, caro autem iſta vivificare dicatur ideò tantùm, quia illam vivificam Deitatem λόγου ſibi perſonaliter unitam habeat, & ex illa unione ſortiatur ſolam nominis & honoris communionem. Citat igitur ex Gregorio Magno: *Bonum proximi et tam ocioſo commune eſt*; quod ſentire S. Patres ipſum non docuerant, ut oſtendimus.

Pag. 142. 291. 300.

Pag. 292.

Deinceps aliquot argumentis probat, carnem Chriſti ipſam vivificandi virtutem realiter non habere.

I. *Spiritus eſt qui vivificat, Caro non prodeſt quicquam.* Hîc nobis diſtinctionem pulcherrimam format, quæ à noſtris nunquam ſit animadverſa, *quòd caro Chriſti nobis vivifica ſit & proſit merito, non vivifica ſit nec proſit efficatiâ.* Sed quum dicitur, *Caro non prodeſt quicquam*, idque Danæus putat dici de carne Chriſti, & ſic vult intelligi, quia caro Chriſti non proſit efficaciâ, quærimus, cur non ex iiſdem verbis concludi poſsit, ne quidem carnis Chriſti meritum quicquam prodeſſe. Reſpondet, quia idem Chriſtus in eadem concione dixerit: *niſi ederitis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Sed & hîc objicimus, cur non ex his verbis ſequatur, carnem Chriſti prodeſſe etiam efficaciâ. Quare, ut illum verbis Proſperi urgeam, quoquo verſum ſe conferat, à ſemetipſo & vincitur & vincitur. Nam quum caro negatur quicquam prodeſſe, negatur utrumque ſimpliciter, & meritum & efficacia. Duplicis negationis Græcæ vim

Pag. 139. 140. 142.

Danæus

Danæus intelligit: ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν. Quum dicitur, esus carnis Christi prodesse ad habendam vitam, dicitur utrumque, quòd & merito prosit & efficaciâ, quicquid Danæus contrà declamitet: cujus istam putrem distinctionem nostri animadverterant sæpe repeti ab Adversariis, semper autem eam improbarant hac verissima ratione, quia dictum istud loquatur tantùm de nostra corrupta carne, quæ nihil potest prodesse, ideoq; malè detorqueatur ad vivificam carnem Christi, quod & sæpe & certissimis argumentis monuerant; neque tamen pudet Danæum nobis istam veterem cramben velut aliquas novas delicias recoquere.

De Christi autem carne Cyrillus sic ait: *Quamvis natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat, facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem suscepit.* In Iohan. lib 4. Cap. 23. Et carnem Christi intelligit illum ipsum Spiritum vivificantem. Sic enim inquit: *Spiritum hic ipsam carnem nuncupavit, non qui naturam carnis amiserit, & in Spiritum mutata sit, sed quia summè cum eo conjuncta totam vivificandi vim hausit.* Cap. 24. Hinc Danæus istam suam pulcherrimam distinctionem non didicerat. Et quod neminem opinabatur negaturum, id videt hîc Cyrillum disertè negare, quum *Spiritus* nomen accipit pro carne Christi, non pro natura ipsa Divina, quemadmodum accipit Danæus. Pag. 140.

2. Esa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Est autem unius *Dei tantùm proprium dare vitam æternam. Igitur ea gloria non est danda carni Christi.* Pag. 142. At Esaias illic nullo modo de carne Christi loquitur, sed de Idolis. Qua fronte igitur audet Danæus ex eo dicto negare, quod Scriptura & S. Patres disertè affirmant, gloriam vivificandi esse carni Christi communicatâ per unionem? cui quum eam Filius Dei communicat, non communicat alteri, sed sibiipsi, quia cum carne Christi Deitas λόγος jam unus & idem Christus factus est nō alius aut alter.

3. *Solus Deus dicitur vivus vel vivens, solus est qui vivificat*
Pag. 142. 143. *Spiritum hominis, & solus est Pater animorum. Igitur carni*
Christi honor ille non est tribuendus. Sed neque illa dicta carni
In Iohan. lib. 4. cap. 23. Christi opponuntur, de qua Cyrillus: *Si caro*, inquit, *sola intelligatur, nihil prorsus vivificare potest, quippe quæ vivificante indigeat. Quum verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & vitam habitantem in carne cognoveritis, quamvis nihil penitus per seipsam caro possit, vivificam tamen factam esse credetis. Nam quoniam cum vivificante Verbo conjuncta est, tota effecta est vivifica.*

Pag. 143. 4. *Si Solus Deus* κυρίως *dat temporalem hanc vitam, multò magis idem solus vitam illam æternam dare potest, quod est longè majoris virtutis effectum, quàm vita caduca.* Verum quidem est istud: sed inde non sequitur, carnem Christi per conjunctionem ad virtutem Spiritus non conscendisse, quam λόγος ideò in unitatem suæ personæ assumsit, ut ei ζωέργειαν vivificandi communicaret, & in & cum ea & per eam suis vitam æternam distribueret, ut testatur Cyrillus.

Pag. 143. 5. *Quod quis non habet, id alii dare non potest. Solus autem Deus habet immortalitatem: quare solus eam dare potest.* Ineptum est argumentum & ridiculum, quod ne pueros ipsos quoque deceat. Fortasse veritus est Danæus, ne, si è propositione legitimè assumeret & concluderet, contra Regulas Syllogismorum concluderet ex puris negativis, hoc est, veram rationem Syllogismorum primæ figuræ ignoravit. Maluit igitur ineptè, quam legitimè colligere. Debuit enim, si legitimè voluit, ita argumentari: *quod quis non habet, id alii dare non potest. Caro Christi vitam non habet. Igitur eam aliis dare non potest.* Sed in hoc Syllogismo Minor planè falsa est & blasphema, ut quæ verbis Christi, & Concilio Ephesino, & Cyrillo manifestè contradicat. Quia enim

Christus

Christus suam carnem verè cibum esse dicit ad vitam, & Concilium Ephesinum eam nominat vivificam vel vivificatricem, cur non habeat vitam, qua possit etiam vivificare mortuos, ut ait Cyrillus?

6. *Quod non est* αὐτοζωὴ, *vitam in se non habet. Solus Deus est* αὐτοζωὴ, *Ergo solus Deus in se vitam habet, ac propterea eam alteri dare potest.* Pag. 143. Syllogismus similis est superioris. Et ostendit ista tam profunda vertigo, quantæ curæ sit huic homini veritas, & quàm pulchrè Danæo ipsi conveniat istud encomium, quod Chemnitio tribuerat: *in toto hoc opere vel planè Sophistam olet, vel hominem in scribendo negligentem se prodit.* Pag. 18. Vnde videre est, quanti faciendæ sint istius somnolenti disputatoris rationes. Sic autem debuit concludere: *Quod non est* αὐτοζωὴ, *vitam dare non potest. Caro Christi non est* αὐτοζωὴ, *Ergo vitam dare non potest.* Respondet Cyrillus eleganter & distinctè: *Natura carnis ipsa per se vivificare non potest: quid enim majus natura Deitatis haberet? nec sola esse in Christo intelligitur, sed habet Filium Dei sibi conjunctum, qui substantialiter vita est. Quando ergo vivificam ipsam Christus appellat, non ita illi ut sibi sive proprio Spiritui vim vivificandi attribuit. Nam propter seipsum Spiritus vivificat, ad cujus virtutem caro per conjunctionem conscendit.* In Iohan. lib. 4. Cap. 24.

7. *Quarum rerum sunt eadem* ἐνέργειαι, *earundem quoque sunt eadem* οὐσίαι: de quo plenius erit cap. 25.

8. Denique sic urget. *Vita (quæ in ipsamet Christi carne est, quâque ipsa etiam caro Christi glorificata & in cœlum recepta in cœlis in æternum vivit) vel est vita essentialis ipsius* λόγου *Deitatis, vel vita à Deitate* λόγου *creata, & carni infusa. Si est ipsa essentialis Deitatis vita, ergo caro illa æterna fuerit, & ab æterno substiterit, non autem in tempore facta sit oportet; quod est hæreticissimum. Sin est vita* Pag. 144.

creata, non potest sese ab ea re, cui infusa est, in aliam transfundere; nec extra illud subjectum, in quo à Deo collocata est, subsistere, ut alius quoque eâ vivat. Respondemus, carnem Christi habere quoque vitam creatam, quam aliis communicare non possit, & quæ ad ipsius solius gloriam & beatitudinem pertineat: sed eam vitam, qua dicitur etiam possem ortuos vivificare, dicimus esse ipsam Deitatis essentialem, non creatam vitam, nec carnem istam vivificare per se, nec καθ' ἑαυτὸν habere vitam, sed quia per conjunctionem ad ipsam virtutem Spiritus conscendit. Inde autem non sequitur, carnem Christi ab æterno fuisse: cujus argumenti simile suprà fuit, quum de potestate carnis Christi diceretur. Nam caro Christi ex unione totam vivificandi vim hausit, non quia fuit ab æterno, sed quia in tempore cum vita vivificante personaliter unita est: sicut ferrum ignitum ex unione accipit vim urendi, nec interest, num igne fuerit antiquius nec ne. Communicatio enim non fit ob temporis æqualitatem, sed per οἰκονομίαν unionis vel περιχώρησιν & penetrationem unius naturæ in alteram, quæ potest esse & fieri, quamvis altera natura sit recentior.

Pag. 145. 9. Citat dictum Athanasii: *Sicut pars ratiocinatrix sua ipsius opera sic edit in animali, ut non sit separatum quicquam ab animali: ita Deus Sermo unitus homini edit prodigia minimè segregatus à natura humana, quòd ei pro sua bonitate placuerit vim suam divinam per eam, & in ea, & cum ea exercere.* Quod sic explicat, Athanasium hac formula dicendi *per eam* non statuere humanam naturam Christi pro caussa cooperatrice & ullo modo coëfficiente, sed tantùm ut canalem. Athanasius autem non tantùm non negat, carnem Christi esse vivificam, verùm etiam id manifestè affirmat; igitur nequaquam probat sententiam Danæi. Neque meminit canalis, per quem nihil

nihil cooperantem vel anima vel Deitas λόγȣ virtutem ſuam fundat, neque utitur tantùm particula *per*, quam ſolet Danæus arripere ad ſignificandum canalem, per quem nihil ſentientem nec cooperantem aqua defluit: ſed has quoque voces addit, *in ea*, *cum ea*, quibus apertè ſignificat cauſſam ſuo modo cooperantem & coëificientem. Nec iſtæ formulæ, *in corpore*, *cum corpore*, *per corpus*, hoc tantùm volunt, quod fingunt Adverſarii, animam corpori unitam, non ab eo ſeparatam, operari, ſed etiam corpus ipſum cooperari. Cyrillus: *Communes facit tanquam tum ſua carne divinæ ſuæ majeſtatis operationes, ut poſsit etiam vivificare mortuos.* De Incar. Unigen. cap. 7.

10. Damaſceni quoque dictum erat: *Secundum aliud miracula operabatur, & ſecundum aliud paſsiones ſufferebat*: quod Chemnitius non negat: ideò enim gradus communicationis diſtinxerat, et in ſecundo diſertè dixerat, utramque naturam cum communicatione alterius agere, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante, quod eſt Verbi, & carne exæquente, quod eſt carnis. Sed addit ex eodem Damaſceno: *Caro Domini ditata eſt divinis energiis propter perfectiſsimam & arctiſsimam ejus unionem ad Verbum, quæ eſt hypoſtatica.* Nec particula *Secundum aliud* eò trahenda eſt, quaſi Deitas λόγȣ per canalem carnis ſuæ nihil cooperantem miracula ediderit. Nam verba iſta Damaſceni, *Caro Domini, divinis operationibus ditata eſt*, longè aliud volunt, carnem ſcilicet habere quoque efficaciam cooperandi. Pag. 147. Lib. 3. Cap. 17.

Ergo jam intelligit Danæus, quomodo caro Chriſti ſit vivifica, nimirum participans ex unione cum Verbo ipſam Deitatis propriam vivificandi virtutem.

Octavo loco Chemnitius dixerat *de poteſtate faciendi judicii*, quæ eſt Divinitatis propria, Chriſto autem data à Patre, *quia Filius hominis eſt*, Danæus ait, Chriſtum loqui de Iohan. 5.

Pag. 401. toto effecto, in quo alia sit actio seu operatio propria divinæ naturæ, alia humanæ, non autem una & eadem utriusque communis. Sed Christus disertè affirmat, carni suæ data tam potestatem. Damascenus ait: *Caro Domini divinis operationibus ditata est.* Cyrillus: *Communes facit tanquam cum sua carne divinæ suæ majestatis operationes*: quæ Danæus omnia manifestè negat. Idem de Christo capite Ecclesiæ respondemus.

1. Iohan. 1. Nono, *de mundatione conscientiarum ab omni peccato*, quæ Dei propria est, tribuitur autem etiam carni vel sanguini Christi. Danæus vociferatur, mundationem, purgationem, Pag. 396. 98. vel sanctificationem illam esse commune ἀποτέλεσμα, in quo sua cujusque naturæ propria sit ἐνέργεια: Deitas λόγου sit ipsa causa efficiens, sanguis autem ejus habeat tantùm rationem meriti, canalis vel instrumenti. Prætereà non parvum Pag. 369. 398. vertiginis suæ specimen nobis hîc ostendit. Dicit, non solum Deum, sed & homines peccata remittere, Pastores Ecclesiæ, Euangelium, fidem quoque delere peccata, quamvis non eodem modo: nec tamen dici posse, ea omnia participasse proprium divinitatis Idioma. Respondemus, quod res est. Remittant homines alii aliis, Pastores Euangelio annuncient remissionem peccatorum, fides eam apprehendat: quis autem dicet, eos emundare conscientias ab operibus mortuis, & quidem ea efficaciâ, quæ hîc sanguini Christi tribuitur? qui per conjunctionem ad ipsam virtutem Spiritus conscendit, ad quam profectò non conscenderunt Pastores Ecclesiæ vel alii homines, quia cum Divinitate λόγου personaliter non sunt uniti per περιχώρησιν, sicut caro Christi. Nihil igitur ista faciunt ad refutandam sententiam Chemnitii, quòd emundare conscientiam sit proprium Dei, sanguini autem Christi tribuatur non tantùm ratione meriti

meriti vel instrumenti vel canalis, sed etiam quia in ipso opere justificationis per modum efficaciæ conscientias emũdet; quod Chemnitius è verbis Apostoli non frustra inculcaverat, nec Danæus refutat.

Decimo, *de potentia Christi in officiis Mediatoris.* Danæus nihil respondet, nisi quod generaliter dicit Chemnitium non distinguere ἀποτελέσματα & ἐνεργείας, quasi dicta illa velint, sola ἀποτελέσματα naturis esse communia, non etiam ipsas ἐνεργείας carni Christi communicatas esse: quum certè velint utrumque.

Vndecimo, *de cultu pietatis etiam carni Christi præstando:* de quo nominatim cap. 29. plenius erit.

Videt igitur Danæus ex his omnibus non satis refutatum esse hoc caput Chemnitii, & ne quidem tenuiter refutatum esse.

Ad Cap. XXV.

Chemnitius recitat dicta Patrum, quæ de communicatione majestatis loquuntur. Danæus generaliter reprehendit, quòd Chemnitius ex nullo Patrum testimonio probet, essentiales Deitatis λόγῳ proprietates ab humana natura reipsâ participari, sed ostendat tantùm, ea, quę Deitatis propria sunt, tribui homini Christo per κοινωνίαν ἰδιωμάτων primi generis, propter unitatem scilicet personæ, non autẽ, quòd caro Christi eorum reipsâ particeps facta sit. Deinde monet, tribus maximè modis hîc à Chemnitio peccari, Primùm, quòd κοινωνίαν hîc interpretetur de reali participatione rei ipsius, quę cõmunicari dicitur, quum ea sumatur à Patribus tantùm pro ipsa unione duarum naturarum in Christo; & quòd, quæ Patres de persona dixerunt, ea intelligat de reali participatione carni Christi facta. Secundò, quòd confundat

Pag. 404.

Pag. 405.

Pag. 406.

ἀνθρωπίνωμα & ἐνεργείας, quæ Patres distinguant, & concedant quidem ἀνθρωπίνωμα nostræ salutis esse naturis communia, non autem ἐνεργείας. Tertiò, quòd opera Deitatis
Pag. 402. propria carni assumtæ communia faciat in ipsa operatione, quæ Patres diserté referant ad Deitatem.

Pag. 361. His objectionibus ut respondeamus, commonefacimus Danæum ejus, quod prolixè benignéque nobis largitus est, *quæ Christo donata dicuntur, ea respectu humanæ ipsius Christi naturæ aut secundum humanam naturam dici donata Christo*: Ne nobis istam tam prolixam benignitatem posteà neget.

Repetimus autem ex Chemnitio testimonia Patrum illustriora, quibus hæ Danæi rationes manifestissimè refutantur. Et hic debuit Danæus cum Chemnitio piè, diligenter & sobriè considerare, quid & quomodo S. Patres & Scriptura carni Christi tribuant, ut ex mutua sententiarum collatione tandem veritas magis magisque eluceret, & sublatis tam diuturnis & acerbis animorum dissidiis ad concordiam res adduceretur: non debuit tam petulantem calumniandi libidinem tam manifestis indiciis prodere, quam prodidit toto hoc Examine, quod disjunctio animorum facta major majorem quoque dissensionem facit.

Videantur igitur dicta Patrum, quæ de ipsis essentialibus Deitatis λόγοις proprietatibus ab humana natura reipsâ participatis sic intento digito loquuntur, ut negari nullo
Orat. 2. cont. Arrian. modo possit. Athanasius: *Accepit, quod semper habuit, priusquam acciperet. Ut homo accipere dicitur, quod ut Deus semper habuit.* Habuit autem certè divinitatis idiomata propria, divinam majestatem, omnipotentiam, sapientiam. Ea igitur accepit non respectu personæ, nec ut unitas personæ tantùm significari puterur, sed, ait porrò Athanasius, *quia carnis propter Verbum* βιλλίωσις *accessit.* Hic paulisper consistat

sistat Danæus. Fatetur, βελτίωσιν Græcis scriptoribus Pag. 411.
significare eam gloriam, quam ipsa Christi humana natura consecuta est propter unionem. Hîc autem Athanasius eam βελτίωσιν expresse ita interpretatur, quòd caro acceperit hoc ipsum, quod Christus ut Deus semper habuit: quod quid sit, non possumus non intelligere. Rogamus itáque Danæum, ne sibi persuadeat, nos facilè passuros nobis istud tam nobile testimonium eripi hac ratione, quasi non ipsi carni suæ Deitas λόγου ea tribuerit, sed quia persona λόγου massam illam humanæ naturæ sibi in tempore hypostaticè univit, ideò hic tantùm doceatur, unam esse Christi personam ex utraque natura constantem: quum isti tam vano tâmque nihili effugio rimas istas præcludat Athanasius & Danæus quoque ipse, quod ipsi carni Christi βελτίωσις accesserit ex eo, non tantùm quia λόγῳ hypostaticè unita est: verùm etiam quia accepit in tempore, quod Christus semper habuit ut Deus, quæ est ipsa λόγου propria majestas, sapientia, gloria, potestas &c.

Idem: *Humanitus dicitur à seipso accipere, quia aliunde non* Ibidem.
accipit, eò quòd corpus illa recipiat, cujus natura accipiendæ gratiæ idonea & capax erat. Sed Verbum hoc ipsum semper possidebat secundum suam ex Patre Deitatem & perfectionem. Quid potest dici manifestiùs? Cæcus profectò sit oportet, qui non videt, Athanasium diserte ipsa Deitatis Idiomata, quæ Verbum semper possidebat secundum suam ex Patre Deitatem, tribuere corpori Christi, non respectu personæ, nec solo titulo, nec tantùm ad notandam unitatem personæ, ut contendit Danæus: sed quia corpus illa recipiat, quia corporis natura accipiendæ gratiæ idonea & capax fuerit. Neget Danæus, si potest, & probet, cur rectè neget.

Idem; *Dicit, se potestatem accepisse ut hominem, quam semper* Orat. 4. cont.
 Arrian.

habet ut Deus. Habet autem certè æternam & infinitam, & ipsam Deitatis essentialem potestatem: eámque accepit non per κοινωνίαν ἰδιωμάτων primi generis, quasi de tota persona dicatur, quod est unius naturæ proprium: sed accepit ut homo, vel respectu humanæ ipsius naturæ, vel ipso Danæo teste. Item: *Habebat illa ut pote semper & Deus & Verbum: nunc autem dicit, humanitas se accepisse, ut carne ejus in ipso accipiente in posterum ea ex carne illius in nos firmiter possidenda tradentur*. Conferat ista Danæus: quæ Christus ut Deus semper habuit, ea caro Christi accepit: nec porrò sibi videatur posse nobis istà sua tam impotenti grandiloquentia oculos perstringere, ne videamus, quid sit, *humanitus accepisse, carne ejus in ipso accipiente*, quid sit hoc, *quod Christus semper habet ut Deus*.

Ibidem.

In ad Phil. 2.

Eadem vox est aliorum quoque Patrum. Theodor: *Non ea accepit, quæ prius non habebat, sed accepit ut homo, quæ habebat ut Deus*. Item: *Si natura assumta cum Divinitate assumente est copulata, etiam ejusdem gloriæ & honoris particeps & consors facta est*. Desinat igitur Danæus negare, naturam assumtam posse eandem gloriam, quæ Divinitatis propria est, participare. Item: *Ut Deus erat universorum dominus, ut homo autem accepit gloriam, quam habuit ut Deus*.

In Psal. 21:

Cyrill: *Propria quidem Verbi omnia, secundum quod natum est ex DEO, & dominatur omnibus cum Patre: accipit autem hæc secundum humanitatem, quando factus est sicut nos*. Item: *Ut homo per gratiam à Deitate accipit, quæ ut Deus naturaliter habet*. Item: *Ut homo petit & accipit à Patre, quæ naturaliter habet ut Deus*.

Dial. 6.

Thes. lib. 8. c. 1. lib. 10. cap. 2.

Est & illud Nazianzeni testimonium illustre: *Quod Filius scribitur accipere vitam, judicium, hæreditatem gentium, potestatem omnis carnis, gloriam &c. humanitatis hæc sunt*. Sed verò

Orat. 2. de Filio.

verò & Deo hæc tribues, non tribues ipsi ὡς ἐπίκτητα, *tanquam quæ in tempore ipsi accesserint, sed quasi quæ ab initio* συνυπάρχοντα *ipsi coëxtiterint ratione naturæ, non gratiæ.* Videt Danæus quid dicat Nazianzenus, & quemadmodum non constituat talem differentiam, qualem Danæus, quòd humanitatis sint sola dona creata, Deitatis autem ipsa Divinitatis attributa propria, sed quòd omnino eadem ipsa Divinitatis Idiomata & humanitati & Deitati Christi tribuat, diversa tamen ratione, Deitati scilicet, quasi ab initio ipsi συνυπάρχοντα, humanitati verò tanquam ἐπίκτητα: quam tantam veritatem non possumus mehercle nos bonâ conscientiâ eludere. Erubescat igitur Danæus illa sanctissima Patrum ora, per quæ fatetur ipse Spiritum sanctum locutum esse, nec tam protervè Chemnitium accuset, tanquam peccarit in eo, quòd κοινωνίαν intelligit de reali participatione rei ipsius, quæ communicari dicitur: quum videat, ipsum non aliunde nisi ex certissimis S. Patrum dictis istum vocis hujus usum & sensum, & rem quoque ipsam, quam docet, didicisse.

Et ut manifestiùs etiam intelligatur, quid S. Patres velint, videamus, quemadmodum Danæus ista ipsorum dicta interpretetur, & quàm rectè. Dicit, hîc illud tantùm ostendi, *ea quæ Deitatis propria sunt, tribui homini Christo ad significandam unitatem personæ, vel de tota persona realiter enunciari, de altera autem natura prædicari* κατ' ἄλλο, *sola scilicet participatione nominis propter unionem.* Refert igitur ista dicta ad eum gradum Communicationis Idiomatum, qui Chemnitio primus est, ad quem quòd nequaquam debeant referri, nec rectè referri possint, hisce verisi-

verisimis rationibus demonstro. Nam vel ipso Danæo teste primus gradus Communicationis Idiomatum is est, quum, quod unius naturæ proprium est, de tota persona prædicatur per vocabulum concretum, & additur explicatio, juxta quam naturam personæ tribuatur: Verbi gratiâ, *Quum Deus dicitur passus*, passio ista solius naturæ humanæ propria est, respectu toti personæ tribuitur ad notandam ejus unitatem, quod Divinitas nec passa sit, nec potuerit pati. *Quum Christus dicitur fuisse antequàm Abrahamus fieret*, est illud solius divinæ naturæ proprium, ejúsque respectu toti personæ tribuitur, itáque unitas personæ significatur, quum natura humana non fuerit ante tempora Abrahami. Similem rationem Danæus statuit in iis sanctorum Patrum sententiis, quæ dicunt, Christum accepisse ut hominem, quod semper habuit ut Deus: Sed fallitur. Nam si quid hic toti personæ tribui putatur, ut significetur ejus unitas in duabus naturis, semper & rectè quæritur, juxtam quam naturam tribui putetur, idque omnino necesse est disertè explicari. Danæus autem mirificis elusionibus conatur nobis persuadere, satis esse, dixisse, prædicari de tota persona, ut ejus unitas servetur: reliqua perpetuo silentio præterit: & tamen interdum etiam non obscurè significat, quid velit. Nam disertè negat, tribui personæ respectu naturæ humanæ, cui dicit nequaquam posse Deitatis idiomata essentialia communicari. Prædicatur ergo de persona respectu naturæ divinæ, quod tam necessariò sequitur, ut negari non possit, quum nihil sit tertium. Quòd si Danæus sentit hîc quicquam tribui personæ juxta divinam naturam, itáque hanc ipsam naturam Divinam realiter accepisse in tempore, quod non etiam habuerit abæterno, quis ipsum defendat â manifesto Arrianismo? quis credat, ipsum voces istas

S. Patrum

S. Patrum, rectè interpretari? qui in illis ipsis dictis perspicuè negant, quicquam respectu naturæ divinæ de persona prædicari; quod Danæus ipse quoque manifestè agnoscit, ideóque tantopere tergiversatur, nec mehercle incallidè, nec explicat, quid sentiat. Sin à nobis in istas angustias compulsus videt, hæc esse absurda & blasphema, & negat, sese ita sentire, disertè doceat, quid velit. Nos negamus, hæc sanctorum Patrum dicta rectè referri ad primum gradum Communicationis Idiomatum. Ratio manifesta est, quia nominatur quidem Divinitatis idioma, *quod Christus semper habuit ut Deus*, sed non prædicatur de persona respectu ejus ipsius Divinitatis, cujus est proprium, quemadmodum fit in exemplis primi gradus, *Filius Mariæ creavit mundum*, *Dominus Gloriæ crucifixus est*. Danæus contrà refert ad primum gradum: probet igitur & ostendat, cur & quo respectu rectè referat, & rationem, quam diximus, solidè refutet, si potest.

Deinde verò, in eo ipso primo gradu Communicationis non dicitur, quid vel hæc vel illa natura acceperit ex unione, sed alterius naturæ proprium prædicatur de tota persona in concreto. In his autem sanctorum Patrum dictis disertè monetur, esse aliquid acceptum, illud scilicet, quod Christus semper habuit ut Deus, quod est ipsum Divinitatis idioma proprium: qui gradus Communicationis propterea à manifestissimè diversus est à primo. Quæritur autem, quis acceperit aut juxta quam naturam acceptum dicatur. Si Danæus contendet, personam accepisse, certè non patiemur nos excæcari vanis & nihili effugiis, sed judicamus, nos jure optimo postulare, ut nobis apertè respondeatur, cujus naturæ respectu persona istud acceperit. Videmus autem, S. Patres vocabulis abstractis usos expressè nominare ipsam

Christi carnem, vel naturam humanam, quæ acceperit in tempore, quod Christus semper habuit ut Deus. Igitur istud ipsa illa Christi caro accepit, neque verò sola participatione nominis, sed ita, ut ipsi βελτίωσις accesserit ex ista communicatione, quia natura carnis ejus accipiendæ gratiæ istius capax & idonea fuerit: accepit ergo realiter, nõ quidem alio modo, nisi per περιχώρησιν vel οἰκονομίαν arctissimæ unionis cum natura divina, attamen accepit: & Danæus ipse benignè nobis concedit, ea, quæ Christo donata dicuntur, respectu naturæ humanæ dici donata.

Denique quum hæc sint verissima, sequitur, S. Patres nullo modo hoc tantùm voluisse, quod solùm vult hîc Danæus, unam esse Christi personam ex utraque natura constantem, sed diserté & perspicuè docere, quid ipsa Christi caro ex unione acceperit, hoc est, de unionis effecto loqui, non de unione ipsa. Quî possit enim istud sic videri dictum, ut nihil aliud, nisi unionem personæ significet, *Christus accepit ut homo, quod semper habet ut Deus, humanitus accepisse, carne Christi accipiente, caro Christi totam Verbi operationem sustinuit?* Vertiginem suam nobis hîc prodit Danæus, non studium veritatis.

Itaque Chemnitius tertium gradum Communicationis rectè distinguit à primo: rectè quoque κοινωνίαν interpretatur de reali participatione rei ipsius, quæ communicari dicitur, non personæ, sed ipsi carni Christi, ex unione quidem, attamen ipsi carni.

Et hinc demum apparet, quàm rectè Danæus prædicationem verbalem definiat, *quum, quod unius naturæ proprium est, alteri naturæ tribuitur per vocabulum concretum significans personam*, eóque referat in universum omnes S. Patrum sententias,

tentias, quæ de communicatione idiomatum loquuntur, quæ profectò cum ista descriptione nequaquam per omnia conveniunt. Quod enim divinæ naturæ proprium est, id non semper prædicatur de Christo per vocabulum concretum ab humana natura sumtum. Verbi gratiâ, *Filius hominis creavit mundum*, *Homo accepit*, *quod Deus semper habuit*, quod utrumque rectè dicitur: sed ipsa quoque natura humana vocabulo abstracto nominatur, *Caro Christi vivificat*, *Caro Christi accepit*, *quod Christus semper habuit ut Deus*, quod à S. Patribus sæpè repetitur, & rectè dicitur, quum nequaquam simili modo rectè dici possit, *Natura humana Christi mundum creavit*, *Caro Christi fuit antequàm Abrahamus fieret*. Itâque manifesta diversitas est in exemplis, nec propterea ad unum eundémque gradum Communionis omnia commodè referri possunt. Quod quum sit verissimum, sequitur in eo gradu, qui propter istam exemplorum diversitatem omnino distinguendus est à primo, non esse nudam nominis participationem, qualis esse Danæo videtur in primo gradu, sed aliquid amplius, hoc ipsum scilicet realiter & verè, quod S. Patres diser tis verbis dicunt, carnem Christi accepisse, quod Christus semper habuit ut Deus.

Et hîc Danæum Danæi testimoniis jam constrictum teneamus, quantùm possumus, ne nobis è manibus elapsus evadat. Fatetur disertè, humanam naturam Christi quædam Idiomata Deitatis φυσικὰ habere, *uti incorruptibilitatẽ*, & sic quidem fatetur, ut neget, eam simili modo habere reliqua Divinitatis attributa. Fatetur ergo quod res est, ipsam carnẽ Christi realiter illam Deitatis λόγυ propriam incorruptibilitatẽ habere cõmunicatã ex unione. Sed quia essentia divina Pag. 14.

est ἀμέριστος, & omnia Divinitatis idiomata inseparabili nexu cohærent, ut aut nullum omnino communicatum sit carni Christi, aut communicata sint in universum omnia, vel ipsis Adversariis testibus, necessariò sequitur, carnem Christi, si ipsam Divinitatis propriam incorruptibilitatem habet, habere quoque reliqua Deitatis idiomata: quod Danæus nobis nō refutabit isto effugio, quod addit, in Deo esse
Pag. 14. quædam idiomata naturalia, quædam essentialia, sola naturalia communicari posse, non autem etiam essentialia. Nam ipsum ista ratio nihil omnino potest juvare, quum in Deo certè sint omnia essentialia, quod ne ipse quidem negare poterit, si constanter verum nobiscum fateri volet. Agnoscat igitur, se manifestissima veritate superatum sic dixisse de propria Divinitatis incorruptibilitate carni Christi communicata; ut ne vereatur porrò cum Scriptura & S. Patribus affirmare, Christum humanitus vel respectu carnis suæ accepisse ea in tempore, quæ semper habuit ut Deus, quæ sunt etiam reliqua Divinitatis idiomata.

Pag. 352. Fatetur quoque, omnem potestatem, quæ Christo data est in tempore, carni Christi datam esse. Clamat autem, esse potestatem creatam & finitam. S. Patres contrà magno consensu affirmant, esse eam ipsam potestatem, quam Christus semper habet ut Deus: quod est certè ipsum proprium Deitatis idioma. Fateatur ergo, attributa Divinitatis propria carni Christi communicata esse, nec istud tam lubricum effugium quærat ex eo, quòd caro Christi totam Verbi operationem susceperit, *quoniam illi unitum est* λόγος: quod sine scrupulo acciperetur, nisi notus esset sensus ejus, à quo dicitur. Hoc enim vult, in ista unione solam divinam naturam realiter possidere omnem operationem vel potestatē; carnem autem Christi tantùm participare nominis & honoris.

In præfatione Pag. 27.

ris communicationem propter λόγῳ ipsi unitum personaliter: quod nec S. Patres ipsum docuerunt, & istud superius ipsius testimonium multò rectiùs sentit, ipsi scilicet carni Christi datam esse illam potestatem, ex unione quidem & propter unionem, attamen carni Christi, quam S. Patres dicunt esse ipsam Deitatis propriam potestatem.

Vitam, potentiam, majestatem & gloriam, cujus ratione caro Christi dicitur & est vivifica, fatetur esse in ipsa Christi carne, quam ea verè habeat velut donum supranaturale, ἔσωθεν ab intrà sibi datum à λόγῳ. Contendit autem esse donum creatum. Nazianzenus & reliqui Patres constanter affirmant, esse eam ipsam vitam, quæ Deitati sit σωυπάρχουσα, carni verò ἔξωθεν, quam Christus ut homo acceperit in tempore, habuerit autem etiam ab æterno ut Deus. Pag. 298. 345.

Illam potentiam, cujus ratione Christus homo dicitur sedere ad dexteram Patris, fatetur esse in Christo homine, & illi datam ut homini, vel ipsi carni Christi communicatam, sed interpretatur potentiam creatam. S. Patres una mente consentiunt, eam non esse creatam, sed ipsius Deitatis essentialem. Greg. Nyss: *Ipsa dextera Dei unitum sibi hominem εἰς τὸ ἴδιον ἀνήγαγεν ὕψος. ἴδιον ὕψος, propria Deitatis celsitudo* quid sit, intelligit Danæus. Oecumen. ex Chrysost: *Quatenus Deus est, æternum habet thronum, psal. 45: sed quod ut Deus habebat, accepit ut homo:* quod ipsum quoque quid sit, videt Danæus. Leo citat Chrysostomi sententiam: *Cognoscamus, quæ natura est, cui Pater dixit, esto meæ particeps sedis: illa natura est, cui dictum est, Terra es, & in terram ibis.* Et hoc quoque quid sit, intelligit Danæus. Itaque S. Patres non tribuunt carni Christi sedem aliquam paternâ inferiorem (quod attinet ad hunc gradum Communicationis) sed Pag. 100. 402. Hebr. 1. Epist. 95.

vocant eam σύνθρονον & ejuſdem gloriæ & honoris & ſedis participem, ejuſdem ſcilicet, quæ Deitatis eſt eſſentialis. Igitur Danæus tandem aliquando deſinat tergiverſari contra tam perſpicuam veritatem, quòd ipſum Deitatis proprium idioma carni Chriſti verè communicetur.

Pag. 365. Gloriam, de qua Iohan. 17, fatetur eſſe ipſius divinæ naturę propriam, ſed negat, carni Chriſti eſſe communicatam. S. Patres contrà teſtantur, Chriſtum eam ipſi carni ſuæ petiiſſe & accepiſſe. Athanaſ: *Dicit, glorifica me, qui alios glorificat, ut oſtenderet, carnem ſe habere iſtarum rerum indigam. Ac proinde carne ſuæ humanitatis hanc glorificationem accipiente ita loquitur, quaſi ipſe eam accepiſſet.* Fateatur ergo Danæus, ipſum divinitatis proprium idioma carni Chriſti communicatum eſſe, nec adverſus tam pium conſenſum S. Patrum tam importunè declamitet, communicari non poſſe, participari non poſſe: videt enim communicari, videt participari: potiúſque de modo conſideret, quo communicetur ſine converſione vel exæquatione.

Orat. 4. con. Arrian.

Hæc autem, quæ S. Patres de carne Chriſti affirmant, ita vera ſunt, ut verũ quoque maneat, quod ſeptima Synodus ex Cyrillo depromit, & Danæus citat: *Caro Chriſti non intelligitur in naturam Deitatis transmigraſſe*: quod certè ex iſta communicatione majeſtatis non ſequitur, niſi volemus dicere, idipſum quoque inde ſequi, quia Deus homo factus

Pag. 405.

eſt. Verum quoque ſit iſtud Damaſceni, quod idem citat:

Pag. 347. 406.

Una natura contrariarum eſſentialium differentiarum διεκτικὴ *non eſt*: quia addit: *quomodo enim poſſibile eſt eandem naturam* κατὰ ταυτὸν *ſecundum idem eſſe creatam & increatam* &c. Igitur fruſtra Danæus metuit confuſionem vel everſionem, quum S. Patres non dicant, carnem Chriſti κατὰ ταυτὸν eſſe creaturam finitam, & infinitam habere poteſtatem; ſed illud eſſe

esse καθ' ἑαυτὸν, hoc habere κατ' ἄλλο, ex alia causa, nimirum propter λόγον hypstaticè unitum.

Videt igitur Danæus, Chemnitium multis S. Patrum testimoniis probare, essentiales Deitatis λόγου proprietates ab assumta natura reipsâ participari, & in hoc communicationis gradu rectè κοινωνίαν accipere pro μετοχῇ & reali participatione rei ipsius, quæ communicari dicitur, quum eam S. Patres sic intelligi velint: quod primum fuit ex iis, in quibus Danæus dixit Chemnitium peccare.

Secundò, de distinctione ἀποτελεσμάτων & ἐνεργειῶν nihil tale statuunt S. Patres, quale fingit Danæus. Vt autem intelligatur, quid potissimùm spectet, & quid sibi refutandum proponat, & quid hominis anxii rationes possint contra manifestam veritatem, diligenter observetur status disputationis. Quando enim Scriptura testatur, carnem Christi in operibus redemptionis vel in edendis miraculis esse Divinitatis λόγου συνεργὸν & cooperatricem, quæritur, quæ sit Deitatis Christi quæ carnis ejus ἐνέργεια. Verbi gratiâ, quum vivificamur, opus ipsum vel ἀποτέλεσμα non est solius Divinitatis Christi, sed ipsa quoque caro ejus vivificare dicitur: quæritur quæ sit ejus efficacia? Respondet Chemnitius, quum ἐνέργειαι ab essentia proficiscantur, sicut essentiæ ipsæ post unionem manent distinctæ, ita manere quoque proprias earundem essentiarum ἐνεργείας distinctas, ideóque utramque naturam cum communione alterius agere, quod proprium est, ut dixit in secundo gradu Communionis, & cum Damasceno actiones θεανδρικὰς appellat, quia propter unitatem personæ duarum naturarum distinctæ quidem, non autem divisè, sed unitè agentes ἐνέργειαι concurrunt ad unum ἀποτέλεσμα producendum. Hactenus Danæus consentit. Sed Chemnitius addit

Lib. 1. cap. 15. Pag. 95. 122.

addit, ipsam Deitatis λόγυ propriam ἐνέργειαν sese exerere per assumtam carnem: de quo dicta S. Patrum tam manifesta sunt, ut nullâ sophisticâ possint eludi.

Dial. 3. Hippol. apud Theodor: *Corpus Domini magnam in se habet* ζωῆς δύναμιν &c. *ut nobis possit profundere* τὰ ζωῆς αἴτια: quod

Pag. 401. De Trinitat. lib 3. Danæus diserte negat. Hilar. *In Dei virtutem & Spiritus in-*
corruptionem transformata carnis corruptio. Dei virtus quid sit,

Pag. 14. Danæus non potest nescire. Vt igitur suprà concessit, Spiritus incorruptionem vel Deitatis propriam incorruptibilitatem esse ipsi carni Christi realiter communicatam, ita fatetur ex hoc Hilarii testimonio, Dei virtutem eidem esse communicatam realiter ex unione. Gregor. Nyss: *Tradens*

Lib. 2. de anima. *suo corpori & animæ Divinitatis suæ virtutem.* Nec quid hæc sit nescire potest. Epiph. in Ancorato: σωσωσαμώσας σῶμα γήϊνον τῇ θεότητι, *corpus terrenum in unam potentiam cum Deitate*

In 3. cap. Ioh. *univit.* Chrysost; *Spiritum non ad mensuram intelligit Baptista omnem operationem Spiritus in assumta natura, nihil autem de Verbo Dei loquitur.* Et quid hîc Chrysostomus velit, quum omnem operationem Spiritus nominat in assumta natura,

1. Cor. 15. Danæus intelligit. Idem: *Christus quâ homo est, intelligitur energian habere Spiritus, & illum Spiritum dicit non tantum vivere,*

Dial. 6. *sed vivificare.* Cyrillus: *Christus homo quasi propriæ naturæ fructum non habens potentiam operandi efficaciter divinè, accipit*

In Iohan. lib. 4. cap. 24. *quodammodo illam per unionem* &c. *Verbi cum humanitate.* Idem: *Propter seipsum Spiritus vivificat, ad cujus virtutem per conjunc-*

Lib. 10. cap. 13. *tionem caro conscendit.* Item: *Caro vita facta unigeniti caro ad*

De Incarn. unig. cap. 7. *virtutem vitæ reducta est.* Item: *Communes facit tanquam cum*
sua carne divinæ suæ majestatis operationes, ut possit etiam vivificare mortuos. Damascenus: *Caro domini divinis operationibus*

Lib. 3. cap. 17. *ditata est*: in quo dicto Danæus non audebit fingere summas & excellentissimas, attamen creatas operationes &

ἐνεργείας

ἐνεργείας, qualem gloriam ſculpit ex dicto Athanaſii. Nam Damaſcenus hunc prætextum jam antevertit, quum cap. 14. & 15. opponit ἐνεργείας Deitatis & humanitatis in perſona Chriſti diſtinctas, ubi certè intelligit ipſas Deitatis proprias & eſſentiales ἐνεργείας: poſteáque addit cap. 17. quamvis inconfuſæ maneant iſtæ ἐνέργειαι, tamen carnem Chriſti divinis energiis ditatam eſſe, nimirum iiſdem, quæ Divinitatis propriæ ſunt & eſſentiales. Videt Danæus, & nos quidem certè videmus, quid & quantum S. Patres carni Chriſti tribuant ultra prætérque ea, quæ naturaliter habet: nec facilè patiemur nobis eam tam manifeſtam veritatem aliqua fucata grandiloquentia eripi. Pag. 371.

Neque enim nos movere poteſt iſta ipſius contorta explicatio, Damaſcenum mentione puriſsimæ unionis ad Verbum ipſi perſonæ, non naturæ tribuere unius naturæ proprias actiones. Nam Damaſcenus carnem ditatam eſſe dicit, non perſonam, ex unione quidem ad Verbum, attamen carnem, quod nos non poſſumus non intelligere de ipſa carne, ſicut ſonat. Et Danæus ipſe quoquè nobis benignè conceſſerat, ea, quæ Chriſto donata dicuntur, reſpectu humanæ ipſius naturæ aut ſecundum humanam naturam dici donata. Et tamen contra tam manifeſta teſtimonia negat, carnem Chriſti ad ipſam virtutem Spiritus conſcendiſſe per conjunctionem. Negat autem his potiſsimùm argumentis. Pag. 206. Pag. 361.

I. *Quarum rerum ſunt eadem* ἐνέργειαι, *earum ſunt etiam eadem* οὐσίαι: *qui Deo* συνεργὸς *eſt, is jam non divinus, ſed Deus factus eſt, quia Pater, Filius & S. Sanctus unus Deus eſſe intelligitur ex cooperatione.* Reſpondemus, verum eſſe, quorum ſunt eædem naturales ἐνέργειαι, eorum eſſe quoque eaſdem οὐσίας. Sed non dicimus, unam eſſe naturalem & eſſentia- Pag. 94. 96. 102. 105. 106. 143. 193. 332. 333.

ſem operationem carnis & Divinitatis Chriſti, quod ex cap. 17. & 18. manifeſtum fit, ubi ſua cuique naturæ propria ἐνέργεια tribuitur. Addimus autem ex Scriptura & S. Patribus, carnem Chriſti divinis operationibus eſſe ditatam, non quòd carni factæ ſint eſſentiales, ſed quia Deitas λόγου cum ſuis ἐνεργείαις in aſſumpta carne perſonaliter inhabitat, eique virtutem ſuam per iſtius inhabitationis οἰκονομίαν & περιχώρησιν communicat: unde quòd non ſequatur abolitio naturæ humanæ, demonſtravimus cap. 22. In ferro ignito ἐνέργεια urendi una eſt & eadem, ignis quidem propria, ferro autem communicata τῆς ἑνώσεως οἰκονομία, neque tamen eſt una eadémque eſſentia.

Pag. 138. 139. II. *Si caro Chriſti Deitatis cooperatrix eſt in omnibus divinis actionibus, jam in ipſum Deitatis thronum & gradum evehitur, vel eſt Deitati ὁμόθρονος*: quod argumentum quid ſententiam Danæi juvet, docet Euſtathius, qui apud Theodoretum humanam Chriſti naturam vocat σύνθρονον, *ejuſdem throni conſeſſorem cum divinißimo Spiritu, propter Deum inhabitantem in ipſa inſeparabiliter.* Theodor: *Si natura aſſumta cum Divinitate aſſumente eſt copulata, etiam ejusdem gloriæ & honoris particeps & conſors facta eſt*: quod Danæus apertè negat, & malè. Quòd autem propterea non comminiſcenda ſit abolitio naturæ humanæ ſuprà monuimus.

Dial. 2.

In Pſal. 21:

Pag. 106. III. *Omnipotentiæ Dei opera ab alia quàm à ſeipſa non fiunt & perficiuntur: alioqui jam non eſſet illa omnipotentia, quæ vel alio quodam à ſe diſſimili & diverſo cooperario perpetuò egeret, vel hac ſe lege conſtrinxiſſet, ut ſuis viribus ſolis nihil jam efficere poſſet*: quod non negamus: dicimus autem etiam cum Cyrill: *Communes facit tanquam cum ſua carne divinæ ſuæ majeſtatis operationes*: non quòd illæ ab alio diverſo cooperario perficiantur, nec quòd Deus ſuis ſolis viribus nihil jam poſsit

De Incar. Unig. cap. 7.

efficere

efficere, sed quia Deitas λόγȣ cum sua carne jam unus Christus factus est, sicut ignis unitus ferro vim suam per illud exerit, quia jam cum ipso unum individuum factus est. Et Deitatis λόγȣ omnipotentia ipsa per se sua opera perficit, non aliquid aliud ab ea diversum: perficit autem in carne, cum carne & per carnem, quæ cum Deitate λόγȣ in unam personam per περιχώρησιν arctissimè conjuncta est, ut corpus & anima in homine.

IIII. *Si natura humana est in omnibus divinis actionibus Deitatis cooperatrix, jam in persona Christi non facit Divina natura, quæ Deitatis sunt, nec humana, quæ humanitatis, sed sola humana facit, quæ sunt & Deitatis & humanitatis.* Nihil non molitur Danæus, ut quoquomodo neget, quod Scriptura & S. Patres affirmant. In secundo gradu Communicationis asseritur sua cujusque naturæ operatio propria. Sed in tertio dicitur etiam de participatione ἐνεργειῶν, non quòd omnia faciat sola natura humana, sed quia unus & idem Christus operatur omnia, qui communes facit tanquam cum sua carne divinæ suæ majestatis operationes: ut nec in ferro ignito solum ferrum facit quæ sunt & ignis & ferri, quamvis urat ipsâ ignis propriâ urendi facultate. Pag. 138. 152.

V. Vt aliqua plausibili specie legentium oculos perstringat, declamitat de divinis operibus in articulo creationis, *de animarum productione, Regnorum administratione, Regum dejectione, miraculorum, quæ nunc fiunt, effectione, cælorum motu*, quæ negat Christum per carnem assumtam perficere, quamvis idem Christus Deus & homo ea operetur. Lector meminerit, quæstionem esse potissimùm de operibus redẽptionis, quæ sit in iis efficacia carnis Christi de qua quid Scriptura & S. Patres pronuncient, jam satis est, Pag. 107. 281.

ut arbitror, oſtenſum. *Quod ſi*, ait Chemnitius, *prætereà*
Pag. 513. *de aliis creaturis, quæ extra Eccleſiam ſunt, ac generali gubernationi Dei ſubjectæ ſunt, quæratur, Scriptura manifeſtè affirmat, Chriſto etiam ſecundum humanitatem ut Domino, vel ut veteres loquuntur, humanitati Chriſti ſubjecta eſſe omnia, non tantùm in Eccleſia, ſed in genere omnia, ut nihil exceptum ſit, præter illum, qui ſubjecit ei omnia, ac diſertè & expreſsè nominantur in illa ſub-*
Pſal. 8. Phil. 2. *jectione pecora campi, volucres cæli, piſces maris, & quæcunque*
Apoc. 4. *ſunt opera manuum Dei, ſive ſint in cælo, ſive in terra, ſive ſub*
1. Cor. 15. *terra, hoſtes etiam Chriſti, atque adeò Diabolus & mors ipſa.*
Quæ Danæus profectò vidit, ſed nullibi in toto hoc Examine refutare vel attingere curavit, ut & alia plura. Et S. Patres ſine diſtinctione ſic loquuntur: *Communes facit tanquam cum ſua carne divinæ ſuæ majeſtatis operationes: quæ ſunt propria Verbi, ea quoque corporis miniſterio peragebantur*: & huc accommodant ſimilitudinem de ferro ignito, ubi nec uſtulatio fit ſine inciſione, nec inciſio ſine uſtulatione.

Pag. 118 157. 334. 335. VI. *Per Moſen, per Prophetas, per Apoſtolos, etiam ſæpe per Diabolos vel hypocritas Chriſtus edidit miracula, nec ii tamen habuerunt illam ipſam poteſtatem Deitati eſſentialem vel ex parte vel in totum ſibi realiter communicatam, quæ miracula edit: ita-que nec Caro Chriſti eam habet, nec ad miracula Chriſti plus, quàm caro Apoſtolorum contulit, aut virga Moſis ad edenda miracula Moſi profuit, ut quæ nullam habuit vim miraculorum operatricem.* Quæ per Deum immortalem poteſt eſſe major blaſphemia, quàm dicere, carnem Chriſti non plus contuliſſe ad edendum opus miraculoſum, quàm virgam Moſis? cùm ea ne quidem Moſi ipſi hypoſtaticè per περιχώρησιν in unum individuum unita fuerit, nedum Divinitati λόγου, nec propterea divinis operationibus ditata, quibus S. Patres dicunt carnem Chriſti ditatam eſſe, quia aſſumta eſt in unitatem

tatem personæ λόγου per arctissimam naturarum inter se pe-
netrationẽ: in quã quia nec Moses, nec Prophetæ, nec Apo-
stoli, nec Diaboli, nec hypocritæ assumti sunt, mirum non
est, si Divinitatis ἐνέργειαν non participant, nec ad miracula
quicquam conferunt. Negat igitur Danæus Communi-
cationem ἐνεργειῶν exemplis absurdis, quæ nihil omnino ad
rem faciunt, & sunt prorsus ἑτερογενῆ, & à proposito argu-
mento maximè dissentanea, nec agunt de rebus, quæ sint
ita arctissimè vel hypostaticè per περιχώρησιν in unum indi-
viduum unitæ, quemadmodum naturæ in persona Christi,
ut quamvis in istis rerum paribus id appareat, quod Danęus
contendit, tamen inde nequaquam sequatur, idem quoque
fieri in unione naturarum Christi. Et hercle justo Dei ju-
dicio fieri putamus, quòd Adversarii rationibus tam infir-
mis támq; blasphemis contra veritatem luctantur, ut eas vi-
dentes eo minus de nostra sententia nos dimoveri patiamur,
& in ipsorum opinionem discedamus. Itaque caussæ, quas
Danæus recitat, cur Christus membra cõporis sui adhibu-
erit in miraculis, veræ quidem sunt, sed nondum explicant
prærogativam ejus virtutis, quam carni Christi datam, ab
eáque exercitam esse in miraculis sancti Patres ex Scriptura
docent. Et vel hinc intellígit Danæus, quo jure pronunci-
et, falsum esse illud Origenis: *Omnes voluntates Verbi*
per humanam & assumtam ab eo naturam impleri & exerceri: Et
illud Gersonis: *Carnem Christi tanquam caussam secundam prin-
cipalissimam in omnibus Christi miraculis interveniss & commu-
nicasse*.

Pag. 119. 337.

Pag. 354.

VII. Denique negat istud hoc etiam argumento: *quarum*
rerum & caussarum ἀποτελέσματα sunt communia, earundem
*tamen operationes & ἐνέργειαι sunt propriæ & incommunicabi-
les*: quod aliis quinque rationibus probat: de quibus ut at-

Pag. 96. 122. 128. 307. 395

tendamus, meminerit Lector, hoc in primis quæri, num caro Christi divinis operationibus ditata sit: nam Danæus istud hisce rationibus negandum sibi proponit: quæ videntur quidem nonnihil probare argumentum Danæi de propriis utriusque naturæ Christi energiis in communi apotelesmate, sed non probant, quod Danæus probare debuit, carnem Christi ad virtutem Deitatis λόγου non conscendisse per conjunctionem. Quare utut verum sit istud, quod dicitur, *quorum ἀποτελέσματα sunt communia, eorum ἐνεργείας esse propria & incommunicabiles*, præsertim in secundo gradu Communicationis Idiomatum & in tertio de donis hyperphysicis & paraphysicis, certè S. Patres illam distinctionem in hac doctrinæ parte non admittunt, quum quæritur, quid caro Christi præter creata dona prætérque naturales suas facultates ex unione personali sortita sit, ubi disertè carni Christi ex Scriptura tribuunt *divinæ efficaciam gloriæ*. Nihil igitur istæ tam solicitæ támque anxiæ rationes Danæum juvant, quum nihil aliud probent, quàm quod Chemnitius in secundo gradu Communicationis & in tertio de donis creatis prolixè concedit etiam sine rationibus Danæi.

Ne verò conqueratur, aliquid à nobis prætermissum, in quo vel minimum sententiæ ipsius momentum fuerit, videamus, quales illæ sint, & quàm rectè ipsum quoque quamvis non omnino falsum argumentum Danæi probent.

Pag. 103. 283. 284. Prima est ab operibus Trinitatis, quæ dicuntur ad extrà: ubi videre est novam hominis anxii Theologiam. Dicit, *creationem hujus mundi fuisse totius S. Trinitatis opus seu apotelesma commune, & tamen in eo condendo aliam fuisse Patris, aliam Filii, aliam Spiritus Sancti operationem, & quidem alteri prorsus incommunicabilem: Patrem fuisse caussam προηγουμένην*

sem

seu jubentem: Filium δημιουργικὸν *seu efficientem: Spiritum S.* πληρωτικὸν *vires injicientem*: quod hac ratione probat, *quia personarum operationes vel confundendo vel cōmunes faciendo ipsæ quoque personæ divinæ confundantur & tollantur, quæ distinguendæ sint relationibus & proprietatibus seu operationibus incommunicabilibus.*

Hanc Theologiam unde didicerit, nescimus. Videat verò, quid sequatur. Si verum est, quod ait, personas Trinitatis istis operationibus incommunicabilibus distingui, concluditur necessariò, Patrem nihil ipsum operatum esse in mundi creatione, tantùm jussisse; quid vellet fieri, posteáque ociosè spectasse, quid Filius efficiens & S. sanctus vires injiciens præstaret: Filium quoque fecisse quidem aliquid, sed nihil perfeciisse: solum Spiritum sanctum τελείωσιν addidisse: quæ sunt ipsis ineptiis puerilibus inceptiora. Sed ut ista leviora mittamus, attendamus potiùs alia eáque majora.

In sexta Synodo citatur sententia Nysseni, quam probat quoque Danæus: *Diversas esse operatrices naturas ex diversitate operationum animadvertimus.* Et ut, quorum sunt eædem ἐνέργειαι, eorum quoque sunt eædem οὐσίαι, sic, quia contrariorum eadem est ratio, quorum diversæ sunt & incommunicabiles operationes, eorum sunt quoque diversæ οὐσίαι. Sequitur ergo, non esse eandem essentiam Patris, Filii & S. sancti.

In præfatione Pag. 26.

Damasc. lib. 3. cap. 14.

Hic dispiciat Danæus, quemadmodum unitatem essentiæ divinæ tueri possit adversus tam manifestam conclusionem, quæ ex hoc ipsius argumento necessariò consequitur, Personæ Trinitatis distinguendæ sunt, & rectè distinguuntur τρόπῳ ὑπάρξεως, vel proprietatibus & operationibus incommunicabilibus, quæ sunt opera Trinitatis ad intra; quòd Pater Filium genuit; Filius à Patre genitus est:

est: & Spiritus sanctus ab utroque procedit. Quod verò attinet ad opera Trinitatis ad extrà S. Patres luculentè docent, ea esse indivisa, etiam quoad ἐνεργείας, nec iis discrimina personarum quærunt vel constituunt. Et Basilius, quem testem citat Danæus, quum observasset in Mose diversas loquendi formulas, *In principio creavit Deus*, &, *dixit Deus, fiat lux*, tanquam hac posteriore phrasi aliquid amplius notetur, colligit, inde posse plures personas Trinitatis agnosci, quarum alia jubeat, alii jubeatur: sed nequaquam inde concludit diversitatem ἐνεργειῶν, quæ certè ipsius quoque naturę diversitatem inducit: quæ quum sit in Trinitate una eadémque, una quoque est & eadem ἐνέργεια in producendo communi apotelesmate.

In homil. ad Hexaem.

Imò Augustinus etiam in propriis singularum personarum effectis vel ἀποτελέσμασιν agnoscit unam inseparabilem Trinitatis operationem, ut videre est è quæstione lib. 1. de Trin. cap. 5. & ex iis, quæ ad eam quæstionem respondet lib. 4. cap. 21. Libro primo sic ait: *In fide nonnulli perturbantur &c. quum dicitur, inseparabiliter operari Trinitatem in omni re, quam Deus operatur, & tamen quandam vocem Patris sonuisse, quæ vox Filii non sit, in carne autem natum & passum, & resurrexisse & in cælum ascendisse non nisi Filium: in columbæ autem specie venisse non nisi S. Sanctum* &c. Lib. 4. sic respondet: *Similitudine memoriæ, intellectus & voluntatis utcunque cognoscitur, inseparabilem in seipsa Trinitatem per visibilis creaturæ speciem separabiliter demonstrari, & inseparabilem Trinitatis operationem etiam in singulis esse rebus, quæ vel ad Patrẽ, vel ad Filium, vel ad S. Sanctum demonstrandum propriè pertinere dicuntur.* Si igitur in propriis singularum personarum Divinitatis ἀποτελέσμασιν una est inseparabilis Trinitatis operatio, multò magis una est eadémque in effecto communi pro-

in producendo. Damasc: *In Patre & Filio & S. sancto ex identitate* τῆς ἐνεργείας *& voluntatis identitatem naturæ agnoscimus.* Lib. 3. cap. 14. Augustin: *Quicquid operatur Trinitas Sancta, inseparabiliter hæc eadem operatur, quia una est Trinitatis operatio, sicut una est substantia, essentia & voluntas.* In quæst. de Trin. Igitur hac ratione Danæus nequidem ipsum suum argumentum probat, multo minùs hoc, quod probare debuit, carnem Christi divinis operationibus non esse dicatam.

Non alia est nostra responsio ad istud exemplum de Incarnatione Filii Dei, ubi quidem non Pater nec S. sanctus, sed solus Filius incarnatus est, & Pater est persona mittens, Filius persona missa; in ipso tamen Incarnationis apotelesmate S. Patres istam distinctionem diversarum ἐνεργειῶν non agnoscunt. Et quam hîc Danæus ἐνέργειαν S. sancti fuisse dicit, Mariam scilicet inumbrare, ac ex ea corpus condere, quod λόγῳ adaptaret, eam Lucas expressè dicit fuisse virtutem altissimi, vel Patrem significans, vel totam S. Trinitatem, qui est Deus altissimus. Damascenus dicit, id totum ipsum Filium Dei fecisse. Et piæ mentes meritò aversantur distinctiones istas incommunicabilium ἐνεργειῶν, & ea, quæ inde necessariò consequuntur, quasi Pater nihil aliud hîc egerit, præterquam quòd misit, eáque missione facta ociosè spectârit, quis exitus futurus esset: Filius quod ad reliqua fuerit ociosus, passus sibi corpus adaptari â Spiritu sancto, quod susciperet. Cur enim ista non inde consequantur? quum Danæus omnibus nervis contendat, singularum personarum operationes esse aliis prorsus incommunicabiles. Ergo quod S. sanctus inumbravit & supervenit, id nequaquam etiam Divinitas Patris aut Filii fecit: diversæ igitur naturæ. Patres certè operationes Trinitatis in Incarnatione Filii non ita distinguunt, Humanam naturam

Pag. 284.

Lib. 3. cap. 2.

fuscepisse in unitatem personæ solius Filii ἔργον est & ἀποτέλεσμα, reliquis personis ἀκοινώνητον. Ipsa autem ἐνέργεια Divinitatis λόγου incarnandæ totius S. Trinitatis est communis & indistincta.

Denique ἐπιγενὲς est hoc exemplum, nec potest argumentum Danæi probare. Neque enim in S. Trinitate est aliqua diversarum naturarum in unam personam conjunctio, unde emergat communicatio vel diversitas ἐνεργειῶν, sed est inseparabilis ejusdem essentiæ unitas, quæ facit, ut sit quoque inseparabilis personarum operatio. Quî potuit ergo Danæus sperare, se isto exemplo probaturum quod volebat, quarum rerum ἀποτελέσματα communia sunt, earum tamen ἐνεργείας esse proprias & incommunicabiles? quum nihil minus sit in Trinitate, quàm diversitas ἐνεργειῶν in ejus operibus ad extrà. Et quî porrò potuit isto argumento probare, carnem Christi divinis ἐνεργείαις non esse dilatatam? quod certè probare debuit, si potuit.

Pag. 284. 285. Secunda ratio Danæi est è tribus Christi miraculis, *Sanatione cæci, excitatione Lazari & filii viduæ: ubi fuerint* ἀποτελέσματα *communia duarum Christi naturarum, singularum tamen agentium operationes propriæ manserint & incommunicabiles: Divinitatis fuerit videndi facultatem in cæci oculos infundere, vitam in corpus Lazari & filii viduæ immittere: humanitatis verò sputum excreare, lutum conficere & oculis applicare, vocem emittere, loculum tangere.* Lector statum quæstionis sibi ob oculos proponat. Scriptura & S. Patres dicunt, carnem Christi per conjunctionem conscendisse ad virtutem Spiritus vivificantis. Danæus id negat, & eam in edendis miraculis nihil aliud operatam esse dicit, nisi manum admovisse, vocem emisisse, sputo lutum confeciſſe.

Quum

Quum verò Christi caro vita naturali vivat, & ultra, supra præterq; eam ex unione cum λόγῳ sortita sit vitam multò etiam excellentiorem & hyperphysicam, vel ipsis Sacramentalis testibus, mirum profectò videatur, cur non hoc admittant Adversarii, vivificam carnem Christi saltem naturali vel hyperphysico aliquo calore mortuos & infirmos refecisse, nec tantùm loculum tetigisse vel vocem emisisse, quum præsertim Danæus ipse prolixè fateatur, Christo secundum humanam naturam datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra, quæ certè quidem debebat videri plusculum posse, quàm loculum tangere, vel vocem emittere. Pag. 352.

Sancti Patres non tantùm dicunt, carnem Christi lutum sputo miscuisse, vocem emisisse, loculum tetigisse, sed addunt etiam, eam divinis operationibus ditatam esse: quod Danæus negat, quantùm potest, sed frustra, quum ea, quæ dicit, vera quidem sint in secundo gradu Communicationis, nec tamen iis possit hoc rectè negari, quod præterea S. Patres ex Scriptura de carne Christi affirmant. Cyrill: *Carnem suam quasi cooperantem nonnunqnam adhibebat, ut rei ipsâ ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi conjuncta est, vivificam esse.* In Iohan. lib. 4. Cap. 14. Athanas: *Spuebat quidem ut homo: sputamentum tamen illud divinum erat, siquidem per illam salivam oculos cæci sanavit.* De blasph. in Spir.

Negat idem porrò duabus aliis rationibus. I. Manum Christi vim vivificantem à λόγῳ acceptam non habuisse, quę cadaver excitarit, *quum hæc ipsa Christi manus posteà unà cum reliquo corpore Christi & mortua sit & sepulta.* Pag. 285. Bona scilicet ratio. Manus Christi vim vivificantem non habuit, quia mortua fuit? Cur non eadem ratione negat, ipsum immortalem & impassibilem Deum cum carne Christi hypostaticè unitum fuisse, quando caro illa passa est & mortua? Veteres

dicunt, Divinam naturam, propterea̅que etiam divinam vivificandi virtutem carni communicatam per οἰκονομίαν unionis, conquievisse ad pāssionem: Christum passum & mortuum non naturæ necessitate, sed volentem, ut victima
Pag. 285. fieret pro nobis. II. Vocem ipsam Christi Lazarum non excitasse, *quum non, quicquid vox Christi tunc est allocuta, uti Hierusalem illam rebellem, illud vivificarit.* Argumentum simile superioris. Vox Christi vim vivificantem non habuit, quia non omnia vivificavit, quæ allocuta est? Quid si ex eodem argumento concludatur, ne quidem Deitatem
Matth. 9. ipsam eam vim habere? Quum tangeretur Dominus ab hæmorrhoussa, sentit ex sese virtutem egressam ad sanandam fœminam. At eassdem vestes & ipsam Christi carnem postea̅ multi alii attigerunt, nec sanati sunt. Ratio manifesta est, quia vita Christi per carnem sese exerit ad vivificā̅dos homines: at ubi fides non est, quæ vitam accipiat, nihil proficitur: ipsa tamen caro Christi est & manet vivifica: non autem vivificat, ipsorum hominum culpâ, qui vitam oblatam accipere negligunt. Ne quidem igitur hac argumento Danæus probat, quod vult, Divinitatis operationes & ἐνεργείας esse carni Christi incommunicabiles: quia & S. Patribus & ipsi veritati manifestissimè contradicit.

Pag. 197. 285. Tertia ratio Danæi est à duobus exemplis rerum naturalium, è quibus munimenta defendendæ suæ sententiæ admovet, *quia apprehensio ligni sit omnium manus digitorum* ἀποτέλεσμα *commune, singulorum tamen illius manus digitorum operatio maneat in eo opere propria: Locutio seu oratio sit communi ne animæ & corporis opus, alia tamen sit animæ in eo opere actio, alia corporis.* Quæstionem repetimus nec sine caussa. S. Patres affirmant, carnem Christi divinis operationibus esse dilatam. Danæus negat hoc alio artificio, quia in apprehen-

dendo

dendo ligno pollex non idem faciat quod index: in locutione non idem anima, quod corpus. Sed quid ista proposito Danæi serviunt? Quæritur, quum quinque digiti lignum apprehendunt, quæ & unde sit in iis ista ἐνέργεια: dicimus eam esse solius animæ propriam, digitis autem communicatam per arctissimam unionem corporis & animæ, ita ut anima istam suam ἐνέργειαν non aliter nisi per digitos exerat: quū membra corporis sonum orationis formāt, ἐνέργεια non alia est nisi animæ, nec aliunde nisi ab anima, cujus hypostatica præsentia facit, ut fiat, quicquid hîc fit. Ita vis vivificandi una est eadémque, Deitatis quidem λόγου propria, sed per οἰκονομίαν unionis carni Christi communicata ita, ut eam Divinitas sine humanitate nec exerat nec exercere velit.

Vt autem Danæus argumentatur, exemplum istud de digitis est ἑτερογενὲς. Nam digitis singulis est sua cuique substantia, nec in unam personam vel individuum per περιχώρησιν hypostaticè pollex & reliqui conjunguntur, ut si vel maximè sua sit propria cujusque ἐνέργεια, tamen ea non possit aliis communicari, quia deest caussa communicationis, unio scilicet per περιχώρησιν, qualis est ignis & ferri. Sed in persona Christi Divinitas humanitati hypostaticè per περιχώρησιν in unum individuum unita facit, ut ad virtutem λόγου ipsa quoque caro Christi conscendat: quod ipsum quoque fieri nullo modo posset, nisi esset Divinitati hypostaticè unita. Nihil igitur ista Danæum juvant. Et ut in formanda oratione sua est actio animæ, sua quoque membrorum corporis: ita in secundo gradu Communicationis aliud agit humana natura Christi, aliud divina. Sed inde non sequitur, in tertio gradu falsum esse, quod de carne

Chriſti S. Patres ex Scriptura docent, eam divinis operationibus ditatam eſſe, ut corpus energiis animę.

Pag. 205. Quartam rationem adhibet ex aliis duobus exemplis rerum artificialium, *quia Scriptura ſit utriuſq; naturæ hominis ſcribentis opus & ἀποτέλεσμα, in ea tamen alia ſit animæ operatio, alia ipſius manus ſcribentis: enſis cudendus ſit & animi & corporis fabri ferrarii opus commune, in quo tamen ſic ſit propria actio ingenii, ut corpori communicari non poſſit, vel contrà.* Argumentum ſimile ſuperioris. Manum dirigere, Characteres imaginari, formam enſis intus fingere & præſcribere animi opus eſt, quod corporis manus nequaquam poſſunt producere: calamum apprehendere, lineas ducere, atramentum illinere, malleum tractare, incudem ferire, ferrum extendere ſolius manus eſt, animo ipſũ quoq; ἀκοινώνητον. In animo vis eſt & ἐνέργεια naturaliter inſita â Deo, ut ita opus poſsit producere. In manibus ἐνέργεια eſt iis quidem ipſa quoque naturaliter inſita, ſed animæ tamen propria, & ab anima propter unionem ejus cum corpore profecta, manibúſque communicata, quæ per manus ſeſe exerit, ut eæ & ſcribere poſsint & enſem cudere; quæ ſunt ad probandam noſtram ſententiam multo etiam accommodatiſsima, quum ita λόγῳ carni Chriſti communicetur, ſicut iſtæ ἐνέργειαι communicantur ab anima corpori. Quid igitur inſtituto Danæi ſerviunt? qui quanquã videri poteſt hac ratione probare, in commune apoteleſmate proprias eſſe ſingulorum operationes, ut fit in ſecundo gradu Communicationis, non probat tamen, quod inſtituit probare, carnem Chriſti ad virtutem λόγῳ non conſcendiſſe, ſed ſeipſum perturbat, & veritati & manifeſtis ſanctorum Patrum teſtimoniis prudens ſciénſque contradicit, qui non ex ejuſmodi argutiis, ſed ex certiſsimis

Scriptura

Scripturæ dictis explicant, quid de carne Christi sentiendum sit.

Quinta ratio est, *ubi organa adhibentur, alia est organi, alia verò causse ipsius organum moventis operatio, quamvis in uno eodémque apotelesmate efficiendo, veluti alia est propriè hominis gladium moventis, alia verò gladii moti in scindendo operatio, aliud insecando faber agit, aliud serra.* Sed & hęc ratio inepta est, quia homo gladio, faber serræ non unitur hypostaticè per mutuam naturarum penetrationem vel περιχώρησιν: igitur illic nulla operationum communicatio esse potest, quia caussa communicationis nulla est. Quod si Danæus putat Christum carnis suæ ministerio non aliter uti, quàm hominem gládio, vel fabrum serrâ, nescit profectò, quid sit unio hypostatica vel vera idiomatum communicatio: quod ut agnoscat optamus ipsi ὑγιαίνειν. Pag. 476. 198

Et hinc intelligit, quàm verum sit, quod affert de distinctione τῶν ἀποτελεσμάτων & ἐνεργειῶν S. Patribus usitata. Nam in secundo genere communicationis idiomatum & in tertio de donis hyperphysicis & paraphysicis rectè dicitur, suas cujusq; naturę proprias et incõmunicabiles esse ἐνεργείας. Quando autem S. Patres dicunt, *Carnẽ Christi ad ipsam quoque Spiritus virtutem conscendisse, Christum communes facere tanquam cum sua carne divinæ suæ majestatis operationes*, quid hoc sit, non potest Danæus ignorare: nec ipsum juvat istud effugium, quòd unius naturę divinę scilicet propriũ tribuatur personę, non alteri naturę. Videt enim S. Patres ipsã Christi carnẽ expressè nominare, quę divinis operationib. ditata sit.

Itaque sententiæ, quas recitat, verę sunt, &, loquuntur tantùm in secundo & tertio gradu Communicationis de donis creatis: nec necesse est ex nostra sententia & superioribus S. Patrum dictis sequi, nostram carnem fore ipsâ Deitatis Pag. 477.

idiomatum

idiomatum participem, alioquin sequeretur, nostra corpora quoque hypostaticè unitum iri cum Divinitate λόγϖ in vita æterna. Nec illud sequitur, divinam οὐσίαν esse qua-
Pag. 408, 409. litatem quæ magis & minus admittat. Quî enim quæso istud ex nostra sententia sequatur? Reliqua dicta nec ipsa contra nos faciunt: loquuntur enim de eo tantùm, quæ sint propriæ Divinitatis actiones, & unde caro Christi in tempore acceperit hoc, quod eam accepisse dicimus, scilicet non καθ' ἑαυτὴν, sed κατ' ἄλλο, ex alia caussa, quia λόγῳ hypostaticè sibi unitum habet cum tota ejus essentia & omnibus attributis propriis.

Et hic secundus modus erat, in quo Danæus dixerat à Chemnitio peccari, & Patrum autoritates corrumpi.

Tertiò: nemo nostrûm negat, ingressum Christi per clausas januas esse virtutis Dei: sed inde non sequitur, sicut cœlum & terra creata sunt virtute Dei, quum nihil ipsa cooperarentur, sed tantùm fierent, ita quoque corpus ipsum Christi nihil hîc præstitisse, tantùm virtute Dei introductum, ut si lapis contra naturam per alium lapidem permeet: sed ut ait Epiphan: οὐκ εἰς ἀνυπαξίαν χωρήσας, ἀλλα σωδυναμώσας σῶμα γήϊνον τῇ θεότητι. Item, *ipsum verum corpus* ἐνδυναμώσας. Cyrill: *Ipsius vitæ corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest.* Damasc: *Caro Domini* τὰς θείας ἐνεργείας ἐωλόθησε. Videt Danæus, S. Patres operа Deitatis propria ipsi carni assumtæ communia facere etiam in ipsa operatione vel ἐνεργείᾳ.

In Ancorato. Lib. 1. Tom 1. In Iohan. lib. 4. cap. 23. Lib. 3. cap. 17.

Pag. 410. Quod de potestate homini Christo data repetit, fuit ex hoc loco translatum ad cap. 24. Angustiæ sunt istæ hominis ad manifestissimam lucem velut in spontaneis tenebris lubentissimè quidem, sed molestissimè cæcutientis, qui lucem in ipsos oculos sese rectâ ingerentem videt, sed studiosè

magno

magno labore ipſe ſibi tenebras offundit, ne videre videatur.

Itáque Lector intelligit, iſta S. Patrum teſtimonia tam certô evincere, ipſa divinitatis idiomata carni Chriſti verè communicata eſſe per οἰκονομίαν unionis, ut nullâ ſophiſticâ poſsint eludi, ut nobis profectò periculoſiſsimum videatur, ſi quis in tanta luce prudens ſciénſque claudit oculos, & ſuapte ſponte cæcutit.

Ad Cap. XXVI. XXVII.

Cap. 26. recitat Chemnitius quædam vocabula, quibus gloria Chriſto homini data ſolet â Patribus vocari. Danæus ait de vocabulis facilè conſtare, ſi de re conſentiatur, de qua quia maneat controverſia, fruſtrà de verbis duntaxat laborari, quæ diverſo ſenſu ab utrisque uſurpentur. Pag. 411.

De cap. 27. quòd λόγος cum propria ſua carne ſit ſecunda perſona Trinitatis, Danęus conſentit. Pag. 412.

Ad Cap. XXVIII.

Chemnitius hîc agit de Seſsione Chriſti ad dexteram Patris. Danęus hoc in primis urget, ex iſta Seſsione non ſequi, humanam Chriſti naturam eſſe reipsâ participem eſſentialium ipſius Deitatis idiomatum, quia Chriſtus ratione creatæ potentiæ, non ejus quæ Deitatis propria eſt, ſedeat ad dexteram Patris. Probat ſimilitudine de Regis vicario, quæ ut eſt ineptiſsima, ita iſtis hominibus frequentiſſima eſt. Sed per Deum immortalem, quis Danæum docuit ex iſta ſimilitudine concludere, quid & quantum propter illam Seſsionem ad dexteram Patris in humanam naturam Chriſti collatum ſit? quum ea certè ſit ἑτερογενεσάτη, quia vicarius Pag. 402, 413.

iſte cum ſuo Rege nequaquam unitur in unum hyphiſtamenon mutua naturarum inter ſe permeatione, ut caro Chriſti cum Deitate λόγῳ velipſa Dextera Patris. At talem doctrinam decet talis ſimilitudo. Et profectò, ſi hæc eſt omnium optima ipſorum ratio contra nos, ut certè eſt (nam ſi meliorem haberent, Danæus non prætermiſiſſet eam hîc aſcribere) & ſi ei tam valde fidunt, quàm videntur, & quàm ſæpè nobis eam occinunt, deploratum genus iſtud hominum verè dixerimus, quibus, quòd amorem veritatis non habeant, Deus miſerit tam validos errores, ut quantumvis errores ſint, eos tamen ipſi non pro mendaciis & erroribus habeant, ſed pro certiſsima veritate. Miſeretor ipſorum Domine Ieſu, ſi quis hîc adhuc locus eſt inæſtimabilis tuæ miſericordiæ. Amen.

Nos è verbo Dei & S. Patribus didicimus, Dexteram Patris eſſe ipſam divinam naturam λόγου, divinam majeſtatem, gloriam, potentiam & operationem, ad quam elevata eſt caro Chriſti, non ut vicarius ad dexteram Regis collocatur, cum quo nequaquam hypoſtaticè unitus eſt aut uniri poteſt, ſed ita, quia aſſumta eſt â λόγῳ in unitatem perſonę, nec tantùm creatam potentiam ſortita eſt ex illa unione, cujus ratione collocetur ad Dexteram Patris, ſed ipſam Dexteram Patris, ipſam Divinitatem λόγου cum ipſa omni divina potentia & majeſtate hypoſtaticè per περιχώρησιν ſibi conjunctam habet: de qua re potiùs audiamus ſanctiſsimas Orthodoxorum Patrum voces.

eb. 1. Oecumen: ex Chryſoſt: *Sed & humanitus dictum eſt: ut Deus enim æternum habet thronum. Neq; enim ut Deus poſt crucem & paſſionem primùm tanto honore dignus habitus eſt: ſed accepit ut homo, quod habuit ut Deus.* Theodor: *Si natura aſſumta cum Divinitate aſſumente eſt copulata, etiam ejuſdem gloriæ &*

ſal. 21.

honoris

honoris particeps & consors facta est. Item: *Quòd sumta ex nobis* Eph. 1.
natura ejusdē honoris cū eo qui sumsit, sit particeps, hoc verò omne miraculum superat. Item: *Sede à dextris meis: hoc humanitus dictū est. Vt enim Filius sempiternum habet imperium: sed ut homo accepit, quod ut Deus habebat.* Greg. Nyss: *Ipsa Dextera Dei* Pag. 110.
nitum sibi hominem in propriam evexit sublimitatem per unionem. Erubescat igitur Danæus, qui quum ista tam illustria S. Patrum testimonia videret, ausus est tamen scribere: *Licèt* Pag. 402. 414.
humana Christi natura ad Dexteram Dei sedeat, ipsam tamen essentialem Dei potestatem nequaquam habet, sed illa potentia, cujus ratione sedet ad Dexteram Patris, est creata. Nam quod Christus semper habuit ut Deus, id certè est ipsum proprium Deitatis attributum, propria λόγῳ sublimitas est ipsum ejus essentiale idioma, potestas, gloria, majestas &c. Accepit autem idipsum non per κοινωνίαν ἰδιωμάτων primi generis seu respectu personæ: nam S. Patres expressè negant, Christum ut Deum accepisse: sed respectu humanæ naturæ, vel ipso Danæo teste: quæ σάρξ ἐστιν & ejusdem (ejusdem, inquiunt S. Patres, non proximi, non vicarii, non creati) honoris cum divinissimo Spiritu propter Deum inhabitantem in ipsa inseparabiliter: quod quid sit, omnes sani judicent, & Danæus agnoscat lucem veritatis, si placet, & desinat aliquando vociferari, Christum ratione creatæ potentiæ sedere ad dexteram Patris, desinat negare, quod Orthodoxi Patres uno ore affirmant, assumptam naturam Christi esse reipsâ participem ejusdem gloriæ & honoris & sedis cum Divinitate assumente.

Ad Cap. XXIX.

Cap. 29. tractatur de adoratione carnis Christi, quam

Danæus admirabilibus præstigiis negat tanquam manifestã Idololatriam, quibus ante nos nominatim responderunt cum alii, tum in primis Apologia Formulæ Consensionis, ut non videatur opus esse hîc plenam refutationem instituere. Quia tamen propter Lectorem aliquid dicendum est, capita refutationis ex Apologia repetemus, eáque Thesibus & argumentis Danæi breviter opponemus.

Pag. 29. & sequentib.

Docemus, carnẽ Christi, quatenus etiam in unione consideratur ut creatura absolutè secundum se non esse adorandam: quia cultus adorationis non debetur creaturis, sed soli Deo.

Quia verò consideratur non tantùm ut creatura, sed ut unigeniti proprium corpus; & Christus in utraque natura unus est, Deus & homo, docemus, eam cum Divinitate λόγȣ adorandam non propter naturales proprietates, nec propter creata dona hyperphysica, sed propter unionem hypostaticam: itáque non nudam creaturam adoramus, sed eam, quæ pertinet ad hypostasin τȣ̃ λόγȣ, nec naturas confundimus, nec humanam divinæ exequamus. Sic objectum adorationis Nautarum, cæci, Thomæ est ipsa humana Christi natura. Oratio cæci & mulieris Chananææ refertur ad eam naturam, quæ est ex semine Davidis.

Matth. 14. Ioh. 9. & 20. Matth. 15. 20. Luc. 18.

Qui in invocatione unam naturam respicit, alteram seponit, totum Christum amittit.

Christo crucifixo & à mortuis resurgenti datum est nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu. Christo homini datum est judicium, ad quod pertinet, ut ab omnibus timeatur & adoretur.

Phil. 2. Iohan. 5.

Vt Christus caput, & frater, & Salvator noster est, ita quoque adoratur secundum utramque naturam.

Damasc: *Adoro* τȣ̃ χȣ̃ τὸ σωαμφότερον, hoc est, *totum Christi, propter carni communicatam conjunctámque Divinitatem.* Itáque

Lib. 3. cap.

Danæus

Danæus ſuis præſtigiis tantùm legentium oculos perſtringit, nihil autem proficit, quum dicit, *Totum quidem Chriſtum* Pag. 415.
à nobis adorari, ne perſona dividatur, non autem in totum Chriſti adorationem proprie dirigi. Nam totus Chriſtus eſt Deus & homo: totum Chriſti non eſt alterutra, ſed utraque ejus natura ſimul, conjuncta, non ſeparata. Totum Chriſtum adorari dicit Danæus, non totum Chriſti: quaſi verò totus Chriſtus non ſit etiam totum Chriſti. Quid tenebris iſtis tam ſpontaneis miſerabilius?

Theodor: *Chriſtus ſemper ab Angelis accepit cultum & adorationem, erat enim ſemper Deus: jam autem adorant ipſum etiam ut hominem.* Hebr. 1°
Cyrillus citat Athanaſii ſententiam: *Si quis dicat, inadorabilem Domini noſtri carnem ut hominis, & non adorandam ut Domini & Dei carnem, hunc anathematizat Sancta & Catholica Eccleſia.* De recta fide ad Regin.
Quintum Concil. Oecumen: *Si quis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, anathema ſit.*

Hinc apparet, objectum fidei & invocationis eſſe non ſolam divinam naturam Chriſti, ſed totum Chriſtum ſecundum utramque naturam, divinam & humanam. Cui noſtræ ſententiæ non obſtant naturarum differentiæ, quæ ſalvæ manent in Chriſto: neque enim adoratur humana natura tanquam Deus vel ipſa Divinitas facta, ſed quia cum Divinitate λόγϖ unam perſonam conſtituit: nec ſecum pugnant iſta, quando dicitur. I. *Humanam naturam adorari.* II. *Nihilominus retinere proprietates ſuas eſſentiales.* Eſt enim utrumque verum, nec naturæ confunduntur, ut ſomniat Danæus. Pag. 420.

Argumentis Danæi breves Theſes refutatorias òpponimus.

I. Ieremias, quum pronunciat, *Eum maledictum, qui fi-* Cap. 17.

Pag. 417. *fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum,* loquitur de iis, qui fidunt illis, qui nihil aliud sunt, quàm nudi homines, non agit de carne unigeniti, ad quam dictum illud torquere extrema impietas fuerit. Caro Christi est quidem vera caro, sed quod & cur adoretur, respondet

In 14. cap. Ioh. Augustus: *Quid est, quòd carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum Divinitate adoras, & ei non minùs quàm Deitati deservis? Ego verò Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem ideò adoro, quòd à Divinitate suscepta, & Deitati unita est, ut non alium & alium, sed unum eundémque Deum & hominem Filium Dei esse confitear. Denique si hominem separaverìs à Deo, illi nunquam credo & servio.* Sequitur ergo, non eum maledictum, qui carnem Christi adorat, sed eum, qui non adorat.

Gal. 4. Pag. 417. II. Paulus, quum vocat *Idololatras eos, qui serviunt illis, qui naturâ non sunt Dii*, nihil agit de carne Christi, sed de Idolis loquitur. Quòd autem caro Christi non sit adoranda, quia naturâ Deus non est, id verò falsum est, nec verbo Dei & S. Patrum testimoniis consentiens.

Iohan. 15. III. Christus non vult nos servos dici, sed amicos suos. Imò dedit nobis potestatem, filios Dei fieri. Quis igi-

Pag. 417. tur audebit dicere, eum ipsum in gloria ad Dexteram Patris esse tantùm conservum nostrum, nec adorandam carnem

Actor. 2. ejus? quum Deus ipsum Dominum fecerit. Euseb. Episc.

In Homil. fer. 6. post. pasch. Emiss: *Qui secundum Divinitatem semper simul cum Patre & S. sancto omnem rerum potestatem habuit, nunc etiam secundum humanitatem omnium rerum potestatem accepit, ut homo ille, qui nuper passus est, cœlo & terra dominetur.*

Pag. 418. Lib. 3. cap. 8. IV. Caro Christi non esset adoranda, nisi esset assumta in unitatem personæ λόγου. Damasc: *Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem: adoro Christi Dei mei* τὸ σωμα. *propter carni unitam Deitatem.* VI. Caro

V. Caro Christi non est nuda creatura, sed ea, quæ cum Divinitate λόγου hypostaticè per περιχώρησιν unita est, & propterea una adoratione simul cum ea colitur. Pag. 418.

VI. Paulus nihil minus agit, quàm ut doceat, totum Christum Deum & hominem non esse adorandum. Nam vocabulum *DEVS* hîc non notat solam divinam naturam, sed totam personam, quæ sit adoranda: & certè natura humana ideò adoratur, quia cum Deitate λόγου personaliter unita est. Rom. 9.

VII. Esaias loquitur non de assumta natura Christi, sed de Idolis, quibus Deus gloriam suam non sit daturus: cujus verbis blasphemè trahuntur eò, ut iis negetur, carni Christi debitus adorationis honor: quam gloriam quum Filius Dei dat carni suæ, profectò non dat alteri, sed sibiipsi: quod si Danæus hactenus non intellexit, tandem aliquando discat intelligere. Cap. 42. Pag. 418.

VIII. Quis fuerit error Nestorii, docet Cyrillus, quod scilicet docuerit, *Hominem assumtum unà cum Verbo adorandum, Deúmque tanquam alterum cum altero appellandum esse, Christum tanquam hominem unà cum altero præter ipsum existente, videlicet Dei Patris Verbo adorandum:* quo duos Christos vel duas personas, alteram Deum, alteram hominem constituit: quod meritò damnatum fuit: quod nobis affingere est manifestè calumniari. Addit autem Cyrillus: *Eum qui non secundùm veram unionem in unum Christum & Filium & Dominum conjunctum una adoratione honorat, justè virtuti anathematismi hujus subjici.* Anathem. 8.

IX. Omnes Orthodoxi Patres docent, adorationem nostram dirigendam esse non tantùm in Deitatem Filii, sed in ipsam quoque Christi carnem. Dicta paulò antè citavimus.

Quia

Quia verò Danæus ſuam ſententiam tueri conatur quibusdam S. Patrum vocibus, quæ contrarium ſonare videntur, explicationes earum ſubjicimus.

Dial. 5. con. Arrian. Pag. 419. Athanaſii dicta non negamus: *Deus adorandus eſt reſpectu Deitatis: Deus, qui humanam naturam aſſumſit, adoratur*: nec docemus, carnem Chriſti per ſe adorari; ſed quia cum Divinitate λόγϐ perſonaliter unita eſt: & cum eodem Athanaſio confidenter dicimus; *Si quis dicat, inadorabilem Domini noſtri carnem ut hominis, & non adorandam ut Domini & Dei carnem, hunc anathematizat ſancta & Catholica Eccleſia.*

Pag. 419. Dictum Cyrill: *Nam adoramus Emanuelem tanquam hominem? abſit*, opponitur Neſtorianis, de quibus paulò antè fuit, qui duas perſonas ſtatuebant: itâque contra nos non facit, qui carnem Chriſti docemus ideò adorandam, quia aſſumta eſt in unitatem perſonæ λόγϐ. Cum eodem Cyrillo dicimus, *Divinitatem in Chriſto eſſe naturam adorabilem, humanitatem eſſe naturam adorantem.* Sed inde non ſequitur, humanitatem Chriſti per unionem cum λόγφ non etiam adorabilem eſſe. Etſi enim per ſe adorabilis non eſt, eſt tamen propter unionem hypoſtaticam. Et ſudor eſt ille multus quidem, ſed inanis & frigidus, quòd Danæus hinc inde corradit dicta Patrum, quæ eorundem aliis manifeſtiſsimis dictis & ipſi veritati opponat: quum vera quidem ſint, quæ citat, nec tamen iis probetur, falſum eſſe, quod S. Patres de adoratione carnis Chriſti toties támque diligenter inculcãt.

Tum ad rationes Chemnitii examinandas accedit. Chemnitius refutaverat objectionem *de non adoranda ulla creatura*, & ſolidè refutaverat, quia in Chriſto non ſit tantùm natura humana, nec ea extra unionem ſeorſim per ſe ſubſiſtat, nec in ſe & ſecundum ſe ſola conſideretur; ſed quum Chriſtus ſit & verus Deus & verus homo, & Divinitas λόγϐ carni

hypoſta-

hypoſtaticè unita, una adoratione caro cũ Verbo adoretur. Danæus contrà ſic inſurgit, quaſi Chemnitius nihil aliud reſponderit, niſi *carnem Chriſti non eſſe adorandam extra unionem*, quod ſe ſuòſque negat unquam dixiſſe aut ſenſiſſe, & confidenter affirmat, Patres negare, adorationem noſtram dirigendam eſſe ad carnem Chriſti etiam in ipſa unione manentem; quod eſſe falſum ſuperiora teſtimonia docuerunt. Pag. 420.

Ad ſimilitudinem de diademate regio cum Rege ſimul civiliter honorando Chemnitius eleganter reſponderat & nervoſè: quod Danæus ſuperbè contemnens eam nobis reponit tam frigidè quàm ineptè. Cur autem ex ea ſententiæ ſuæ præſidium quærit? quum immenſa diſſimilitudo ſit & differentia inter unionem hypoſtaticam naturarum Chriſti, quæ eſt per περιχώρησιν vel mutuam ipſarum inter ſe penetrationem, qualis eſt ignis & ferri, & geſtationem coronæ vel purpuræ, quæ eſt tantùm περίκασις, ut aſſiſtentia Angeli ad latus Petri, vel cohæſio duorum diverſorum individuorum, vel ipſo Danæo teſte in hoc argũmento repudianda, Et illi ipſi, qui ex veteribus ea ſimilitudine regii diadematis uſi ſunt, diſertè aſſeverant, ipſam quoque carnem Chriſti eſſe adorandam. Pag. 421. Pag. 268.

Poſtremò, Chemnitius aliquot argumentis ſuam ſententiam comprobaverat. Ea quoque flagellat Danæus.

I. Chemnitius ſic concluſerat: *Fides apprehendit Chriſtum in officio redemptionis non tantùm ſecundum divinam, ſed etiam ſecundum aſſumtam naturam: ſequitur ergo, fidem in adoratione intueri non tantùm divinam, ſed & humanam naturam Chriſti.* Danæus reſpondet, *Fidem invocatione naturas non confundere, nec creaturam creatori exæquare, ſed relinquere Deitati, quæ ſunt ipſius propria.* Quaſi verò naturæ confundantur, & creatura creatori exæquetur, & Deitati ſua adimantur, quum Pag. 422. 423.

fides agnoſcit, Chriſtum eum eſſe, qui verè eſt, & ita colit, ſicut agnoſcit ex verbo, caput ſcilicet noſtrum, redemptorem & pontificem ſecundum utramque naturam, ideóque adorandum etiam ſecundum utramque naturam.

II. Chemnitius non dixerat, adorationem eſſe ἀπότελέσμα naturarum Chriſti, quod Danæus magno hiatu fraudis vel ignorantiæ inſimulat; ſed ſic collegerat: *ſicut officia vel* ἀποτελέσματα *redemptionis* &c. *nulli puræ creaturæ conveniunt: ita neque cultus adorationis ulli niſi ſoli Chriſto Deo & homini tribuendus eſt*: quod non eſt ἀπότέλεσμα cum cultu religioſo confundere. Danæus clamitat, *ut in officio redemtionis &c. aliam divinæ, aliam humanæ naturæ operationem, ita utriuſque propriam laudem eſſe: ideóque adorationem ad ſolam divinam Chriſti naturam reſpicere.* Reſpondent S. Patres: *Caro Domini divinis operationibus ditata eſt: Adoro Chriſti mei* τὸ σωαμφότερον: quæ ſententiæ nobis potiores ſunt omnibus etiam moleſtiſsimis Danæi clamoribus.

Pag. 424.

III. *Quia Chriſto data eſt omnis poteſtas, ut ſecundum humanam naturam potenter omnibus dominetur, Eccleſia ſuam ſubjectionem fatetur eo, quòd fide & invocatione Chriſtum celebrat ut Dominum etiam ſecundum humanam naturam.* Danæus hoc eludit, *quia per eam poteſtatem natura humana non ſit facta Deitas, quia poteſtas illa Chriſti ſit vicaria, quia Reges in ſuis terris habeant ſummum imperium, nec tamen fas ſit, eos à ſubditis adorari.* Vertigini iſti S. Patres ita medentur. *Si quis dicat inadorabilem Domini noſtri carnem, ut hominis, & non adorandam ut Domini & Dei carnem, hunc anathematizat ſancta & Catholica Eccleſia.* Nec tamen illa ipſa Eccleſia credit, carnem Chriſti factam eſſe Deitatem. Reges iſtos ſancta & Catholica Eccleſia non agnoſcit Deos, nec omnem poteſtatem habere etiam in ſuis regnis, nec hypoſtaticè unitos cum Divini-

Pag. 425. 426.

tate

tate λόγου, ideoq; non adorandos. Quòd Christo data sit potestas non vicaria, sed ea ipsa, quam semper habuit ut Deus, suprà S. Patres nos docuerant. Verum est igitur argumentum Chemnitii.

IV. Danæus quidvis quacunque occasione arripit, quo putat Chemnitiũ posse vapulare, Non argumentatur ita Chẽnitius, quemadmodum fingit Danæus: *præcipuè per cognatã* Pag. 426. *nobis naturam aditum ad ipsam Deitatem habemus: Ergo nostra adoratio adeam dirigenda est.* Videantur verba Chemnitii. Pertinent enim ad istud superius argumentum de potestate Pag. 450. Christi hominis, quã agnoscit Ecclesia, & in invocatiõe statuit Christum secundũ utramq; naturã preces nostras audire, præcipuè verò per cognatam nobis naturam aditum nos habere ad ipsam Deitatem &c. Ex toto illo argumento concludit, carnẽ Christi esse adorandã: quæ si Deus nõ est, ideoque per se non adoratur, Dei Verbi propria caro est & proter unionẽ hypostaticam adoratur cum λόγῳ. Quod si etiã Mosi data esset omnis potestas, quę carni Christi data est, & si hypostaticè per περιχώρησιν in unũ individuũ unitus esset Divinitati λόγου, ut est caro Christi, utique adoraretur & meritò: quia verò non est, non etiam adoratur, quamvis μεσίτης appelletur.

V. Chemnitius elegantissimè & superiora omnia, & illa, de quibus in hoc quinto argumento Danæus agit, explicaverat, quæ legant, quibus veritas cordi est. Danæus ea, ut lascivientes equi puram aquã turbant, sic ipse suis nęniis conspuit, quum nihil interim solidè refutet. De potestate judicandi, de genu flexione ludit, quòd ex ea non sequatur, re- Pag. 427. ligiosè carnem Christi adorandam, *quia Reges, judices non adorentur, quamvis ipsis genua flectantur.* Atqui Chemnitius probaverat dictis Ioh. 5. 2. Cor. 5. Phil. 2. & vel potissimũm exemplis Angelorum & Sanctorũ ex Apocal. 4 & 5. â quibus

adoretur Chriſtus, quâ agnus occiſus eſt. Illas puriſſimas aquas & in ſuperioribus locis alias complures injectis fœtidis putrium ſophiſmatum ſordibus turbaſſe, imò eas egregiè diſſimulaſſe & præteriiſſe, tanquam nullæ ſint omnino, Danæus idem putat eſſe quod refutaſſe.

VI. Dicta Patrum, quæ diſertè dicunt, carnem Chriſti cum Divinitate λόγῳ una adoratione eſſe adorandam, ſic interpretatur Danæus, *In perſona Chriſti adorari ejus carnem, quoniam Verbo hypoſtaticè unita eſt.* Pag. 428. Hoc ſi verum eſt, cur igitur toties támque impotenter negat, carnem Chriſti etiam in ipſa unione manentem eſſe adorandam? Nobis ſententiæ S. Patrum ſtrepitu Danæi multò ſunt potiores, qui dicunt Chriſtum adorandum non tantùm reſpectu divinæ naturæ, ſed etiam quâ homo, nec ſua verba tantùm de eo volunt intelligi, quòd unitas perſonæ ſervanda ſit, ſed quòd *ipſam humanam naturam evectam ſuper omnes choros Angelorum ad Dexteram Dei Patris laudent Angeli, adorent dominationes*, ut ait Auguſtinus. In Medit. cap. 15.

Ad dictum Cyrilli jam reſpondit Apologia. I. quia quædam verba Danæus ſui commodi cauſſa mutavit. II. quia dictum obſcurius eſt. III. quia oppoſitum errori Neſtorii, qui duas perſonas in Chriſto conſtituebat, quæ ſimul eſſent adorandæ. Quid autem Cyrillus ſentiat de adoratione carnis Chriſti, videt Danæus ex ipſius dictis, quæ ſuprâ citata ſunt, ut mirum ſit, quid ipſi in mentem veniat, ut hoc Cyrilli dicto Cyrillum ipſum refutare moliatur.

Et hæc quidem Danæum ſatis docent, adorationem dirigendam eſſe non in ſolam Divinitatem Chriſti, ſed aſſumtam quoque ejus naturam una adoratione cum λόγῳ colendam, ut quæ ejuſdem honoris & gloriæ particeps & conſors facta eſt propter οἰκονομίαν unionis.

Misnumbered

Ad

Caput XXX.

Ad Cap. XXX.

Agit hîc Chemnitius de præſentia totius Chriſti in Eccleſia & S. Cœna, etiam vel potiſſimùm ſecundum humanam naturam. Danæus hîc quoque de natura humana impotenter negat. Quia verò doctrina de S. Cœna cum refutationibus eorum omnium, quæ contrà ſolent ab Adverſariis afferri, repetita eſt & ſolidè explicata in Apologia Formulæ Concordiæ, nihil opus eſt, nos eam prolixè repetere. Tantùm igitur videbimus rationes, quas hîc Danæus habet: quæ quia breviſsimæ ſunt, nos quoque eò erimus breviores. Negligimus autem iſta, quòd conatur invidiam Chemnitio conflare quum dicit ipſum veritatem præferre favori ſociorum: quòd orationem ejus taxat ut ambiguam & incertam; quum profectò ſciat, quid velit Chemnitius. Pag. 433.

Deinceps ſtatum quæſtionis in doctrina de S. Cœna proponit, qui & eſt talis, & notus eſt omnibus, qui mediocriter certamina noſtri temporis intelligunt. Summa eſt: Danæus non negat, corpus & ſanguinem Chriſti adeſſe in S. Cœna: ſed eo ipſo loco, in quo conſiſtimus, carnem Chriſti, id eſt, verum illud & eſſentiale corpus & ſanguinem Chriſti corporalis ac eſſentialis præſentiæ modo adeſſe negat. Atqui S. Cœna eo ipſo in loco adminiſtratur, in quo nos conſiſtimus. In eo loco carnem Chriſti negat adeſſe, & non negat adeſſe, vertigine admirabili: niſi quòd hanc rimam reperit cum ſociis ſuis, qua elabatur, quia quamvis abſens loco, tamen credentium fidei preſens ſit, quæ ſupra cœlos conſcendens illud in cœlis ſitum quærat & accipiat: quod inventum tam ſpecioſum támque plauſibile refutavimus peculiari libello, qui extat, & judicamus, Adverſarios, niſi Pag. 435.

planè depuduerunt, cautiùs posthac de fidei supra cœlos ei volatu locuturos. Igitur reliqua videamus.

Pag. 437.445. Danæus sententiam Chemnitii refutaturus rationes ex ipso Chemnitio assumit, tanquã eũ suo ipsius gladio jugulaturus.

I. Est *de Ascensione*, quam Chemnitius fatetur *esse accipiendam, sicut sonat littera:* quo Danæus putat probari, *carnem Christi corporalis præsentiæ situ à signis S. Cœnæ distare.* Sed nec Scriptura, nec S. Patres, nec ex illis Chemnitius istud tantùm docent, quòd per Ascensionem caro Christi in cœlum sublata sit, sed quòd per eandem quoque collocata sit ad Dexteram Dei Patris, & omnem potestatem acceperit in cœlo & in terra; quæ quid complectatur, supra testimoniis sanctorum Patrum probatum est. Vtrumque ergo verum est & verum esse potest. I. quod littera Ascensionis sonat. II. quòd Christus cum ipso vero suo corpore & sanguine corporalis præsentiæ situ adest in S. Cœna, ut dixit: ideò enim ascendit supra omnes cœlos, ut accepta omni potestate in cœlo & in terra adesse possit.

II. Quia fateatur Chemnitius, *non admittendam esse abolitionem essentialium idiomatum humanæ naturæ in Christo: humani corporis proprietatem naturaliter non admittere, ut unum corpus in pluribus locis simul ac semel substantiâ suâ adesse possit: carnem Christi etiam post abitum esse proprietate naturæ finitam.* Vnde concludit Danæus, *proprietates essentiales ac naturales amitti, si caro Christi quamvis glorificata, simul in pluribus locis statuatur.* Antecedens istud Chemnitius non negat: negat autem consequens, & præterea docet, stantibus istis omnibus Christum de suo corpore posse facere, quod vult, ut ait Augustinus: quod si naturaliter non potest esse simul in pluribus locis; potest præternaturaliter etiam salvis manentibus proprietatibus essentialibus.

Pag. 345. 437. 438. 445.

Quia

III. Quia Chemnitius concedat, *Nostra corpora fore conformia glorioso corpori Salvatoris*: colligit igitur Danæus, *aut nostra quoque futura pluribus locis simul, aut ne Christi quidem esse posse*. At Chemnitius rectè distinguit generalem glorificationem carnis Christi, quæ est donum hyperphysicum in carnem Christi collatum, & eam divinam gloriam, qua corpus Christi ornatũ est per ὁικονομίαν unionis. Et corpora sanctorum corpori Christi conformia fore dicit secundũ illam generalem glorificationem, non etiam secundum hanc divinam gloriam: neque enim erunt hypostaticè unita Divinitati λόγȣ, sicut caro Christi unita est. Pag. 407.438.

IV. Quia dicat Chemnitius, *Non è nostris argumentationibus, sed è verbo Dei statuendum, quid assumtæ naturæ Christi ex unione hypostatica accesserit.* Bene, ea est perpetua Chemnitii sententia. Sed Danæus nondum probavit, Chemnitium quicquam ex suis argumentationibus sine Scripturæ testimoniis de corpore Christi prædicare. Pag. 439.

Has rationes ex Chemnitio attulit Danæus, ut, si posset, Chemnitium per Chemnitium refutaret, & ipsius testimonio probaret. Christum non posse in S. Cœna adesse præsentia corporali. Et quidem videtur sibi Chemnitium satis bene refutasse: sed frustra videtur.

Repetit porrò Regulam Chemnitii, *de servandis essentialibus veri corporis proprietatibus*, inter quas ipse quoq; Chemnitius enumeret, *uno duntaxat loco eodem tempore esse, & circumscribi*: & addit, quibus exceptionibus Chemnitius eam regulã, quã videat mirè suæ sententiæ obstare, conetur confundere & restringere, quã ipse vult immotam & salvam, ideoq; exceptiones Chemnitii refutat: quod cujusmodi sit videamus.

I. Chemnitius dixerat, Regulam intelligendam tantùm *de corpore considerato secundum naturales suas proprietates*: *aliam*

rationem

Pag. 441. & in præfatione Pag. 17.

rationem esse, si consideretur secundum dotes supranaturales. Danæus contendit, *Deum ne quidem velle dare alicui corpori eas dotes, quibus veram corporis naturam destruat, sic tamen ut ipsum verum corpus maneat. Ista enim esse contradictoria, ut idem sit verum corpus, & essentiales veri corporis proprietates salvas retineat, & tamen reipsâ aliquid habeat, quod eas evertat* &c. Perpetuus est iste Danæi & sociorum ejus clamor, sed inanis & frigidus, destrui proprietates essentiales veri corporis, si doceatur, id simul in multis locis esse. Vt enim de solius Christi corpore loquamur, de quo potissimùm quæstio est, quæ Scriptura, quæ dicta Patrum, atque adeò quæ ratio, quę vera philosophia docuit Danæum, id non posse simul esse in multis locis, nisi essentiales ejus proprietates destruantur? Quomodo probabit Danæus, hoc ipso proprietates essentiales everti, neque enim ullam rationem philosophicam adfert, nedum certum testimonium Scripturæ: tantùm vociferatur, everti. Sed quia nobis non satisfacit isto tam insano clamore, nisi etiam probet, rogamus ipsum, ut quod nondum præstitit, tandem præstet, si potest, ut probet, quod dicit.

Concedimus, Deum non posse velle, ut quod verum corpus est, idem verum corpus non sit. Id enim posse velle non est omnipotentiæ, sed inconstantiæ, quæ nec decet Deum, nec in Deum cadit, ut qui non possit velle, ut contradictoria simul vera sint, nisi possit idem velle mentiri. At quòd Deus non possit velle, ut idem corpus Christi scilicet potissimùm præter alia, sit in pluribus locis simul, & tamen retineat essentiales veri corporis proprietates, itémque quòd illæ ipsæ proprietates evertantur, si unum corpus simul statuatur eodem tempore in pluribus locis, id inculcat quidem Danæus, & luctatur, & clamat, & æstuat, quantùm

potest;

poteſt: ſed nec probat, nec in æternum probabit. Confidimus enim ipſum provocatum diu quidem ſudaturum, laborantem, quomodo id probet, ſed fruſtra ſudaturum.

Status igitur quæſtionis inter nos & Sacramentarios hîc eſto, num proprietates eſſentiales veri corporis evertantur, ſi idem ſtatuatur ſimul eſſe in pluribus locis. Nos negamus everti: Sacramentarii affirmant: affirmantibus incumbit probandi neceſsitas, Probent ergo, quod dicunt.

Nobis quidem certè contra ipſos iſtud in hac quæſtione percommodum accidit, quòd noſtram negationem comprobare poſſumus argumentis nec contemnendis & veris. Primum eſt illud veriſsimum de Loco, qui de eſſentia rei profectò non eſt; neque enim eſſentiam rei conſtituit, nec conſtitutionem rei inevitabili neceſsitate ſequitur, nec multitudo locorum, in quibus res eadem ſimul eodem tempore ſtatui dicitur, efficere poteſt, ut propterea rei ipſius eſſentia deſtruatur, vel eſſentiales ejus proprietates evertantur, aut res una fiat multæ, ut & Scholaſtici cenſent, nec Danæus unquam conatus eſt contrarium ſolidis rationibus probare. Durand. lib. 3. dict. 22. quæſt. 3.

Conſideretur enim hoc, quod Deus ipſe in natura poſuit ante oculos omnium, quòd Danæus, ſi ſtudioſus eſt veritatis, ut vult videri, non facilè putabit pro nihilo eſſe habendum, quum rectè ſentiat, aliquid politioris literaturæ in his diſputationibus admiſceri poſſe, ut argumento ab ipſa Dei potentia & ſapientia ducto veritas illuſtretur. Eſt autem ejuſmodi, vel aliud hujus ſimile. Si mille homines in lictore conſiſtant ex ordine, quiſque ſuo loco, eóque à reliquis diſtante, primo primus, ſecundo ſecundus, tertio tertius, & ſic deinceps, ut poſtremus à primo abſit ſpacio longiſsimo, & contemplentur in aqua reſplendentem imaginē ſolis, vident eam univerſi ſimul eodem tempore; qui ſi jubeantur ſinguli Pag. 244.

monſtrare in aqua locum, ubi videant, monſtrabunt mille loca, ſingula alia ab aliis tanto intervallo diſtantia, quanto ſpectatores ipſi inter ſe diſtant. Quòd ſi quis hîc à primo decurrat ad ſecundum, & à ſecundo ad tertium, atque inde ad quartum, & deinceps ad reliquos omnes, nuſquam oculos ab illa imagine dejiciens, & vociferetur, cum currente ſeſe imaginem iſtam à primo diſcedentem accedere ad ſecundum, & inde ad tertium, atque ita ordine ad reliquos, negabit primus, cum curſore iſto diſcedente una diſcedere etiam illam imaginem, quia eam ipſe nihilominùs videat ſuo loco: negabit ſecundus, negabit tertius, negabunt reliqui omnes, imaginem illam cum curſore iſto ad ſe defluxiſſe, quia eam viderint quiſque ſuò loco, etiam ante curſoris iſtius acceſſum, quod eſt omnium confeſsione veriſsimum.

Hoc exemplum tam manifeſtum perpendat nobiſcum Danæus, ut, ſi nolet teſtimoniis Scripturæ & S. Patrum moveri, nonnihil moveatur hoc firmo & conſtanti judicio rationis humanæ, & iſto ab ipſius naturæ conſideratione petito tam illuſtri remedio vertigini ſuæ ſubveniat, ſi ſanus Theologus eſſe volet, ne nobis porrò occinat iſta de multiplicatione, replicatione, diffuſione, deſtructione, & ſimilibus abſurdis. Nam imago iſta habet ſuam eſſentiam, qualiſcunque ea demum ſit, nihil intereſt, habet certè, incorpoream quidem, attamen corporis ſimilimam: nili enim haberet, videri utique oculis non poſſet. Ea eſſentia vel imago non evertitur nec deſtruitur, quamvis eodem tempore ſimul ſiſtatur in aqua mille diverſis locis, vel etiam multò pluribus. Neque verò dilatatur vel expanditur, quaſi mole ſua totam aquam implens & occupans, ut ſe conſpiciendam ſingulis præbeat. Quum enim à ſingulis tota videatur, non videtur tamen expanſa per totam aquam, nec

videtur

videtur à quoquam major in aqua, quàm apparet Sol ipse in cœlo: posset autem certè molis alicujus amplitudo conspici ab unoquoque, si quæ esset in aqua. Nec multiplicatur, sed est & manet una. Nam mille naves in eadem aqua cursum tenentes singulæ videntur ab omnibus in littore: hîc autem contrà fit: si quis enim totam aquæ istius superficiem oculis perlustret, & studiosè spectet omnia loca, quibus reliqui imaginem istam vident, nihil ejus illîc ipse videt, tantùm suo loco eam videt, & quidem unicam: posset autem videre, si tot locis esset multiplicata: cur enim non posset simul omnes videre, si unà plures essent, quum unam illam ante se multò facilimè videat?

Igitur nullo modo locorum spaciis aliqua mole distenditur aut multiplicatur, sed singulis aspicientibus tota præstò est, quum tota videatur singulis locis, nec minor est pars ejus in aqua contractiore, nec major in latiore, sed ubique tanta, quia ubique tota est. Quum enim sive ab hoc, sive ab illo vitetur, non per totam aquam videtur, & tamen tota videtur: neque tamen ita tota videtur, ut cætera loca deserat, & sese ad unum illum locum, in quo videtur, agglomeret. Sed quum tota videtur à primo, si oculum advertat alio loco secundus, alio tertius, & reliqui universi suis locis simul, nec ibi desinit tota videri, atque ita in singulis distantibus locis tota simul adest, non unum deserens, nec uno sese movens, ut in altero tota sit, neque ita utrumque tenens, ut aliam partem hîc habeat, & alibi aliam, sed sufficiens exhibere se singulis locis simul totam, quoniam tota videtur in singulis, satis ostendit, se locorum spaciis non teneri, nec multiplicari, nec extendi, nec destrui, nec loco moveri.

Rogamus Danæum, ne temerè contemnat aut jejunis cavillationibus eludat hoc, quicquid est, quod dicimus, quod quum sit sine ulla controversia manifestissimum, discat inde, si volet, Deum multa posse, quæ nos putemus nequaquam posse fieri, ut porrò desinat cum suo Martyre sentire, *Deus quamvis omnes potentiæ suæ nervos intendat, tamen non posse efficere, ut idem corpus simul sit in pluribus locis, nisi destruatur:* quod & dictu est horrendum & cogitatu, quod Adversarii velut omnis humanæ rationis judicio certissimum sumserunt ad negandam nativam sententiam verborum Testamenti Filii Dei, quum ex hoc tam familiari exemplo, id est, ex ejusdem rationis humanæ judicio verius & certiore multò omnium evidentissimè constet, Deo longè facilimum esse idem corpus simul in pluribus locis statuere sine ejus destructione vel multiplicatione.

Quando igitur Danæus hactenus isto decreto physico tanquam aliquo capite Gorgonis decertavit contra veram præsentiam carnis Christi in S. Cœna, quod neque ex Scriptura sumtum est, & manifestè falsum esse illustribus documentis probatur, & diserte negat, quòd Filius Dei verbis Testamenti sui statuit & affirmat, consideret hoc præter alia, quod est omnium sanorum consentientibus testimoniis verissimum, & ab ipsa Dei potentia & sapientia & constanti judicio rationis humanæ petitum, & tanquam in clarissima luce nobis ob ipsos nostros oculos propositum, ut contra suam ipsius opinionem ex hoc exemplo discat, non esse certissimum, quod ex isto paradoxo physico contra realem præsentiam corporis Christi in S. Cœna disputat, & ut perspiciat, Deum præter localem præsentiæ modũ, de quo solo somniant hîc adversarii, plures scire, quibus possit abundè præstare, quod littera Testamenti Christi sonat. Quum enim

enim istud nullo dubitante fiat de imagine Solis, quæ nequaquam est cum Deitate λόγου per περιχώρησιν hypostatice unita, quid negabimus fieri posse de carne Christi, ut diversis locis adsit eodem tempore, neque destruatur, neque multiplicetur, neque diffundatur, quamvis nos id non valeamus intelligere?

Quumq; Scriptura disertè testetur, Christi pedibus etiã secundum assumtã naturã subjecta esse omnia in universũ, eo solo excepto, qui subjecit, necessariò sequitur, subjectas esse etiam distantias & intervalla locorum, quæ propterea nequaquam ullo modo possint efficere, ut caro Christi destruatur vel multiplicetur, si pluribus locis simul adsit. Nam si destrueretur vel multiplicaretur, jam non ipsi loca, sed locis ipsa subjecta esset, & quod loca vellent, id solùm, præterea nihil faceret, imperio locorum velut carcere cohibita: quę carnis Christi servitus esset, non dominium, quod ipsi scriptura tribuit.

Secundum nostrum argumentum est illud majus etiam & illustrius: Natura humana finita est & circumscripta, & tamen assumta in consortium infinitæ λόγου Divinitatis, ita, ut arctissima unione hypostatica per περιχώρησιν unita sit λόγῳ, cujus divina essentia est intra omnia non inclusa, & extra omnia non excluſa, ut veteres loquuntur, cujus tamẽ totam plenitudinem cum tota sua redundantia in assumta natura Christi cumulatè admissam esse, ipsiusque Verbi substantialem plenitudinem inesse in carne Christi, eámque plenè capacem esse Filii Dei consentientibus votis S. Patres affirmant. Neque verò propter hanc περιχώρησιν vel permeationem & unionem naturæ finitæ & infinitæ ipsa finita natura suas essentiales proprietates amisit, nec ipsa ejus essentia eversa est; quæ unio quum causſa sit ejus, cur Christi cor-

pus esse possit simul in pluribus locis, quâ conscientiâ dicemus, ex isto unionis effecto essentiam humanæ naturę everti, quæ non evertitur per unionem ipsam?

Tertium in hac doctrinæ parte multò est etiam illustrissimum: Filius Dei testatur, se verum suum corpus edendum, & bibendum verum sanguinem suum dare, ubicunque administratur cœna Dominica: quibus verbis, si propria eorum significatio retineatur, ipsi etiam Sacramentarii fatentur, notari corporalem præsentiam carnis Christi in S. Cœna: ideò enim ad tropum confugiunt, ne præsentiam istam cogantur admittere: nec tamen verum corpus esse desinit, nec essentiales suas proprietates amittit, alioquin Dominus id non appellaret suum corpus, & illud ipsum quidem corpus, quod pro nobis in mortem tradidit. Quûmque S. Cœna pluribus locis simul administretur, nos è littera Testamenti Filii Dei colligimus, Deum ipsum velut intento digito testari, corpus idem multis in locis simul esse posse, nec tamen eo destrui essentiales ipsius proprietates: quia Deus utrumque dixit, esse scilicet ipsum verum Christi corpus, & illis tot locis simul adesse.

Negationis nostræ confirmatio sic est. Restat, ut Adversarii contrà probent suam affirmationem, ut porrò probent quoque litteram Testamenti Filii Dei non esse intelligendam, sicut sonat: quod ipsis tam facile erit, quàm arenam nectere sine calce.

Breviter: nos sic colligimus: Filius Dei per litteram Testamenti sui docet, unum corpus posse simul esse in pluribus locis, nec ejus essentiales proprietates everti: non igitur evertuntur. Sacramentarii contrà sic contendunt: Vnum corpus nullo modo potest simul esse in pluribus locis: Ergo littera Testamenti Filii Dei non est intelligenda, sicut sonat.

Iudicent

Iudicent omnis sani utri rectiùs concludant, & num satis justa caussa sit, cur litteram Testamenti Filii Dei negemus, vel in aliam sententiam torqueamus, quia unum corpus non possit simul esse in pluribus locis, nisi ejus essentia destruatur: quum Filius Dei disertè dicat, posse esse, nec tamen destrui. Qui nos sumus, ut negemus, esse posse, contráque ipsum os veritatis insurgámus vociferantes, essentiales proprietates everti? Nobis quidem Deus autoritas videtur multò potiore loco habenda, quam istud physicum decretum, si modò physicum dici potest.

Vera est igitur prima Chemnitii exceptio, nec implicat contradictionem, nec fingit Deum de una & eadem re eodem tempore secum ipsum pugnantem & dissidendem, sed suam Deo constantiam & sapientiam & omnipotentiam & veracitatem in verbis Testamenti Filii ejus sartam tectámque conservat, quicquid vociferetur Danæus.

II. Exceperat Chemnitius istam regulam esse intelligendam *de corpore Christi duntaxat pro statu exinanitionis: nunc autem in statu gloriæ corpus Christi huic regulæ non esse obnoxium.* Danæus reclamat, si vera sit Chemnitii exceptio, sequi, *Christi corpus in statu gloriæ non esse amplius verum corpus,* Pag. 443. *quia essentiales veri corporis proprietates amittat.* Clamor idem est, qui paulò antè. Clamat Danæus, sed non probat, essentiales corporis proprietates amitti, si dicatur esse simul in pluribus locis. Probet, si potest. Chemnitius utrumque dicit, quia utrumque verum est, corpus Christi naturaliter certum locum occupare, & tamen posse simul esse in pluribus locis, quia Deus utrumque dixit. Notetur autem, quod dicit Danæus: *Cœna instituta est tempore exinanitionis, ergo nihil huc facit istud de corporis Christi glorificati*

glorificati prærogativa. Pulchra mehercle ratio. Christi corpus ideò certè glorificatum est, ut posset in S. Cœna præstare quod promisit: cur ergo istud nihil huc faciat?

Tertia exceptio Chemnitii fuerat, *Christum invisibiliter adesse Ecclesiæ, de quo modo invisibilis præsentiæ non possit illa generalis Regula intelligi.* Danæus negat, adesse invisibiliter, id est, prorsus negat adesse, nec vult de modo præsentiæ responderi, priusquàm probetur, ipsum corpus verè adesse, *quia verè adesse non possit per litteram Ascensionis, quia in cœlo per essentiam suam maneat, quia naturæ humanæ veritas id non*
Pag. 444. *admittat.* Danæus negat, corpus Christi adesse in S. Cœna:
445. sed negat eodem modo, quo negat vera esse, quæ sunt verissima. Filius Dei dicit, se in Cœna sua nobis dare edendum illud suum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, & bibendum illum suum sanguinem, quem pro nobis effudit in remissionem peccatorum. Dicit igitur, illud ipsum suum verum corpus adesse: non adest autem visibiliter: sequitur ergo, adesse modo invisibili, quicquid moliatur Danæus. Christus os veritatis nobis non mentitur, cui si Danæus non credit, credat mendaciis, quandiu volet. In sententiis Prosperi dicit Augustinus: *Eucharistiam constare visibili elementorum specie, ac invisibili corpore ac sanguine Christi.* Et Chrysostomus dicit, *In mensa Cœnæ Dominicæ adesse Christum invisibiliter.*

De Ascensione Christi, de veritate naturæ humanæ modò fuerat. De comprehensione corporis Christi in cœlis usque ad extremum judicii diem nihil tale docet Scriptura, quale Danæus somniat. Vera est igitur etiam hæc exceptio Chemnitii, necdum probavit Danæus, unum corpus non posse simul esse in pluribus locis, nisi essentiales ejus proprietates evertantur.

Doctrinam

Doctrinam de corpore Christi *naturali, glorioso, majestatico*, nominat somnia seu nænias Brentii & Iacobi Andreæ, quæ profectò est ipsius scripturæ verissima sententia, ut videre est in secundo & tertio gradu Communicationis Idiomatum, quam isti homines quantumvis luctantes tamen nondum potuerunt refutare, quam nænias appellare si tam pium esset, quàm est ipsis usitatum, quid esset magis pium? Pag. 446.

Et adhuc quidem fuit, quemadmodum sibi visus sit Danæus verbis Chemnitii Chemnitium ipsum refutasse: tum de tribus exceptionibus istius Regulæ, *quòd unum corpus non possit esse simul in pluribus locis*. Sequuntur quatuor rationes, quibus Chemnitius corporalem carnis Christi præsentiam in his terris probat: quas quomodo refutet Danæus agedum videamus.

I. *Christum in seu cum humana natura & per eam posse aliquid ampliùs agere, quàm ferant essentiales seu naturales ejus proprietates.* Danæus vociferatur *de magno errore Chemnitii, essentiale & naturale idioma confundentis, quæ sint distinguenda.* Pag. 447. Magnus error scilicet, qualis est iste Danæi, qui pag. 52. dixerat, *Calidum esse est essentialis ignis proprietas*, quam eãdem pag. 450. vocat *naturalem*. *Homine imperito nunquam quicquam injustius*, ait Terent. *Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.* Danæus autem illo ipso homine imperito multò est etiam injustior, qui, ut calumniandi libidinem prolixè satiet, ne quidem rectum putat, quod ipse fecit. Tum collectionem Chemnitio affingit & ridet: *Humanæ naturæ Christi collata sunt dona hyperphysica: Ergo & illud, ut corpus ipsius simul in pluribus locis esse possit.* Negat Danæus, quia hoc, quod est, *idem verum corpus simul in pluribus locis esse*, sit non ὑπερφυσικὸν, sed ἀντιφυσικὸν. Hyperphysica collata esse in humanam naturam concedit, antiphysica negat, quia eam de- Pag. 447. 448.

ſtruant. At quid & quomodo Chemnitius colligat, oſtendunt ipſius expreſſa verba. Quòd autem Danæus veterem ſuum clamorem repetit, & eo putat, ſe hanc Chemnitii rationem ſatis prolixè refutaſſe, quòd antiphyſicis iſtis, quæ dicit, natura deſtruatur, quale ſit, & quòd id Danæus nunquam probaverit, ſuprà diximus.

Pag. 489. Chemnitius dixerat, in reliquis creaturis Deum non eſſe alligatum ad cauſſas ſecundas, ſed quando vult, per divinã ſuam potentiam multa in illis operari, quæ ſint & ſupra & contra ipſarum naturam, ſalva tamen manente ipſarum ſubPag. 449. ſtantia: idque probarat exemplis. Danæus luctatur, & æſtuat, & quaſi Chemnitius iſtis exemplis probare voluerit, antiphyſica ſic iſtis rebus à Deo data eſſe, ut res ipſas everterent, iſtam clamandi occaſionem arripit, & totus eſt in eo, ut probet, nihil eſſe in iſtis exemplis antiphyſicum, quia nullius rei natura eſſentialis ſit deſtructa. At nec Chemnitius dixerat, hîc eſſe ἀντιφυσικὰ, quæ rerum naturas evertant, nec Danæus probat, omnibus ἀντιφυσικοῖς eſſentiales rerum proprietates deſtrui.

Pag. 448. & ſequentib. Vt autem exempla iſta una reſponſione abſolvamus, Danæus contendit, in iis quidem præter naturam iſta acciderunt, non autem contra naturam vel ἀντὶ φύσιν, quia nulla illarum rerum ſuas eſſentiales proprietates amiſerit. Atqui hoc ipſum Chemnitius iis exemplis probare voluit, Deum & ſupra & præter & contra naturam ἀντὶ φύσιν multa facere, quibus tamen vel ipſa rerum eſſentia vel eſſentiales proprietates non evertantur. Igitur hîc Danæus frùſtra laborat & angitur. Et quia tantoperè inculcat, res iſtas eſſentias ſuas retinuiſſe, quamvis iſta in ipſis à Deo facta ſint, pro Chemnitio probat hoc ipſum, quod vult Chemnitius, quum putet ſeſe id contra Chemnitium dicere. Sic eſt iſtud præter

alia

alia de ferro natante. Danæus, ut ſeſe vertumnum eſſe probet, nunc in ferro facto leviore, nunc in aqua conſolidata miraculum illud ponit: ſed æſtuat præter rem. Ferrum ſua natura grave eſt, & in aqua ſubſidit, quam eſſe ejus naturam vel naturalem proprietatem Danæus non negabit. Ergo quum ſit leve, & aquæ ſupernatat, id verò eſt contra ipſius naturam, ἀντὶ φύσιν, quantumvis reclamant e Danæo: neque tamen ipſius eſſentia propterea deſtruitur: nec enim ἀντιφυσικὰ ſunt ea tantùm, quæ rerum naturas evertunt. Imò Deus hoc ipſo voluit oſtendere, ſe poſſe multa facere in rebus antiphyſica, quæ ipſam earum naturam non evertant. Pag. 450.

De igne in fornace Babylonica quid Danæus adferat videamus. Vim urendi naturalem quidem eſſe in igne dicit, nec tamen ejus eſſentiam conſtituere: quaſi verò ignis eſſentia ſit aliud, quàm elementum calidum & ſiccum. Et ſuprà dixerat Danæus, *Calidum eſſe eſt eſſentialis ignis proprietas*. Pag. 52. Sed ut propiùs hoc exemplum conſideremus, dicimus cum Danæo, veriſsima mentis conſideratione ipſam rei eſſentiam ab eſſentialibus proprietatibus diſtingui, ut quanquam vis urendi eſt eſſentialis ignis proprietas, non tamen ſit ipſa ignis οὐσία: quod nihil opus erat Danæum nobis probare iſtis infirmis collectionibus, pag. 450. Deus igitur iſto miraculo tam illuſtri támque ſtupendo voluit oſtendere, hoc ipſum fieri poſſe, quod Danæus tam impotenter negat, ipſas ſcilicet etiam eſſentiales rei proprietates tolli poſſe, ita, ut tamen ipſa ejus eſſentia maneat, nec deſtruatur. Imò, quod eſt admirabilius, ignis iſte quum amiſſâ eſſentiali urendi facultate puerorũ iſtorũ corpora non urat in fornace, eâdem facultate retenta urit miniſtros Regis extra fornacẽ. Cur ergo nõ poſsit hoc quoq; efficere, ut unũ Chriſti corpus

sit in multis locis eodem tempore, nec tamen essentia ipsius
Sent. 283. vel essentiales proprietates evertantur? Prosper ait, *nobis multa videri contra naturam insolita, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit.* Danæus, ne quid contra naturam in igne isto factum esse agnoscat, mavult in pilis & braccis sociorum Danielis eam vim fuisse, quæ vi ardentis ignis restiterit. Sed istæ sunt anguistiæ Danæi præter rem seipsum fatigantis. Nam ex eo ipso quoque sequitur, istud in pilis & braccis illis accidisse contra ipsorum naturam.

Lib. 10. de Trin. Quid autem faciat Hilario? qui sic inquit: Naturam suam in his & ignis & corpora amittunt: nam neque illa uruntur, neque ille urit: & tamen in cæteris in natura sua est ignis & corpus: nam circumstantes ardent, & pœnæ ministeria in pœna sunt.

Ne quid autem intentatum relinquat, quia videt se premi istis exemplis, eò tandem confugit, ut dicat ex Augustino,
Pag. 448. 451. *Sacramenta non esse miracula*, & propterea perperàm afferri miracula ad ipsorum Sacramentorum confirmationem. Sed nos ex istis miraculis confirmationem Sacramentorum non quærimus: quia verò Adversarii clamitant, omninò fieri non posse, quod nos in Sacramentis fieri concludimus è verbis Filii Dei Testatoris, ideò contra ipsos ista de miraculis adferimus, quibus Deus testatus sit, multa talia fieri, quæ ipsi fieri posse negant.

Pag. 451. Physicis quoque legibus Deum subjicit Danæus, ut eum constantem & sapientem faciat. Sed Deus sese ipse physicis istis legibus exemit, ut superiora exempla docent, nec tamen constans & sapiens esse desiit, nec ipsi opus est aliquo fucato Rethore, qui mendaciis ipsi constantiam & sapientiam suam conservet. Facere, ut, quod corpus est, idem

corpus

corpus non sit, id demum est & inconstantis & insipientis. At facere, ut idem verum corpus sit, & sit tamen in pluribus locis, & retineat suas essentiales proprietates non destructas nec eversas, id verò non est inconstantis nec insipientis, sed omnipotentis: quam omnipotentiam Sacramentarii magnis clamoribus negant cum non magna laude pietatis. Neque enim piè negare possunt, quum de voluntate Dei ex verbis Testamenti Christi constet, quantumvis id quoque neget Danæus.

Vera est igitur prima ratio Chemnitii, Christum posse plura præstare per assumtam naturam, & in ea, & cum ea, quàm ferant ejus essentiales seu naturales proprietates.

Secunda ratio Chemnitii sumitur ab ipsa unione hypostatica, quæ facit, ut Filio Dei facile sit præsentiam corporis sui in S. Cœna præstare, *quia humana natura Christi non seorsim per se vel in se, sed in infinita hypostasi τοῦ λόγου subsistat personaliter, & cum λόγῳ jam unum constituat hyphistamenon, à quo in aternum non debeat separari.* Danæus vociferatur, *hoc esse procul dubio* ἀσύσατον, & rationem istam Chemnitii negat tribus modis. I. Verbis Chemnitii, *quòd differentia naturarum & essentialium cujusque Idiomatum salva maneat, quòd humana natura per unionem non sit conversa in infinitam substantiam, quòd sit circumscripta.* Concludit ergo, *si pluribus in locis simul sit, sequi hæc* ἄτοπα, *nimirum multiplicationem, replicationem, diffusionem, expansionem, extensionem ac immensitatem corporis & sanguinis Christi.* Quid nos? Dicimus, nec verum esse, nec pium, & absurdum etiam, si Deus propterea, quia ubique est, essentiæ suæ velut alicujus immensæ molis vastitate extendi vel multiplicari putetur. Absurdum igitur est & falsum hoc quoque, si caro Christi Divinitate λόγου per περιχώρησιν hypostaticè unita putetur extendi vel mul-

In præfatione Pag. 13. 19. Pag. 452. 453.

tiplicari putetur. Absurdum igitur est & falsum hoc quoq; si caro Christi Divinitati λόγου per περιχώρησιν hypostaticè unita putetur extendi vel multiplicari propterea, quia est in omnibus iis locis, ubi S. Cœna celebratur. Potest enim adesse, & adest alio modo, qui Christo non nobis notus est: neque Danæus probat, inde necessariò sequi, ut vel extendatur vel multiplicetur. Cerebro quidem ipsius videtur extendi vel multiplicari, sed frustra videtur, quum ei, sed perperàm, videatur ipsa quoque essentia divina talis esse moles, tam crassa támque vasta, quæ extendatur in omnes mundi angulos, vel multiplicetur, quando ubique esse dicitur. Quid
Pag. 274. enim aliud vult ista similitudo de Sphæra solari?

Secundò, negat eam verbis veterum, *hypostasin τοῦ λόγου esse supra & extra omnem locum*, unde sequatur, *hac ratione carnem Christi propter unionem hypostaticam esse ipsam quoque non tantùm multis locis simul in Cœna Domini, sed etiam supra & extra omnem locum, vel esse infinitam.*
Sent. 453. Negat Danæus, & colligit, & ratiocinatur, & sudat, sed nescit profectò, quid dicat. Cur enim non eadem ratione colligit, quum Iesus in Iudæa ambularet, humanam ipsius naturam nullo modo fuisse unitam Divinitati λόγου, quæ erat supra & extra omnẽ locum, quum ipsa natuta humana esset intra brevem locum Iudeæ? Sed vertigine correptus non videt, quòrsum istud abiturum sit, quod dicit. Nostri rectè colligunt, humanam Christi naturam posse esse in omnibus iis locis, ubi eam futuram Filius Dei promisit, idque eo ipso, quia personaliter subsistit in hypostasi τοῦ λόγου, quæ est intra omnia non inclusa, & extra omnia non exclusa, nec ab ea unione unquam ullis locorum intervallis divelli aut separari potest: quod nunquam Danæus refutabit, quicquid moliatur.

Tertiò, si unio hypostatica solvi dicitur, nisi humanitas

Christi

Christi statuatur cum Divinitate eodem loco in S. Cœna potissimùm, Danæus negat distrahi personam, sed nègat hoc fundamento, quod, quia crassum est, apertè non prodit, quamvis interdum etiam non dissimulet, quia Christi Divinitas sit infinita moles & vasta, cujus etiamsi pars alia sola præter & extrà humanitatem sit in terris, alia tamen ejusdem pars supra cœlos usque expansa habeat sibi copulatam naturam humanam inseparabiliter. Et hòc ipsum vult illa perelegãs scilicet similitudo de sphœra Solis, quę multò latiùs di- Pag. 274.
stendatur, quâm corpus ipsum Solare, cum quo hypostaticè sit unita; itémque ista non multò etiam elegantior de pede, Pag. 454.
qui sit hypostaticè unitus suo capiti, nec tamen sit in eodem loco vel corporis vel aëris, in quo caput. Nos istas perbellas Danæani cerebri phantasias prolixè pernegamus, quibus Lector veritatis studiosus occurrat hac invicta & insolubili ratione. Divinitas λόγȣ ubique tota est, non per modum multiplicationis, non expansionis, non dilatationis, non extensionis, ut somniat Danæus, sed per essentiæ suæ simplicitatem, vel ita potiùs, ut nemo unquam mortalis in hac vita modum omnipræsentiæ possit intelligere, quantumvis æstuet & luctetur, certè totaliter tota est, ὅλη ὁλικῶς, ubicunq; est. Ergo si sola est eo loco, ubi S. Cœna administratur, est illìc tota totaliter, ὅλη ὁλικῶς, nec tamen habet assumtam naturam humanam. Iam igitur distracta est unio personalis: quod fortiter quidem negat Danæus: sed verum est, vel omnibus inferorum portis reclamitantibus.

Quod Damascenus dicit, *Naturas Christi hypostaticè unitas non coëxtendi*, id nos quoque dicimus. Negamus enim carnẽ Christi extendi in infinitam molem. Sed ne quidem Divinitatem ipsam λόγȣ dicimus extendi tanquam vastam aliquam molem, nec id dixit Damascenus. Et quia mysterium

unionis

unionis in hac vita non possumus perfectè intelligere, Deo commendamus hoc, quî fieri potuerit, ut infinita essentia λόγυ tota sese per περιχώρησιν vel penetrationem immitteret in assumtam naturam, ut S. Patres loquuntur, & tota in ea inhabitaret, nec tamen desineret cœlum & terram implere.

Pag. 455. Notetur autem hoc etiam artificium Danæi. Chemnitius exact. 23. collegerat, Dominum cum sua carne Paulo astitisse, & propterea carnem quoque Domini in his terris adesse. Danæus id negat, *quia Christus etiam antè incarnationem Patribus apparuerit, nec tamen in carne, quæ nondum erat assumta, & quia etiam post incarnationem Christus sit Deus, qui sine corpore variis modis apparere possit.* Quid facias huic homini, qui quidvis etiam contra conscientiam molitur, ne concedat veritati? Christus ante incarnationem apparuit sine carne: Ergo etiam post incarnationem. Christus post incarnationem potest apparere sine corpore, quia Deus est: Ergo sine corpore apparuit Paulo. Quis non molestissimè ferat inanes istas argutias? Caro ante incarnationem Christi non apparuit, quum nondum esset: inde verò sequitur etiam post incarnationem Dominum sine corpore apparere? Vocabulum *Dominus* jam post unionem appellatio est totius personæ, quæ constat utraque natura, divina & humana, quarum altera si abest, Dominus non est, persona tota non est, & distracta est unio hypostatica, quantumvis contra nos insaniat Danæus. Paulus dicit, se Dominum vidisse, ita, ut inde Resurrectionem Christi & mortuorum probet. Vidit igitur ipsam carem Christi. Non autem dicit, se eam vidisse in Ecstasi, ubi ἄρρητα ῥήματα se dicit audisse. Vidit igitur eam in via Damascena: & vidit profectò, quicquid neget Danæus. Voces istas intelligimus meherclè:

1. Cor. 15.

2. Cor. 12. Actor. 9. & 22.

Dominus

Dominus Ieſus miſit me, qui tibi viſus eſt in via, Item: *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris*. Ieſus Nazarenus quis ſit, etiam pueri noſtri ſciunt, nimirum non tantùm Deus, ſed Deus & homo, qui talis viſus eſt Paulo: quod Scripturis affirmantibus credimus, & frigidas Danæi negationes autori ſuo credendas remittimus.

Has apparitiones Chemnitius comparat cum Sacramentis ideò, ut videat Danæus, ſi libet, carnem Chriſti in terris verè adfuiſſe etiam poſt Aſcenſionem, ne id porrò tam petulanter neget in S. Cœna fieri.

Tertiam rationem Chemnitius ſumſerat *à Seſſione ad Dexteram Dei, & promiſſione Teſtamenti Chriſti*. Danæus negat, Chriſtum in Teſtamento ſuo promiſiſſe corporalem & ſubſtantialem corporis ſui præſentiam, negat, verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, eſſe ſine tropo ſumenda. Negat, ſed non probat. Pag. 478. Nobis omnibus iſtis negationibus potior eſt unus apex verborum Chriſti, quibus indicat, ſe dare in Cœna ſua edendum corpus ſuum, & illud quidem corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, quod non eſt tropicum corpus, nec abeſt procul in cœlo, ſed præſens adeſt, & editur cum pane, ſicut ſonant verba Chriſti. Adeſt igitur οὐσίᾳ σωματικῇ, quam veram & ſubſtantialem præſentiam corporis ſui Chriſtus iis verbis promiſit, quæ nobis ſatisfaciunt adverſus omnes negationes Danæi, qui, quicquid moliatur, certè de tropo nec probavit unquam nec probare poterit.

Negat quoque, per Seſsionem ad Dexteram Patris humanitati Chriſti data eſſe dona ἀντιφυσικὰ, quę naturam ejus deſtruant. Eadē cantilena, quæ ſuprà ſæpiſsimè fuit cantata. Danæus contendit, naturam corporis Chriſti deſtrui, ſi juxta verba promiſsionis adſit omnibus iis locis, ubi S. Cœna adminiſtratur.

miniſtratur. Contendit deſtrui, nec probat: multò minùs probat, propter hanc rationem verba Teſtamenti Filii Dei, transformanda eſſe in peregrinum ſenſum. Chriſtus per Aſcenſionem & Seſsionem ad Dexteram Patris accepit vel plenè exercere cœpit eam poteſtatem, ut corpus ipſius poſſit eſſe verum corpus & nobis ὁμοούσιον, poſsit eſſentiales veri corporis proprietates retinere, poſsit Chriſtus ſedens ad Dexteram Patris eſſe noſter frater, mediator & interceſſor, quamvis cum ſuo corpore pluribus locis adſit uno eodémque tempore: neque enim Danæus unquam probavit, cur non poſsit.

Quarta ratio. *Chriſti pedibus vel humanæ naturæ ſubjecta ſunt omnia: igitur etiam diſtantiæ locorum. Sequitur ergo, locorum intervalla non impedire, ne Chriſti corpus adeſſe poſsit in S. Cœna.* Danæus huic argumento non reſpondet, nimirum
Pag. 478. quia refutare non poteſt; tantùm reponit nobis iſta vetera, quæ ad illud refutandum nihil faciunt, quia Chriſtus verbis Teſtamenti ſui non promiſerit σωματικὴν παρουσίαν. Quod ſi ſic colligeret, Chriſtus non promiſit corporalem præſentiam carnis ſuæ in S. Cœna, Ergo nullo jure teneri poſſumus, ut eam credamus, & probaret, Chriſtum non promiſiſſe, aſſentiremur. Sed non colligit ita, quanquam vult videri ita colligere. Quibus enim ſolidè probabit, Chriſtum non promiſiſſe? quum verba Teſtamenti ipſius, ſi propria eorum ſignificatio ſervetur, longè manifeſtiſsimè notent corporalem præſentiam corporis Chriſti in Cœna, vel ipſis Adverſariis teſtibus. Sic autem colligit: Chriſti corpus non poteſt in pluribus locis ſimul adeſſe παρουσίᾳ σωματικῇ. Igitur Filius Dei non promiſit corporalem præſentiam carnis ſuæ in Cœna. Sic certè colligit, & hoc caput eſt omnium ipſius adverſus nos collectionum. Sed nos

illæſa.

fidæſâ conſcientiâ negamus Danæo totam iſtam collectionem, & eam invertimus hoc modo: Chriſtus manifeſtis verbis Teſtamenti ſui promiſit corporalem præſentiam corporis ſui, ubi adminiſtratur S. Cœna: Ergo novit modum, quo corpus illud poſsit eſſe verum corpus, & re retinere eſſentiales ſuas proprietates, & tamen ſimul eſſe in pluribus locis. Nec teximus conſecutiones à poteſtate ſeu imperio ad ſitum corporis, quaſi neceſſe ſit eum, qui jus alicubi & imperium habet, ibidem etiam corpore eſſe præſentem: ſed è verbis promiſsionis concludimus, quæ videmus indè neceſſariò conſequi, & Deo veritatem verborum ſuorum ſalvam relinquimus, quamvis modum non intelligamus.

Quòd autem Danæus dicit, communicationem ipſius eſſentialis carnis & ſanguinis Chriſti fieri in Cœna ſpiritualiter mente per fidem, etiamſi corporalis præſentiæ modo illa caro abſit â ſignis & ab his terris, id cujuſmodi ſit, & quàm falſum, peculiari libello pieniùs demonſtravimus, nullis ſcilicet rationibus vel ſacris vel philoſophicis probari poſſe, fidem ſupra cœlos conſcendere, & illîc ipſam carnem Chriſti complecti vel percipere: ad quam admonitionem brevitatis gratiâ Lectorem remittimus. Pag. 458

Ad dicta Matth. 18. & 28. reſpondet ex Auguſtino, *ad divinam Chriſti virtutem referendum eſſe, non ad ejus humanitatem*. Sed ne nos quidem illud ad aliquam humanam virtutem referimus: propterea tamen nec Auguſtinus negavit, nec nos negamus, hanc ipſam Chriſti divinam virtutem efficere, ut adſit cum ſuo corpore, ubicũque ſe futurũ promiſit. Luſus verborum Chriſti Danæo condonamus, Iohan. 8. quum ſic ratiocinatur: Iſtud, *Antequàm Abrahamus fieret, ego ſum*, non poteſt ad totam perſonam et ad utramque naturam

referri: Ergo nec illud: *Ego ero in medio eorum*. Lusus iste est, non studium veritatis. Quî possunt enim istæ videri solidè collectiones: Antequàm Abrahamus fieret, caro Christi non erat, nec propterea de tota persona Christi incarnati dici potest, *Antequàm Abrahamus fieret, ego sum*; Ergo nec istud de tota persona dici potest, *Ero in medio eorum?* Christus ante incarnationem cum sola sua Divinitate adfuit credentibus, Ergo similiter etiam post incarnationẽ? Christus in statu exinanitionis dicit, se morienti Lazaro non adfuisse corporaliter, nec adfuit, Ergo nec credentibus adest præsentia corporali, quamvis dicat se adesse? Paulus in corpore positus peregrinatur â Domino, Ergo caro Domini procul abest à Paulo? Quid si absit etiam Divinitas, quum vocabulum *Dominus* sit appellatio totius personæ? Nugæ sunt istæ Danæi, ad eludenda manifestissima dicta Scripturæ de præsentia totius Christi in Ecclesia.

Fidem Centurionis laudat Dominus, non quia nolit, carnem Christi sibi adesse tanquam inutilem, sed quia efficaciam verbi non metiatur è visibili Christi præsentia. Quî verò possit istud efficere, ut, quod Christus in promissionibus & in Testamento suo dixit, id nec verum sit, nec verum esse possit? Angustiæ sunt istæ hominis contra veritatem petulanter insurgentis, sed frustra laborantis.

Christi corpus adest substantialiter in omni cœtu fidelium, sed non eo modo, quo in S. Cœna, ubi datur edendum, cujus talis præsentiæ fundamentum non aliunde, nisi ex institutione ipsius Cœnæ petendum est.

Pag. 459. Longobardi distinctionem velut Augustini jactat Danæus, inter *totum Christum & inter totum Christi*. Sed ea nec Augustini est, nec ullius orthodoxi Patris: Longobardi solius est, cujus authoritas tanta non est in Ecclesia, ut nobis

articulos

articulos fidei facere posſit: qui ne ipſe quidem iſtam diſtinctionem ita intelligi voluit, ut per eam negaretur vera præſentia corporis Chriſti in S. Cœna, quam tantopere aſſeruit, ut etiam Tranſsubſtantiationem ſtatueret. Igitur Danæus contra mentem Longobardi jactat iſtud paradoxon. Præterea absurda eſt iſta diſtinctio, vel nulla potiùs. Nam totus Chriſtus eſt, qui conſtat utraque natura divina & humana. Totum Chriſti eſt non una tantùm natura, ſed utraque ſimul. Quid igitur eſt iſtud, *Totus Chriſtus eſt in S. Cœna*, Chriſtus ſcilicet ille, qui conſtat divina & humana natura, totus eſt in S. Cœna, nimirum ſecundum utramque naturam, quâ totus eſt: Et, *Totum Chriſti non eſt in S. Cœna*, totum ſcilicet Chriſti, quod eſt utraque natura conjuncta? Nugæ ſunt iſtæ hominum malè feriatorum, quæ contra veritatem Dei tam temerè quàm ſæpè aguntur. Quibus enim rationibus probabitur, *Totum Chriſti*, ſignificare ſolam ipſius naturam humanam, quæ intelligitur, quum dicitur, *Totum Chriſti non adeſt in S. Cœna*? Stipites autem Danæo videmur eſſe, qui iſta tam frigida non intelligamus?

Aliis etiam deliciis ſeſe Danæus oblectat. Phil. 2. dicitur: *In nomine Chriſti omne genu flectitur*: unde ſi colligitur præſentia ipſius corporis Chriſti, dicit, eadem ratione conſequi, corpus Chriſti etiam in inferno eſſe, quia etiam infera flectant genua ſua in nomine Chriſti. Chemnitius autem non concludit: ubicunque Chriſto genua flectuntur, ibi corpus ipſius adeſt præſentia corporali: ſed diſputat de generali gubernatione Chriſti ſecundum humanitatem, quod attinet ad alias creaturas extra Eccleſiam, & teſtimoniis Scripturæ docet, humanitati Chriſti ſubjecta eſſe omnia in univerſum, excepto eo ſolo, qui ſubjecit. Hæc viſa

Pag. 459. 460.

Pag. 521.

est Danæo commoda scilicet occasio reprehendendi Chemnitium: at interim ista non refutat,

Pag. 460. Num fides phantasia sit, si corpus Christi non statuatur præsens modo præsentiæ substantialis, videbit Lector in Admonitione nostra de hoc argumento.

Quid Sacramenta, quid virtus divina Christi desideret & requirat, quid Centurio crediderit, cur ejus fides à Christo commendetur, quid Christus dicat expedire discipulis suis, quomodo Christus in nobis habitet, & cujus præsentię

Pag. 460. Christi Symbolum sit S. Cœna, non ex somniis Danæi nobis opus est discere, sed sunt de iis expressa Scripturæ testimonia, quæ docent, Christum Sacramentum corporis sui sic instituisse, quo nobis dare velit ipsum suum corpus edendum, & bibendum ipsum suum sanguinem, non tantùm præsentia virtutis & efficaciæ, sed etiam participatione naturali: fidem Centurionis verbo Christi contentam de visibili ejus præsentia non fuisse solicitam: discipulis expedire, non ut caro Christi procul ab ipsis absit tanquam noxia, sed ut sub cruce viventes in spirituali regno Christi Domini sui verâ quidem, sed invisibili præsentiâ roborentur: cujus Symbolum sit S. Cœna. Quamobrem verba illa Pauli toto

1. Cor. 10. pectore & vera fide credimus, sacram Cœnam esse κοινωνίαν non tantùm spiritus, sed etiam ipsius essentialis corporis & sanguinis Christi, eâmque nostram cum vera Christi carne κοινωνίαν in Cœna fieri non tantùm spiritualiter per fidem, verùm etiam manducatione orali, non tantùm reali, sed & corporali Christi sitti, non tantùm mystica nostri cum Christo conjunctione, sed etiam participatione naturali. Hæc est nostra verborum Pauli interpretatio, verbo Dei & articulis

Pag. 287. 288. fidei consentiens: quam suprà Danæus quoque agnoverat, *Vocabuli* κοινωνίας *activa significatio est*, inquit, *quũ eo ipse rerum*

inter

inter se conjungendarũ & communicandarũ actus denotatur, ut quũ se nobis cõmunicat S. sanctus, nõ absens certè, sed prẽsens, *quũ in actione Cœnæ Domini ipsum Christi verũ ac essentiale corpus nobis cõmunicatur*, certè nec ipsum absens, sed præsens. Quî enim nos cum eo conjũgi possimus, si nos hîc in terra simus, ipsum verò maneat absens à nobis longiùs, quam supremum cœlum abest ab infima terra? qui profectò mirificus actus fuerit rerum inter se conjungendarum. Resipiscat ergo Danæus, & quod dicit, & quod propter manifesta verba Testatoris sibi dicendum videt, id ex animo dicat, non lubricè.

Prẽsentiã Christi capitis in Ecclesia non talem describit D. Paulus, qualem somniat Danæus, quasi Divinitas Christi sola adsit in terris, absit autem humanitas; quod sentire nihil aliud est, nisi personam Christi manifestissimè dissolvere. Eph. 5. Pag. 461.

Et sic quidem putat Danæus, hoc quoque caput Chemnitii satis esse confutatum. Sed id Lector diligenter evolvat: inveniet multas utilissimas & solidas & pias explicationes contra Sacramentarios, quas Danæus ne verbulo quidem attigit, nec unquam poterit refutare.

Auctarii vice tria Chemnitii argumenta absurdissima scilicet recitat & refutat. Primum, Hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, sunt testamentaria promissio, Ergo secundum litteram sine tropo sunt interpretanda. Danæus occurrit per Instantiam, Hæc verba, *Nemo docebit fratrem suum*, sunt testamentaria promissio, Ergo secundum litteram sunt interpretanda ẽ mente Anabaptistarum. Concludit, quia testamenta Patrum tropis abundant, hîc quoque tropum esse. Riserat Chemnitium, quòd colligeret ẽ particularibus universale, sed hîc ẽ particulari ipse totum concludit: Testamenta Patrum tropis abundant, ergo abundant iis omnia, & proinde hoc Christi quoque. Quid eo ineptius? Si tropi sunt in Pag. 461. & in præfatione. Pag. 15. Pag. 462. Pag. 447.

in aliis Scripturæ locis, co nondum comprobatur, hîc quoque necessariò tropum admittendum esse, neque id Danæus unquam probavit. Et Christus, quum Testamentum suum faceret, ut illustri monimento consecraret memoriam beneficiorum suorum, propriè loqui voluit, & sic quidem, ut é manifestis verbis perspicuè intelligeretur, quid vellet: quod ipsũ studuisse præstare et sedulò præstitisse nemo negabit sine insigni nota blasphemiæ & impietatis in ipsum os sanctissimum veritatis. Non est igitur istud argumentum Chemnitii tam absurdum, quàm Danæo videtur.

Alterum est, quia Christus nominat corpus suum illud, quod porrigit in Cœna sua. Danæus ad Metonymiam confugit, quam non probat, & de locutionibus Sacramentalibus Regulam nobis è suo tripode effatur, *in Sacramentis signa nomine rerum ipsarum, quas significant, donari*; quam Deus in suo verbo nondum ratam habet, nec Danæus unquam probare instituit, nedum probaverit. Quid hoc sit, & quod illud corpus, quod Dominus in Cœna sua nobis sese porrigere dicit, non opus est conjecturis assequi. Traditum est pro nobis in mortem non metonymicum, sed ipsum verum & essentiale Christi corpus: idque Dominus ait, se nobis edendum dare. Non est igitur istud etiam argumentum Chemnitii tam absurdum, quàm Danæus esse vociferatur.

Tertium, quia locutio sit simplex, non tropica. Danæus id negat autoritate Augustini & decreto suo superiore de locutionibus Sacramentalibus. Augustinus autem dicit quidem, *Litteram sequi, & signa pro rebus, quæ his significantur, accipere, servilis infirmitatis est*: sed neque ipsis illis verbis innuit, se sentire, neque unquam sensit, Corpus Domini procul

De doct. Chri. Lib. 3. cap. 9.

procul abesse, quum S. Cœna administratur: quid igitur ejus sententiam citat Danæus?

Et profectò piis mentibus mirum videatur, unde Danæus & quomodo nobis possit tropum formare in his verbis, *Hoc est corpus meum*. Nam missis reliquis, de sola voce *Corpus* certat, quantum potest. Atqui ipse nobis benignissimè concedit, illam locutionem Christi esse propriam: concedit, hîc intelligi ipsum verum & essentiale corpus Christi, quod nobis in S. Cœna communicetur. Concessio Danęi manifestissima sic est sine circuitione. At quum *Corpus* significat verum & essentiale corpus, tropus non est, sed simplex & propria locutio. Quid igitur clamat & inculcat totics de tropo? Respõdet, tropũ esse, si pani tribuatur appellatio corporis, quod esse non possit, nisi metonymicôs. Id verò admirabile est, in uno eodémque commate eadémque sententia vocem unã & eandẽ intelligi & propriè & tropicè. Quis unquam vel fando audivit calamitosiorem vertiginem? Quis dedit Danæo istam licentiam, ut possit nobis tropos fingere, ut libet & ubi libet? Ipsum verum & essentiale corpus Christi hîc intelligi fatetur, & fateatur oportet, quicquid contrà declamitet. Propria significatio vocis sic est. Sed negat, corpus illud adesse cum ipso pane, vociferatur autem fidem supra cœlos conscendere, & istud illîc complecti, eúmque tropum esse, quia panis dicatur corpus, cum quo corpus non adsit, sed quærendum sit in cœlis. Rhetores omnes & veteres & recentes, etiam quique indoctissimi de tropis scripserunt & explicarunt: sed nemo unquam tam insulsè nobis tropum definivit, nemo probati autoris exemplo tam absurdum tropum nobis unquam confirmavit, quàm est iste, quum vocabulum hactenus propriam suã significationem verissimè retinet, sed quia res ipsa, quam propriè significat, cum signo externo non adest, fide autem in cœlis quæren-

Pag. 462. Pag. 281. 461.

da eſt, propterea eodem loco in eadem ſententia dicitur accipiendum tropicè. Quomodo verò ejuſmodi interpretatio poteſt efficere, ut vox tropica ſit, quæ retineat etiam propriam ſuam ſignificationem? Tenebræ ſunt iſtæ, quas Diabolus hominum oculis offundit, ne veritatem agnoſcant, ſed mendacia, quæ non putant, pro veritate cupidiſsimè complectantur.

Præterea tropus eſſe nullo modo poteſt in appellatione *Sanguinis*. Nam ſi quis è verbis Matthæi & Marci, *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*, tropum velit formare, quaſi lignum donetur nomine rei ſignatæ, vinum appellatione Sanguinis, contradicunt Lucas & Paulus, *Hoc poculum novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, vel propter meum ſanguinem, in qua locutione vox *ſanguis* tropicè accipi nullo modo poteſt, quũ novum Teſtamentum ſit non in tropico ſanguine, vel aliquo ſanguinis Chriſti ſigno, ſed in & propter ipſum verum Chriſti ſanguinem pro nobis effuſum in remiſsionem peccatorum. Loquuntur autem omnes Euangeliſtæ de eodem ſanguine: igitur eum omnes intelligunt ſine tropo, quem dicunt in S. Cœna bibendum dari præſentia reali vel σωματικῆ. Concludimus ergo, ſi vocabulum *Sanguis* in S. Cœna ſine tropo accipitur, & eſt omnino accipiendum; ne quidem vocem *Corpus* in eadem S. Cœna tropicam ſignificationem admittere: quod Danæus nunquam ſolidè refutabit, quicquid moliatur.

Pag. 463. Objicit, nos de voluntate Chriſti quicquam fingere extra, præter vel contra verbum Chriſti. Certè de voluntate Chriſti non poteſt aliunde ſtatui, niſi è verbis teſtamenti ejus, quibus quum dicat, ſe velle nobis dare edendum ipſum verum corpus ſuum, quod pro nobis in mortem tradidit, qui nos ſumus, qui neglectis iſtis tam perſpicuis verbis, velimus aliunde imaginari & fingere voluntatem Chriſti verbis iſtis contrariam? Num verò Danæus nos dementes eſſe putat, quibus iſta tam

vana

vana facilè posſit perſuadere? Mors Chriſti & ejus abitus ad Patrem nihil impediunt, ne verum esſe posſit, quod in Teſtamento ſuo Dominus promiſit.

Ad Cap. XXXI.

Caput 31. continet conſolationes, quæ petantur ex hac doctrina de præſentia totius Chriſti in Eccleſia. Danæus negat, Pag. 463. é falſa doctrina veram conſolationem peti poſſe: quod nos quoque negamus. Sed nondum probavit, doctrinam Chemnitii vel potiùs ipſius Scripturæ falſam eſſe: itáque nec illud probat, ex ea doctrina veram conſolationem peti non poſſe.

Ad Cap. XXXII. & XXXIII.

Reſtant duo capita: Triceſimum ſecundum, quôd & quomodo doctrina de exaltatione humanæ naturæ Chriſti ita ſit accipiẽda, ut veritas ejus ſalva maneat; & quòd prętextu veritatis corporis Chriſti non ſint neganda, quæ de prærogativis carnis ejus habent manifeſta Scripturæ teſtimonia. Triceſimum tertium de Exinanitione. Hæc ſi Danæus judicavit indigna, quæ examinaret, quærimus, quamobrem indigna putarit, quum in ſuperioribus ſæpe minimos apices etiam petulanter calumniando flagellarit. Si pias & utiles judicavit iſtas explicationes, ut ſunt certè, cur non concedit veritati? Nobis quidem certè videtur iſta tam ferocis & impotentis ingenii vis & ſpiritus tanquam ventus hominem tandem defeciſſe fruſtra luctantem depugnantémque adverſus tam divinam támque invictam veritatem.

FINIS.

NVM FIDES POSsit ſupra cœlos evolare, & illîc ipſam carnem Chriſti comprehendere

Contra Sacramentarios

ADMONITIO

Per

M. FRIDERICVM PETRI, miniſtrum verbi in Eccleſia Brunſuicenſi.

Edita conſilio & voluntate MARTINI CHEMNITII Doct. & Superintend.

Epheſ. 3.
Chriſtum per fidem habitare in cordibus veſtris.

VITEBERGAE
Ex typographia Simonis Gronenbergii,
M. D. LXXXIIII.

AMPLISSIMIS VIRIS, NOBILITATE GENERIS, VIRTVTE ET eruditione præstantissimis, D. ACHATIO & D MATTHIAE Fratribus à VELTHEIM, Dominis suis reverenter colendis,

Gratiam & pacem per Christum Iesum Salvatorem nostrum unicum, Amen.

HAEc Admonitio, Viri Nobiles, magna quidem ex parte philosophica est, sed argumentum contra Sacramentarios nõ contemnendum videtur. Ii enim omnes conspirârunt ad negandam veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna. sed non omnes eâdem via ingrediuntur. Nonnulli enim sine simulatione dicunt, quod sentiunt, ipsum scilicet corpus Salvatoris longissimè abesse, quum administratur Cœna Dominica: cum quibus hîc agere non institui. Contrà verò plerique recentiores luculentis verbis splendidè fatentur, ipsummet verum & essentiale corpus Christi adesse in usu sacræ Cœnæ: quod ipsorum tam præclarum de manifesta veritate testimonium diligenter notetur, quia hoc nomine argumentum, quod ex hac disputatione de fide colligitur, satis est evidens & illustre contra ipsos. Di-

Dicunt enim, corpus Christi ipsum quidem in cœlo semper residere, attamen hominis fidei præsens esse in cœna, quòd ea ad illud supra cœlos conscendat, idque ita sibi præsens faciat: quo paradoxo putant se commodè posse elabi, ut quum totis viribus apud animum suum negent & negatam velint veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, tamen videantur ad speciem eam docere propter manifestam evidentiam verborum Institutionis. Hîc autem contrà multis iisque sine dubio verissimis & certissimis rationibus monetur, fidem non vagari foris extra mentem, nec res absentes ullo alio modo fidei præsentes esse, nisi in imagine, quam mens formet & intueatur intra sese.

Quia igitur adversarii negant, imaginem Christi absentis adesse fidei in sacra Cœna, quia item pleno ore fatentur, ipsum verum corpus Christi illîc adesse, siquidem ex animo sentiunt, quod dicunt, velint nolint oportet fateantur, adesse illud præsentia corporali, aut cum nonnulla levitatis significatione deinceps omnem ejus præsentiam prorsus negent: quorum utrum futurum sit, dies docebit.

Nobis satis est hinc illud didicisse, quod res est, tutissimum scilicet esse, si veritatem divinæ promis-

sionis

sionis in institutione Cœnæ Dominicæ sequamur, & hominum tam dubia tamque lubrica commenta de fide supra cœlos carnem Christi comprehendente vitemus, contráque meminerimus de hac ipsa fide, quod Paulus ait, Christum per fidem habitare in cordibus nostris, idque fieri nõ hac ratione, quòd fides ad ipsum procul absentem supra cœlos evolet, itaque corpus ejus sibi præsens faciat, quum id fidei sit impossibile: sed quia Christus certo verbo promisit, se nobis cum ipso suo vero corpore præsentem adfore: quod nisi promisisset & præstare posset, ut omnipotens Deus, fides eum præsentem cum ipso vero ejus corpore nunquam ullo modo posset habere. Quod de sanctis Angelis & hominibus certissimum est, eos, quamvis luculentissimè promittant, sese absentes absentium fidei præsentes adfore, tamen id nequaquam posse præstare, quum nec fides ad eos evolet, nec ipsi absentes se cujusquam unius nedum multorum fidei præsentes sistere ullo modo possint.

Quia verò Filius Dei promisit, se nobis adfuturum cum vera sua carne, vel ipsis Sacramentarius testibus, & potest, quod promisit, opulentè præstare, suprà quàm omnes reliquæ creaturæ possunt, hoc verbum promissionis fides amplectitur, itaque certissima

est, Christum, qui dixit & potest, ad ejus promissionis veritatem sibi cùm per meditationem verbi, tum vel in primis in administratione sacræ Cœnæ substantialiter adesse præsentia corporali: quod sibi præcipuè proposuit hæc admonitio docendum probandumque rationibus iis quidem philosophicis, at ejusmodi, quæ cum Sacramentariorum testimonio conjunctæ non mediocriter nostram sententiam confirmant. Quia enim concedunt, ipsum verum Christi corpus adesse in sacra Cœna, hîc autem manifestissimè probatur, fidem ad illud nequaquam posse supra cœlos conscendere, sequitur ex hoc ipsorum testimonio nostraque admonitione, nullo dubitante, adesse illud præsentia corporali: quam si ipsi nolunt nobiscum credere, credant sanè, quod volent: nobis certè non persuadebunt hoc tam admirabili dogmate de fidei supra cœlos evolatu, ut propterea à certa & manifesta sententia verborum institutionis deflectentes ad hominum commenta convertamur.

Non arbitror autem, quenquam pium sic existimaturum, hanc admonitionem minùs esse necessariam. Ego quidem peropus esse putavi, ista de actionibus mentis & conditione fidei monere, quum Sacramentarii paradoxon istud de fide supra cœlos evo-

lante,

lante, & illic ipsum verum Christi corpus comprehendente, penè omnibus suis de Cœna disputationibus inferciant, eóque velut ad sacram anchoram confugiant, quoties evidentia verborum institutionis convicti coguntur admittere aliquam præsentiam ipsius veri corporis & sanguinis Christi in Cœna, idque possit profectò multos incautos & ex nostris & exadversariis fallere: contráque hæc admonitio plurimũ certè faciat ad confirmandam nostram sententiam de corporali præsentia carnis Christi in Cœna, ut nõ dubitem, multos bonos homines, qui hactenus cæco judicio cũ Sacramentariis steterunt, si rectà ratione fundamenta hujus admonitionis considerabunt, & addent ipsum tã nobile Sacramentariorũ testimonium de vera præsentia corporis Christi in Cœna, fanaticã suam opinionẽ deinceps non gravatè abjecturos, & corporalẽ ejus præsentiã nobiscũ libẽtissimè credituros.

Intelliget hinc etiam studiosa juventus, aliud esse, materias ἀδόξους arripere, eásque exercendi vel ostentandi ingenii gratia defendere, longè verò aliud, veras sententias, è puriore philosophia depromtas, dextrè accommodare ad explicationem rerum sacrarũ, quod mihi hîc in primis attendendum fuit, ut præstarem, quantum possem: unde nonnihil, ut arbitror,

per-

perſpicietur, quis ſit uſus philoſophicarum diſputationum, quomodo ſcilicet illæ ingrediendæ ſint & tractandæ, ut expoſitioni rerum ſacrarum famulentur, quum totum illud, quod vera philoſophia rectè tradit, ex dono creationis ideò reliquum ſit, ut quoad ejus fieri poteſt, tanquam famula diſſerendis & explicandis rebus ſacris ſerviat. Quare confido, bonis omnibus hanc meam operam gratam fore, quòd iſtud adverſariorum dogma de Fide philoſophicè tractandum & explicandum ſumſi.

Scio equidem, laudari conſilium Lutheri, qui, ut ipſe ſæpe dixiſſe fertur, ne cujus ullius novi dogmatis autor eſſet, paſſus eſt apud animum ſuum multas bonas cogitationes intermori: quod hìc quoque multi putabunt mihi potiùs ſequendum fuiſſe, quàm novam quæſtionem de fide movere. Sed, ut ſpero, prudens & æquus lector inſtitutum meum probabit, quum videat novum eſſe non quod ego de fide diſputo, ſed quod de ea docent Sacramentarii. Ego enim vetera veteris ejuſque purioris philoſophiæ decreta, itémque veterum Eccleſiæ doctorum manifeſtiſſima teſtimonia de hac quæſtione integritati ſuæ reſtituo, unde intelligatur, quid ſalvis ſcripturarum fundamentis de fide rectè ſtatui poſſit, unde item perſpiciatur, iſtud adver-

adversariorum Paradoxon ita novum esse, ut nullis anteà seculis, in eam sententiam, quæ ipsorum est, in Ecclesia auditum sit.

Accipite ergo, viri nobiles, hanc meam qualemcunque lucubratiunculam, quam sub vestri nominis auspicio in publicum emitto, testimonium scilicet pietatis & studii vestri in propaganda veritate doctrinæ de vera & corporali præsentia carnis & sanguinis Christi in sacra cœna, & quod facitis, porrò etiam, quantum potestis, facite, ne vestro loco hominum cõmenta contra manifesta verba Filii DEI *Testatoris invalescant. Valete feliciter in Christo Jesu. Brunsuici, anno reparatæ salutis, 1584.*

V. A.

reverenter colens

M. Fridericus Petri
Minister verbi.

LECTORI.

Non nunc primùm cœpi, Lector, apud animum meum dubitare de veritate hujus paradoxi, quòd Fides extra cor in cœlum subvolet: sed ante aliquot annos, mox ut istud audivi, perspexi ejus infirmitatem. Quòd verò videbam, nostros illud ut dissentiens à verbis Institutionis in negotio sacræ Cœnæ constanter negare, rationes ejus vel explicandi vel refutandi nec collegi, nec colligere unquam instituì: donec conventum est de Apologia Formulæ consensionis ex Ecclesiarum censuris corrigenda perficiendáque, quũ ea nobis quoque legeretur, per hanc occasionem aliquando in publico Ministerii nostri consessu dixi, non tam firmum certúmq; esse istud, quàm Sacramentariis videretur, quia nemo sanus Philosophus id tanquam manifestè & sine ulla controversia verum concessurus esset.

Ibi tum jussus sum capita refutationis breviter conscribere: quæ quum clarissimo viro D. MARTINO CHEMNITIO Doctori & Superintendenti nostro judicanda monstrarem, etsi vir ille meminerat, ea niti veris fundamentis Philosophiæ, nec ineleganter posse contra Sacramentarios disputari: tamen noluit argumẽtum istud solis rationibus Philosophicis tractari, quia verendum esset, ne id ita isti cotemnerent, tanquam nihil ad rem faciens: sed mihi autor fuit, ut potissimùm conquirerem, quicquid ejus Augustinus & alii disseruissent etiam in Ecclesia. Feci, ac lubens, &, quantum potui, diligenter mediocrem numerum testimoniorum collegi: qua in re industriam

meam

meam ille probavit: quumque ei per alias occasiones adessent quidam magni nominis Theologi, libellum meum iis etiam videndum obtulit, ut complurium judiciis tota ratio staret: qui & ipsi censuerunt, admonitionem veram esse, nec inutiliter posse publicari.

Quin etiam aliorum non indoctorum hominum judicia coràm & per litteras exploravi, quibus talis visa est ista meditatio, qualem esse res ipsa declarat, nec ideò indigna, quæ in multorum manus veniat legenda & cognoscenda. Volui igitur eam edere. Et quidem statueram ex isto numero testimoniorum tantùm pauca quædam eaq; illustriora seligere, missis cæteris: sed de consilio & jussu D. Chemnitii sententias omnes retinui, ut eò luculentiùs intelligatur, ante multos annos in Ecclesia de hac quæstione ab iis, qui ex professo eam tractare instituerunt, longè aliter, atq; à nostri seculi Sacramentariis, disputatum scriptúmq; esse, utq; tot & tam perspicuis Patrum testimoniis nonnihil moveantur ii, qui aliis rationibus non facilè moveri possunt.

Habent Geometræ sua quædam αἰτήματα, quæ non tam rationibus probant, quàm sine rationibus postulant credi, tanquam ita vera, ut nullam habeant dubitationem. Sic Sacramentariorum αἴτημα est, Fidem supra cœlos evolare: quod adhuc quidem pro certo atq; concesso sumserunt, quum ex hac admonitione appareat, nihil esse minus certum, nihil minus concessum: ut

mirari liceat hominum temeritatem, qui cùm negatam velint omnem præsentiam carnis & sanguinis Christi in cœna Dominica, nec tamen propter evidentiam verborum Institutionis audeant eam apertè negare, fatentur corpus Christi in cœna adesse fidelibus, externis autem signis adesse negant, & ad hoc ἄιτημα confugiunt, ut dicant, Fidem supra cœlos ad illud apprehendendum conscendere, & ad tantam denique audaciam provehuntur, ut non vereantur fingere, Christum omni sua vi non posse hoc præstare, quod perspicuis verbis Testamenti sui promisit, hominem autem posse phantasia sua vel cõtemplatione fidei ad illum usque thronum Dexteræ Dei sese attollere, supráque cœlos evolare.

Habeant igitur hæc de ejus sententiæ tam manifesta imbecillitate, quæ non eò tantùm spectant, ut in specie quæratur, num in administratione sacræ cœnæ fides possit supra cœlos evolare, quemadmodum Sacramẽtarii quidem de Cœna potissimùm sentiunt, quum sic loquuntur: Sed quia de hominis fide, non de promissione Christi in cœna agitur, & fidei eadem ratio est, sive in Cœna sive alibi Christum quærat & accipiat, generaliter monendum putavi, quid hîc de ea probabiliter sentiri & dici possit. Neque verò tantùm philosophicè de summa rei disserui: sed ut totius disputationis usus aliquis perspiceretur, eam ad quæstionem de Cœna Domini & de vita Christi nobis communicanda accommodavi, idq; eò potissimùm, ut docerem, ipsorum Sacramentariorum testimonia

teſtimonia contra ipſos in hac tanta cauſſa facere, ad probandam corporalem præſentiam carnis Chriſti in Cœna.

Iudico autem ſatis eſſe, hæc initio de paradoxo Sacramentariorum monuiſſe, ne porrò putent ἄιτημα ſuum tam certum eſſe, ut omnes ſanos prorſus oporteat illud credere nullis rationibus probatum. Si quid contrà adferent (quanquam quid contra tam evidentem támque perſpicuam veritatem adferre poſsint, nondum intelligimus) ſi quid tamen adferent, erunt ſine dubio eruditiores, qui patrocinium tantæ veritatis ſuſcipere non defugient.

Denique, quicquid conabuntur, nunquam certè efficient, ut nobis hæc ipſorum ſententia ſine ulla dubitatione videatur eſſe certiſsima. Atqui in negotio ſalutis nihil erit incertum, nihil dubium, nihil erit, quod diſputationibus huc & illuc trahi poſsit, ſed erunt certiſsima omnia. Dubiis autem paradoxis in re ſeria conſcientias ludificari quorum hominum ſit, ipſi viderint, ut poſthac deſinant iſta nobis ſine rationibus inculcare.

CAPVT I.

CAPVT I.

Quòd Sacramentariorum sententia sit, fidem supra cœlos evolare, & illìc ipsam carnem Christi comprehendere.

DE negotio Cœnæ Dominicæ jam â multis annis acerrimè dimicatur cum non contemnendo totius Ecclesiæ Christi detrimento, Sacramentariis pro Metonymiæ Tropo in verbis Cœnæ admittendo, próque absentia corporis Christi â signis externis pertinacissimè depugnantibus; Lutheranis autem è manifestissima promissione Filii Dei Testatoris doctrinam de vera & corporali carnis & sanguinis Christi præsentia, ejúsque distributione fidelibus & infidelibus cõmuni in sacræ Cœnæ administratione constanter adversus omnes contrarias rationes defendentibus.

Et hîc in primis Sacramentarii semper sibi penitus persuaserunt, & verò etiam nunc persuadent, Lutheranos victos esse, & tanquam de sua cujusque laude aliqua, non de gloria Dei nec de veritate cœlesti res agatur, velut de victoria jam certissimè parta sibi mirificè gratulantur: cùm intereà Lutherani pro sua virili propugnandæ divinæ veritati nec defuerint unquam, nec desint, certi sese ipsum verum Dei verbum, ipsum quoque verum & certum ejus sensum de Cœna Domini tradere, utut adversarii contrà sibi de suis blandiantur: quæ quantumvis ipsis speciosa, plausibilia & solida videantur, ita tamen sunt â Luthero & ejus sectatoribus verbo Dei prostrata, ut piis mentibus miserabile videatur, ea nihilo minus ab Adversariis in aciem produci: quum illi, quibus fundamenta veræ doctrinæ mediocriter nota sunt, istis non ita moveantur, ut propterea à sese ab agnita veritate abduci patiantur, immo potiùs confirmentur in sua sententia, certi videlicet, eam talem esse, quæ invicto Dei verbo subnixa nullos oblatrantium invalidorum argumentorum strepitus exhorrescat.

Et de reliquis quidem Sacramentariorum argumentis, cujusmodi sint, & quemadmodum verè & solidè ex verbo Dei & perpetuo cõsensu orthodoxorum Patrum refutari possint ac debeant, abundè hactenus

hactenus ostensum est in multis nostrorum libris, & in primis in Apologia Formulæ Consensionis, quæ ita nervosè scripta est, atq; ita solidè omnes eorum objectiones refellit, ut, quibus veritas cordi est, illi Deo gratias agant ac læti acquiescant, ut nihil opus sit mequicquam eorum repetere vel explicare.

Vnum est in ipsorum doctrina, quod magnam dubitationem habet, quamvis eo ipsi sibi mirificè placeant, quo propemodum totam suæ senrentiæ summam in negotio sacræ Cœnæ complectuntur, quod in libro Concordiæ damnatur his verbis: In Epitome, pag. 243. a. Anathematismo. 8. Panem & vinum nihil aliud esse, quàm signa conservandæ memoriæ caussa instituta, quæ sigilla sint & pignora, quibus certi reddamur, fidem, si se sursum levet in cœlum, illîc tam verè corporis & sanguinis Christi participem fieri, quàm verè in Cœna panem edamus & bibamus vinum. Et in eandem sententiam in Formula, pag. 303. b. Anathematismo 5. Panem & vinum non esse nisi symbola aut signa memorialia absentis corporis Christi, quibus signis tanquam externo pignore confirmemur, ut certò statuamus, fidem illam, quæ à Cœna sese avertit, & supra omnes cœlos ascendit, sursum non minus verè corporis & sanguinis Christi participem fieri, quàm verè in Cœna Domini ore externa symbola accipimus. Et hoc modo fidem nostram in sacra Cœna tantùm per externa symbola, non autem per verum, præsens, & nobis exhibitum corpus & sanguinem Christi obsignari & confirmari.

Videamus ipsorum Sacramentariorum verba: Beza contra Iodocum Harchium. Cùm Sacramenta, inquit, duabus rebus constent, una videlicet terrena, altera cœlesti, docemus rem terrenam, id est, panem & vinum terrenis instrumentis, manu videlicet & ore percipi, & similiter ritus Sacramentales, fractionem videlicet, præbitionem & acceptionem corporeis itidem instrumentis peragi: rem autem cœlestem, id est, quicquid per illa Sacramentaliter significatur, sicuti menti objicitur, sic sola mente per fidem apprehendi.

Idem cõtra Claudium de Sainctes. Non est hujus actionis finis, ut membra caput suũ quasi in terris adhuc sitũ quærant aut manibus com-

complectantur, multo minus ut ore devorẽt, ſed ut potiùs fide ad illum ſupra cœlos conſcendant.

Idem Apologia. 3. contra Selneccerum. Planè, diſertè, perſpicuè ad ravim uſque clamavimus, quod & ipſo nunc Deo teſte & Angelis ipſius totáque Chriſtiana Eccleſia, vociferari non deſinimus, etſi corporis & ſanguinis nomina non niſi μετωνυμικῶς pani & vino tribuuntur, & Chriſti caro non alibi nunc eſt quàm in cœlo, tamen illud ipſum corpus traditum pro nobis, & illum ipſum pro nobis effuſum ſanguinem verè nobis per fidem ſpiritualiter in Cœna Domini communicari.

Ibidem pag. 40. 41. 42. multa de fide diſputat in eam ſententiam, quòd ea poſsit ad illum uſque thronum dexteræ Dei ſeſe attollere, & ſupra cœlos evolare: quæ pag. 43. in pauca conferens ſic concludit. Res ita ſe habet: Quærendus eſt nobis Chriſtus ſpiritu & fide in cœlis, quò nos ad ſe vocat, & ubi noſtrum eſt πολίτευμα. Conſcendimus autem in cœlos fide & ſpe, quaſi geminis alis ſubvecti.

Danæus in Epiſtóla ad Selneccerum. Chriſtum ipſum nobis fide ad ſacram Cœnam accedentibus eſſe etiam corpore ipſo ſuo, quod tamen in cœlis manet, præſentiſsimum. Fides enim noſtra illud etiam in cœlo & quærit & reipſa apprehendit, adeò ut fiamus illius corporis Chriſti verè & reipsâ quoque participes.

Idem ad Collegium Theologicum Tubingenſe: Non influentiam tantùm quandam aut ſpiritualem motum in ſacra Cœna Domini recipi dicunt, ſed ipſammet ſacratiſsimam Chriſti carnem, quatenus eſt caro unigeniti, quamverè quidem, ſed per fidem ſpiritualiter nos participare affirmamus. Idem in Apologia pro Helveticis Eccleſiis. Docemus ipſam carnem & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti corporalis præſentiæ ſitu à ſignis abſentem, & non in terris poſitam, ſed in cœlis reſidentem, tamen reverâ dari ac communicari ſingulis in cœna Domini pane & vino ex fide veſcentibus.

Neoſtadiani in Chriſtiana admonitione cap. 2. pag. 45. Voces auribus, ſymbola oculis & aliis ſenſibus corporis accipiuntur: res autem utriſque ſignificatæ animo & corde per fidem à Spiritu ſancto accenſam & excitatam. & pag. 47. Panem & vinum ex manibus, verba promiſsionis gratiæ huic ritui adjunctæ ex ore miniſtrorum accipi membris, actionibus & ſenſibus corporis, oculis, auribus, manibus, ore & ſtomacho, viſu, auditu, tactu, guſtu & olfactu; res autem

his

his significatas, ipsum corpus & ipu m sanguinem Christi non nisi ex manu ipsius Christi per fidem & Spiritus sancti in cordibus efficaciam percipi.

Bremenses in Responsione ad articulos ipsis impositos, pag. Aa. 3. b. Quid? fidei nihil erit præsens, nisi quod ratione loci & spacii essentialiter illîc constituitur, ubi nos sumus cum nostris corporibus? quum certè fidei natura & proprietas sit, omnia, quibus nititur, non aliter quàm præsentia accipere, etiamsi respectu loci procul â nobis absint, illud etiam, quod ante multos annos accidit, quod item post multa secula futurum est: ut interim taceamus, quòd etiam in negotiis humanis nobis præsentius est & propius id, quod animo & cordi nostro altè infixum & velut impressum est, quàm quod coram oculis præsens sistitur, aut manibus prehenditur: quum præsertim multò potiùs sit, animis quàm corporibus uniri, ut sonant Ambrosii verba: Præsentior est is, qui se animis inserit, quàm qui oculis præsentatur. Plus est enim mente connecti, quàm corpore copulari. Sic illi.

Summa igitur argumenti, de quo dico, hæc est, fidem sese avertere à signis externis, quæ debeat ac possit supra cœlos evolare, & illîc ipsum verum & essentiale corpus & sanguinem Christi ad dexteram Dei certissimè apprehendere, ejúsque particeps fieri: quod si sic intelligerent, ut Scripturæ sese volunt intelligi, quum dicunt, Animam vel cor ad Dominum levare, non omnino incommodè diceretur, fidem sursum tolli, fidem in cœlum levari. Sed quòd id in eam sententiam nec dicant nec accipi velint, non obscurè colligitur ex his ipsorum placitis. Nam primò docent, carnem Christi procul â nobis supra cœlos versari, nec unquam ante extremum diem ad nos in terram usq; descendere: deinde verò eam ipsam carnem à nobis hîc in terra versantibus fide comprehendi contendunt: quòd nobis non potest non videri sic omnino dictum, tanquam fideles aliquid ex sese emittant, quod longè ab ipsis effluens, supráque cœlos conscendens illîc ipsum corpus Christi complectatur: quod ipsum quoq; verba ista manifestè volunt, fidem supra cœlos ad Christum conscendere, supra cœlos evolare, ipsummet corpus Christi comprehendere: quo sibi videntur rimam reperisse, qua elabantur, quum evidentia verborum Christi convicti coguntur admittere ali-

quam vcram præſentiam corporis Chriſti in Cœna: unde ſic clamitant, à ſe non relinqui nuda & vacua ſigna ſacræ Cœnæ, ſed ſe affirmare, Panem & vinum ſacræ Cœnæ eſſe certiſsimas ipſius Chriſti carnis & ſanguinis communicati exhibitióq; nobis σφραγίδας, & ſigna verè teſtificantia atq; exhibitiva ipſius rei quam deſignant, ideóque Deum in hujus Sacramenti porrectione non ludere nos inanibus ſignis, ſed rem repræſentatam & promiſſam verè cum illis & per illa exhibere & præſtare.

Itáque non putamus, nos ipſis injuriam facturos, ſi ſic ipſorum verba intelligamus, ut ſonant, contráque ſignificemus, nos non perſpicere, quàm rectè quámque verè dicatur, fidem ſupra cœlos evolantem Chriſti corpus illîc comprehendere: nec item nos intelligere, quàm probabile ſit hoc, quod ipſi fieri putant, quum ſibi videntur, ſi in ſuis Eccleſiis libum panis frangant, eóque deglutito ſorbillum vini exhauriant, ſubitò ſurſum ferri, unóque momento omnem aërem penetrare, & Chriſti carnem certo aliquo cœli loco comprehenſam Spirituali manducatione percipere, eodémque momento inde redeuntes deſcendere.

Noſtri ſemper iſtud, ut in cauſſa Sacramentaria falſum, negarunt, & meritò, tanquam non conſentiens cum verbis inſtitutionis Chriſti, quibus ſolis in hoc negotio potiſsimùm pius animus inhærere debeat, & in eorum vera & nativa ſententia conſtanter inniti, repudiatis omnibus contrariis argumentis Adverſariorum, quantumvis ea rationi plauſibilia videantur: unde factum puto, quòd id nemo noſtrum, niſi me animus fallit, ex profeſſo refutandum vel declarandum adhuc quidem ſuſcepit: præterquam quòd nonnulli quæſiverunt ab adverſariis, qui fieri poſsit, ut fides ſupra cœlos ad carnem Chriſti conſcendat, quibus non video quid reſponſum ſit, & quòd brevis ſententia refutationis extat in Apologia Formulæ conſenſionis pag. 138. b. Quia enim adverſariis hactenus explicatum non eſt, qua ratione fides poſsit ſupra cœlos evolare, quod ipſorum libros legentibus manifeſtiſsimè apparet, defuit noſtris occaſio plenius id vel explicandi vel refutandi, quum quod falſum erat, quódque ſine ra-

tioni-

tionibus ſimpliciter affirmabatur, idipſum quoq; putaretur poſſe non adhibito aliquo rationum cumulo ſimpliciter negari.

Quum autem hoc argumentum philoſophicæ vel phyſicæ cujuſdam conſiderationis multum habeat, de eo ipſo etiam, quemadmodum philoſophicè poſsit, explicari, ſut tota ejus vis & ratio apertiùs perſpiciatur, breviter, quantum potero, monebo, unde & ipſi Adverſarii imbecillitatem totius hujus rationis agnoſcant, déque ejus veritate, ſi volent, incipiant nobiſcum nonnihil dubitare, & diſcant porrò parciùs iſta nobis inculcare & occinere, ſi videant ea eſſe tam inania támque infirma, ut ſeſe ipſa conficiant, & ut noſtri meminerint, non ita tutum eſſe, à certiſsimis verbis Filii Dei Teſtatoris recedere, & iſtud Adverſariorum dogma de Fide ſupra cœlos evolante ſequi, quod intelligant ejuſmodi eſſe, ut multis modis oſtendi poſsit, id eſſe incertum, imò ſanæ rationi ne quidem probabile videri, ſi ea de illo diligentiùs moneatur: ut manifeſtiſsimè appareat omnibus, hujus argumenti vim nonnihil conſiderantibus, adverſarios, ſi ſentiunt, ut non obſcurè ſentire videntur, fidem è corde egredi, & in cœlum uſque ſubvolare, admirabiliter imprudentes eſſe, qui non intelligant, quid dicant, idqúe quàm inconſideratè, aut, ſi vident, fidem non poſſe, quod eam poſſe fortiter affirmant, protervè malitioſos eſſe, qui prudenter ſcientésque nobis in re ſeria fumos vendant, & pro theſauro carbones objiciant, aut putare, nos fatuos eſſe, & omnino totius Philoſophiæ ignaros, qui neſciamus, quid hoc ſit dicere, fidem ſupra cœlos evolare.

Et quia is eſt & eſſe debet animus noſter, ut, niſi nobis certis Scripturis & ſolidis rationibus comprobetur, non facilé credamus verum eſſe, quod dicunt, fidem ad Chriſtum ſupra cœlos conſcendere, & ejus corpus illîc complecti, quando nos ejusmodi aliquid neque in ſacris literis unquam legimus, neque ex vera ſolidáque philoſophia didicimus, cupimus igitur, quod item noſtro quodam jure videmur ab ipſis poſse flagitare, ut ejus nobis certa teſtimonia ſcripturarum & ſolidas rationes monſtrent, quibus convicti credamus, id eſſe verum.

Quum enim pertinaciſsimè de eo ipſo nobis inculcando laborent, debent profectò nobis iſtud, quicquid eſt, officii, ut quid hoc ſit de fide ſolidè nobis explicent, ne ſcilicet inanem operam ſumant, & ne quod ipſorum dictum ut verum certúmque imprudentes arripiamus, quòd poſteà diligentiùs conſideratum perſpectúmque repudiemus, cum nonnulla ipſorum ignominia, ut qui nobis incerta & infirma perſuadere laboraſſent. Doceant ergo nos, cur & ipſi ſic de fide ſentiant, & quibus ſcripturæ dictis, quibúſque rationibus philoſophicis putent ſe poſſe planum facere & probare, fidem ſupra cœlum elevatam ipſum Chriſti corpus illîc apprehendere: doceant, quibus cauſsis moti putent, hominem poſſe faciliùs omnes cœlos perrumpentem ad Chriſtum aſcendere, quàm Chriſtum ipſum ad nos in terram deſcendere. Neque enim niſi certis rationibus perſuaſi credere poſſumus, id eſſe verum, nec rectè nobis quiſquam vitio vertet, quòd hîc evidentes rationes poſtulamus, quum non deprehendamus, nobis aliquid ejuſmodi accidere, ut in adminiſtratione ſacræ Cœnæ fide noſtra ſubvolemus in cœlum.

Quòd ſi contendent, ſeſe verè ſubvolare, idq; dicent ſibi certis rationibus probatu quidem non eſſe facile, ſed tamen ſubvolare, quoties in Cœna Domini panem edant & bibant vinum, quum intelligant, nobis non ſatisfieri, ſi iſtud tantùm dicant, niſi etiam aliquo ſaltem minimo experimento probent, agè, ne quid dubitemus, narrent, quid fide ſuperatis & præteritis omnibus cœlis Spiritu ſuo videant illîc carnem Chriſti cum Sanctis & Angelis agere, quæ ſit ejus figura, quæ facies, quo cœli loco eam deprehendant, quæ benevolentia advenientibus tribuatur, cur mox, ut advolarunt, vix ſalutato Chriſto dimittantur tanquam veredarii, quod & ubi ſit ejus ergaſtulum, quot milliarium millibus iſtud abſit à terra, quàm verum ſit hoc ejus, qui dixit, quingentorum annorum iter illuc à nobis eſſe.

Iſta enim certè nobis videntur manifeſtiſsimè poſſe commemorare, quum toties magno numero ſurſum deorſumq; ferantur, ut ea non poſsint ipſis non eſſe notiſsima: quando Mathematici, quamvis nunquam cœlos corâm pervolarint, poſſunt tamen veriſimiliter demonſtrare, quæ ſit Planetarum & orbium cœleſtium à terra & inter ſe diſtantia.

Quumq;

8.

Quúmq; mens hominum vagabunda ſit & agilis, & quantumvis agendis rebus ſeriis intenta, tamen celerrimè deflectat ad cogitanda alia, eáque ſæpè à propoſito alieniſsima, ut vel edendo pane bibendóque vino ſacræ Cœnæ, vel beneficiis Chriſti piè meditandis poſsit ſeſe ſubitò convertere ad cogitandas miſerias & ſupplicia damnatorum, doceant nos, num ſic etiam apud inferos Cœna Dominica celebretur, & illîc caro Chriſti fide cujuſquam ſic iſta cogitantis hominis accipiatur.

Narrent hæc, doceant hæc, ut ſi nobis iſta fideliter narrabunt & explicabunt, nec alias ſuæ ſententiæ rationes habebunt, ſaltem narrationes iſtas, ſi modò veris Luciani narrationibus veriores erunt, velut aliquas probandi dogmatis ipſorum rationes habeamus. Nec enim pii hominis eſſe putamus, aliquod dogma ſine rationibus Eccleſiæ Dei velle obtrudere.

Quia verò animadvertimus ex ipſorum ſcriptis, eos ipſos de hujus argumenti vi & ſententia nunquam ſolicitè cogitaſſe, nedum eam certis rationibus probare inſtituiſſe, ſed ſatis putaſſe, ſi dixiſſent, fidem ſupra cœlos evolare, tanquam nihil opus eſſet, probare, quàm rectè diceretur, ut veriſimile ſit, ipſos de eo admonitos aliquandiu laboraturos, ut circumſpiciant, quod confirmationis ſpectrum nobis hîc pro vero probationis argumento afferant, interim dum hoc ab ipſis præſtatur, nos nec ſacrarum literarum nec ſanioris philoſophiæ omnino rudes ſic ſtatuemus, certiſsimum eſſe, quod ipſum quoq; nullam dubitationem habeat, ipſos hujus ſuæ ſententiæ ſolidum aliquod fundamentum è verbo Dei nullum ullo unquam ſeculo poſſe afferre. Nihil enim tale in divinis ſcripturis dicitur, fidem in cœlum conſcendere, & illîc reſidentem carnem Chriſti complecti: ut nobis penitus perſuadeamus, ipſos hîc valde quidem, ſed fruſtra ſudaturos, laborantes quomodo ea tueantur, quæ hîc ipſis tuenda proponuntur.

Prætereà ſic exiſtimabimus, ipſos in ſchola Ariſtotelis vel vera philoſophia nihil tale didiciſſe, ut credamus, hîc etiam perdifficile ipſis futurum, è philoſophiæ documentis iſtud probare.

CAPVT II.

Quòd probabilius sit, fidem non vagari foris extra cor, sed totum actum credendi intra mentem perfici.

Quum igitur non intelligamus, quando hoc ab ipsis & quàm verè probari posse judicandum sit, quúmq; meminerimus, nos ipsorum quoq; debitores esse, & eorum omnium, qui istud de fide legentes audientésve nesciunt, quale sit, aut num quid monstri alat, ideóque hîc facilè falli possunt, docebimus, quid nobis hîc probabilius videatur, ut nisi Adversariis molestum erit, rem tantam tantiq; momenti nobiscum accuratius considerare, perspiciant, non valde verè sic dici & doceri de fide, quum nos hactenus quidem pro ingenii nostri imbecillitate judicemus, id si non omnino falsum est & impossibile, dubium certè esse & lubricum quod quibus rationibus probemus, si placet, æquis animis attendant.

Et in divinis quidem litteris nullibi dicitur, Fidem supra cœlos conscendere, Fidem in cœlos elevatam Christi corpus illîc apprehendere. Nullo igitur jure teneri possumus, ut id credamus. Quod enim de scripturis autoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, qua probatur, ut ait Hieronymus. Nec scripturæ id, quod physicam aliquam considerationem habet, studiosè explicandum suscipiũt, nec item damnant, sed probant, & rationi disquirendum relinquunt, si quid salvis scripturarum fundamentis præterea à physicè vel philosophicè, ut de aliis rebus omnibus, ita etiam de fide sciri, cogitari, disputari & definiri potest è solidis veræ purioriq; philosophiæ decretis. Et Thom. Aquin. part. 1. Summæ Theolog. quæst. 84. artic. 5. citat dictum Augustini ex 2. de doctrina Christiana: Philosophi, qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, ab iis tanquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda sunt. Et addit, Augustinum, qui doctrinis Platonicorum imbutus fuerat, si qua invenit fidei accommoda in eorum dictis, assumsisse, quæ verò invenit fidei nostræ adversa, in melius commutavisse.

Hoc igitur Augustini consilio & exemplo tam nobili támque præclaro purioris philosophiæ fontes consulamus, ad hujus argumenti vim propius considerandum.

Quòd omnes actiones hominis, & inprimis actiones mentis fiant non extra sed intra ipsam hominis essentiam intráque mentem.

In

In homine corpus est & membra corporis, externa scilicet instrumenta animæ. Sunt etiam præter alia animæ organa in primis spiritus illi, qui è purissimo sanguine in corde & cerebro generati per arterias & nervos in totum corpus sparguntur, quorum ministerio anima vitam & calorem, sensum & motum membris corporis sufficit. Est etiam summa vis animæ, quæ dicitur Mens aut potentia rationalis, quæ cogitat, deliberat, ex aliis alia ratiocinando colligit, numerat, judicat &c. quæ dicuntur actiones inorganicæ. Harum omnium animæ potentiarũ & organorũ plenior descriptio petatur è libellis physicis.

In potentia autem rationali, vel in mente, vel in illis ipsis cerebri Spiritibus existit fides historica. Certum est item, illîc ut in subjecto beneficio Spiritus Sancti accendi fidem salvificam. Nam, ut Philippus ait in libello de Anima, id admirabile est, quòd his ipsis spiritibus in hominibus piis miscetur ipse divinus spiritus, & efficit eos magis fulgentes divina luce, ut agnitio Dei sit illustrior, & assensio firmior, & motus sint ardentiores erga Deum: ut & Rom. 8. dicitur: Ipse Spiritus testimonium dat nostro Spiritui.

Hoc fundamento posito videamus porrò, quemadmodum sese hominis actiones omnes habeant, & an fides aliter se habeat, aut per naturæ humanæ conditionem habere possit.

Quicquid operatur aut agit homo, id omne agit non foris procul extra corpus aut animam, sed intra ipsam suam essentiam. Operatur membris externis, nihil ex iis emittendo, quod foris efficax sit, sed proximè contingendo id, quod agit. Verbi gratia: Manibus prehendit, humeris gestat, pedibus calcat, toto corpore movet & promovet, proximè contingens hoc ipsum, quod prehendit, gestat aut promovet.

Sic in sensibus exterioribus nihil foras emittit, sed intus suscipit, quod sentit. Nã à re sensili sensus ipse afficitur ita, ut ab ea semper aliquid effluat, quod usq; ad sensus organum feratur, illúdq; proximè cõtingat. Vt quum videt homo, quum audit, gustat, olfacit aut tangit, nihil ex se emittit, quod extra sensus organum, extra oculos, aures, linguam, nares aut reliquum corpus rem sensilem comprehendat, sed extrinsecus in sensus influit & accipitur, quod sensus moveat. Quippe rerũ visibiliũ species in ipsos oculos sese fundũt: vox ad aures ultrò venit: ori ingeritur, quod in lingua saporem gignat: aër infectus odore in nares influit: & corpori nostro applicãtur, ipsũq; proximè

contin-

contingunt, quæ tactu percipiantur. Itaq; res omnes, quæ visu, auditu, gustatu, olfactu & tactu comprehenduntur, ipsæ aliquid ex se emittunt, quòd cum organis visus, auditus, gustatus, olfactus & tactus non extra corpus, sed in ipso corpore copuletur & sensum afficiat.

Sic sensus communis, phanthasia, memoria, imaginatio nihil foris operatur, sed intra sese rerum species ministerio sensuum exteriorum allatas suscipit & recondit. Cogitationis, judicii, deliberationis, opinionis, numerationis, intellectus, scientiæ, noticiæ, ratiocinationis actus omnis non extra, sed intra mentem perficitur, in omnibus iis, quæ mens vel naturâ novit, vel à sensibus nunciata intra se recepit.

Diligenter enim consideretur hoc ipsum, de quo loquor, quod est in homine præstantissimum, & latissimè vagari videtur, illæ ipsæ scilicet excellentissimæ actiones, quæ homini cum bestiis minimè sunt communes, quas inorganicas appellant philosophi, quibus potest præter alia etiam uno momento totam rerum universitatem capere & quasi percurrere. Manifestum est autem, de quo item nemo sanus dubitare potest, hominis aut animæ naturam non ita conditam esse à Deo, ut actus cogitandi & ratiocinandi extra animam vel extra cerebrum fiat, aut aliquid ex sese emittat, quòd inde egressum foris rem cogitatam comprehendat: sed quamdiu anima cum suo corpore conjuncta est, intra ipsam animam vel in cerebri ventriculis aut in corde omnis & intelligendi et cogitandi ratio perficitur. Imò verissimum est, animam, etiam quando à corpore digressa sibi soli vacat & aliquid agit, istas suas actiones habere non extra sed intra sese.

Sic homo patiens est, sobrius, modestus, temperans, pius, sagax, bonus, contraq; , virtutum vel vitiorum habitu aliquo in ipsa animæ vel mentis essentia, non foris producto continuatóque.

Quòd de præteritis & absentibus cogitetur, imaginem ipsorum in mente formando aspiciendóque.

Hoc quum certissimum sit, deinceps attendamus, quomodo mentis actiones intra mentem perficiantur, & potissimùm de cogitatione

tione vel noticia ſeparatim pleniùs etiam conſideremus, quando id ad hanc quæſtionem explicandam propius pertinet. Fatentur autem omnes ſani Philoſophi, noticiam eſſe actionem mentis, qua rem aſpicit, quaſi formans imaginem rei, quam cogitat, nec aliud eſſe imagines illas ſeu ideas, niſi actus intelligendi. Et Philippus ait, hujus admirandæ actionis non poſſe aliam tradi illuſtriorem deſcriptionē quàm quòd ſit formatio imaginis. Fit igitur iſta imaginatio vel cogitatio tantùm in mente vel in ſpiritibus cerebri, nec extra mentem vel cerebrū egreditur, ut foris alicubi in aëre vagetur, & rē cogitatā apprehendat, ſed hæret & manet in cerebro, ibiq; rei cogitatæ imaginem aſpicit, quæ ſpiritibus cerebri fuit impreſſa.

Quodipſum quoq; diſputatio de univerſalibus, perdifficilis illa quidem, at jucunda tamen & utilis, ejúſque ſanior intellectus manifeſtiſsimè probat, ut negari non poſsit hoc, quod dico, rerum noticias vel imaginationes in ſpiritibus cerebri formari, non vagari foris. Nam ſtatus iſtius diſputationis hic eſt, univerſalia vel rerum genera extra intellectum nihil eſſe; ut quum vel nomino cervum, leonem, hominem, vel de eo cogito, mens imaginem cervi, leonis, hominis format in ſpiritibus cerebri pro arbitrio, quæ ipſa imago non vagatur extra cerebrum, nec eſt aliquid extra cerebrum ſubſiſtens, ſed eſt quiddam hærens in ſpiritibus cerebri, iisq; impreſſum, ſicut ſigillum imprimitur ceræ: de quare videamus potiùs verba Philippi ex Erotematis Dialecticis.

Res ſunt, ait, extra intellectionem, hic cervus, hic homo, hic equus. Sed communis illa imago cervi, quæ vocatur ſpecies, non eſt quiddam extra intellectionem, nec eſt, ut Græci loquuntur, ὑφισάμενον ſeu hypoſtaſis: ſed eſt reverâ actus intelligendi, pingens illam imaginem in mente, quæ ideò dicitur communis, quia applicari ad multa individua poteſt, ut circumferens in mente imaginem cervi agnoſcit cervos ubicunq; oblatos, figuram ad imaginem in mente conferens. Nec aliud Plato vocat Ideas, quàm quod Ariſtoteles nominat ſpecies ſeu εἴδη. Et uterque tantùm de illis imaginibus in mente loquitur. Has dicunt eſſe perpetuas, quia roſæ noticia ſeu definitio manet in mente etiam in hyeme, quum nullæ uſquam florent roſæ, & una eſt vera & perpetua definitio. Sic dicit in mente pictoris formam ſeu ideam pulcri corporis humani incluſam eſſe.

Hæc forma non eſt res extra intellectionem, ſed ipſe actus intelligendi, pingens hanc imaginem. Hæc ſententia & vera eſt & intellectu facilis. Hactenus Philippus.

Neq; verò iſtud de ſolis univerſalibus vel rerum generibus verum eſt, ſed etiam rei cujuſcunq; individuæ abſentis imago mente circumferri & aſpici poteſt, quod fit tantùm cogitando, quum potentia recordandi in ſpiritibus excitata fingit & in ſeipſa aſpicit imaginem hominis noti, vel ejus actu ipſo recordatur: quæ formatio imaginis non egreditur ex cerebro uſque ad cogitatum individuum, ſed in ſpiritibus cerebri manet. Et res individua, quæ cogitatur ab alio, nec ſcit nec ſentit de ſe cogitari: quemadmodum mens mea de quolibet homine mihi vel noto vel ignoto, præſente vel procul abſente, cogitare poteſt, quod ipſum iſte neq; ſciat neq; ſentiat.

Sic res, quæ pridie accidit, poteſt poſtridie & deinceps memoria repeti, non quòd res ipſa ſubſtantialiter in memoria hæreat, multò minus quòd mens extra ſe quicquam emittat, quod rem iſtam foris comprehendat, quæ actu ipſo jam præteriit & evanuit: ſed imago rei ſpiritibus cerebri vel potentiæ memorativæ, quam ſic vocant, imprimitur, & illîc reconditur, & actu reminiſcendi renovatur & aſpicitur, quoties mens de ea cogitat.

Verbi gratiâ. Maria mater Salvatoris quum Bethlehema Ieroſolymam proficiſceretur, & inde in Ægyptum fugeret, & ex Ægypto Nazaretham rediret, deniq; toto vitæ ſuæ tempore, quovis item loco potuit, quandocunque voluit, ejus meminiſſe, quemadmodum Bethlehemæ in ſtabulo Filium Dei peperiſſet, & in præſepi poſuiſſet, non quòd aliquid extra ſe emitteret, quod vagabundum foris circa ſtabulum iſtud vel præſepe Bethlehemiticum oberraret, & rem, quæ illîc olim accidiſſet, coràm comprehenderet, quum ea jam diu actu ipſo evanuiſſet. Imò ſi poſt aliquot annos, quum puer Ieſus adoleviſſet, ad illud ipſum ſtabulum & præſepe rediiſſet, idque oculis coràm vidiſſet, rem mehercle ipſam præteritam nec oculis illîc vidiſſet, nec mente percepiſſet. Quid enim videret? quid percipe-ret? quum ejus ipſius illîc nihil eſſet, quod olim fuerat, puero nondum menſem nato. Sed quum res iſta accideret, ejus imaginem menti vel ſpiritibus cerebri impreſsit, eámque ſecum ubivis locorum circum-

cumferens actu recordandi intuita eſt intra mentis ſuæ receſſus, quoties iſtud occurrit animo, quòd olim coràm viderat.

Manifeſtum eſt hoc, quod dico, nec dubito, quin omnes ſani libentiſsimè teſtaturi ſint, id eſſe verum.

Ita mens noctu in ſomnis format rerum imagines, non eas corporeas, aut habentes aliquid corporeum, nec quales à corporibus ſolidis & à certis figuris fluunt, & in contuentis oculum ſeſe fundunt, quas Cic. 2. de Divin. rectè negat extrinſecus in animos dormientium obrepere: ſed incorporales quidem, habentes tamen ſimilitudines corporum, ut ait Auguſtinus, non advolantes aliunde, ſed in ipſis cerebri ſpiritibus cogitandi facultate pictas, non diſsimiles illarum, quæ relinquuntur in cera remoto ſigillo. Cicero nominat vigilantium cogitationum reliquias aut veſtigia, quæ inſint, moveantur & agitentur in animis dormientium: quæ nihil aliud ſunt, niſi actus intelligendi & cogitandi in cerebro, nec foris rem cogitatam apprehendunt: & res per ſomnium viſa neſcit omnino, quid de ipſa alius ſomnians videat vel cogitet: ut & Auguſtinus docet in libello de cura pro mortuis gerenda, recitans de quodam ſuo diſcipulo venuſtum exemplum, quod ita concludit. Ego illi Eulogio nocte ſomnianti, quod non intelligebat, expoſui, imo non ego, ſed imago mea neſciente me, & tam longè trans mare aliquid aliud ſive agente ſive ſomniante, & nihil de illius curis omnino curante.

Verùm enimverò mens in ſomno ſæpiuſculè videt non ea tantùm, quæ ſunt, quæq; novit, ſed multa quoque alia, quæ vel non ſunt, vel eſſe neſciuntur, quæ poteſt homo, quum evigilat, recordando repetere, non quòd foris cogitationibus ſuis alicubi circa res in ſomno viſas vagetur, quum eæ plerunq; nullæ ſint omnino, ſed quia ſopito corpore ſpiritus cerebri formant & aſpiciunt intra ſeſe multorum imagines, ut quaſi vigilantes corpora videre ſibi videantur, eæq; imagines in ipſis ſpiritibus hærent, ſomniando ſcilicet iis impreſſæ, & quò validiùs vel infirmiùs impreſſæ ſunt, & ſæpiùs vel rariùs recordando repetuntur, eò vel diutiùs illîc hærent, vel celeriùs effluunt ex animo: unde nonnunquam accidit, ut ſenes meminerint eorum, quæ pueri ſomniantes viderunt.

Talis eſt igitur omnium imaginationum & cogitationum & noticiarum natura, ſunt ſcilicet & manent in cerebro, & rerum imagines

tantùm ſpiritibus cerebri impreſſæ in iiſq; hærentes aſpiciuntur, quã-do intelligendi & cogitandi potentia actum cogitandi producit. Et inde diſcurſus cogitationum nominatur, non quòd eæ foris circa res cogitatas vagentur & diſcurrant, ſed quòd ſubitis agitationibus ſpirituum cerebri meditando & imaginando nunc harum nunc item mox aliarum rerum imagines fingant & aſpiciant, & ita quaſi diſcurrere videantur, non extra ſed intra cerebrum.

Cujuſmodi ſunt illa quoque: Animus eſt in patinis, Animus peregrinatur: quæ non volunt, animum ipſum vel animi cogitationes foris procul circa patinas oberrare, aut alibi vagari, ſed quùm animus de patinis intra ſeſe ſolicitè cogitat, vel quum neglectis iis, quæ ante pedes ſunt, & quæ ſola attentè cogitare debebat, cogitat aliena, quum minus eſt in rem præſentem intentus, aut quum rerum abſentium, vel de quibus anteà cogitatum non fuerat, nec ſolicitè cogitari debebat, imagines fingit & cerebri ſpiritibus imprimit & ſtudioſè intuetur, in patinis eſſe & peregrinari ea ratione dicitur: quum tamen ipſe interim in corpore animato maneat totus, itémque cogitationis iſtius actus in ipſis cerebri penetralibus fiat, non foris.

Teſtimonia veteris Eccleſiæ, quòd de præteritis et abſentibus cogitetur per ipſorum imaginem in mente formatam.

Hæc omnia plana ſunt & veriſsima: ſed quia philoſophica ſunt, ſic exiſtimari poteſt, iſta non ita in Eccleſia docenda & diſputanda eſſe, quemadmodum de iis ſenſerunt Philoſophi. Reſtat igitur ut oſtendamus, hæc ipſa quoque in eandem ſententiam in Eccleſia diſputata eſſe poſt Apoſtolos omnibus ſeculis. Tacemus autem de Philippo, cujus autoritatem vel ipſi adverſarii judicabunt non eſſe temerè negligendam, qui de actionibus mentis ipſe quoque eadem docuit, nec per ipſam manifeſtam rei veritatem aliter docere potuit aut debuit; ut & omnes in omnibus omnium locorum & regionum ſcholis & Academiis, qui de hac quæſtione diſſerere proponunt, hoc ipſum è veris philoſophiæ fundamentis docent, & doceant oportet.

Tacemus hoc, quod putamus esse certissimum, in ipsorum Sacramentariorum scholis omnino eadem doceri. Recognoscat Pezelius Hypomnemata Victorini in Dialecticam Philippi, quæ publicari curavit, ubi de imaginibus cogitatione formatis eadem dicuntur, quæ & ipsa veritas dici postulat, & hîc ego disputans ut certissimum fundamentum contra Sacramentarios assumo: quæ si fidei nostræ adversa essent, exemplo Augustini in melius commutare debebant. At nec adversa sunt, nec se commutari patiuntur.

Videamus potiùs veteres Ecclesiæ Doctores, qui hanc ipsam tantam hujus veritatis evidentiam non ignorarunt, nec eam non potuerunt magnoperè probare, ut eam libentissimè etiam professi sint, quotiescunq; occasio tulit, ut de ea sibi differendum putarent: in primis Augustinum, qui & intellexit hanc quæstionem, & de ea multis locis ex professo accuratissimè disseruit.

Et prima quidem fronte pro Sacramentariis facere videbitur hoc, quod est in libello de Spiritu & Anima cap 2. Animus diffusus cogitationibus atq; consilis hûc atq; illûc vagatur, considerando spectat omnia: videt absentia: transmarina visu ambit, & percurrit aspectu, abdita scrutatur. Et uno momento sensus suos per totius orbis fines & mundi secreta circumfert. Descendit ad inferna, ascendit inde, versatur in cœlo, adhæret Christo, conjungitur Deo.

Sed observetur, quemadmodum istud ibidem & aliis multis locis elegantissimè explicet. Nam ejusdem libri cap. 11. sic ait: Multa videt anima carnalibus oculis, multa etiam phantastica imaginatione concipit, & ubiq; quasi diffunditur, movetur, erigitur & fluctuare videtur, non à se egrediens, sed in semetipsa tanquam in magno percurrens spacio pervagatur: non exit ab illa, sed tractatibus suis sibi illa repræsentat. Item, Mens universorum capax & omnium rerum similitudine insignita omnia esse dicitur naturali quadam potentia & naturali dignitate. Idcirco invisibiles rerum causas per intelligentiam comprehendit, & visibiles actualium formas per sensuum passiones colligit. Et sive per sensus ad sensilia exeat, sive per intelligentiam ad invisibilia ascendat, rerum similitudines ad seipsam trahit, præsentia cognoscit, ab sentia intelligit, ignota inquirit, &

in inventis versatur. Ibid. Anima sensu percipit corpora, imaginatione corporum similitudines.

Cap. 12. Sensu visibilia percipiuntur, in imaginatione continentur visibilium imagines & similitudines.

Cap. 23. In spiritu & corporalium rerum imagines apparent, & multa pro arbitrio finguntur, vel præter arbitrium demonstrantur. Ipsa namq; anima, quæ motu proprio semper in motu est, quia per corpus non finitur, vel non plenè finitur corporalia sentire, vel ad corporalia vim suæ intentionis dirigere, corpore sopito, spiritu corporalium similitudines aut ipsa agit, sicut & imagines corporum cogitando ex se ipsa versare assolet, aut objectas intuetur, quum in eas videndas aliquo spiritu assumitur.

Cap. 24. Anima per corpus corpora videt, sicut cœlum & terram, & quæ in eis conspicua sunt oculis nostris: Spiritu corporum similitudines intuetur. Quicquid enim corpus non est, & tamen aliquid est, rectè jam spiritus dicitur. Idcirco quadam vi occulta & spirituali rapitur anima, ut vice corporum expressas corporalium rerum similitudines in spiritu videat. Sed intellectu ea, quæ nec corpora nec corporum formas habent, conspicit, sicut est justicia & sapientia, & velut ipsa mens, & omnis animæ affectio bona. Ista tria genera visionum manifesta sunt. Primum corporale, quo per corporis sensus corporalia sentiuntur. Secundum spirituale, quo corporum similitudines spiritu, non mente cernuntur. Tertium intellectuale, quo illæ res, quæ nec corpora nec corporum formas habent, conspiciuntur.

Quomodo de absentibus vel iis, quæ olim fuerunt, cogitetur, imaginem quamcunq; in mente pingendo aspiciendóque, multis disputat de Trin. lib. 8. cap. 5. & 6. Inter reliqua sic ait: Et Carthaginem quidem quùm eloqui volo; apud meipsum quæro, ut eloquar, & apud meipsum invenio phantasiam Carthaginis. Sed eam per corpus accepi, id est, per corporis sensum, quoniam præsens in ea corpore fui, & eam vidi atque sensi, memoriáque retinui, ut apud me invenirem de illa verbum, quum eam vellem dicere. Ipsa enim phantasia ejus in memoria mea verbum ejus, non sonus iste trisyllabus, quum Carthago nominatur, vel etiam quum tacitè nomen ipsum per spacia temporum cogitatur, sed illud, quod in animo meo cerno, quum hoc trisyllabum voce profero, vel

ante

antequam proferam. Sic & Alexandriam quum eloqui volo, quam nunquam vidi, præstò est apud me phantasma ejus. Quum enim à multis audissem & credidissem, magnã esse illam urbem, sicut mihi narrari potuit, finxi animo meo imaginem ejus, quam potui. Et hoc est apud me verbum ejus, quum eam volo dicere, antequam voce quinque syllabas proferam, quod nomen ejus ferè omnibus notum est. Quam tamen imaginem si ex animo meo proferre possem ad oculos hominum, qui Alexandriam noverunt, profectò aut omnes dicerent, non est ipsa, aut si dicerent, ipsa est, multùm mirarer, atque intuens in animo meo ipsam, id est, imaginem quasi picturam ejus, ipsam tamen esse nescirem, sed eis crederem, qui visam tenerent.

Lib. 9. cap. 6. Phanthasiæ rerum corporalium per corporis sensum haustæ quodammodo infundũtur memoriæ, ex quibus etiam ea, quæ non visa sunt, ficto phãtasmate cogitãtur, sive aliter quàm sunt, sive fortuitò, sicuti sunt.

Ibid. cap. 11. Quum per sensum corporis discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quæ phantasia memoriæ est: Non enim omnino ipsa corpora in anima sunt, sed eorum similitudines.

Lib. 11. cap. 8. Meminisse non possumus corporum species, nisi tot, quot sensimus, & quantas sensimus, & licut sensimus: ex corporis enim sensu eas in memoriam combibit animus. Visiones tamen illæ cogitantium ex his quidem rebus, quæ sunt in memoria, sed tamen innumerabiliter atq; omnino infinitè multiplicantur atq; variantur. Vnum quippe solem memini, quia sicuti est unum vidi. Si voluero autem, duos cogito vel tres, vel quotquot volo, sed ex eadem memoria, qua unum memini, formatur acies multos cogitantis. Et tantùm memini, quantum vidi. Si enim majorem vel minorem memini, quàm vidi, jam non memini quod vidi, & ideò nec memini. Quia verò memini, tantum memini, quantum vidi, vel majorem tamen pro voluntate cogito, vel minorem. Et ita memini, ut vidi. Cogito autem sicut volo currentem, & ubi volo stantem, unde volo & quò volo venientẽ. Quadrũ etiam mihi cogitare in promtu est, quum meminerim rotundum, & cujuslibet coloris, quum solem viridem nunquã viderim, & ideò non meminerim. Atq; ut solem, ita cætera. Hæ autem rerum formæ, quoniam corporales atq; sensibiles sunt,

errat

errat quidem animus, quum eas opinatur eo modo foris esse, quo modo intus cogitat, vel quum jam interierint foris,& adhùc in memoria retinentur, vel quum aliter etiam, quod meminimus, non recordandi fide, sed cogitandi varietate formatur.

Lib. 13. cap. 1. Corpora quæ videmus oculis corporeis, & per ipsorum imagines, quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus: ea quæ non vidimus ex his, quæ vidimus, cogitatione utrumque formamus, & memoriæ commendamus, quò recurramus, quum voluerimus, ut illîc ea vel potiùs qualescunque imagines eorum, quas ibi fiximus, similiter recordatione cernamus.

Ibid. Species hominis & in nobis ipsis nota est, & forinsecus in aliis adest corporis sensibus, oculis, quum videtur, auribus, quum auditur, tactui, quum tenetur & tangitur. Habet etiam in memoria nostra imaginem suam, incorporalem quidem, sed corpori similem. Mundi denique ipsius mirabilis pulchritudo forinsecus præstò est, & aspectibus nostris, & ei sensui, qui dicitur tactus, si quid ejus attingimus Habet etiam ipse intus in memoria nostra imaginẽ suam, ad quam recurrimus, quũ eum vel septi parietibus vel etiam in tenebris cogitamus. Hæc sententia penè iisdem verbis extat in lib. de spiritu & anima, cap. 10.

Lib. 14. cap. 3. Imago rei corporalis jam transactæ atq; præteritæ remanet in memoria, unde informetur recordantis obtutus.

De Genesi ad litteram lib. 12. cap. 6. Ipsum cœlum & terram & ea, quæ in eis videre possumus, etiam in tenebris constituti cogitamus: ubi nihil videntes oculis corporis, animo corporales imagines intuemur, seu veras, sicut ipsa corpora videmus & memoria retinemus, seu fictas, sicut cogitatio imaginari potuerit. Aliter enim cogitamus Carthaginem, quam novimus, aliter Alexandriam, quam non novimus.

Ibid. Homo vel arbor vel Sol, & quæcunq; alia corpora, sive cœlestia, sive terrestria, & præsentia videntur in suis formis, & absentia cogitantur imaginibus animo impressis, & faciunt duo genera visorum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum, quo illæ imagines continentur.

Idem à spiritu animali nominat visionem spiritualem, quam ejusdem libri cap. 12. sic describit, eam esse, qua corpora absentia ima-

imaginaliter cogitamus, ſive memoriter recordantes, quæ novimus, ſive quæ non novimus, & tamen ſunt, in ipſa ſpiritus cogitatione utrumq; formantes, ſive quæ omnino nuſquam ſunt, pro arbitrio vel opinatione fingentes.

Ibidem ait: Vigilantes & ſanos & nulla alienatione motos multorum corporum, quæ non adſunt ſenſibus corporis, cogitatione imagines verſare. Item oculis videri præſentia corpora, abſentium imagines cerni ſpiritu.

Cap. 16. Quamvis priùs videamus aliquod corpus, quod antea non videramus, atq; inde incipiat imago ejus eſſe in ſpiritu noſtro, quo illud, quum abſens fuerit, recordemur, tamen eandem ejus imaginem non corpus in ſpiritu, ſed ipſe ſpiritus in ſeipſo facit celeritate mirabili.

Cap. 23. Certum eſt, eſſe ſpiritalem quandam naturam in nobis, ubi corporalium rerum formantur ſimilitudines; ſive quum aliquod corpus ſenſu corporis tangimus, & continuò formatur ejus ſimilitudo in ſpiritu, memoriáque reconditur; ſive quum abſentia corpora jam nota cogitamus, ut ex eis formetur quidam ſpiritalis aſpectus, quæ erant in ſpiritu & antequam ea cogitaremus: ſive quum eorum corporum, quæ non novimus, ſed tamen eſſe non dubitamus, ſimilitudines, non ita ut ſunt illa, ſed ut occurrit, intuemur: ſive quum alia, quæ vel non ſunt, vel eſſe neſciuntur, pro arbitrio vel opinatione cogitamus: ſive neque id agentibus neque volentibus nobis variæ formæ corporalium ſimilitudinum verſantur in animo: ſive quum aliquid corporaliter acturi ea ipſa diſponimus, quæ in illa actione futura ſunt, & omnia cogitatione antecedimus, ſive jam in ipſo actu, vel quum loquimur, vel quum facimus, omnes corporales motus, ut exeri poſſint, præveniuntur ſimilitudinibus ſuis intus in ſpiritu. Hæc quoq; ſententia penè iiſdem verbis extat de ſpiritu & anima. cap. 23.

Epiſtola 72. nominat imaginaria figmenta, quibus quaſi vehiculis res in mentem veniat.

Ibidem imagines vel phantaſias in tria genera diſtribuit. Primi generis exempla ſunt, ait, quum mihi tuam faciem, vel Carthaginem, vel familiarem quendam veſtrum verecundum, & ſi quid aliud manentium vel mortuarum rerum, quas tamen vidi atque ſenſi, in ſe animus format.

Epist. 100. Quum ad te dictarem hanc Epistolam, teipsum animo contuebar, te utiq; absente atq; nesciente, & quomodo possis his verbis moveri secundum noticiam, quæ mihi de te inest, imaginabar, atq; id quonam modo in animo meo fieret, capere ac investigare non poteram, certus tamen, non fieri corporeis molibus, nec corporeis qualitatibus, quum corpori similimum fieret.

Epist. 101. Multorum quippe est tarditas etiam non mediocriter acutorum, quoniam parùm attendunt, quantum videant imagines corporum, quæ fiunt in spiritu, nec omnino sunt corpora. Quum verò eas coguntur intueri, si rectè adverterint atq; compererint non esse eas corporeas, sed corporum similimas, rationem tamen de his non continuò valent reddere, quibus caussis & quemadmodum fiant, quâ deniq; naturâ suâ subsistant, vel in quo subjecto sint, utrum ita in animo fiant, ut in membrana ex atramento litteræ, ubi utraque substantia est, membrana scilicet & atramentum: an sicut sigillum in cera, vel figura quælibet, cui cera subjectum est, illa in subjecto: an utroq; modo fiant ista in spiritu nostro, aliquando sic, aliquando autem sic.

Epist. 112. cap. 16. Quæ per corpus videntur, nisi mens adsit, quæ talia nunciata suscipiat, nulla possunt scientia contineri, & quæ nunciata quasi suscipere perhibetur, foris ea relinquit. Sed eorum imagines, id est, corporales similitudines corporum incorporaliter commendat memoriæ, unde quum voluerit & potuerit, velut de custodia productas, atq; in conspectu cogitatione exhibitas judicet. Et quum volet, etiam ista duo discernit, quid in specie corporali foris reliquerit, quid ei simile intus inspiciat, & illud absens, hoc præsens esse dinoscit. Sicut me absente faciem mei corporis cogitas, & illa tibi est imago præsens, absens autem facies, cujus imago est hoc corpus, illa verò incorporea corporis similitudo est.

Ibid. cap. 17. Si non potes aciem mentis tuæ à corporearum similitudinum quasi nubilo perspicuè serenare, eas ipsas apud teipsam vigilanter attende, intuere cœlum & terram cogitando, sicut oculis corporis cernendo consuesti, eásque imagines cœli & terræ, quæ ante oculos cogitationis productæ sunt, vide similitudines corporum esse, non corpora.

Ibid. Si ea, quæ in animo nostro sunt corporalia locisq; simili-

ma

ma, non tamen locorum ſpaciis atq; finibus continentur, nec intervallis localibus in noſtra memoria reponuntur, quantò magis illa, quæ nullam gerunt ſimilitudinem corporum, charitas, gaudium, longanimitas, pax, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, nulla locorũ ſpacia tenent, nulla intercapedine ſeparantur, aut aliqua oculi cordis, quo radios ſuos mittant & ea videant, intervalla conquirunt. Nónne omnia in uno ſunt ſine anguſtia, & ſine terminis nota ſunt ſine circuitu regionum?

Thomas Aquinas part. 1. Summæ Theolog. quæſt. 79. art. 6. In memoria conſervantur ſpecies rerum. De ratione memoriæ eſt conſervare ſpecies rerum, quæ actu non comprehenduntur.

Ibid. Species intelligibiles aliquando ſunt in intellectu in potentia tantùm: & tunc dicitur intellectus eſſe in potentia: Aliquando autem ſecundum ultimam complexionem actus, & tunc intelligit actu: aliquando medio modo ſe habet inter potentiam & actum, & tunc dicitur eſſe intellectus in habitu. Et ſecundum hunc modum intellectus conſervat ſpecies, etiam quando actu non intelligit.

Quæſt. 84. art. 1. Senſus ſuſcipit formas ſenſibilium abſque materia, ſicut colorem auri ſine auro, & ſimiliter intellectus ſpecies corporum, quæ ſunt materiales & mobiles, recipit immaterialiter & immobiliter ſecundum modum ſuum. Nam receptum eſt in recipiente per modum recipientis.

Ibid. Intellectus cognoſcit corpora intelligendo, ſed non per corpora, neq; per ſimilitudines materiales & corporeas, ſed per ſpecies immateriales & intelligibiles, quæ per ſui eſſentiam in anima eſſe poſſunt.

Ibid. art. 5. Aliquis videt in ſpeculo ea, quorum imagines in ſpeculo reſultant.

Ibid. art. 6. Eſt quædam operatio animæ in homine, quæ dividendo & componendo format diverſas rerum imagines, quæ non ſunt à ſenſibus acceptæ.

Ibid. art. 7. Imaginatio poteſt imaginari actus abſentibus ſenſibilibus.

Ibidem duobus modis probat, impoſsibile eſſe intellectum ſecundum præſentis vitæ ſtatum, quo paſsibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, niſi convertendo ſe ad phantaſmata.

Quæſt. 85. art. 1. Colores poſſunt imprimere ſuam ſimilitudinem in viſum: ſed phantaſmata, quum ſint ſimilitudines individuorum, & exiſtant in organis corporis, non habent eundem modum exiſtendi, quem habet intellectus humanus: & ideò non poſſunt ſua virtute imprimere in intellectum poſsibilem, ſed virtute intellectus agentis reſultat quædam ſimilitudo in intellectu poſsibili ex converſione intellectus agentis ſupra phantaſmata, quæ quidem eſt repræſentativa eorum, quorum ſunt phantaſmata ſolùm, quantum ad naturam ſpeciei. Et per hunc modum dicitur abſtrahi ſpecies intelligibilis à phantaſmatibus, &c.

Ibid. Intellectus agens abſtrahit ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, in quantum per virtutem intellectus agentis accipere poſſumus in noſtra conſideratione naturas ſpecierum ſine individuantibus conditionibus, ſecundum quarum ſimilitudines intellectus poſsibilis informatur.

Ibid. art. 2. Duplex eſt actio, una, quæ manet in agente, ut videre & intelligere, & altera, quæ tranſit in rem exteriorem, ut calefacere & ſecare: utraq; fit ſecundum aliquam formam: Et ſicut forma, ſecundum quam provenit actio, tendens in rem exteriorem, eſt ſimilitudo objecti actionis, ut calor calefaciens eſt ſimilitudo calefacti: ſimiliter forma, ſecundum quam provenit actio manens in agente, eſt ſimilitudo objecti: unde ſimilitudo viſibilis eſt, ſecundum quam viſus videt, & ſimilitudo rei intellectæ, quæ eſt ſpecies intelligibilis, eſt forma, ſecundum quam intellectus intelligit. Sed quia intellectus ſupra ſenſum reflectitur, ſecundum eam reflexionem intelligit & ſuum intelligere, & ſpeciem, qua intelligit.

Ibid. In parte ſenſitiva invenitur duplex operatio, una ſecundum ſolam immutationem, & ſic perficitur operatio ſenſus per hoc, quòd immutatur à ſenſibili: alia operatio eſt formatio, ſecundum quam vis imaginativa format ſibi aliquod idolum rei abſentis, vel etiam nunquam viſæ.

Quæſt. 87. art. 2. Res materiales, quæ ſunt extra animam, cognoſcuntur per hoc, quòd ſimilitudines earum ſunt præſentialiter in anima, & ideò dicuntur per ſuas ſimilitudines cognoſci.

Ibid. art. 4. Nihil cognoſcitur ab intellectu, niſi ſit aliquo modo præſens in intellectu.

Quem-

Quemadmodum de abſentibus cogitetur per imagines, quæ ſpiritu continentur, idem quoq; Beda ſentit in explicatione loci 2. Cor. 12. recitans ipſa verba Auguſt. è lib. 12. de Gen. ad litt. & ex Epiſt. 112.

Idem ſentiunt Doctores ſcholaſtici, Guilhel. Pariſ. lib. 2. quæſt. Gabr. eodem libro. diſt. 3. Cardin. Camerac. lib. 1. quæſt. & in tractatu de anima. Gregor. Arimin. lib. 1. diſt. 3. lib. 2. diſt. 7. Scotus lib. 1. quæſt. 3. Thom. Aquin. in ſumma contra gent. lib. 2. cap. 77. & lib. 2. diſt. 17. Bonavent. lib. 2. diſtinct. 24. Thom. Argent. ibidem: quibus locis illi planè ſimilia docent de ſpeciebus rerum in memoria vel intellectu conſervatis, & quemadmodum de viſis etiam in eorum abſentia cogitetur per ipſorum imagines & repræſentativas ſpecies, quas in memoria habemus. Summa hæc eſt. Objecta ſenſilia ſpecies emittere ad organa ſenſuum fluentes, quas advertens anima actu ipſo ſentiat: ſpecies organi ſenſus exterioris alias de ſe derivare ad ſenſum communem uſque, ubi omnium ſenſuum particularium ſenſatio perceptióque perficiatur & compleatur: actu ſenſus communis ceſſante remanere quaſdam ſpecies in phantaſia, quas intellectus agens illuminet & illuſtret, & iis informatus actu ipſo intelligat. Et ſicut figura ſigilli remanet in cera remoto ſigillo, ita in potentia reſervativa imprimi & reſervari ſpeciem priùs cognitorum ipſis remotis & cognitionis actu ceſſante.

Hæc omnia manifeſtiſsimè docent, iſta quamvis philoſophica, tamen in Eccleſia quoq; ſemper in eandem ſententiam diſputata eſſe, nihil ſcilicet è mente forâs egredi, quod alicubi circa rem ſenſilem vel cogitatam vagetur, ſed omnes actiones mentis, quocunq; nomine vocentur, intra ipſam mentem mentisq; organa perfici, quod ad res corporales attinet, per eorum ſimilitudines & imagines, quod autem ad incorporales, alio quidem modo, intra mentem tamen.

Quòd fides vel actus credendi intra mentem fiat, ideoq; non vagetur extra cor, nec ſupra cœlos evolet.

Quæ quum ita ſint, videamus, an ſola fides, ipſa quoq; ſcilicet mentis actio, extra hominem ſupra cœlum conſcendat, aut extra hominem aliquid agat.

Et usitatè quidem fides sic definitur, ut ad noticiam referatur, & ipsa quoq; pertineat ad potentiam animæ intelligentem. Nam Tho. Aquin. part. 2. quæst. 2. art. 1. dicit actum fidei interiorem esse credere, quod sit cum assensione cogitare. Et in ad Heb. 11. Actus fidei est credere, qui est actus intellectus. Credere est cum assensu aliquid cogitare. Et Philippus dicit, fidem esse noticiam, qua assentimus divinis promissionibus de Christo. Est igitur cogitatio quædam cordis aut mentis è verbo Dei concepta de Deo, de Christo ejusq; beneficiis.

Quæ autem noticiarum natura sit, & quid in iis humanæ mentis conditio ferat aut fieri patiatur, id ex superioribus documentis physicis certum est. Vnde manifestissimè sequitur, fidem historicam, quæ legendis & evolvendis veteribus historiis, vel audiendis & cognoscendis quibuscunque novis superiorum seculorum res gestas, & eas, quæ quovis alio tempore geruntur, memoria recolit, imagines rerum, quas accidisse, vel corporum, quæ olim fuisse audit, cogitare & fingere pro arbitrio, idq; totum fieri in cerebro, quum nativa facultas cogitandi & imaginandi cerebri spiritibus insita producitur in actum externo medio legendarum vel audiendarum historiarum, non autem res ipsas vel corpora, quæ olim fuerunt, & ex historiis fuisse cognoscuntur, cum ipsis suis veris formis & essentiis, sed solas rerum vel corporum imagines pro cujusque cogitantis arbitrio formatas animo vel memoriæ vel fidei obversari.

Sic fides attentè recolens memoriam passionis Dominicæ, potest omnes illius circumstantias animo comprehendere, quasi eas coràm intuens, quemadmodum Iesus in horto collapsus in faciem oraverit, ad discipulos accurrerit, abierit, redierit, quemadmodum ante hortum proditus osculo Iudæ captus sit & ligatus, quemadmodum ductus ad Caipham, Pilatum, Herodem, cæsus, illusus damnatúsque sit, crucem item, clavos, latrones utrinq; pendentes, divisas vestes, voces & ipsius & calumniantium Iudæorum, tenebras, astantes pias fœminas, velum, saxa rupta & alia similia: non quòd mens aliquid emittat extra sese, quod foris circa Ierosolymam & locum calvariæ vagetur, & res illas coràm aspiciat, quæ modò actu ipso nullæ sunt, quum jam dudum præterierint & evanuerint: sed ut Augustinus ait; Eorum corporum, quæ non novimus, sed tamen es-

se

se (quemadmodum scilicet has res fuisse) non dubitamus, similitudines, non ita ut sunt illa, sed ut occurrit, intuemur in animo, non foris.

Hanc esse naturam historicæ fidei certum est. Nec omnino dissimilem judicamus esse rationem fidei salvificæ, quatenus scilicet ea consideratur secundum sententiam propositæ quæstionis. Audiens enim de Christo ex verbo cogitat de eo, fingit & format ejus imaginem in spiritibus cerebri, nec foris extra cor vel cerebrum vagatur circa rem, quam credit vel cogitat, sed est tantùm actus intelligendi, cogitandi & credendi in cerebro vel corde, productus & excitatus externo verbi auditu. Hæc ejus natura est, si conditio mentis vel spirituum spectatur, in quibus est ut in subjecto.

Quia verò est non tantùm effectum mentis renatæ, sed inprimis opus & donum Spiritus sancti, cujus beneficio multa præstat, quæ per humanæ naturæ conditionem præstare minimè potest, unde frequens est illud in Adversariorum libris, divinitatem λόγου & spiritus sancti efficaciam cum fide conjunctam facere, ut fides in cœlum levata Christi carnem illîc accipiat: videndum est igitur, cujusmodi hoc esse putandum sit.

Scimus autem divinitatem λόγου, & Spiritum sanctum posse multò plura præstare, quàm nos queamus intelligere. Sed vel ipsorum Adversariorum testimonio de Dei efficacia nihil est statuendum, nisi quatenus de ea habemus expressum verbum divinæ promissionis: quod si hîc volemus, ut certè debebimus, spectare, fateamur oportebit, Spiritum Sanctum, quando verbo fidem excitat in homine, hoc tantùm operari, ut is audiens è verbo de Christo ejúsque beneficiis, de quibus naturâ nescierat, per gratiam scire & piè cogitare incipiat, Christum ejúsque beneficia è verbo promissionis apprehendat, ejus merito nitatur, seq; erigat in gravissima lucta dubitationum & sensu iræ Dei, quod per naturam non potest, at per gratiam potest: efficere etiam, ut vetus homo mortificetur & exuatur, induatur autem novus, ut concupiscentiis carnis spiritu resistatur, mens renovetur, & similia, quæ quum natura corrupta non possit ex sese ullo modo præstare, per Spiritum sanctum potest: de quibus extant manifesta scripturarum testimonia & promissiones divinæ, piorum quoq; exempla, in quibus illa Spiritus sanctus operatus est.

Ad

At quod nec Spiritus Sanctus promiſit ſe operaturum, nec fides ullo modo per humanæ naturæ conditionem præſtare poteſt, id ut fieri credamus, nemo nobis facilè perſuadebit. Vt enim fides in cœlum ſubvolet, & illîc reſidentem carnem Chriſti foris ex longiſsimo eóque ſtupendo intervallo procul extra cor apprehendat, id nec fides ſalvifica naturâ poteſt, nec Spiritus ſanctus promiſit uſpiam, ſe iſtam talem efficaciam fidei tributurum contra omnem naturam mentis & fidei, nec id eſt in ullo unquam homine operatus. Neq; enim ullus Sacramentarius verè dicere poterit, imò ſi ſanæ mentis eſt, dicere non audebit, ſe, quantumvis id validiſsimè cogitantem credentémque, unquam in ipſum uſque cœlum empyreum fide ſua ſubvolaſſe, & procul abſentem ipſam veram carnem Chriſti apprehendiſſe, poteſt imaginem aliquam abſentis carnis Chriſti vel ſupremi cœli intra mentem ſuam cogitando pingere, poteſt ſibi videri ipſam veram carnem Chriſti apprehendere, poteſt ſibi videri in cœlum conſcendere: at nec apprehendit nec conſcendit, nec ipſam carnem Chriſti abſentem fide apprehendere, nec ipſum cœlum fide coràm pervadere ullo modo poteſt. Et quicquid ſe apprehendere putat, totum abſentis carnis Chriſti imago eſt, ipſius veræ carnis Chriſti nihil eſt: ubicunq; ſibi fide ſua in cœlo vagari videtur, totum cœli imago eſt intra mentem picta, ipſius veri cœli nihil eſt. Hîc enim nulla talis eſt operatio Spiritus Sancti, quæ hoc in homine efficiat.

Sic in aliis ſimiliter. Fidelium patientia, pietas, dilectio Dei & proximi, agnitio Dei, timor Dei, caſtitas, modeſtia, manſuetudo, longanimitas, & aliæ virtutes ſunt operationes & dona Spiritus ſancti, nec tamen extra mentem exiſtunt, nec è mente effluunt, aut foris vagantur. Id enim Spiritus Sanctus nec operatur, nec ſe operaturum promiſit, nec id fieri permittit humanæ mentis conditio.

Hæc certiſsimè vera ſunt, quæ judicamus nulla ſophiſtica poſſè eludi.

Teſtimonia veterum de fide hiſtorica & ſalvifica.

Auguſt. Epiſt. 72. docet, quomodo fiat, ut eas facies formáſque cogites

cogitemus, quas nunquam vidimus. Imagines seu phantasias in tria genera distribuit. Secundo generi subjicit illa, quæ putamus ita se habuisse, vel ita se habere, velut quum disserendi gratia quædam ipsi fingimus nequaquam impedientia veritatem, vel qualia figuramus, quum legitur historia, & quum fabulosa vel audimus vel componimus vel suspicamur. Ego enim, inquit, mihi, ut libet atque ut occurrit animo, Æneæ faciem fingo, ego Medeæ cum suis anguibus alitibus junctis jungo, ego Chremetis & alicujus Parmenonis, &c. Hæc enim omnia, ut se cogitationis tempestas habuerit, fingimus & putamus.

Epist. 112. Aliud est credere, quod in corporis mentisve conspectu nec adest, nec adfuisse recolitur: sicut sine parentibus creatum Adam, & natum ex virgine passúmque resurrexisse Christum. Hæc enim etiam corporaliter facta sunt, & videri per corpus, si tunc adessemus, utique potuerunt: nunc autem non assunt, sicut adest ista lux, quæ oculis cernitur, &c.

Ibidem. Cùm dicitur homini, Crede Christum resurrexisse à mortuis, si credit, videt ipsius resurrectionis quandam imaginem in animo suo factam, sine qua intelligi non potest, quicquid factum corporaliter dicitur, sive credatur, sive non credatur.

Ibidem cap. 4. Abest ab aspectu mentis meæ fides tua, quamvis eam esse in te credam, quum eam non videam corpore, quod nec tu potes, nec mente, quod tu potes, sicut ego meam, quam tu non potes. Nemo enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, ut eas non solùm quis suas videat, sed & aliorum.

De Trin. lib. 8. cap. 4. Necesse est, quum aliquà corporalia lecta vel audita, quæ non vidimus, credimus, fingat sibi aliquid animus in lineamentis formísque corporum, sicut occurrerit cogitanti, quod aut verum non sit, aut etiamsi verum est, quod rarissimè potest accidere, non hoc tamen fide ut teneamus quicquam prodest, sed aliud

aliquid utile, quod per hoc insinuatur. Quis enim legentium vel audientium, quæ scripsit Apostolus Paulus, vel quæ de illo scripta sunt, non fingit animo & ipsius Apostoli faciem, & omnium, quorum ibi nomina commemorãtur? Et quum in tanta hominum multitudine, quibus illæ literæ notæ sunt, alius aliter lineamenta figurámque illorum corporum cogitet, quis propinquius & sublimius cogitet, utique incertum est.

Ibid. Nam & ipsius Domini facies carnis innumerabilium cogitationum diversitate variatur & fingitur, quæ tamen una erat, quacunque erat.

Ibid. Cap. 5. Non novimus faciem virginis Mariæ, ex qua Dominus à viro intacta, neque in ipso partu corrupta, mirabiliter natus est: nec quibus membrorum lineamentis fuerit Lazarus, nec Bethaniam, nec sepulchrum lapidémque illum, quem removeri jussit, quum eum resuscitaret, vidimus, nec monumentum novum excisum in petra, unde ipse resurrexit, nec montem Oliveti, unde ascendit in cœlum. Neque omnino scimus, quicunque ista non vidimus, an ita sint, ut ea cogitamus, imò verò probabilius existimamus non esse ita.

Ibid. Credimus Dominum Iesum Christum natum de virgine, quæ Maria vocabatur. Quid sit autem virgo & quid sit nasci, & quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus. Vtrum autem illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrit animo, quum ista loquimur aut recordamur, nec novimus omnino nec credimus. Itaque hîc salva fide licet dicere: fortè talem habebat faciem, fortè non talem.

Ibid. Etiamsi Paulus non ea facie fuit, qua nobis occurrit de illo cogitantibus, & hoc penitus ignoramus, novimus tamen, quid sit homo.

Lib. 13. Cap. 1. Quum propterea credere jubeamur, quia id, quod credere jubemur, videre non possumus, ipsam tamen fidem, quando inest in nobis, videmus in nobis: quia & rerum absentium præsens est fides, & rerum, quæ foris sunt, intus est fides, & rerum, quæ non videntur, videtur fides, & ipsa tamen temporaliter fit in cordibus hominum.

Ibid.

Ibid. cap. 2. Fides, quam qui habent, fideles vocantur, & qui non habent, infideles, ſicut ii, qui venientem in propria Dei Filium non receperunt, quamvis ex auditu in nobis facta ſit, non tamen ad eum ſenſum corporis pertinet, qui appellatur auditus, quoniam non eſt ſonus, nec ad oculos hujus carnis, quoniam non eſt color aut corporis forma, nec ad eum, qui dicitur tactus, quoniam corpulentiæ nihil habet, nec ad ullum ſenſum corporis, quoniam cordis eſt reſiſta, non corporis, nec foris eſt à nobis, ſed in intimis noſtris, nec eam quiſquam hominum videt in alio, ſed unuſquiſque in ſemetipſo.

Ibid. Aliud ſunt ea, quæ creduntur, aliud fides, qua creduntur. Illa quippe in rebus ſunt, quæ vel eſſe vel fuiſſe vel futuræ eſſe dicuntur: hæc autem in animo credentis eſt, ei tantùm conſpicua, cujus eſt.

Lib 14. cap. 3. Fides, quæ nunc ineſt nobis, tanquam corpus illud in loco, ita in noſtra memoria conſtituta eſt, de qua informatur cogitatio recordantis, ſicut ex illo corpore acies intuentis.

Thom. Aquin. part. 1. quæſt. 87. art. 2. citat dictum Auguſtini è lib. 13. de Trin. Non ſic videtur fides in corde, in quo eſt, ſicut anima alterius hominis ex motibus corporis videtur: ſed eam tenet certiſſima ſcientia, clamátque conſcientia. Quod ſic explicat. Etſi fides non cognoſcitur per exteriores corporis motus, percipitur tamen etiam ab eo, in quo eſt, per interiorem actum cordis. Nullus enim fidem ſe habere ſcit niſi per hoc, quod ſe credere percipit.

Idem parte 2. quæſt. 2. art. 1. dicit, actum fidei interiorem eſſe credere, quod ſit cum aſſenſione cogitare. Et quæſt. 4. art. 2. diſputat, an fides ſit in intellectu vel in voluntate ſicut in ſubiecto: & de actionibus mentis idem omnino nobiſcum ſentit. Igitur idem quoque nobiſcum ſentit de fide, quod & ſuperiora teſtimonia Auguſtini, fidem ſcilicet ſive hiſtoricam ſive ſalviſicam non aliter ſe habere, quàm reliquas actiones mentis, ideóque nihil foras emittere, ſed omnem credendi actum intra mentem perfici.

DE ECSTASI.

In ipsa quoque Ecstasi, quum ab omnibus corporis sensibus alienatur & avertitur anima, amplius quàm in somno solet, sed minus quàm in morte, nihil foras emittitur, sed quicquid isto modo conspicitur, aut revelatur, aut agitur, intra ipsam animam conspicitur & agitur, quæ quamvis à sensibus corporis alienata sit, intra corpus tamen manet.

De raptu Pauli 2. Cor. 12.

Et ne Paulo quidem ista ignota esse potuerunt, quem Aug. de Gen. ad litt. lib. 12. cap. 3. inquit scivisse, spiritalia per corpus, corporalia extra corpus videri omnino non posse. Idcóque quum magis etiam, quàm in Ecstasi fieri solet, raptus esset in tertium usque cœlum, & quod vidit, quod etiam se scire confirmat, propriè vidisset, non imaginaliter, tanta tamen animi modestia fuit, ut Theophyl. ait, ut diceret se nescire, an in corpore fuerit, an extra corpus. Adversarii autem, quum in administratione Cœnæ Dominicæ nunquam Ecstasin aliquam passi sint nec unquam in tertium cœlum rapti, tamen confidenter affirmant, fidem extra corpus egredi, & procul à nobis in cœlo Christi corpus apprehendere.

Veteres de hac re longè aliter sensisse intelligimus. Aug. Epist. 112. cap. 13. Nisi quia potest humana mens divinitus rapi ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur. Sic enim raptus est, qui audivit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui: ubi usque adeò facta est ab hujus vitæ sensibus quædam intentionis adversio, ut sive in corpore, sive extra corpus fuerit, id est, utrum, sicut solet in vehementiori Ecstasi, mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, an omnino resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nescire se diceret.

De Gen. ad litt. lib. 12. cap. 5. Restat ergo fortasse, ut quoniam mentiri non posset Apostolus, qui tanta cura egit, ut discerneret quid sciret & quid nesciret, hocipsum eum ignorasse intelligamus, utrum, quando in tertium cœlum raptus est, in corpore fuerit, quomodo

est

est anima in corpore, quum corpus vivere dicitur, sive vigilantis sive dormientis, sive in Ecstasi à sensibus corporis alienata: an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus jaceret, donec peracta illa demonstratione membris mortuis anima redderetur, & non quasi dormiens evigilaret, aut Ecstasi alienatus denuo rediret in sensus, sed mortuus omnino reviviscere, proinde quod vidit raptus usque in tertium cœlum, quod etiam se scire confirmat, propriè vidit, non imaginaliter. Sed quia ipsa à corpore alienatio utrum omnino mortuum corpus reliquerit, an secundum modum quendam viventis corporis ibi anima fuerit, sed mens ejus ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis arrepta sit, hoc incertum erat: ideo forsitan dixit: sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit.

Sic item Beda, qui hinc suam hujus loci interpretationem descripsit.

Thom. Aquin. 2. Cor. 12. Secundum cognitivam virtutem aliquis efficitur extra se, quando aliquis extra naturalem modum hominis elevatur ad aliquid videndum: & de isto raptu loquitur hîc Apostolus. Sed sciendum, quòd modus naturalis humanæ cognitionis est, ut cognoscat simul per vim mentalem, quæ est intellectus, et corporalem, quæ est sensus. Et inde est, quòd homo non habet in cognoscendo liberum judicium intellectus, nisi quando sensus fuerint in suo vigore bene dispositi, absque aliquo ligationis impedimenuo: aliàs quum impediuntur, etiam judicium intellectus impeditur, sicut in dormientibus patet. Tunc ergo homo efficitur extra se secundum cognitivam, quando removetur ab hac naturali dispositione cognitionis, quæ est, ut intellectus ab usu sensuum & sensibilium rerum abstractus ad aliqua videnda moveatur.

Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo per defectum virtutis, undecunque talis defectus contingat, sicut accidit in phreneticis & aliis mente captis: & hæc quidem abstractio à sensibus non est elevatio hominis, sed potius depressio, quia virtus eorum debilitatur. Alio verò modo per virtutem divinam: & tunc propriè dicitur elevatio: quia quum agens assimilet sibi patiens, abstractio, quæ fit virtute divina,

& eſt ſupra hominem, eſt aliquid altius, quàm ſit hominis natura, &c. Sic ille.

Hæc & ſuperiora Auguſtini aliorúmque Patrum dicta manifeſtè docent, quid illi de actionibus mentis & conditione fidei ſenſerint: cujus ſententiæ quanquam fundamentum ipſum per ſe planum eſt, ut id nemo ſanus neſciat, nemo de ejus certitudine dubitet, ut videatur non valde opus fuiſſe, hîc multa ejus teſtimonia cumulare, quæ omnia idem dicant, ut uno atque altero tantundem præſtari poſsit: tamen complura colligere volui, quod ipſum quoque mihi neceſſe putavi facere, ne quis objiciat, iſtis Eccleſiæ Doctoribus caſu tales ſententias excidiſſe, ſed ut perſpiciatur, eos ſtudiosè volentes ſcientéſque de ea veritate ſemper ita ſenſiſſe & docuiſſe.

Eò etiam libentius hîc illa teſtimonia recenſui, ut, quum novum videatur, iſtud in dubium vocare de fidei ſupra cœlos evolatu, perſpiciant hinc omnes pii, non illud novum eſſe, quod hîc ego diſputo, quum omnes iſti Eccleſiæ Doctores ita ſenſerint, nec per ipſam manifeſtam veritatis evidentiam aliter omnino ſentire potuerint, quotieſcunque ipſis opus fuit de hac materia diſſerere: ſed novum eſſe & veteri Eccleſiæ prorſus ignotum, & ſine omni dubio recentiſsimum noſtri ſeculi Sacramentariorum inventum, quicquid de fide dicitur in eam ſententiam, quòd poſsit ſupra cœlos evolare: de quo dogmate rectè pronunciari poſsit illud judicium Philippi: Meritò ſuſpectum haberi, quicquid in tota antiquitate nullum habet teſtimonium: quum iſtam Adverſariorum ſententiam pleraque omnia Patrum dicta, quæ de hac quæſtione loquuntur, etiam funditus evertant.

Auguſtinus multis locis, quæ ſuprà citavimus, itémque Thomas Aquinas parte prima & ſecunda Quæſtionum, multa variè de actionibus mentis & de fide quærit & explicat: & in primis Thom. part. 1. quæſt. 89. art. 7. diſputat de eo, utrum diſtantia localis impediat cognitionem animæ ſeparatæ: ubi certè, ſi qua talis ſententia tum vel in ſcholis vel in Eccleſia nota fuiſſet, peroportunus locus erat dicendi, animam quicquam ex ſe emittere, quod foris procul res abſentes cognoſcat & aſpiciat: ſed ejus illîc nequidẽ veſtigiũ ullũ extat: unde manifeſtiſsimè ſequitur, ipſius ſeculo prorſus ignotum fuiſſe iſtud de fidei ſupra cœlos evolatu extrà cor vel animam.

Et quid verò opus eſt teſtimoniis? Iſtam tam evidentem veritatem

tatem ne quidem ipſi Adverſarii ignorant. Nam extra cauſſam Sacramentariam prorſus eodem modo de fide loquuntur. Edidit Pezelius ὑπομνήματα Victorini in Epitomen philoſophiæ Moralis, ubi repetitur uſitata definitio fidei, quòd ſit noticia. Et ad quæſtionem, ubi ſint noticiæ, reſpondetur, eas eſſe in mente: poſteáque dicitur, fidem non tantùm eſſe qualitatem mentis, ſed etiam motum in voluntate & corde. Rectè, inquam hîc ego, fides in mente, in corde, in voluntate: non igitur extra mentem, non extra cor, non extra voluntatem: quod eſt ipſum noſtrum fundamentum contra Sacramentarios, nobile ſcilicet & evidens veritatis teſtimonium, quo noſtra ſententia manifeſtiſsimè comprobatur. Non autem cavillabuntur, fidem, quamvis ſit in mente, poſſe tamen etiam extra mentem operari. Nihil enim corpulentiæ habet, ut ait Auguſt. tanquam radices fidei fixæ ſint in corde, rami verò ſpargantur & aſcendant in ipſum uſque cœlum. Quid eo putidius cogitatur? Niſi volemus fidem Deum aliquem facere, quæ, ut Deus ubique totus eſt, ſic ipſa etiam ubique tota ſit in corde, in cœlo, in terra, in aëre &c. Pudeat Chriſtianos ita ſentire. Fides cum toto ſuo effectu nihil aliud eſt, quàm credere, vel rem creditam comprehendere, quod ipſum totum tantùm eſt in mente, in corde, in voluntate, vel ipſis Sacramentariis teſtibus.

Movemur igitur iſtis rationibus, quas judicamus bonas, veras & ſolidas eſſe, ut credamus, non tantùm nihil tale fieri, quòd Adverſarii dicunt de fide ſupra cœlos conſcendente, & illîc foris extra cor ipſum Chriſti corpus & ſanguinem comprehendente, ſed id etiam humanæ naturæ prorſus impoſsibile eſſe: ut, ſi in unum conferantur omnes omnium hominum vires, eorum, qui inde uſque ab Adami ſeculo in mundo fuerunt, & eorum, qui modò ſunt, & qui porrò etiam futuri ſunt ad extremum uſque diem, putemus tamẽ, eos nunquam ullo aliquo modo tantum poſſe efficere, ut ſive in adminiſtratione ſacræ cœnæ, ſive quovis alio tempore (nihil enim intereſt) ſaltem unica quamvis validiſsima fidei cogitatio in cœlum extra cor conſcendat, ibique Chriſti carnẽ apprehendat. Necdum enim perſpicimus, quibus rationibus Adverſarii nos de eo cetiores reddituri ſint.

Aliud igitur eſſe judicamus in hac tantâ cauſſa, dicere, quod tibi affirmanti velis ſine omni diſquiſitione credi, aliud autem, conſiderare, quàm verè dicatur, & quibus rationibus probari poſſit.

Statuimus

Statuimus itaque si non falsam, at dubiam tamen esse totam hujus Sacramentariorum dogmatis sententiam, & id quidem tantisper statuimus, dum veris & solidis rationibus hæc de quibus dixi, refutent, dum item sua melioribus argumentis comprobent.

Vnde fit ut existimemus, diligenter ab ipsis esse explicandum, quâm verum hoc esse putent, quod dicunt, res loco absentes ipsas tamen fidei præsentes esse, & multò quidem præsentiores, quàm quæ oculis corâm videantur: quum Augustinus, & alii Doctores Ecclesiastici veteres, omnes quoque sanores Philosophi doceant, rerum absentium solas imagines animo & spiritibus cerebri obversari, eásque in cerebro cogitari vel memoria teneri & aspici, non autem ipsa corpora mente comprehendi, nec quicquam è cerebro effluere, quod foris res procul absentes extra mentem complectatur: imago meæ faciei tibi præsens est, absens autem facies, inquit Augustinus epistola 112. Imò res ipsis etiam oculis corâm oblatæ ab iis quidem videntur, & tanguntur manibus: at eas nec mens nec si jes ullo alio modo capere potest, nisi in imagine: quæ aliquandiu manet in mente, quamvis res ipsæ longissimè ex oculis removeantur: & quò fortiùs vel imbecilliùs est impressa spiritibus, eò vel diutiùs illîc hæret, vel citiùs evanescit.

Petimus quoque nobis illud apertiùs etiam declarari, quod Danæus ait in responsione ad Laonicum, de fidelibus Patribus sub veteri Testamento, quòd eandem nobiscum escam, id est, carnem Christi illi ederint, eundem nobiscum potum, id est, sanguinem Christi illi biberint: fidem enim habuerint, cui etiam futura Christi caro præsens fuerit. Nam Patriarchæ & Prophetæ sub veteri Testamento didicerant è verbo Dei, promissum mundi Salvatorem assumturum esse nostram carnem, idq; verbum promissionis fide comprehendebant & intuebantur. Quia autem ipsa caro Christi nondum erat, quia nondum erat assumta, non intelligimus, quemadmodum potuerit ipsorum fidei præsens esse, sic quidem, ut præsens fuit oculis Apostolorum, quum Augustinus dicat, ea, quæ vel non sunt, vel esse nesciuntur, pro arbitrio vel opinatione cogitari.

Itaq;

Itaq; arbitramur, ſanctos illos Patres in cerebri ſui ſpiritibus pro arbitrio cogitaſſe, quemadmodum carnem noſtram aſſumturus eſſet Mediator noſter, non ipſam carnem coràm fidei obtutu vidiſſe: quum eam ne quidem viderint illi, qui procul aberant tum, cùm Dominus in terris verſaretur.

Auguſt. de Trin. lib. 8 cap. 4. & 5. ait: Neq; enim in fide noſtra, quam de Domino Ieſu Chriſto habemus, illud ſalubre eſt, quod ſibi animus fingit, longè fortaſſe aliter, quàm res ſe habet: ſed illud, quod ſecundũ ſpeciem de homine cogitamus: habemus enim quaſi regulariter infixam humanæ naturæ noticiam, ſecundum quam quicquid tale aſpicimus, ſtatim hominem eſſe cognoſcimus vel hominis formam. Secundum hanc noticiam cogitatio noſtra informatur, quum credimus pro nobis Deum hominem factum, ad humilitatis exemplum, & ad demonſtrandam erga nos dilectionem Dei.

Vnde illud etiam conſequi credimus, fideles patres ſub veteri Teſtamento non eandem nobiſcum eſcam. i. e. carnem Chriſti ediſſe. Nam eundem ii quidem Chriſtum, quem nos, cum omnibus ipſius beneficiis habuerunt, fide verbum promiſsionis amplexi. Sed quia caro Chriſti tum nondum nata fuit, quia item nondum fuit inſtituta Cœna Dominica, non potuerunt certè eandem nobiſcum carnem Chriſti edere. Quod ſi ediſſent, nihil opus eſſet nos vel ſacra cœna uti, vel de ea diſputantes inter nos tam periculoſè certare, ſed ea neglecta abſentem carnem Chriſti ſola fide apprehendere, quod extra omnem uſum cœnæ Dominicæ facere poſſemus, ſicut fideles ſub veteri Teſtamento fecerunt, & ſalvati ſunt.

Nili fortaſſe dicere volemus, ex ſententia Sacramentariorum verum eſſe hoc de fidelibus patribus veteris Teſtamenti, quòd eandem carnem Chriſti ederint. Ederunt nimirum fide, imaginem ſcilicet futuræ carnis Chriſti in mente pingentes, non ipſam carnem coràm habentes, quemadmodum neq; Sacramentarii eam habent in uſu ſacræ cœnæ, ſed habent tantùm in imagine, Eadem igitur utrobique eſca. At in veteri Teſtamento ſigna panis & vini non fuerunt inſtituta, nec addita verba: Hoc eſt corpus meum &c. non potuit igitur eſſe eadem eſca: ſic fuit eadem, nec tamen eadem eſſe potuit.

Hæc & ſimilia Adverſariorum placita de fide judicamus eſſe talia, quæ ſatis accuratam & ſolidam explicationem requirant:

quam donec nobis ipſi dederint, nos intereà ſuperioribus rationibus moti ſic exiſtimabimus, fidem vel actum credendi non extra ſed intra ipſam mentem vel intra ipſos cerebri ſpiritus fieri, & illîc rei creditæ vel cogitatæ ſolam imaginem formare & intueri, nec ullo unquam modo poſſe ad abſentẽ rem ipſam creditam vel cogitatam egredi, vel ſupra cœlos conſcendere, vel foris procul extra cor carnem Chriſti comprehendere.

Hæc eſt hoc loco noſtra ſententia de fide, quam judicamus hactenus veram & ſolidam eſſe: & planè nobis perſuademus, ex Adverſariis eos, qui ſedatiores ſunt & circumſpectiores, non invitò teſtaturos, ſeſe anteà hujus argumenti ſententiam non ſatis attentè conſideraſſe, nec ejus infirmitatem perſpexiſſe, ideoq; non gravatè eam nobiſcum repudiaturos.

CAPVT III.

Quòd nec dicta ſcripturæ nec rationes philoſophicæ probent, quicquam extra cor effluere, quòd foris rem procul abſentem comprehendat.

Quia verò ſine dubio erunt inter ipſos aliqui etiam pertinaciores, qui non facilè quicquã de præcõceptis ſuis opinionibus concedent, ita fit, ut neceſſe ſit nos ſic exiſtimare, ipſos, quando nunquam anteà cógitarunt, nunc certè cogitaturos de rationibus, quibus hoc ſuum dogma probent. Videamus igitur, cujuſmodi eas futuras putemus. Et quanquam noſtra ſententia nobis videtur ſibi ſatis eſſe ad refellendum, quicquid contrà afferri poteſt: tamen breviter etiam moneamus, quemadmodum rationes illas, ſi quas habebunt, dextrè pro nobis explicari poſſe judicemus.

Erunt autem, quantum ego quidem prævideo, ſummùm duorum generum: aliæ ſcilicet è divinis litteris ſumtæ, aliæ è philoſophia.

De

De phrasibus, Animam ad Dominum levare, sursum corda tollere.

E scripturis si quid afferent, id non loquetur de fide, quòd ea se sursum levet, quum id in scripturis non extet, sed ex aliarum locutionum consideratione inane quoddam spectrum probationis, non veram probationem nobis objiciet, ut nobis planè persuadeamus, ipsos tale confirmationis genus, modò id nobiscum propiùs considerent, sua sponte repudiaturos: ut quod in Psalmis 25. 86. 122. & alibi sæpe dicitur: Ad te Domine levavi animam meam: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Et quod est Thrē. 3. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Vnde est illa exhortationis sententia; Sursum corda: & Canon Nicenus; ne hæreamus humiliter intenti ad panem & vinum, quæ posita sunt super altare, sed ut fide sursum elevemus corda: quæ quomodo Adversarii hactenus intellexerint, non obscurè ostendit illud Bezæ ad Claudium de Sainctes, Illud autem, inquit, quod de cœlo per fidem & Spiritum in his mysteriis petendo dicimus, si stultitia est, quid vobis quoq; stultius est, qui sursum corda illos attollere jubetis, quos tamen Christi carnem inter sacrificorum manus quærere docetis? Idē istud Nicæni concilii decretum sic interpretatur; Si deorsum, id est, in terris & in ipso pane realiter & essentialiter adsit caro Christi, mentis oculos ad ipsum panem convertendos esse, non tollendos sursum.

Sed longè manifestissimum est, ejusmodi formulas loquendi, scripturis & Ecclesiæ usitatas, non hoc velle, ipsam scilicet animæ, cordis, oculorum aut manuum essentiam (quod ne Sacramentarii quidem ipsi sese velle significant) aut aliquid ab iis profectum tolli sursum in cœlum usq;, & illîc Deum comprehendere. Quis sanus credet, aut persuaderi poterit, ut credat, id ita fieri? quum ne his quidem scripturæ phrasibus, Deus habitat in excelsis, Deus est altior cœlis, supra omnes cœlos gloria ejus, &c. aliqua localis inclusio supra nostrum verticem significetur, sed divina excellentia, majestas & potentia Dei describatur: vel, ut Theodoretus ait in Psalm. 123, Deum in cœlis habitare dicit, non veluti loco

circumscriptum, sed veluti lætantem cœlestibus potentiis, quæ cœlos incolunt.

Sed quum ex auditu verbi ejúsque diligenti meditatione aliqua pia cordis attentio movetur & excitatur, ad considerandum vel beneficia Dei nobis propter Christum gratis præstita, vel pœnas ob peccata subeundas, vel ad deprecandum, cum pia devotione & certa subsecuturæ exauditionis fiducia, vel ad agendum gratias, id scripturæ nominant, Animam, cor, oculos, manus ad cœlum levare: ubi sublata facie oculi quidem eò convertuntur, ut suspiciant in cœlum, manus item quodam externo pietatis gestu levantur solito altiùs: at nec oculi, nec manus, nec quicquam ab ipsis effluens ad ipsum usque cœlum pertingit: ipsa verò interim etiam meditatio, consideratio, & fiducia non egreditur foras extra cor, sed in spiritibus cordis & cerebri, vel intra ipsam mentem manet. Igitur levare animam suam ad Dominum, sursum corda tollere, est attentè de Deo ex verbo ipsius cogitare: qui cogitandi actus quòd non foris, sed intra mentem, vel in cerebro vel corde fiat, tam certum est, ut nemo sanus negare ausit.

Hieron. in Psal. 25. In quid elevavit? Hoc est, in spe, fide & charitate per sanctificationem: quia triticum si in imo jaceat, computrescit, si sursum elevatur, custoditur. Sic & anima, si in peccatorũ putredine, hoc est, si in imo jaceat, computrescit & perit. Nam si sursum elevatur in his suprâ dictis, spe, fide & charitate, custoditur à Deo.

August. in Psal. 25. Ad te Domine levavi animam meam desiderio spirituali, quæ carnalibus desideriis conculcabatur in terra.

Idem in Psal. 86. quum multa dixisset de corde sursum levando, sic concludit: Vnde possum? qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? Gradus effectus sunt, iter tuum voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terra, in cœlo es, si diligas Deum. Non enim sic levatur cor, quomodo levatur corpus. Corpus ut levetur locum mutat, cor ut elevetur voluntatem mutat.

Idem in Psal. 123. Ascendens quò levaturus erat oculos, nisi illûc, quò tendebat & ascendere desiderabat? De terra enim ad cœlum ascendit. Ecce terra deorsum, quam calcamus pedibus nostris: ecce jam cœlum sursum, quod videmus oculis nostris, & ascendendo

do cantamus: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo. Vbi sunt ergo scalæ? Tanta enim intervalla conspicimus inter cœlum & terram, tantam separationem & tanta spacia locorum: illuc volumus ascendere, scalas non videmus. Nunquid fortè fallimus nos, quia canticum graduum, id est, canticum ascensionis cantamus? Ascendimus ad cœlum, si cogitamus Deum, qui ascensus in corde fecit. Quid est ascendere in corde? proficere in Deum. Quomodo omnis, qui deficit, non descendit, sed cadit: sic omnis qui proficit, ascendit: sed si sic proficiat, ut non superbiat, si sic ascendat, ut non cadat. Si autem proficiendo superbiat, ascendendo iterum cadit. Sed ut non superbiat, quid debet facere? Levet oculos suos ad illum, qui habitat in cœlo, non se attendat.

Hîc, ut attentus Lector videt, omnino nihil extat ejus, quòd ex anima vel corde quicquam profectum supra cœlos ad Deum cõscendat.

De dicto Coloss. 3.

Huc pertinet illud quoq; quod Coloss. 3. dicitur, quod si rectè accipiatur, hanc nostram quæstionem nonnihil illustrat. Verba Pauli sunt: Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram: quæ videntur hoc ipsum velle, quod adversarii dicunt, fidem scilicet in cœlum levatam, illîc carnem Christi quærere & accipere: Vnde factum est initio certaminis Sacramentarii, ut sæpe cum magno stomacho sententiam illam Pauli nostris objicerent, tanquam Paulus sic isto loco sentiat, nullo modo convenire, Christum in terra quærere, eò quòd in cœlo sit, sed oportere nos in cœlum ad ipsum conscendere cogitationibus nostris, ut ipsum illîc adoremus, & cũm eo habitent mentes nostræ, longè scilicet à corporibus profectæ in cœlum: quasi verò Paulus Physicæ tam ignarus fuerit, ut statueret, miseri hominis cogitatione id posse præstare, idque omnino fieri oportere, si velit Christum apprehendere, quod alio modo fieri nequeat.

Sed, ut diximus, idipsum naturæ humanæ prorsus est impossibile, nec id Paulo, homini Philosophicarum scientiarum gnaro, ignotum esse potuit; ut qui meminisset, hîc nullam esse promissionem Dei, qui tale aliquid in homine velit operari.

Aliud igitur Paulus hac figura ſermonis ſignificare voluit, quod ipſum etiam nonnulli ex Adverſariis jam à multis annis intellexerũt, ideóque nonnihil verentur illo hujus dicti argumento noſtros oppugnare. Iis enim, quæ dicit ſurſum eſſe, intelligit bona cœleſtia ſeu ſpiritualia, quæ poſteà ipſe expreſsè numerat, ut ſunt, verbum, agnitio Dei, fides, pax Chriſti in cordibus noſtris, patientia, charitas, caſtitas, viſcera miſerationum, novitas vitæ: quæ certè non à nobis remota ſunt, ſed in ipſis noſtris cordibus & ſunt & perficiuntur. Breviter; per ea, quæ ſurſum ſunt, intelligit ſpirituales cultus regni Dei, quod intra nos eſſe Chriſtus affirmat Luc. 17. Contrà verò, iis, quæ deorſum ſunt, ſignificat bona carnalia, ut voluptates, divitias, gloriam mundi, ceremonias veteris legis, vel etiam ea, quæ poſteà nominat, quum ait: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam.

Igitur quærere ea, quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus ſedet ad dexteram patris, non eſt cogitationibus in cœlum conſcendere, ſed in cerebri ſpiritibus vel in corde ex verbo Dei pia, caſta & ſancta omnia cogitare, eáque re, opera, officióque omni præſtare, quantum ſcilicet humana imbecillitas per Spiritus ſancti gratiam in hac vita poteſt. Contrà, quærere ea, quæ deorſum ſunt, non eſt item cogitationibus ſuis foris extra cerebrum vagantibus circa res terrenas oberrare, ſed in corde de iis ſolicitè cogitare, eáſque curare, & omni ſtudio & conatu, currendo, negotiando, agendóque, & omnia tentando iis inhiare, vel etiam potiſsimùm dominio peccati nimis obtemperare.

Itaq; fides, quum quærit ea, quæ ſurſum ſunt, quum Chriſtum in cœlis quærit, non vagatur ad cœli cardines ſupra aërem, ſuprá que ſtellas oberrans, ſed ex verbo ad mandatum Chriſti de ipſo ſanctè cogitat, delectatur verbi meditatione, credit divinis promiſsionibus, piè vivit: quod ſcripturis eſt, ſurſum corda tollere & Chriſtum quærere.

Auguſt. in 83. quæſtionibus, quæſt. 29. Ea, quæ ſurſum ſunt, ſapere jubemur, ſpiritualia ſcilicet, quæ non locis & partibus hujus mundi ſurſum eſſe intelligenda ſunt, ſed merito excellentiæ ſuæ, ne in ejus mundi parte figamus animum noſtrum, quo univerſo nos debemus exuere.

Theodoretus hanc phrasin: quæ sursum sunt, sapite: sic interpretatur: Supernam vitæ institutionem ac formam imitamini: Nihil hîc Augustinus vel Theodoretus de cogitationibus in ipsum usque cœlum conscendentibus.

Quid enim? Sacramentarii ipsi nec audent nec possunt certum cœli locum digito monstrare, ubi Christi caro fixa sedeat, sed concedunt, humanam naturam Christi in cœlo, uti in ampliſsima quadam & verè regia aula liberrimè versari cum Sanctis & Angelis, ut ait Danæus in responsione ad Laonicum, ut nunc hîc nunc illîc oberret cum illis obambulans in oriente, occidente, meridie, septentrione, supra vel infra nos, antè vel ponè, semper autem in nullo nisi in uno aliquo certo cœli loco. Ea verò, quæ sursum sunt, secundum litteram intelliguntur, quæ sunt supra caput nostrum, vel supra verticem nostri meridiani, & illi, qui jubentur sursum cordatollere, quod ad externum gestum attinet, ad eam cœli partem se convertere jubentur, quæ est supra ipsorum caput.

Si quis igitur pius fidem suam levet sursum, ad eam cœli plagam, quæ supra verticem ipsius est, sperans illîc se carnem Christi fide apprehensurum, & ea commodùm cum Sanctis & Angelis tum oberret circa orientalem, vel quamlibet aliam remotissimam cœli plagam, bonus homo profectò non poterit esse certus, se fide sua carnem Christi apprehendere: quod ipsum maximas perieulosissimarum dubitationum causas præbebit, ut cor anxium semper fluctuet, incertum, an Christum eo loco deprehenderit, ubi quæsierat, quum ab eo ipso loco, ubi isto temporis momento Christi caro cum Sanctis & Angelis obambulabat, aberraverit multis atque adeò infinitis milliarium millibus.

Si dixerint, Christum ad nutum fidei cum sua carne præstò esse, quàm primùm sentiat, fidem in cœlum levatam ad certum aliquem locum, ubi se Christi carnem inventuram putarat, videant quid sequatur. Nam uno eodemque momento plurimi diversissimarum & remotissimarum regionum & locorum homines fidem suam sursum levant in cœlum, Christi carnem quæsituri, quæ quum in nullo nisi uno solo loco semel adsit, ut Sacramentarii volunt, aderit his, verbi gratiâ, solis orientalibus, illis autem, puta occidentalibus eodem momento non aderit:

aut

aut quia orientales & occidentales ſunt antipodes, occidentales, ſi tum Chriſti carnem habere volent, non levabunt fidem ſuam ſurſum ad ſui meridiani verticem, ſed eam deorſum demittent, ad verticem ſcilicet orientalium, qui eſt occidentalibus infra pedes ipſorum conſtitutus: atque ita apud iſtos occidentales eo quidem temporis momento formula exhortationis mutabitur, ut pro ſurſum corda dicatur deorſum corda: apud nos autem ad dextram corda, vel ad ſiniſtram antè vel retrò.

Aut certè, ſi neceſſariò retinendus videtur iſte exhortationis modus, ſurſum corda, quum Paulus dicat, Ea, quæ ſurſum ſunt, quærite, Chriſti caro perpetuò eoq; miſerrimo & moleſtiſsimo diſcurſu fatigabitur, quando eam oportebit quovis momento in cujuſcq; regionis & loci vertice cœleſti præſtò eſſe ad nutum noſtræ fidei omniumq; aliorum piorum, nunc orientaliũ, nunc itẽ mox eodẽ temporis puncto occidentalium, mox etiam meridionaliũ, ſeptẽtrionalium, Antipodum, Germanorum, Italorum, Hiſpanorum, Anglorum, Indorum, Ægyptiorum, Danorum, Rutenorum, &c. quum veriſimile ſit, omnibus iſtis & aliis plurimis locis aliquos ſaltẽ pios eſſe, Chriſtum fide quærentes. Et omnes certè volent ſibi carnem Chriſti adeſſe, quæ quũm uno tantùm loco ſemel eſſe poſsit, ut volunt Adverſarii, ſi omnibus vacare volet, ut debebit (promiſit certè) nihil aliud aget, niſi diſcurret, & multò quidem celerius, quàm viſus hominis ab oriente reflexus ad occidentem uſque penetrat: quum meridianorum vertices pro locorum terræ diſtantiis & varietate penè ſint infiniti, & ex iis plurimi alii ab aliis remotiſsimi.

Quumque adverſarii veritatem naturæ humanæ & omnium ejus proprietatum in Chriſto tam pertinaciter urgeant, ut omnino nihil habeat aut habere poſsit antiphyſicum, ex ea opinione per πλάσιν poſſumus dicere, hunc ipſum diſcurſum tam ſubitum támque velocem, ut vix cogitari poſsit, carni Chriſti tam impoſsibilem eſſe, quàm impoſsibile ipſi eſſe putant, eam in multis locis eodem tempore ſimul eſſe: quum iſtud de diſcurſu, quod ex ipſorum dogmate neceſſariò ſequitur, nihilo magis admittat humanæ naturæ proprietas, quàm hoc noſtrum, de eo quod eſt, Chriſti carnem pluribus locis ſimul eſſe poſſe.

Præ-

Prætereà quilibet ſurſum corda tollentes volent ſibi Chriſtum cum ſua carne vacare non ad aliquod minimum momentum, ſed perpetuò, quamdiu ſcilicet ipſum fides habere volet. Si igitur his adeſt verſus orientem, quid interim accidet iſtis verſus occidentem, qui eodem momento ex alia terræ plaga ſurſum corda tollentes loco longiſsimè inde remoto Chriſti carnem quæſierant? Miſerè ſcilicèt fallentur, & ſpe ſua ejus apprehendendæ periculoſè fruſtrabuntur tantiſper, dum ea ab illis orientalibus impetrata dimiſsione ad illos etiam occidentales advolet.

Hæc ſi Sacramentariis videntur eſſe ridicula & putida, conſiderent contrà quale putent videri nobis ipſorum dogma de fide ſupra cœlos conſcendente, ex quo ſic quidem accepto, quemadmodum id ipſi accipi volunt, iſta neceſſariò conſequi videamus, & quòd item nobis occaſionem præbuerit, ad iſta cogitanda & proponenda; quæ niſi ſolidis rationibus confutaverint, & iſtis meliora docuerint, eo loco ſententiam iſtam ipſorum de fide habebimus, quo debebimus, & ſic exiſtimabimus, dubium eſſe & incertum totum illud, quod dicunt, fidem ſupra cœlos evolare.

De dicto Philip. 3.

Non diſsimile eſt hujus ſuperioris illud quoque Philip. 3. Noſtrum πολίτευμα eſt in cœlis. Quomodo autem in cœlis, inquam hîc ego, quum adhuc in terris verſemur cum noſtris corporibus? Num, quia fides ſurſum in cœlum levata illîc alicubi apud Chriſti carnem procul abſentem vagatur? Fide cives ſumus regni cœlorum. Sed ô nos miſeros, nec unquam futuros cives cœleſtis illius patriæ, ſi tali ratione per fidem neceſſe erit ad eam conſcendere: quum mens anxia valdè & meritò dubitare poſsit, an ſit poſsibile, fidem ſurſum in cœlum uſque levare, atque illîc oberrare. Quantò verò eſt auditu piis mentibus jucundius & gratius, quod Dominus ait Luc. 17. Regnum Dei, quod ipſum eſt hoc πολίτευμα in cœlis, intra nos eſſe in cordibus noſtris: ut ejus regni cives in hac vita futuros nihil opus ſit vel mole ſuorum corporum, vel fidei cogitationibus in cœlum Empyreum ſubvolare, quod utrumq; homini æquè poſsibile eſt, ſed ſatis ſit ipſos piè & ſanctè de Deo, de Chriſto, ejúſque beneficiis, &

aliis rebus divinis ex verbo cogitare, peccata sua, irámque Dei ex doctrina legis agnoscere, promissionibus Euangelii credere, piè vivere, crucem patienter ferre, in eáque sese erigere spe futuræ vitæ, &c. Hæc enim sunt illud nostrum πολίτευμα in cœlis: quæ omnia hîc in terris fiunt, alia animo, non extra sed intra ipsam mentem, vel intra ipsos cerebri spiritus, alia foris ministerio membrorum corporis: ut ita possint homines cum corporibus & animis suis, cum ipsa denique fide hîc in terris manere, & tamen cives esse regni cœlestis.

Itáque nihil hoc dictum probat eorum, quæ de fide docent Sacramentarii.

De dicto Sirac. 3.

Videamus illud etiam, quod extat apud Siracidem cap 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, nec discedet, donec altissimus aspiciat: quod sic videtur accipi posse, dubiũ non esse, si oratio possit usq; ad altissimum, supra cœlos cõscendere, quin idem quoq; possit fides.

Sed nemo non videt, eas esse phrases scripturæ, quæ non hoc velint, quod ad litteram sonant. Id enim homini non dico tacitè orationem secum in corde meditanti, sed vel maxima & validissima stentoreæ vocis intentione clamanti factum est impossibile: quod si sentiat Siracides vel alius quispiam fieri posse, ridiculus sit. Sed quando gemitus vel oratio, quamvis tacitè cogitata benignè à Deo respicitur, & auditur, ad Deum eo modo ascendisse dicitur: unde suspiria dicta sunt, non quòd loci ratione sursum spirentur, quum potiùs fiant aëre deorsum in pulmones attracto, sed quia excitatur cor, ut attentiùs orare instituat, non tam verbis & ore, quàm ipsa mẽte & animo, suspirare, vel sursum ad Deum gemere dicitur: quum tamen Deus ubique præsens sit, & ipsos cordis arcanos gemitus corãm videat, & secreta cogitationum noverit: unde Psal. 145, dicitur: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.

Ne verò nobis hîc obiiciatur, cogitationis actum non tantùm esse in cerebro, sed etiam extra cerebrum egredi, quia scilicet oratio, quæ cogitata fuerat in corde, egreditur in os, & foras effertur, dico quod verissimum est, cogitationes omnes fieri intra cerebrum in ejus spiritibus, nec unquam inde egredi: aliud autem omnino es-

se

se, quum vel lingua eloquitur, vel manus scribit, aut reliqua corporis membra faciunt hoc, quod animus intus cogitando finxerat. Sunt enim ista longè diversissima, cogitare, & cogitata proloqui, vel scribere, vel facere. Mens enim cogitat intra cerebrum, & cogitationum sedes est cor vel cerebrum, non aliquid extra hominem existens, & in cerebri penetralibus beneficio spirituum animalium omnis cogitationum actus producitur. Ad ejus autem effigiem foris aliquid fieri potest, quo ipso quamvis faciendo cogitatio tamen non egreditur è spiritibus cerebri, sed spiritibus animalibus in cerebro insita quadam vi nativa imprimitur cujuscunque rei cogitatæ imago.

Quando autem rivuli quidam istius spiritus animalis ministerio nervorum diffusi sunt per totum corpus & omnia ejus membra, sic fit, ut cogitatio in mente facta, quum vult, impellat istum in reliquis membris spiritum animalem, ut istud, quod intus cogitatum fuerat, & in spiritibus cerebri impressum manet, foris etiam fiat: ut architectus domus extruendæ imaginem intus fingit, quæ nec foras è cerebro egreditur, nec conspici aut sciri potest: ad eam verò possunt externa membra ministerio spiritus animalis impulsa foris domum extruere, ubi labor artificis, & industria, & opus ipsum videtur, auditur, sentitur, non autem cogitatio mentis in architecto foris apparet: unde & hîc & in aliis omnibus soli Deo tribuitur hoc, quòd cogitationes hominum noverit; quod ita manifestum est, ut videatur ineptum, multis verbis id probare vel explicare.

Sic August. de Gen. ad litt. lib. 12. cap. 16. Ipsarum etiam futurarum motionum imagines præveniunt fines actuum nostrorum. Quid enim agimus per corpus, quod non cogitando præoccupaverit spiritus, omniúmque visibilium operum similitudines in seipso primitùs viderit, & quodammodo disposuerit?

Ibid. cap. 23. Aliquid corporaliter acturi ea ipsa disponimus, quæ in illa actione futura sunt, & omnia cogitatione antecedimus, sive jam in ipso actu, vel quum loquimur, vel quum facimus, omnes corporales motus, ut exeri possint, præveniuntur similitudinibus suis intus in spiritu.

Sequitur ergo, orationem ex corde non egredi, quatenus est cogitatio mentis, quæ nihil foras emittit: ad illam autem cogitationem mentis internam ejúsque nutum impulsa membra externa, os, labia, lingua, moventur & orationem sonant: quod est effectum impellentis cogitationis internæ, sed ab illa ipsa tamen suâ formâ distinctum, quum aliud sit, orationem mente cogitare, aliud, eandem ore sonare.

Similis est ratio ejus, quod Dominus ait Matth. 15. Ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem.

Itâque nec fides egreditur ex corde, nec foris quicquam comprehendit, ut dixi, sed in spiritibus cerebri manet, ibique rei creditæ tantùm imaginem pingit & aspicit.

De exemplo Helisæi, 2. Reg. 5.

Neque verò, ut arbitror, hoc Sacramentariis videbitur pro suo dogmate defendendo facere, quod de Helisæo narratur 2. Reg. 5. cujus quum famulus à Naamano Syro munus accepisset absente domino, dicit Helisæus, cor suum illîc obambulasse, quando revertebatur Naamanus de curru suo in occursum Giezis. Id enim naturaliter fieri non potuit, quum res, quæ foris geruntur, non sint in intellectu, nisi ministerio sensuum exteriorum eò deferantur. Et August. Epist. 72. quibusdam rationibus probat, animam non usam sensibus corporis corporalia non posse imaginari: & Thom. Aquin. part. 1. quæst. 89. artic. 8. dicit, secundum naturalem cognitionem animas mortuorum nescire, quæ hîc aguntur, quia secundum ordinationem divinam & secundum modum essendi segregatæ sint à conversatione viventium. Igitur Helisæus naturâ nescivit, quid Giezis & Naamanus absentes agerent, quum id ipse nec auribus audiisset, nec oculis coràm vidisset.

At quia Propheta erat miraculis multisque magnis clarus, & Spiritu Dei plenus, hic ipse Spiritus divinus Helisæi Spiritui, rerum istarum alioquin per naturam adhuc ignaro, velut in imagine monstravit, quid ageretur, ut sibi videretur velut coràm currum istum & Naamanum revertentem & Giezin munus accipientem intueri: quod

quod quum miraculi loco recitetur, nec Adversarii facilè dixerint, cuiquam Christiano simile quicquam eventurum, non poterunt istud hûc accommodare, nisi volent omnem omnium piorum fidem uno impetu præcipitem perturbare, quæ non sentiat, tantum miraculum à se posse præstari.

Lyra, Chrysostomus, sicut & Augustinus de Mirabil. Sacr. script. lib. 2. cap. 24. & alii in hujus loci explicatione factum ipsum recitant, facti circumstantias, quæ quidem ad hujus quæstionis dijudicationem pertinent, laborioſè explicare non curant. Augustinus tamen aliis locis monstrat nobis hanc ipsam nostram in hoc loco sententiam.

De civit. Dei lib. 22. cap. 29. Corde suo se dixit hoc vidisse Propheta, adjuto quidem mirabiliter, nullo dubitante divinitùs. Item: Neq; enim & ille Propheta, quia non indiguit oculis corporeis, ut videret absentem, non eis usus est ad videnda præsentia, quæ tamen Spiritu videre posset, etiamsi illos clauderet, sicut vidit absentia, ubi cum eis ipse non erat.

Et Paulo pòst: Quod de Propheta Helisæo paulò antè diximus, nónne satis indicat, etiam spiritu non per corpus corporalia posse cerni? Quando enim servus ille munera accepit, utiq; corporaliter gestũ est, quod tamen Propheta non per corpus, sed per Spiritũ vidit.

Hîc satis illustribus verbis testatur Augustinus, cor Helisæi nullo dubitante mirabiliter adjutum fuisse divinitus, ut absentia corpora Spiritu videret. Quæ si videntur nondum satis liquidò explicare propositam quæstionem, consulatur in primis liber duodecimus ejus operis, cui titulum fecit de Genesi ad litteram, ubi licet exempli istius de Helisæo non faciat mentionem, tamen hoc ipsum multis rationibus docet, quod de illo nos sentire ipsa rei evidentia cogit.

Primùm, libri istius cap. 2. manifestè negat, Spiritum sine corpore ad loca corporalia rapi posse: in quam eandem sententiam cap. 3. ait: Spiritalia per corpus, corporalia extra corpus videri omnino non posse. Hûc illustrioris explicationis gratia aggregetur illud ex Epist. 112. Ad videnda hæc omnia, quæ mente conspiciuntur, non oculos corporis adhibes, nec intervallum loci, per quod intendatur obtutus, ut ad ea cernenda perveniat, sentis aut quæris.

Deinde ejusdem libri cap. 8. & 9. indifferentia Spiritus & men-

tis oſtendit, ſe intelligere ſpiritum animalem, cui etiam in divinis revelationibus rerum imagines monſtrentur & imprimantur: unde cap. 11. nominat in ſpiritu videre, quum Rex Balthaſar articulos manus ſcribentis in pariete vidit, continuóque per corporis ſenſum imago rei corporaliter factæ ſpiritui ejus impreſſa eſt, atque ipſo viſo facto atque præterito illa in cogitatione permanſit.

Ibid. cap. 12. & de ſpiritu & anima cap. 23. Quum vel nimia cogitationis intentione, vel aliqua vi morbi, ut in phreneticis & per febrem accidere ſolet, vel commixtione cujuſquam alterius ſpiritus ſeu mali ſeu boni, ita corporalium rerum in ſpiritu exprimuntur imagines, tanquam ipſis corporis ſenſibus corpora præſententur, manente tamen etiam in ſenſibus corporis intentione, ſic videntur, quæ in ſpiritu fiunt, imagines corporum, quemadmodum corpora ipſa per corpus, ita ut ſimul cernatur & homo aliquis præſens oculis, & abſens alius ſpiritu, tanquam oculis.

Et paulò pòſt: Si commixtione alterius ſpiritus, fieri poteſt, ut ea, quæ ipſe ſcit, per hujuſmodi imagines ei, cui miſcetur, oſtendat, ſive intelligenti, ſive ut ab alio intellecta pandantur.

Sic lib. 2. quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 5. Occulta res & nimis ſecreta ita demonſtratur Prophetis, ſicut poteſt capere ſenſus humanus, quum etiam rerum imaginibus in revelationibus tanquam verbis inſtruitur.

De ſpiritu & anima, cap. 24. Quum bono ſpiritu aſſumitur anima, falli non poteſt, quia ſancti Angeli miris modis viſa ſua facili quadam ac præpotenti unitione vel mixtione noſtra eſſe faciunt, & viſionem ſuam quodam ineffabili modo in ſpiritu noſtro informant. Ipſi ſiquidem his corporalibus judicandis & miniſtrandis præſunt, & eorum ſignificativas ſimilitudines in ſpiritu ita diſcernunt, & tanta potentia quodammodo tractant, ut eas etiam poſſint hominum ſpiritibus revelando miſcere.

Taceamus hîc de malis ſpiritibus, hominis ſpiritui ſæpe nunciantibus ea, quæ geruntur locis longè abſentibus, Auguſt. de Civit. Dei, lib. 2. Cap. 24. Quum veniſſet Tarentum Sylla, ſervus cujuſdam Lucii Pontii vaticinando clamavit: A Bellona nuncius venio, victoria tua eſt Sylla. Deinde adjecit, arſurum eſſe Capitolium.

Hoc

Hoc quum dixisset, continuò egressus è castris postridie concitatior regressus est, & Capitolium arsisse clamavit. Arserat autem revera Capitolium, quod quidem Dæmoni & prævidere facile fuit, & celerrimè nunciare.

Hæ Augustini sententiæ veritatis studioso manifestè ostendunt, quomodo Helisæus Giezin & Naamanum absentes, eorúmque facta per spiritum viderit. Quod ipsum ut ita esse credamus, aliud argumentum multò etiam evidentissimum nos convincit, illud scilicet, quod de hoc ipso Helisæo recitatur ejusdem libri Regum Cap. 4. Mulier Sunamitis mortuo filio properat ad Helisæum, qui mox ut eam procul videt, obviam ei mittit Giezin exploratum, rectène omnia habeant, quo illa vix salutato rectâ pergit ad virum Dei, ad ejúsque pedes misera se abjicit: accedit Giezis eam amoturus, quod ipsum facere vir Dei prohibet.

Et hîc quidem è vultu mulieris & ex ipsis corporis gestibus intelligit Helisæus, triste quiddam ei accidisse. Inquit enim, Anima ejus est in amaritudine. Quia verò istud ipse nec præsens viderat, nec absens audierat, nec Dominus ei per peculiarem Spiritus sancti revelationem indicaverat, ut Helisæus ipse fatetur, sic fit, ut omnium aliorum hominum more ipse quoq; Propheta, quantumvis divinus & magnus vates, tamen nesciat, imò per humanæ naturæ cõditionẽ scire non possit, quid illîc gestum sit, ubi cũ corpore suo præsens ipse nõ fuerat, propterea q; opus habeat è muliere per famulum quærere, atque adeò ex ipsa coràm audire, atque ita ministerio sensus exterioris percipere, quid acciderit.

Vnde longè certissimè sequitur, quum spiriu videret absentem Giezin, non egressum esse ex ipsius cerebro istum spiritum, qui foris circa Giezin vagaretur, conspicatus, quid illîc accideret: Id enim si esset, posset hîc similiter egredi ad cognoscendam caussam, quamobrem tristis esset ista fœmina: Sed Spiritum sanctum spiritui Helisæi nunciasse & in imagine ostendisse, quid ageret Giezis; hîc autem non ostendere similiter, istius fœminæ filium mortuum esse: atque inde fieri, ut illud Helisæus ignoret tantisper, donec è matre audiat.

Igitur hoc exemplum Helisæi nequaquam probabit illud, quod Adversarii volunt, fidem supra cœlos extra cor evolare.

De

De dicto 1. Cor. 5. Col. 2.

Sic nec illud Sacramentariorum doctrinam de fide confirmabit quod est 1. Cor. 5. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens: Et Col. 2. Quamvis carne sim absens, tamen spiritu vobiscum sum gaudens ac videns vestrum ordinem. Nam Paulus non dicit, ex se egressum aliquem renovatum mentis suæ spiritum, qui foris procul ipso absente circa Corinthiorum vel Colossensium domos oberrârit, contemplatus, quid illîc ageretur, neq; physicæ tam ignarus fuit, ut humanæ mentis conditionem nesciret, quæ non patiatur id fieri, quod nisi manifestissimis rationibus ostendatur, aut hîc Paulum velle, aut ab ipso factum esse, & ab aliis similiter fieri, nequaquam probabit istud de fide supra cœlos conscendente.

Quòd si Adversarii præsentiam istam Spiritus sic intelligent, quemadmodum ipsi docent de fide, quasi Paulus quicquam foras emiserit, idque ipsi putabunt se Spiritu suo similiter facere, quum is ex ipsorum opinione tam validus sit, ut possit usque in cœlum ad infinitam distantiam conscendere, & illîc carnem Christi comprehendere, agè, ne nos de eo quicquam dubitemus, ipso facto saltem minimo nobis id probẽt, & cogitationibus suis ad nos usque commigrẽt, qui non ita longè ab ipsis absumus, & Spiritu suo contemplentur, quid hîc agatur; aut, si id ipsis videtur nimis difficile, si nos videmur ab ipsis nimis longo intervallo abesse, propiùs id experiãtur, & Spiritu suo vagentur apud eos saltem, qui in ipsorum urbibus proximè ipsos habitant, & illîc contemplentur, quid isti vicini scilicet agant, & contemplentur quidem solo spiritu absq; omni sensuum exteriorum ministerio, nihil audientes, nihil oculis coràm videntes: aut librum, quem anteà nec viderint nec legerint, in ipsas manus acceptum claudant, itáque perspiciant spiritu, quid in eo scriptum sit, absq; omni oculorum subsidio.

Sic scilicet manifestissimè deprehendent, somnium esse, quod de fide docent; nec id hoc Pauli dicto posse probari, quum nemo fidelis unquam tale aliquid fecerit aut facere possit, quamvis validissima fide, non in longissima distantia, sed ne in minima quidem. Nesciunt enim, quid apud nos accidat, nisi id vel cum corporibus

suis

ſuis præſentes coràm videant, aut abſentes legant vel audiant. Et quanquam legẽtes vel audientes nihil tamẽ coràm vident aut contẽplantur: nihil enim ex ſeſe emittũt, quod huc uſq; ad nos pertineat, quum ſpiritus ſine corpore ad loca corporalia rapi non poſsit, ut ait Auguſtinus: quicquid autem ſibi videre aut contemplari videntur, noſtrum ipſorum noſtrorumq; nihil eſt, totum noſtri noſtrorumq; imago eſt, quam de nobis & noſtris audientes legentéſve pro arbitrio pingunt, non extra ſed intra cerebri ſui ſpiritus. Neſciunt item, quid ipſorum vicini agant, niſi id coràm videant, vel abſentes audiant. Neſciunt quid in libro ſcriptum ſit, niſi eum aperiant legántque. Veriſsimum eſt enim hoc axioma phyſicum: Rerum exterarum nihil eſſe in intellectu, quod non fuit in ſenſu.

Et hoc ipſum vult Paulus, quum dicit, ſe corpore abſentem miniſterio ſenſus exterioris ſcire, quid apud Corinthios & Coloſſenſes agatur, quia ſcilicet de ſcortatione audierit 1. Cor. 5, quod ipſum quoq; dixerat cap. 1. ſignificatum ſibi de Corinthiis ab iis, qui ſunt Chloës, quia contentiones ſint inter ipſos. Idem repetit cap. 11. ſe audire, diſsidia eſſe inter ipſos, idq; ſe ex parte credere. Sic in eandem ſententiam Col. 1. bis: Audivimus fidem veſtram in Chriſto Ieſu. Ibid. Epaphras expoſuit nobis veſtram dilectionem in ſpiritu. Cap. 4. Miſi ad vos Tychicum in hóc ipſun, ut cognoſcat, quid agatis. Nihil igitur è mente ſua foras emiſit, quod longè effluens ex ipſius cerebro Corinthi vel Coloſsis verſaretur, res geſtas illîc obſervans & videns: quod ſi emiſiſſet, ſi velut coràm vidiſſet, non utique diceret, ſibi ſignificatum vel expoſitum eſſe, non diceret, ſe audiiſſe, nec quenquam mitteret cognitum, quid ageretur, nec diceret, ſe ex parte credere: quia viſa non opus eſt ſignificari, vel exponi, vel audiri, nec ex parte creduntur, ſed ſciuntur, & ex toto creduntur, Auguſt. Epiſt. 112.

Reſtat igitur, ut hoc ipſum, quod eſt, ſpiritu præſens, aliter intelligatur. Thomas Aquinas, Oecumenius & Theophylactus ea loca ſic interpretantur, quia per ſpiritum cognoverit ea, quæ apud ipſos agebantur, ac ſi præſens eſſet. Hieronymus ait: Habebant hanc gratiam Apoſtoli, ut alibi poſiti, quid alibi ageretur, agnoſcerent, ſicut Heliſæi ſpiritus cùm Giezi fuit in via. Iſtud autem, per ſpiritum cognoſcere, Thomas non refert ad aliquam extramiſsionem ſpiritus

animalis, ſed manifeſtè dicit, revelatum hoc eſſe per Spiritum ſanctum: quod quomodo fiat, apertiùs etiam explicat Auguſtinus, ut ſuprà indicatum fuit in exemplo Heliſæi.

Si ergo Spiritus ſanctus aliqua tàli ratione quicquam Paulo revelavit de Corinthiis vel Coloſſenſibus, nihil facit hoc dictum ad probandam iſtam doctrinam de noſtra fide, quum revelationes iſtæ Spiritus ſancti jam diu fieri deſierint, nec nos de iis habeamus expreſſas in verbo Dei promiſsiones, nec ullum exemplum reperiatur, ubi Spiritus ſanctus ſimile quid effecerit inde uſq; ab Apoſtolorum temporibus. Apoſtoli habebant eam gratiam, ait Hieronymus: non igitur etiam alii eam habuerunt aut habent: aut ſi qui pauciſsimi habent (ut interdum videre eſt, quamvis id accidat rariſsimè, quoſdam mente alienatos, poſteáque ſibi redditos narrare, quæ alibi facta ſint) certè ſine corpore ſpiritus ad loca corporalia rapi non poteſt, ſed alius ſpiritus ſive bonus, ſive malus, hominis ſpiritui mixtus ei monſtrat imagines rerum, quæ foris geruntur, ut eas ſibi velut coràm videre videatur: Spiritus tamen hominis intra hominem maneat.

Igitur ut maximè talis eſſe putetur piorum fides in actione Cœnæ Dominicæ, ſequetur tamen hoc ipſum, quod dico, abſentis corporis Chriſti ſolam imaginem in mente pingi pro arbitrio, & ei præterea per Spiritum ſanctum in imagine revelari, quid caro Chriſti in cœlis cum Sanctis & Angelis agat, non autem ipſum corpus abſens fide comprehendi: cujuſmodi revelationem mehercle nemo facilè dixerit cuiquam pio in uſu Sacræ Cœnæ obtigiſſe aut obtingere.

Quia verò Paulus expreſſè dicit, ſe non aliqua peculiari Spiritus ſancti revelatione, ſed miniſterio ſenſus exterioris, auditu videlicet ſcire de Corinthiis & Coloſſenſibus, convenientior eſt hîc aliorum explicatio. Theodoretus 1. Cor. 5. Spiritum vocari putat non animam, ſed donum ſeu gratiam ſpiritus. Ambroſius de autoritate ſpiritus intelligit. Multò autem illuſtrior eſt Hieronymi ſententia, qui præſentiam ſpiritus interpretatur autoritatem litterarum Pauli, per quam Domini quoq; virtus aſsiſtat. Vnde etiam Theophyl. ait: Adjunxit & exhibuit ipſis ſuum etiam ſpiritum, ut ne ipſum dignentur venia, néve condonent ei noxam, ſed rectè judicent, æquè atque ipſe præſtò eſſet.

Itaq;

Itáque hoc Pauli dictum de præsentia Spiritus sui non confirmabit Adversariorum sententiam, quòd fides extra cor evolet in cœlum usque.

Hæc, ut apparet, è scripturis opponere poterunt, pro defendendo suo dogmate: quæ ipsa cujusmodi sint, & quàm verè quámque solidè dogma istud tale de fide probent, credo quemlibet sanum intelligere, ut aut stolidi futuri sint, aut securè impii, qui quamvis admoniti tamen prudentes scientésque tam infirmum dogma velint deinceps etiam probare.

De modo visionis.

E Philosophicis quid pro se videantur afferre posse, restat ut porrò attendamus. Et illud quidem de modo visionis ipsis percommodum videbitur ad confirmandam hujus de fide argumenti sententiam. Id ergo consideremus cujusmodi sit.

Oculus uno obtutu, uno eodémque momento totum quamvis vastissimum totius cœli Hemisphærium potest perlustrare, potest sese subitò quovis minimo temporis puncto ab oriente convertere ad longissimè inde remotum occidentem, nunc has, nunc illas, mox item alias stellas vel cœli plagas videre, quascunque volet. Ita mens hominis subita agitatione potest non tantùm penetrare ad ea, quæ videt oculus, sed complecti animo totum etiam Hemisphærium inferius: & quia fides est renovatæ mentis effectum, & eodem modo sese habet, quo reliquæ mentis actiones, sic fit, ut videatur posse levari sursum, & totum cœlum perlustrare, ut non aberret à vero loco inveniendæ carnis Christi, quemadmodum neque oculus aberrat à loco contemplandæ stellæ sereno cœlo.

Hæc tota ratio quia Physica est, & ad hanc de fide quæstionem explicandam plurimùm facit, diligentiùs etiam nobis est consideranda.

Et verum quidem est hoc, quod de oculo & mente dicitur, quomodo totam cœli vastitatem perlustrent: sed videamus, qua ratione id fieri putemus, & quid ad hoc argumentum probandum faciat. Est enim quæstio de eo, num fides ut aliqua mentis

actio vel noticia quicquam ex sese vel è spiritibus cerebri emittat, quod foris vagetur, aut supra cœlos evolet, & extra cerebrum alicubi in cœlo Christi carnem apprehendat. Nos id adhuc quidem putamus dubium esse, vel falsum potiùs & impossibile, nec istâ de modo visionis sententiâ posse probari. Neq; enim constat inter Philosophos, an oculus aliquid ex sese foras emittat, quod extra oculum rem videat & complectatur: quod profectò certissimum sit oportebit, si debebit hanc talem de fide quæstionem probare. Stoicorum quidē fuit ista opinio, & quadam ex parte etiam Platonis: sed ab istis Philosophis nondum ita confirmata est, ut omnibus sanis persuasum sit, eam veram esse, nec ullam dubitationem habere.

Quin imò rationes multæ sunt, exq; longè veriores & certiores, quæ manifestissimè probant, visionem fieri non extra oculum, sed in oculo, & corporum omnium naturas ita conditas esse à Deo, ut sui quasdam species ex se fundant: quod in Sole & igne certissimum est, & omnium sensibus manifestum, quæ quum sint lucidissima corpora, species eorum lucidæ in totum aërem sparsæ eum & reliqua omnia illustrant: Quòd si, ut Sol & ignis, ita reliqua etiam corpora omnia lucida essent, species ab iis effluentes ipsæ quoq; essent lucidæ, & aërem illustrarent, nec ullæ essent tenebræ. Quia autem reliqua corpora pleraque sunt obscura, ideò ex se fundunt species non illas quidem lucidas, aërémque obscurum illustrantes, attamen species suorum corporum similimas, quæ fluunt in totum aërem circumfusum, donec propter nimiam distantiam extenuentur & evanescant, itaq; per aërem illuminatum rectâ pertinent in contuentis oculum, ibique videndi facultatem producunt in actum: de qua re nihil opus est me plura monere, quum id pro mea mediocritate satis, ut arbitror, evidentibus rationibus ex sententia Philippi & Aristotelis comprobaverim in doctrina de modo visionis, quæ extat, ut nec mihi, nec, ut planè confido, ulli sano dubium esse possit, non foris, sed in ipso oculo res visu comprehendi: quod ipsum quoque scholastici Doctores, de quibus suprà dictum fuit, senserunt, visionem scilicet fieri non extramittendo, sed intus suscipiendo.

Aug. de Trin. lib. 11. cap. 8. Sicut in corporalibus sentiendi, sic in memoria est cogitandi modus. Sensus enim accipit speciem ab eo corpore, quod sentimus, & à sensu memoria, à memoria verò acies cogitantis.

Ita

Ita mens uno obtutu totam vaſtiſsimam cœli latitudinem, longitudinem, profunditatem aſpicit, poteſt nunc hanc, nunc illam, mox item aliam cœli plagam cogitando intueri, ab aliáque ad aliã contemplandam ſeſe ſubitò convertere, non quòd ex ſeſe aliquid emittat, quod foris circa ſphæras cœli vagetur, & tantam ejus vaſtitatem percurrat, ſed mens intra ſemetipſam, vel ſpiritus animalis intra ipſos cerebri ventriculos imaginem viſi cœli format & aſpicit, aut illam cœli plagam inferiorem, quam oculis non vidit, & tamen eſſe novit, pro arbitrio fingit & cogitat. Ipſum cœlum & terram, inquit Auguſtinus, & ea quæ in eis videre poſſumus, etiam in tenebris conſtituti cogitamus, ubi nihil videntes oculis corporis, animo tamen corporales imagines intuemur, ſeu veras, ſicut ipſa corpora videmus, & memoria retinemus, ſeu fictas, ſicut cogitatio imaginari potuerit.

Itaq; nec fides extra cerebrum alicubi oberrat, ſed credendi, perq; fidem aliquid intuendi actus totus intra mentem vel in ſpiritibus cerebri producitur, ibiq; extat, nec foris vagatur.

De radiis ſolaribus.

At dicat hîc aliquis pertinax diſputator, Solem, creaturam ſcilicet inanimatam, fundere ex ſeſe radios, qui ſubitò pertingant ad omnes mundi angulos, cur non idem ſtatui poſsit & debeat etiam de fide hominis non tantùm rationalis, ſed etiam per Spiritum ſanctum regenerati, & ea quidem fide, cui ipſe Spiritus ſanctus præſens ſit, eamq; foveat, confirmet & augeat. Sed, inquam, id eſt ipſa inanitate inanius. Nihil enim tale è mente hominis effluit, & foris oberrat, quales ſunt radii Solis. Si enim quicquam efflueret, id certè oculis videndam mentem hominis monſtraret, ſicut radii Solis corpus ipſius oculis manifeſtiſsimè monſtrant. At nihil monſtratur: nihil igitur effluit. Nec ulla extat Dei promiſsio, quòd velit operari, ut iſtud fides hominis præſtet, quod per naturæ ſuæ conditionem alioquin præſtare nullo modo poteſt.

Si porrò etiam objiciet, Solis corpus, quamvis in uno cœli loco fixum conſiſtat, ita tamen eſſe conſpicuum, ut nullus oculus ab ejus deprehendendi loco ſereno aëre poſsit aberrare, nec propterea fidem poſſe falli, ſi Chriſti carnem in cœlo quærat, dicemus, id nullo modo poſſe propoſitæ quæſtionis ſententiam comprobare. Nam nihil oculus ex ſe fundit, quod uſq; ad corpus Solis pertineat: ſed Sol ipſe radios ſuæ lucis, vel, ut omnes aliæ res corporales, ſic

ipſe quoque ſui quandam ſpeciem in aërem circumfuſum ſpargit, quæ in omnes adverſos oculos rectâ influit, iisque corpus Solis videndum monſtrat. Quis autem nos certos reddet, tale aliquid effluere à carne Chriſti, quod fides certiſsimè apprehendat, vndecunq; in cœlum ſeſe levet? Et ut maximè quicquam effluet, id oculus videbit, ſi erit viſibile, non apprehendet fides, niſi in imagine.

Nec Sol in cœlo liberrimè vagatur, ſed conſtitutæ ſunt ipſi certæ metæ, quibus ingrediens ita curſum ſuum tenet, ut inde ne quidem latum unguem diſcedat, ut quamvis denſiſsimis nubibus totum cœlũ tegatur, aut Sol infra terram deſcendat, ſciri tamen poſsit certus ejus locus. At caro Chriſti in toto cœlo velut in ampliſsima & verè regia aula liberrimè verſatur, ut ajunt Adverſarii, nec propterea à fidei ſemper notum eſt, quo cœli loco, quóve temporis momento ea certiſsimè reperiri poſsit, ut fides, quamvis in cœlum levata, tamen longè facilimè aberrare queat, & ſpe ſua fruſtrari.

Prætereà Sol non ſemper ſurſum collocatus eſt, nec ideò ſemper ſurſum quærendus, ſed orientem vel occidentem ipſum aſpecturis oculi flectendi ſunt ad latera. Chriſti verò carnem ſurſum quærere jubentur omnes omnium etiam longiſsimè diſsitarum regionum homines. Ex quo quid ſequatur, ſi ſententia Sacramentariorum de fide ſpectetur ſuprà eſt indicatum.

Hæc de rationibus contrariis monere volui, ut intelligatur, nec ignotum nobis eſſe, quibus modis Adverſariorum dogma de fide probari poſſe videatur, nec nos neſcire, rationes iſtas, ſi dextrè explicentur, reverâ nihil ejus probare, ſed potiùs noſtram ſententiam manifeſtè confirmare.

Petimus igitur nobis explicari, quàm verum quámque certum eſſe putent hoc, quod dicunt, Chriſti carnem longiùs à nobis abeſſe, quàm abeſt ſupremum cœlũ ab infima terra: Chriſtum autem ipſum nobis eam præſentem facere ſuo ſpiritu, & omnibus in verbo & Sacramentis ſuis eam offerre ac percipiendam ſiſtere, & fidem eam oblatam ſibi admittere & accipere, ſibique applicare, ut non tantùm aliis, ſed etiam ſibi præſens ſit. Id enim non intelligimus, quàm verum ſit, carnem Chriſti in uno aliquo ſolo cœli loco, non autem in terris verſari, & tamen etiam ſeſe omnibus ſiſtere ſurſum corda tollentibus, omnium fidei præſentem eſſe, quum fides intra cujuſque fi-

delis

delis cerebrum maneat, nec extra cor uſpiam vagetur. Apparet certè vertiginoſos ipſos eſſe, qui recens fide ſua cum Menippo è cœlo reverſi ipſi neſciant, quid illîc ſibi acciderit, ideóque non animadvertant, verúmne ſit, vel falſum, quod dicunt.

Quia igitur hæc omnia, quæ de fide docent, dubia ſunt & incerta, vel potiùs falſa & impoſsibilia, videt lector, non eſſe tutum, imò periculoſiſsimum eſſe, hac in parte doctrinam eorum probare & ſequi.

CAPVT IIII.

Quid huic diſputationi præcipuè propoſitum ſit: ac primùm, de corporali præſentia carnis Chriſti in ſacra cœna.

Et hîc paulò propiùs conſideremus cauſſam Sacramentariam, cujus gratia totam hanc de fide quæſtionem movimus. Nam qui non multis ab hinc annis inter primos à noſtris in negotio cœnæ Dominicæ diſſentiebant, ii contendebant, Filium Dei juxta divinitatem adeſſe in actione cœnæ, & exhibere credentibus tantùm ſpiritualem communionem ſpiritus, meriti & efficaciæ corporis ſui: ſed omnem præſentiam corporis Chriſti ex actione ſacræ cœnæ prorſus tollebant: quod ipſum nunc quoque ex Adverſariis aliqui diſertè & ingenuè fatentur ſe ſuis diſputationibus agere.

Contrà verò pleriq; recentiores quiritantur, ſibi magnam fieri injuriam, ſi dicantur negare præſentiam corporis Chriſti in cœna, vel hoc agere, ut ſubſtantia corporis Chriſti ex actione cœnæ tollatur, & ſimulant, ſe docere, ipſummet verum corpus & ſanguinem Chriſti, vel ſubſtantiam carnis Dominicæ reverâ adeſſe & percipi in cœna Domini, eíq; nos arctiſsimè conjungi & uniri: in uſu cœnæ Dominicæ verè, reipſâ, ſubſtantialiter, ſive in ipſa ſubſtantia verum corpus & ſanguinem Chriſti ſpirituali & ineffabili modo adeſſe, & exhiberi, & ſumi à communicantibus.

Adeò ſcilicet evidens eſt & illuſtre τὸ ῥητὸν verborũ inſtitutionis cœnæ Dominicæ, ut ejus tã manifeſta támque nobili evidentia convicti ipſi etiam Adverſarii, qui videri volunt circumſpectiùs in hoc

tanto

tanto negotio agere, quamvis animo diversum sentiant, tamen nec audeant nec possint negare, ipsum verum & essentiale corpus Christi præsens esse in administratione cœnæ Dominicæ. Sed ut antiquũ suum obtineant, & rimam reperiant, qua elabantur, corpus illud à signis cœnæ longissimè proscribunt, & rationem addunt, quia signa ista fidem non habeant: fidelibus autem præsentissimum esse docent, quia illi habeant fidem, cui soli corpus Christi ita præsens sit, ut id illa certissimè etiam comprehendat, & ejus verè particeps fiat, ut ait Danæus in Epistola ad Selneccerum. Igitur vi veritatis convicti fatentur, ipsum verum & essentiale corpus Christi adesse in cœna: quod mox admirabili quadam Metamorphosi in Protheos conversi adesse negant. Hoc scilicet est verba testamenti Filii Dei reverenter tractare.

Nos tamen interim accipimus hoc ipsorum testimonium, quod vel inviti de manifestissima veritate dicunt, & contra ipsos ex eo & superioribus iisq; sine dubio certissimis rationibus ita concludimus.

Si ipsum verum & essentiale corpus Christi adest in usu sacræ cœnæ, adest præsentia corporali. Nequaquam enim eo modo per fidem adesse potest, quo volunt Sacramentarii, quum fides non evolet ad rem procul absentem, sed ejus solam imaginem intus in mente pingat, & nisi res ipsa coràm corporaliter sistatur, fides non possit certò credere, eam sibi præsentem esse, imò certissima sit, rem istam abesse, cujus absentis imaginem solam teneat & aspiciat.

Sed vel ipsorum Sacramentariorum testimonio, eo quidem ab invitis vi veritatis extorto, at illustri tamen & præclaro, in sacra cœna ipsum verum & essentiale corpus Christi præsens adest & percipitur.

Vnde manifestissimè sequitur, adesse illud præsentia corporali, (quo tamen vocabulo, non modum sed certitudinem præsentiæ, designare volumus) & fidem è verbo promissionis certam esse, se non habere nudam imaginem absentis corporis Christi, sed illud ipsum verum corpus sibi quoq; coràm adesse, sibiq; communicari substantialiter participatione naturali: quod quia nec oculis videtur, nec manibus tangitur, nec ullo sensu sensiliter percipitur, ideò fides è verbo simpliciter credit.

Hæc tota nostra ratio est, hic primus scopus institutæ disputationis

tionis, hoc propoſitum: quod argumentum quibus rationibus ſolidè refutare poſsint, pervelimus aliquando ex ipſis cognoſcere. Suum certè ipſorum teſtimonium tam præclarum, de vera præſentia ipſius eſſentialis corporis Chriſti in ſacra cœna, negare non poterunt, niſi verbis ſuis aliam ſententiam nequiter volent affingere ut elabantur, nec, ut nobis quidem videtur, facilè poterunt refellere noſtram ſententiam de actionibus mentis & de fide, quam nobis ipſa certiſsima veræ Philoſophiæ decreta monſtrant: ex quibus duobus ipſorum ſcilicet teſtimonio, & veris documentis Philoſophicis, iſta ratiocinatio nobis eſt facta contra ipſos, quam vident, de corporali præſentia carnis Chriſti in cœna. Conferant hùc vires ſuas, ut ex hoc nodo ſeſe verè, ſi poterunt, expediant.

Et quia fortiſsimè negant, carnem Chriſti præſentia corporali adeſſe in cœna, quia item pugnaciſsimè contendunt, fidem ſuprà cœlos ad eam conſcendere, intelligant hinc, ſi volent, ſe in ſua cœna habere non ipſum verum & eſſentiale corpus Chriſti, quamvis confidentiſsimè dicant, & validiſsimè credant, ſe illud habere, ſed habere tantùm ejus abſentis imaginem, quam memoria recolentes cogitant, & in cerebri ſui ſpiritibus formant pro arbitrio & opinatione, quod non diſsimile eſt ejus, quod Selneccerus Bezæ objicit, Sacramentarios ſentire, corpus νοητὸν eſſe in cœna: quod ipſi quidem fortiter negant ſe ſentire: ſed hinc animadvertant, id ex ipſorum dogmate manifeſtiſsimè conſequi: ut, ſi corpus νοητὸν, aut corporis imaginem habere nolent, ſi volent ipſum verum & eſſentiale corpus Chriſti habere, meminerint, valde dubitari poſſe, an id ulla tali ratione fieri poſsit, quemadmodum ipſi de fide docent, ideóque potiùs opus eſſe, ut Chriſtus ſe coràm ipſorum corporibus inſinuet, iſſque adſit præſentia corporali, quod & promiſit & poteſt: quod quia ipſi nolunt, fic fit, ut ſibi videantur habere, quod hinc intelligant ſe non habere, putent eſſe ipſum verum corpus, cujus hîc videant eſſe ſolam imaginem. Niſi fortaſſe Dominus Ieſus, neglecto eo, quod Sacramentarii de verbis inſtitutionis ſentiunt aut credunt, ad promiſsionis ſuæ veritatem ipſis nihilominus verum ſuum corpus edendum, & bibendum ipſum ſuum ſanguinem porrigit participatione naturali: quod & facilè poteſt, nec ego hîc negatum volo: quum potiùs id admoneam tantùm, quid ex iſta Adverſariorum opinione

de fide contra ipsorum manifestum testimonium de præsentia corporis Christi in sacra cœna consequatur,

Vnde sequitur hoc quoq; Christum, quando homini fideli dicit: Hoc est corpus meum: non intelligere ipsum verum suum & essentiale corpus, pro nobis in cruce traditum, quod tamen ipsum intelligere Adversarii fatentur, & fateantur oportet: sed significare solam sui corporis absentis imaginem, in hominis fidelis cerebro cogitandi ἐνεργείᾳ formatam. Qualem igitur cœnam Dominicam Sacramentarii habeant, ipsi viderint. Nos eam profectò nolumus.

Et hinc apparet, quam periculosum sit, homines à vera, propria & nativa sententia verborum Testamenti Filii Dei abducere, nulla alia ratione persuasos, nisi isto tam incerto támque lubrico dogmate de fidei supra cœlos evolatu: quum vel ipsorum Adversariorum testimonio verba institutionis tam plana sint & evidentia, ut, si eorum propria & nativa significatio retineatur, nullus locus sit dubitandi, quin iis vera & corporalis præsentia ipsius essentialis carnis & sanguinis Christi cum beneficiis ejus in cœna manifestissimè notetur: istud autem dogma, de fide supra cœlos ad carnem Christi conscendente, ejusmodi sit, ut multi hactenus eo fascinati, nunc verò de ejus imbecillitate admoniti, si cõsequendæ salutis avidi sunt, deinceps valde dubitaturi sint, an unquam tale aliquid ipsis acciderit, ut fide supra cœlos levata Christi carnem apprehenderent, imò perspecturi sint, id esse fidei totique naturæ hominum impossibile, ut eos, qui verum Christi corpus habere volent, idq; sibi necessariò habendum putabunt ad accipiendam salutem, omnino de alia ratione ipsius habendi cogitare necesse sit, eâ scilicet, quam Christus ipse in cœna sua certis & illustribus verbis promisit.

Admirabile profectò est, quod hîc Adversarii disputant. Fatentur, hominis fidem & ipsummet verum corpus Christi in sacra cœna arctissimè conjungi & copulari. Sed omnibus viribus negant, Christi corpus ad nos in terram usque venire, seq; nobis communicare: contráque audacissimè contendunt, fidem supra cœlos evolare, & illîc ipsi vero Christi corpori uniri: quod quàm verè quámque circumspectè dicatur, & cujusmodi deniq; putandum sit, omnes boni vident. Quod enim Christus manifestissimis verbis in institutione cœnæ suæ promisit, quõdque corpori Christi ci quidem ad

dexteram

dexteram Patris omnipotentis ſupra omnes cœlos elevato glorificatóque, accepta omnipoteſtate in cœlo & in terra poſsibile eſt, imò perquam facile, id ipſum poſſe impudentiſsimè negant. Quod miſerrimi hominis fides quamvis validiſsima, quamvis item nullis omnino peccatorum ſordibus onerata & preſſa, nedum vacillans & infirma præſtare nullo modo poteſt, id eam poſſe confidentiſsimè affirmant. Iudicent omnes ſani, an non hoc ſit cum ratione inſanire.

Quum igitur hactenus manifeſta evidentia verborum inſtitutionis convicti conceſſerint aliquam præſentiam ipſius veri & eſſentialis corporis Chriſti in ſacra cœna, nihil omnino dubitari poteſt, quin, cognita imbecillitate hujus argumenti de fide ſupra cœlos conſcendente, nunc demùm ſecutura ſit apud ipſos certiſsima ſententiarum mutatio, ut aut omnem veræ carnis Chriſti præſentiam in adminiſtratione cœnæ Dominicæ prorſus negent, & ſolam ejus abſentis imaginem, in fidelium mentibus ἐνεργείᾳ cogitandi formatam, relinquant, aut corporalem ipſius præſentiam nobiſcum credant.

Si omnem præſentiam negabunt, ut omnino videntur negaturi, quum iſtam, quam ſe fateri ſimulant, præſentiã fuco argumenti de fidei ſupra cœlos evolatu deinceps ſalvare nequaquam poſsint, negabunt profectò propterea, ne deſinant eſſe Sacramentarii: ſed tum quidem ipſi viderint, quemadmodum levitatis, impudentiæ & malitiæ tam turpi fœdóque crimine ſe poſsint liberare, quum ſcilicet omnis honeſtatis & pudoris obliti, contrà quàm bonos viros decet, negabunt, quod anteà ſæpe manifeſtis verbis affirmârunt. Si corporalem præſentiam credent, facient, quod homines honeſtos facere æquum eſt, ut videantur ex animo ſenſiſſe, quando hactenus propter evidentiam verborum Chriſti aliquam præſentiam corporis ejus in ſacra cœna conceſſerunt: quod ut faciant & optamus, & per gloriam Dei, perq; veracitatem & omnipotentiam Ieſu Chriſti, & per ipſorum honorem & ſalutem eos obteſtamur.

Secundo.

Quòd & quomodo caro Chriſti ſit canalis vitæ nobis communicandæ.

Deinde accipimus hoc quoq; lubentes, quod ipſi non gravatè con-

cedunt, Deum depoſuiſſe vitam in carne Chriſti, ut eam inde hauriamus, & neceſſe eſſe, ut ſubſtantiæ carnis Chriſti quàm arctiſsimè conjungamur & uniamur, atq; adeò ut Chriſtus totus Deus & homo noſter ſiat, ut fide ipſius corpori inſiti oſſa ipſius, caro ipſius, ſanguis ipſius ſiamus, ut ex ipſo juſticiam & vitam, quæ maneat in nobis, acquiramus, nec ſalvari nos poſſe, niſi capiti noſtro Ieſu Chriſto, ut membra corporis ipſius, etiam ſecundum ipſius humanam naturam unjamur, & velut incorporemur.

Sic enim Neoſtadiani in Admon. Chriſt. cap. 3. pag. 107, Niſi ipſiſsimo Chriſti corpori inſeramur, neque meriti, neque vitæ illius fieri poſſumus participes: ſicut membra non poſſunt vitam & motum habere ex capite, niſi maneant ipſi unita, & palmites, niſi maneant in vite, neceſſe eſt exareſcere.

Danæus in examine libri Kemnitii ad cap. 8. pag. 270. Caro Chriſti eſt vivifica & vivificatrix, quoniam illa eſt primum, primarium ac immediatum organum, canalis & medium, per quod fide conjunctum & applicatum Deitas λόγȣ transfundit in nos vitalem illum ſuccum, vigorem & ſpiritum vitæ æternæ.

Ibid. Quoniam igitur tam eſt excellens, primarium ac neceſſarium vitæ illius æternæ in nos trajiciendæ & creandæ medium, & quidem ipſa verbi Dei prædicatione, ipſis Sacramentis, ipſa denique fide noſtra præſtantius (nam hæc tria ſunt illius Chriſti carnis attingendæ, & nobis per Spiritum ſanctum applicandæ organa divinitùs inſtituta) idcirco longè quoq; potiori ratione caro Chriſti vivificatrix & eſt & dicitur, quàm & ipſum Dei verbum, & ipſa fides, qua vivere & vivificari tamen dicimur.

Et ad cap. 12. pag. 298. Deitas λόγȣ eſt κύριον & unicum ἄιτιον per intervenientem Chriſti carnem, ceu canalem, eum ſuccum in nos diffundens & inſtillans.

Hæc de carne Chriſti hactenus vera ſunt, quòd ejus nobis per fidem applicatæ medio vivificemur ad vitam æternam. Hæc eſt enim etiam ſcripturarum ſententia, quæ nobis hîc illam veram, certam & ſolidam conſolationem monſtrant, quòd caput noſtrum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quum nos ad ipſum venire non poſsimus, ipſe huc ad nos in terram cum ſua vivifica carne veniat, eo modo, qui ipſi, non nobis, notus eſt, nóſque ſuo vero & eſſentiali corpo-

ri

ri uniat, cùm per auditum & meditationem verbi, tum vel potisimùm etiam in cœna, ubi nobis illud corporali præsentia coràm edendum porrigit, tanquam veram, salutarem & vivificam escam animæ: quod ipsum quoq; ei possibile est & longè facilimum, quum sit non tantùm homo, sed etiam verus & omnipotens Deus: unde est, quòd Paulus ait Eph. 3. Christum per fidem habitare non procul à nobis in cœlo, sed in ipsis nostris cordibus. Et quia Sacramentarii tantoperè pugnant de beneficio Spiritus sancti, cujus efficacia fides possit in cœlum conscendere, quod hinc apertè vident nihil esse, cur non potiùs idem nobiscum dicunt, efficaciam Dei hoc præstare, quod evidentissimis verbis promisit, ut caro Christi ineffabili modo hîc, coràm in terris adsit præsentia corporali, nósque naturali sui participatione pascat ad vitam æternam? quod ipsi multis atq; adeò infinitis modis facilius est, quàm nobis fide supra cœlos evolare.

Id autem de Christo negant tanta vehementia, quanta qua possunt maxima, contráque contendunt, fidem debere & posse sursum conscendere in cœlum, & illîc corpus Christi vivificum quærere & apprehendere, atq; ita ipsi uniri, ex eóque vitam accipere: quod ut dixi, magnam eámque justam dubitationem habet, an humanæ naturæ possibile sit etiã in Renatis: quod ipse quoq; Calvinus agnoscit, quum 1. Cor. 11. ita scribit: Incredibile hoc videtur, pasci nos Christi carne, quæ tàm procul à nobis distat. Rectè, inquam hîc ego: neq; verò tantùm videtur, sed est mehercle prorsus incredibile. Nec probat Adversariorum sententiam, quod addit: Memineris arcanum ac infinitum esse Spiritus sancti opus, quod intelligentiæ modulo metiri sit nefas. Neq; enim vel ipse vel sectatores ejus unquam curarunt ullam minimam rationem afferre, qua probarent, hîc aliquod tale Spiritus sancti opus esse, quod intelligentiæ modulum fas est non è suis ratiocinationibus, sed è verbo Dei metiri: quod quum facit, manifestè perspicit, Spiritum sanctum nihil istius in Renatis operari, quia nusquam promisit se operaturum, ut fides supra cœlos evolet, quod alioqui per conditionem mentis humanæ fieri non potest. Quomodo igitur ipsi vero & essentiali eiq; vivifico & salvifico corpori Christi uniri, quomodo capiti ut membra inseri, quomodo deniq; salvari poterimus, si fide nobis ad illud supra cœlos conscendendum erit?

Et hîc attendat Lector, an non ſuaviſsima conſolatio flagitiosè nobis hoc dogmate eripiatur, imò ſalus ipſa in dubium vocetur, quum nemo eam accipere poſsit, vel ipſorum Sacramentariorum teſtimonio, niſi unitus ipſiſsimo corpori Chriſti, & valde dubitari poſſit, an hac ratione, fide ſcilicet in cœlum uſque conſcendente, quiſquam Chriſti corpori uniatur.

Et verum quidem eſt, ipſum verum & eſſentiale corpus Chriſti eſſe canalem & medium, per quod ſuccus vitæ æternæ in nos transfundatur. Verum eſt hoc quoque, oportere corpus illud Chriſti nobis fide conjungi & applicari. Quòd autem iſto modo, quem Adverſarii dicunt, nobis conjungatur, id verò admirabile eſt. Nam canalem vitæ in nos conferendæ, carnem ſcilicet Chriſti ſtatuunt in cœlo, fontem, nimirum Deitatē λόγȣ in terra, quæ ſuccum vitæ in nos traducat per carnis ſuæ canalem, qui nunquam ante extremum diem ulla ſui parte ad nos in terram uſque pertineat, ſed longius â nobis abſit, quàm ſupremum cœlum ab infima terra. Canaliſmum tam admirabilem támque fatuum vertiginoſi Sacramentarii ſibi retineant: nos eum non cupimus, quum non videamus, per eum poſſe nobis vitam â Deitate communicari.

Quod enim de fide addunt, quæ ſupra cœlos ad iſtum canalem cōſcendat allatum vitam, nihil eos juvat. Nam fides, quatenus eſt actio mentis, verbo de Chriſto ejúſque beneficiis excitata, ſolam corporis Chriſti imaginem cogitando format & aſpicit, non ſupra cœlos ad ipſum Chriſti corpus abſens conſcendit. Quomodo igitur hac ratione corpus Chriſti nobis per fidem poteſt applicari? Quantò verius eſt, nos id tenere, quod res eſt, Chriſtum ſcilicet, quia non vult abſens in imagine apprehendi, ſed ipſum ſuum verum & eſſentiale corpus verè noſtrum fieri, ut nos ejus ipſius corporis, non alicujus imaginis participes facti verè vivificemur, ideò ipſum ad nos venientem ſeſe nobis cum ſuo vero & eſſentiali corpore inſinuare per fidem de ipſo, vel audiendo verbo, vel in adminiſtratione cœnæ piè cogitantem, nóſque ſuo corpori unire & copulare, ut ita caro Chriſti vivifica verè & reipſâ præſentia corporali noſtræ carni conjuncta canalis ſit vitæ in nos transfundendæ.

Et hîc fidelium & infidelium hactenus eſt eadem conditio, quando vel verbum audientes, vel ad ſacram cœnam accedentes aliquam Chri-

Christi imaginem in mente pingunt pro arbitrio, vel juxta promissionem verbi, Christum corporali præsentia præstò habent, & in cœna ejus corpus edendum coràm accipiunt. Nam illud de mentis actione, imaginem rei cogitatæ formantis, in utrisque fidelibus & infidelibus certissimùm est: & evidentia verborum Christi prorsus evincit, ut aliqua non imaginis, sed ipsius veri & essentialis corporis Christi præsentia, communicatio & distributio in sacræ cœnæ administratione statuatur, vel ipsorum Adversariorum testimonio, cujus præsentiæ ratio tota pendet non ex conditione fidei, sed ex certissima nec dubia promissione Dei, qua significat, se cum ipso suo vero & essentiali corpore, pro nobis in cruce tradito, in cœna adfuturum: quod nisi promisisset, & præstare posset ut omnipotens Deus, fides quamvis validissima eum præsentem cum corpore ipsius nunquam ullo modo posset habere: unde liber concordiæ pag. 300. a. præsentiam corporis Christi in cœna tribuit non fidei, sed veritati divinæ promissionis.

Quia igitur adest non imagine, sed præsentia corporali, non per nominis fidem, sed per veritatem promissionis, sic fit, ut illud ipsum corpus Christi participatione naturali accipiãt & fideles & hypocritæ. Ideóque ista differentia, quam hîc statuunt Adversarii, nulla talis est, quasi soli fideles vera fide Christi corpus accipiant, non autem accipiant infideles. Accipiunt enim illud utrique, & imaginem ejus in mente formando aspicicndóque, & ipsum verum corpus participatione naturali substantialiter manducando. Sed hoc solũ discrimen verũ est & illustre, quòd fideles ad verbum promissionis gratiæ de beneficiis Christi diligentiùs & religiosius attendunt, atque ita præter imaginem Christi, prætérque ipsum verum & essentiale corpus ejus in sacra cœna præsens & substantialiter exhibitum, ipsa etiam Christi beneficia, justitiam, salutem & vitam fide ex verbo accipiunt quæ non accipiunt infideles, quum ii judicium sibi mãducent, absque vera scilicet fide manducantes. Itaque ipsa vivifica caro Christi canalis est vitæ ad nos deferendæ, ita illa sese nostræ carni coràm insinuet præsentia corporali, vitam verò inde soli fideles vera fide hauriant.

Pro hac vera sententia nobis Adversarii substituunt aliam, quæ quid velit, ne ipsi quidem videntur intelligere: corpus scilicet Christi

in cœlo resîdens, sed fide sursum levata, idq; apprehendente nobis applicatum, esse canalem vitæ nobis communicandæ. Dicamus hîc cum ipsis per πλάσιμ, non tanquam ὁμολογούμενον, fidem posse in cœlum conscendere, & illîc carnem Christi vivificam comprehendere. Quid autem? Itáne non ipsum Christi corpus, sed fides erit canalis, à summo cœlo & â corpore Christi illîc resîdente ad nos usque pertinens, itáque vitam ad nos devehens? Quid si mens anxia dubitet, an possit fidem elevare ad tantam támque immensam cœlorum altitudinem? Quid si Satan, princeps potestatis aëris hujus, vitam fidei ad nos deferenti eripiat? Quid si fides ipsa itinere tam longo támque laborioso fessa vitam abjiciat, nósque spe inani ludat? Petimus hîc, ne nobis irascantur, quòd ista ipsis objicimus, quæ videmus animo anxio posse occurrere, si sentiat, ita de fide, de vivifica carne Christi, & de medio vitæ in nos transfundendæ doceri. Quantò tutiùs nobis vitam Christus ipse huc adferet, ad nos veniens cum sua vivifica carne, quod & in Testamento suo promisit, & longè facilimè præstare potest.

Hinc intelligit prudens lector, quàm periculosum sit, ita de fide docere, quòd debeat supra omnes cœlos ad Christum conscendere, quámque periculosè cum miseris & vehementer anxiis & oneratis conscientiis agant ii, qui solam spiritualem participationem corporis Christi in cœna admittunt, quod fide in cœlis ad dexteram Dei quærere, itáque spiritualiter edere oporteat: quámque contrà necessarium sit & utile, nos Christum nobis hîc in terra præsentem habere in cœna Dominica, etiam secundum humanam ipsius naturam, quòd id velint verba Testatoris, & postulet summa consolatio, de vita nobis communicanda, quæ prorsus evanescat, nisi Christus hîc adsit præsentia corporali.

Nam ea quidem nonnulla quoq; est consolatio, si Christiani in magnis doloribus & angustiis conscientiæ remittantur in cœlum, & Christum illîc ad dexteram Dei sedentem dominantémque jubeantur intueri, & ardente spiritu & fide edere, & complecti. Sed quis eos & quibus rationibus certos reddet, ut sine omni dubitatione credant, se spiritu tam opulentè præditos esse, támque firmos fide, ut ita sese cogitationibus suis subitò possint in altum levare, & con-

ſolationem iſtam in Chriſto ad dexteram Dei quærere & accipere? quando eorum conſcientiæ peccatis ita graviter oneratæ ſunt & preſſæ, ut ne quidem audeant oculos ad cœlum levare metu iræ Dei, tantum abeſt ut ſubitò poſsint robuſta ſolidáque fide læti & alacres per omnes cœlos pervadere, & illîc corpus Domini comprehendere & velut captum tenere, quod hîc intelligant impoſsibile eſſe etiam iis, qui ſunt fide firmiſsima.

Quia igitur ſcit ſuaviſsimus noſter Salvator, quemadmodum cum miſeris hominibus agere debeat, & novit perditorum hominum infirmitatem, & in primis miſerorum & territorum peccatorum verecundiam, nec ignorat, quàm ſit res tenera fides Chriſtiani, ideò non vocat eam ſubitò ad ſe ſurſum ad infinitam ſuam majeſtatem ad dexteram cœleſtis ſui patris; ſed remittit nos ad ſuum verbum, quod in terra per homines nobis in ipſas noſtras aures prædicari jubet, ut in eo cor noſtrum innitatur, & ſic incoëtur fides: quæ ſi adhuc eſt infirma, remittit nos porrò ad ſuam cœnam, quæ in terris adminiſtratur, ubi vult ipſe coràm ſubſtantialiter adeſſe, & nobis verum & vivificum ſuum corpus, quod ad dexteram Dei ſedet, hîc in terra corâm in os noſtrum edendum dare, & bibendum purum & vivificum ſanguinem ſuum, cum porrectione naturalis panis & vini: de quo non dubitabimus, ſed ei tutò credemus, quum nos nec velit nec poſsit fallere, quod nobis de ipſo certò policebimur.

Ita venit ad nos ipſe fidelis & cariſsimus noſter Dominus, quum nobis impoſsibile ſit ad ipſum venire: & eò quoq; nos vocat, conſolatoriè pelliciendo & ſeriò mandando, quum ſic inquit: Venite ad me omnes, qui onerati & gravati eſtis, ego reficiam vos. Venite, ait: quò autem Domine? ubi es, niſi ad dexteram Dei in cœlis, ut docet articulus noſtræ fidei, & ubi Sacramentarii te quæri jubent? Benè, inquam, facitis, quando creditis, me ad dexteram patris ſedere. At quum vos ad me venire jubeo, non poſtulo, ut continuò cogitationibus & fide veſtra ad infinitam altitudinem & latitudinem conſcendatis ſupra omnes cœlos. Id enim intelligo non eſſe feſsis & miſerè oneratis & peccato gravatis cordibus veſtris poſsibile, quemadmodum nec ſeni & ægroto poſsibile eſt cum frumenti modio in altum montem ſubitò conſcendere: ſed venite ad me eo loco, ubi anteà ad vos ego veneram. Vbi autem? In terra, inquam, ubi repitis, ubi anteà concionatus fueram, & per meos miniſtros etiam

nunc concionor, ubi in cœna ſubſtantialiter præſens corpus & ſanguinem meum diſtribuo: illîc me certiſsimè invenietis, in ſancto ſcilicet miniſterio verbi & Sacramentorum.

Hæc, quia cum verbo Dei & Teſtamentaria inſtitutione Chriſti conveniunt, profectò longè ſuaviùs & certiùs miſeras & anxias conſcientias erigunt & conſolantur, quàm illa Sacramentariorum placita de fide ſupra omnes cœlos ad Chriſtum conſcendente.

Quòd verò dicunt Adverſarii, per divinitatem λόγϑ tanquam per tertium nos corpori Chriſti uniri, & fide vitæ ipſius corporis participes fieri, id ad hanc conſiderationem non pertinet. Eo ipſo autem deſtruunt id, quod de carne Chriſti dixerant, eam eſſe canalem vitæ ad nos devehendæ, quum hinc manifeſtè ſequatur, divinam Chriſti naturam à ſummo cœlo, ubi reſidet natura humana, in terram uſq; ad nos pertinere, nóſque carni Chriſti conjungere. Itáq; non carnem Chriſti, ſed ipſam ejus divinitatem eſſe canalem vitæ nobis communicandæ, flammam ſcilicet ignis devorantis ſtipulam, Ioël 2. O nos ergo miſeros, qui ad conſpectum nudæ divinitatis, ut ad ignem ſtipulæ, non poſſumus conſiſtere, nedum inde vitam haurire: quod cùm ſciret Deus, tali aliqua ratione per nudam divinitatem non poſſe vitam ad nos deferri, aſſumſit noſtram naturam in unitatem ſuæ perſonæ, in eáque vitam depoſuit, ut inde ea in nos defluat, non ita, ut caro Chriſti vivificæ quidem facultatis plena, ſed in cœlo reſidens, tantùm quandam influentiam vel ſpiritualem motum ad nos in terram demittat interveniente divinitate, ſed ut nobis vel corporibus noſtris præſentia corporali, & participatione naturali propiùs per fidem conjuncta, & ſic tota noſtra facta, nos divinæ vitæ participes faciat. Quamobrem quoque cœnam ſuam inſtituit, ubi nobis illud ipſum ſuum verum & eſſentiale corpus, ſalutis & vitæ plenum, præſentia corporali accipiendum manducãdúmque exhibet: quod ut porrò pluribus argumentis doceam, vel latiùs explicem, nihil opus eſt, quum id à noſtris ita feliciter præſtitum ſit, ut piæ mentes tutò poſsint acquieſcere.

Meum inſtitutum fuit hoc loco, de fidei ratione potiſsimùm quærere, an ea ſupra cœlos ad Chriſtum conſcendat, & illîc corpus Chriſti vivificum apprehendat: quod niſi validiſsimis rationibus Adverſarii probaverint, ut certum verúmque habere non poſſumus: quin imò, quum certiſsimi ſimus, ipſos iſtud non facilè illis veriſimili-

bus rationibus probaturos, omnino repudiamus, ut falsum & impossibile.

Hæc habui, quæ de fide monere volui, quæ, ut mihi planè persuadeo, talia sunt, ut, qui nolent se scientes & prudentes in errorem præcipites agi, non invitò testaturi sint, admodum dubia esse & lubrica, ne dicam falsa & impossibilia, quæ de fide Sacramentarii docent, in hanc sententiam, quòd ea possit supra cœlos evolare, & illîc ipsum verum Christi corpus accipere: ideóque, si propter manifestam evidentiam verborum Christi in cœna prorsus statuenda sit, ut est certè statuenda, aliqua vera præsentia ipsius veri & essentialis corporis Christi, eam nullo modo posse talem esse: ut ipsum corpus loco procul absens soli fidei præsens sit: ita enim præsentem fore non ipsam veram & essentialem carnem Christi, sed solam ejus imaginem, in mentibus hominum cogitando formatam pro cujúsque arbitrio: propterea áque talem omnino esse statuendam præsentiam corporis Christi in cœna, qua nobis hîc illud corpus in terra verè adsit præsentia corporali, & nobis manducandum detur, & omnibus & singulis dignis & indignis verè distribuatur & exhibeatur, cum externis signis pane & vino, nósque sibi copulet & uniat, ut Christus in nobis sit non tantùm spiritualiter, non tantùm efficacia, sed etiam participatione naturali, sive communicatione veri, naturalis & essentialis corporis & sanguinis sui, ut ita caro Christi sit canalis vitæ ad nos devehendæ.

De reliquis, quæ ad astruendam & probandam verã præsentiã & distributionẽ veri & essentialis corporis Christi in sacra cœna pertinent, alibi pleniùs explicatur. Mihi ista de fide hoc loco monuisse satis est.

Deus nos regat per sanctum suum Spiritũ, ut de sacra cœna Domini, decq; vera præsentia & distributione corporis Christi in ejus administratione quàm rectissimè & honorificentissimè sentiamus et credamus, nec istis & aliis tàm dubiis támq; infirmis adversariorum rationibus nos moveri patiamur, ut à nativa & propria significatione verborum Testamenti Filii Dei recedamus, sed ei totis animis inhæreamus, & certi simus, eum, qui dixit & promisit, posse, quod promisit, opulentè præstare, etiam supra id, quod nos possimus intelligere. Amen.

VITEBERGÆ

Ex officina typographica M. Simonis Gronenbergii.
Impensis Henningi Groſsii, Bibliopolæ Lipſenſis.